BULLARIUM

ROMANUM

BULLARUM

DIPLOMATUM ET PRIVILEGIORUM

SANCTORUM ROMANORUM PONTIFICUM

TAURINENSIS EDITIO

LOCUPLETIOR FACTA

COLLECTIONE NOVISSIMA PLURIUM BREVIUM, EPISTOLARUM, DECRETORUM ACTORUMQUE S. SEDIS

A S. LEONE MAGNO USQUE AD PRAESENS

CURA ET STUDIO

COLLEGII ADLECTI ROMAE VIRORUM S. THEOLOGIAE ET Ss. CANONUM PERITORUM

QUAM

SS. D. N. PIUS PAPA IX

APOSTOLICA BENEDICTIONE EREXIT

AUSPICANTE

EMŌ AC REVMŌ DNŌ S. R. E. CARDINALI

ALOYSIO BILIO.

TOMUS XV

Ab URBANO VIII (an. MDCXXXIX) ad INNOCENTIUM X (an. MDCLIV).

AUGUSTAE TAURINORUM

A. VECCO ET SOCIIS EDITORIBUS

SUCCESS. SEBASTIANI FRANCO ET FILIORUM

M DCCC LXVIII.

ALMA COLLEGE
262.11
LIBRARY
T195
Alma, California

25405

LECTORI BENEVOLO

EDITORES TAURINENSES

S.

Etsi pluribus, quae in dies crescunt, Operis nostri difficultatibus pene obruimur; at manu tamen apostolica amantissimi Patris ac Domini nostri PP. Pii IX, qui nunquam non nos cumulat beneficiis, erigimur atque firmamur, necnon Eminentissimi Viri, quem Ipse nobis Patronum dedit, assidua benignaque protectione fovemur; speramusque nos brevi portum tuto feliciterque arrepturos.

Interim vero eo iam devenit editio haec nostra, ut non tantum pro secura habenda sit ipsiusmet ad finem usque prosecutio, sed etiam totius Operis rationem enucleatius, quam unquam egimus, tecum, candide Lector, ab hinc conferre ac digerere valeamus.

Non plura quam duo post praesens volumina desunt, quae in proximum annum edenda paravimus, ut ad finem Bullarii Cherubiniani opera et studio Caroli Cocquelines recusi et plurimum aucti pertingamus; primaque series viginti priorum voluminum editionis Mainardianae, quam romanus typographus non minus quam viginti trium annorum spatio

ab anno MDCCXXXIX ad annum MDCCLXII dedit, decem et septem huius nostrae editionis tomis, minus quam duodecim ab incepto opere annis confectis, priori proximi anni medietate tota habebitur comprehensa.

Octo dumtaxat volumina Mainardiana posthac edenda supererunt, quae septem editionis nostrae tomis, duobus insequentibus annis evulgandis, concludemus.

Itaque antequam ad finem vergat annus Reparatae Salutis MDCCCLXXI totum opus Mainardianum viginti quatuor tomis nostris absolutum erit; ut exinde novis resumptis viribus alacriori cursu reliqua a Benedicto XIV ad nostra usque tempora, opitulante Deo, peragamus.

Continet porro volumen istud, quod prodit in lucem, totius Operis decimumquintum, unam et septuaginta supra tercentas RR. PP. Constitutiones, quarum centum et septuaginta duae spectant ad quinque postremos Urbani VIII pontificatus annos[1], centum et nonaginta novem per integrum Innocentii X pontificatum usque ad annum MDCLV, quotquot nempe huius Summi Pontificis in editione Romana relatae fuerunt, ex ordine digeruntur[2].

Nostram in hoc quoque volumine adornando atque ab innumeris mendis expurgando diligentiam testatam abunde faciunt plusquam mille quas Mainardianis voluminibus vel ipsi adhibuimus vel lectori adhibendas innuimus correctiones, etenim nonnulla Pontificia diplomata, non minimi sane momenti, veluti ex integro reficere oportuit. Quin et dogmaticas ipsas Constitutiones, nempe DCCVII (al. 669) Urbani VIII,

1 Quotquot in editione Romana habentur a pag. 208 *b*, tomi VI, partis II usque ad finem ipsius voluminis.

2 Omnia nempe quae habentur in tomi VI parte III editionis Romanae.

in eaque insertas litteras Pii V et Gregorii XIII, et CLXVII Innocentii X adversus haereses Baii atque Iansenii, ex probatioribus editionibus ad emendatiorem distinctioremque formam redegimus.

Utinam curis laboribusque nostris subscriptorum copia, quae nondum ingentibus quibus est opus impensis par est, respondeat; et dum magnum oboritur periculum ne inclytae Hispaniae rebus susdeque versis praecipuum, quod exinde nobis erat, Operis nostri robur imminuatur, rogamus obtestamurque in Domino ut eo maiores ex ceteris catholici orbis Ecclesiis atque Nationibus vires addantur.

Augustae Taurinorum, kalendis decembris MDCCCLXVIII.

A. VECCO ET SOCII.

TABULA

Quae novum ordinem *refert, quo chronologice dispositae sunt Pontificiae Constitutiones in Editione Taurinensi, collatum cum* veteri ordine *Romanae Editionis Hieronymi Mainardi.*

Edit. Taur. Tom. XV.		Edit. Rom. Tom. VI, part. II.
	URBANUS VIII.	
1639	DCLVIII	Circumspecta Rom. Pont. 624
»	DCLIX	Nobis pro parte dilecti . . 625
»	DCLX	Romani Pontifices, ... 626
»	DCLXI	Romani Pontifices, ... 626
»	DCLXII	Postquam annis retroactis 627
»	DCLXIII	Cum, sicut non sine . . . 628
»	DCLXIV	Cum, sicut non sine . . . 629
»	DCLXV	Nuper a nobis accepto, . 630
»	DCLXVI	Ad Romani Pontificis. . . 631
»	DCLXVII	Cum nobis nuper. 632
»	DCLXVIII	Religiosos viros, qui, . . 633
»	DCLXIX	Clamores tot gravaminum 634
»	DCLXX	Cum, sicut accepimus, . . 635
»	DCLXXI	Cum, sicut etc., postpos. . 635
»	DCLXXII	Pastoralis muneris nostri . 635
»	DCLXXIII	Super militantis. 635
»	DCLXXIV	In supremo apostolatus . 658
»	DCLXXV	Nuper pro parte 636
»	DCLXXVI	Cum, sicut dilecti filii . . 637
»	DCLXXVII	Aliàs (postquam emanarunt 638
»	DCLXXVIII	Exponi nobis nuper fecit 639
»	DCLXXIX	Cum nuper, sicut non . . 640
»	DCLXXX	Cum, sicut accepimus . . 641
»	DCLXXXI	Cum, sicut nobis nuper . 642
»	DCLXXXII	Super universas orbis . . 643
»	DCLXXXIII	Cum, sicut dilectus filius 644
»	DCLXXXIV	Salvatoris nostri Iesu . . 645
»	DCLXXXV	Exponi nobis nuper fecit 646
»	DCLXXXVI	Cum monialium 647
»	DCLXXXVII	Aliàs pro parte tuâ nobis 648
»	DCLXXXVIII	Nuper emanarunt a nobis 649
1640	DCLXXXIX	Aliàs nos ex certis 650
»	DCXC	Ne nova loca sub titulo . 651
»	DCXCI	Ex iniuncto nobis 652
»	DCXCII	Aliàs per nos accepto . . 653
»	DCXCIII	Cum nos, de venerabilium 654
»	DCXCIV	Militantis Ecclesiae. . . . 655
»	DCXCV	Cum, sicut accepimus, . . 656
1640	DCXCVI	Domini nostri Iesu 657
»	DCXCVII	Emanarunt aliàs a nobis 659
»	DCXCVIII	Dudum a nobis 660
»	DCXCIX	Aliàs a nobis emanarunt . 661
»	DCC	Olim (postquam felicis . . 662
»	DCCI	Nuper a Congregatione. . 663
»	DCCII	Domini nostri Iesu 664
1641	DCCIII	Cum, sicut nobis nuper . 665
»	DCCIV	Decet et aequum est, ut 666
»	DCCV	Cum, sicut exponi nobis. 667
»	DCCVI	Aliàs a Congregatione . . 668
»	DCCVII	In eminenti Ecclesiae . . 669
»	DCCVIII	Publicis christifidelium . 670
»	DCCIX	Exponi nobis nuper . . . 671
»	DCCX	Decet nos, qui in 672
»	DCCXI	Exponi nobis nuper fecit 673
»	DCCXII	Romanus Pontifex, ... 675
»	DCCXIII	Catholicae religionis . . . 674
»	DCCXIV	Romanus Pontifex, in . . 676
»	DCCXV	Cum, sicut nobis innotuit 677
	DCCXVI	Cum nuper nos, ad . . . 678
	DCCXVII	Cupientes, iustis ex causis 679
»	DCCXVIII	Iustis ex causis animum . 680
»	DCCXIX	Pastoralis officii nobis . . 681
»	DCCXX	Cum, sicut dilectus filius 682
»	DCCXXI	Militantis Ecclesiae. . . . 683
»	DCCXXII	Inter multiplices pastoralis 685
»	DCCXXIII	Christifidelium quorumlib. 686
»	DCCXXIV	Aliàs, sicut asseritur . . . 687
»	DCCXXV	Uberes fructus, quos in . 684
»	DCCXXVI	Saepe convenit, iuxta . . 688
»	DCCXXVII	Cum non sine gravi . . . 689
»	DCCXXVIII	Cum non sine gravi . . . 690
»	DCCXXIX	Quamvis Rom. Pontifices 691
1642	DCCXXX	Aliàs (per tunc 692
»	DCCXXXI	Cum ecclesiae divino . . 693
»	DCCXXXII	Dudum felicis recordat. . 694
»	DCCXXXIII	Exponi nobis nuper . . . 695
»	DCCXXXIV	Aliàs pro parte 696
»	DCCXXXV	Cum, sicut dilecti filii . . 697
»	DCCXXXVI	Cum, sicut accepimus. . . 698

* In tabula *novi* ordinis cum *veteri* collati quae est in tomo preced. pag. XII *b*, lin. 26 legitur 612 et legendum 613, et sic deinceps unitas addenda usque ad 623.

Edit. Taur. Tom. XV.		Edit. Rom. Tom. VI, part. II.
1642	DCCXXXVII	Cum nos nuper te 699
»	DCCXXXVIII	Sacrosancta Tridentina . . 700
»	DCCXXXIX	Cum, sicut dilecti filii . . 701
»	DCCXL	Conservationi et 702
»	DCCXLI	Cum, sicut dilecti filii . . 703
»	DCCXLII	Exponi nobis nuper fecit 704
»	DCCXLIII	Aliàs felicis recordationis 705
»	DCCXLIV	De tuâ prudentiâ, ... 706
»	DCCXLV	Cum, sicut accepimus . . 707
»	DCCXLVI	Cum, sicut universitas . . 708
»	DCCXLVII	Cum nos hodie dilectum 709
»	DCCXLVIII	Conservationi libertatis. . 710
»	DCCXLIX	Exponi nobis nuper fecit 711
»	DCCL	Aliàs, postquam capitulo 712
»	DCCLI	Quamvis felicis recordat. 713
»	DCCLII	Æquum est ut nos, qui . 714
»	DCCLIII	Aliàs (postquam, sublatis 731
»	DCCLIV	Quanto illustriora sunt. . 715
»	DCCLV	Etsi plurimum in Domino 716
»	DCCLVI	Aliàs nos, ut adulterin. . 717
»	DCCLVII	Cum nos prope diem. . . 718
»	DCCLVIII	Cum, sicut accepimus . . 719
»	DCCLIX	Universa per orbem novit 720
»	DCCLX	Cum, sicut accepimus . . 721
»	DCCLXI	Aliàs nos, de venerabil. . 722
»	DCCLXII	Cum annis praeteritis, . . 723
»	DCCLXIII	Cum, sicut dilectus filius 724
»	DCCLXIV	Religiosos viros, qui, . . 725
»	DCCLXV	Aliàs pro parte venerab. . 726
»	DCCLXVI	Conservationi libertatis. . 727
»	DCCLXVII	Nuper a nobis accepto . . 728
»	DCCLXVIII	Aliàs dilectis filiis 729
»	DCCLXIX	Aliàs pro congregatione . 730
»	DCCLXX	Aliàs pro felici prosper. . 731
1643	DCCLXXI	Exponi nobis nuper fecit 732
»	DCCLXXII	Ut alumni collegii Scoti, . 733
»	DCCLXXIII	Sincerae devotionis . . . 734
»	DCCLXXIV	Cum, sicut dilectus filius 735
»	DCCLXXV	Pastoralis officii nobis . . 736
»	DCCLXXVI	In speculâ militantis . . . 737
»	DCCLXXVII	Conservationi et manut. . 738
»	DCCLXXVIII	Exponi nobis nuper fecit . 739
»	DCCLXXIX	Piis dilecti filii 740
»	DCCLXXX	Honorum dignitatumque . 741
»	DCCLXXXI	Pastoralis officii nobis . . 742
»	DCCLXXXII	Exponi nobis nuper fecit 743
»	DCCLXXXIII	Emanarunt a nobis. . . . 744
»	DCCLXXXIV	Domini nostri Iesu 745
»	DCCLXXXV	Cum inter christifideles. . 746
»	DCCLXXXVI	Aliàs a nobis emanarunt . 747
»	DCCLXXXVII	Cum aliàs hymni 749
»	DCCLXXXVIII	Nuper pro parte 748
»	DCCLXXXIX	Aliàs felicis recordationis 751
»	DCCXC	Zelum ortodoxae fidei . . 752
»	DCCXCI	In Sede Principis 750
»	DCCXCII	Exponi nobis nuper . . . 753
»	DCCXCIII	Aliàs a nobis pro 754

Edit. Taur. Tom. XV.		Edit. Rom. Tom. VI, part. II.
1643	DCCXCIV	Exponi nobis nuper . . . 755
»	DCCXCV	Exponi nobis nuper . . . 756
»	DCCXCVI	Exponi nobis nuper . . . 757
»	DCCXCVII	Cum nuper ad aures . . . 758
»	DCCXCVIII	Ex incumbenti nobis . . . 759
»	DCCXCIX	Cum, sicut venerabilis . . 760
»	DCCC	Bellum contra nos et hanc 761
»	DCCCI	Ut fratres milites et alii . 762
»	DCCCII	Exponi nobis nuper . . . 763
»	DCCCIII	Cum in officiis et. 764
»	DCCCIV	Cum, sicut accepimus . . 765
»	DCCCV	Aliàs nos, motu proprio . 766
»	DCCCVI	Cum, sicut pro parte . . 767
»	DCCCVII	Exponi nobis nuper . . . 768
»	DCCCVIII	Provisionis nostrae debet 769
»	DCCCIX	Quantum ornamenti et. . 770
»	DCCCX	Suscitatis iam pridem . . 771
»	DCCCXI	Cum, sicut accepimus . . 772
»	DCCCXII	In iis, quae ad tuenda. . 773
1644	DCCCXIII	Nuper pro parte 774
»	DCCCXIV	Nuper, ut christifideles. . 771
»	DCCCXV	Super universas orbis . . 775
»	DCCCXVI	Omnium saluti paterna . 776
»	DCCCXVII	Cum, sicut aliàs nobis . . 777
»	DCCCXVIII	Cum nonnulli Romani . . 778
»	DCCCXIX	Cum dilectus filius 779
»	*Sequitur*	Cum dilectus filius . . . . —
»	*id.*	Cum dilecti filii nobiles . . —
»	DCCCXX	Pastoris aeterni, qui pro 780
»	DCCCXXI	Cum, sicut dilectus filius 781
»	DCCCXXII	Cum aliàs hymni Breviarii 782
»	DCCCXXIII	Cum, sicut dilectus filius . 784
»	DCCCXXIV	Exponi nobis nuper . . . 783
»	DCCCXXV	Constantis fidei ac 785
»	DCCCXXVI	Aliàs a felicis recordat. . . 786
»	DCCCXXVII	Aliàs felicis recordationis 787
»	DCCCXXVIII	Ne insulae Melitanae, . . 788
»	DCCCXXIX	Exponi nobis nuper fecit . 789

INNOCENTIUS X.

		Tom. VI, part. III.
»	I	Exponi nobis nuper fecit . 1
»	II	Aliàs felicis recordationis 2
»	III	In his, per quae 3
»	IV	In supremo apostolicae . 4
»	V	Inter varias et multiplices 5
»	VI	Immensae omnipotentis . 6
»	VII	Militantis Ecclesiae. . . . 7
»	VIII	Aliàs maiestatis tuae . . . 8
»	IX	Ad universalis Ecclesiae . 9
»	X	Aliàs a felicis recordat. . 10
1645	XI	Cum, sicut accepimus, . . 11
»	XII	Circumspecta in omnibus 12
»	XIII	Ut charissimus in Christo 13
»	XIV	Exponi nobis nuper fecit 14
»	XV	Exponi nobis nuper . . . 15

Édit. Taur. Tom. XV.	Edit. Rom. Tom. VI, part. III	
1645	XVI Exponi nobis nuper . . .	16
»	XVII Ad curam nostram	17
»	XVIII Dum assiduos gravesque .	18
»	XIX Pro nostri pastoralis . . .	19
»	XX Indemnitati ecclesiarum .	20
»	XXI Indemnitati ecclesiarum .	21
»	XXII Indemnitati ecclesiarum .	22
»	XXIII Cum, sicut nobis nuper .	23
»	XXIV Cum venerabilis frater. .	24
»	XXV Indemnitati ecclesiarum .	25
»	XXVI Quoniam nostro pastorali .	26
»	XXVII Pro nostro munere in his	27
»	XXVIII Ex incumbenti nobis . . .	28
»	XXIX Aliàs a venerabilibus. . .	29
»	XXX Cum aliàs, ex causis tunc	30
»	XXXI Aliàs pro parte	31
»	XXXII Exigit a nobis pastoralis	32
»	XXXIII Constantis vestrae fidei .	33
»	XXXIV Etsi pro curâ nostri . . .	34
»	XXXV Nuper pro parte dilecti .	35
»	XXXVI Exponi nobis nuper . . .	36
»	XXXVII Salvatoris et Domini . . .	37
»	XXXVIII Cum, per obitum bonae .	38
»	XXXIX Universalis ecclesiae . . .	39
»	XL Cum, sicut dilecti filii . .	40
»	XLI Conservationi et	41
»	XLII Cum, sicut maiestatis tuae	42
»	XLIII Salvatoris et Domini . . .	43
»	XLIV Cum, sicut dilectus filius	44
»	XLV In supereminenti	45
»	XLVI Etsi ea, quae pluribus . .	46
»	XLVII Nuper pro parte	47
1646	XLVIII Prospero felicique statui .	48
»	XLIX Pastoralis officii nobis . .	49
»	L De tuâ singulari fide. . .	50
»	LI Cum, iuxta sacrorum. . .	51
»	LII Ex iniuncto nobis.	52
»	LIII Nuper, pro parte	53
»	LIV Circumspecta in omnibus	54
»	LV Exponi nobis nuper fecit	55
»	LVI Aliàs a felicis recordat. .	56
»	LVII Aliàs felicis recordationis	57
»	LVIII Ea quae pro felici	58
»	LIX Cum, sicut accepimus . .	59
»	LX Exponi nobis nuper fecit	60
»	LXI Exponi nobis nuper . . .	61
»	LXII Aliàs emanarunt a felicis	62
»	LXIII Exponi nobis nuper fecit	63
»	LXIV Aliàs a felicis recordat. .	64
»	LXV Aliàs emanarunt a felicis	65
»	LXVI Ea, quae pro religiosorum	66
»	LXVII Sacrosanctae militantis. .	67
»	LXVIII Iniuncti nobis divinitus .	68
»	LXIX Romanum decet.	69
»	LXX Conservationi et manut. .	70
»	LXXI Aliàs, postquam nos, . .	71
»	LXXII Cum ad componendas . .	72

Édit. Taur. Tom. XV.	Edit. Rom. Tom. VI, part. III.	
1647	LXXIII Grata familiaritatis	73
»	LXXIV Salvatoris et Domini . . .	75
»	LXXV Iniuncti nobis a Domino .	76
»	LXXVI Aliàs a felicis recordat. .	74
»	LXXVII In his apostolicae nostrae	77
»	LXXVIII Cum, sicut accepimus, . .	78
»	LXXIX Maiestatis tuae nomine .	79
»	LXXX Cum, sicut nomine	80
»	LXXXI Romanus Pontifex, ...	81
»	LXXXII In his apostolicae nostrae	82
»	LXXXIII Inscrutabilis divinae . . .	83
»	LXXXIV Cum, sicut pro parte, . .	84
»	LXXXV Apostolatus officium nobis	85
»	LXXXVI Cum castrum Montisveteris	86
»	LXXXVII Commissi nobis a Domino	87
»	LXXXVIII Quamvis ecclesiae, etiam	88
»	LXXXIX Exponi nobis nuper fecit	89
»	XC Romanus Pontifex	91
»	XCI Exponi nobis nuper fecit	90
»	XCII Sacri apostolatus	94
»	XCIII Romanum decet Pontif. .	95
»	XCIV Aliàs emanarunt a felicis	92
»	XCV Aliàs, pro parte.	96
»	XCVI Onerosa pastoralis officii .	93
»	XCVII Super universas orbis . .	97
1648	XCVIII Interpositâ ad nos	98
»	XCIX Cum unum Breve.	99
»	C Cum, sicut carissimus, . .	100
»	CI Inter plurimas easque . .	101
»	CII Decet Romanum Pontif. .	102
»	CIII In supereminenti milit. .	104
»	CIV Ex debito supremi	105
»	CV Cum, sicut accepimus, . .	106
»	CVI Quoniam divinae bonitati	107
»	CVII Nuper pro parte	108
»	CVIII In supereminenti.	109
»	CIX Universalis Ecclesiae. . .	110
»	CX Exponi nobis nuper . . .	111
»	CXI Maiestatis tuae nomine .	103
»	CXII Innotuit nuper nobis, . .	112
»	CXIII Aliàs a felicis recordat. .	113
»	CXIV Aliàs (felicis recordationis	114
»	CXV Aliàs felicis recordationis	115
»	CXVI Zelo domus Dei.	116
»	CXVII Cupientes, ut debitus . .	117
»	CXVIII Universalis Ecclesiae . .	118
1649	CXIX Nuper pro parte dilector.	119
»	CXX Nuper pro parte dilecti .	120
»	CXXI Nuper pro parte dilector.	121
»	CXXII Animarum saluti paternâ .	122
»	CXXIII Cum, sicut non sine . . .	123
»	CXXIV Apropinquat, dilectissimi	126
»	CXXV Cum nos nuper sancti . .	125
»	CXXVI Cum, sicut nuper.	124
»	CXXVII Pastoralis officii nobis . .	127
»	CXXVIII Cum aliàs nos, ad	128
»	CXXIX Etsi, pro curâ nostri . . .	129

Edit. Taur. Tom. XV.		Edit. Rom. Tom. VI, part. III.
1649	CXXX In supremo militantis . .	130
»	CXXXI Aliàs pro parte	131
»	CXXXII Inter cetera quae ad . . .	132
1650	CXXXIII Dudum felicis recordat. .	133
»	CXXXIV Pontificia sollicitudo . . .	134
»	CXXXV Exponi nobis nuper fecit	135
»	CXXXVI Propensa nostra in	136
»	CXXXVII Cum ob sacri iubilaei . .	137
»	CXXXVIII Etsi aliàs felicis recordat.	138
»	CXXXIX Eximiis maiestatis tuae. .	139
»	CXL Ex more Sedis Apestolicae	140
»	CXLI Ad universalis Ecclesiae .	141
»	CXLII Factâ fraternitati tuae . .	142
»	CXLIII Commissa nobis	143
»	CXLIV Aliàs per felicis recordat.	144
»	CXLV Aliàs pro parte	145
1651	CXLVI Cum aliàs, ex causis . . .	146
»	CXLVII Cum nos, ex causis . . .	147
»	CXLVIII Cum sicut nobis innotuit .	148
»	CXLIX Ex incumbenti nobis. . .	149
»	CL Conservationi et manut. .	150
»	CLI Cum aliàs dilectus filius .	151
»	CXLII Aliàs felicis recordationis	152
1654	CLIII Nuper pro parte dilecti . .	153
»	CLIV Dudum felicis recordat. .	154
»	CLV Exponi nobis nuper . . .	155
»	CLVI Pastoralis officii, quo. . .	156
»	CLVII Instaurandae regularis . .	157
»	CLVIII Exponi nobis nuper fecit	158
»	CLIX Aliàs felicis recordationis	159
»	CLX Aliàs a nobis emanarunt	160
»	CLXI Militantis Ecclesiae . . .	161
1653	CLXII Cum nuper, non sine. . .	162
»	CLXIII Cum nuper, non sine. . .	163
»	CLXIV In supremo iustitiae . . .	164

Edit. Taur. Tom. XV.		Edit. Rom. Tom. VI, part. III.
1653	CLXV Cum, sicut accepimus, .	165
»	CLXVI Aliàs a nobis emanarunt .	166
»	CLXVII Cum, occasione	167
»	CLXVIII Exponi nobis nuper fecit	168
»	CLXIX Sacrosanctae militantis...	169
»	CLXX Redemptoris nostri, qui .	170
»	CLXXI Aliàs pro parte	171
»	CLXXII Etsi, pro curâ nostri	172
»	CLXXIII Cum nuper ad notitiam .	173
»	CLXXIV Cum, sicut accepimus,...	174
»	CLXXV In supremo militantis ...	175
»	CLXXVI Exponi nobis nuper.....	176
»	CLXXVII Cum, sicut accepimus,...	177
»	CLXXVIII Nuper pervenit ad aures	178
1654	CLXXIX Salvator et Dominus	179
»	CLXXX Exponi nobis nuper.....	180
»	CLXXXI Diuturna experientia	181
»	CLXXXII Salutis humanae amator.	182
»	CLXXXIII Aliàs a venerabilibus....	183
»	CLXXXIV Ut in parvis regularium .	184
»	CLXXXV Nuper, pro parte.....	185
»	CLXXXVI Cum, sicut accepimus, ..	186
»	CLXXXVII Nuper pervenit ad aures.	187
»	CLXXXVIII Exponi nobis nuper.....	188
»	CLXXXIX Salvator et Dominus	189
»	CXC Illis, quae pro stabilienda	190
»	CXCI Salvatoris et Domini	191
»	CXCII In eminenti Sedis.....	192
»	CXCIII Pastoralis officii nobis...	193
»	CXCIV Hodie in consistorio.....	194
»	CXCV Aliàs, per nostras in	195
»	CXCVI Nuper pro parte dilecti..	196
»	CXCVII Ex Romani Pontificis....	197
»	CXCVIII Apostolatus officium, nullo	198
»	CXCIX Exponi nobis nuper.....	199

ERRATA-CORRIGE

Pag.	53	DCLXXVIII	*Lege*: DCLXXXIII	*Pag.*	92	DCVII	*Lege*: DCCVII.
»	224	DCCLXXX	— DCCLXX	»	736	CLXXI	— CLXXII.

INDICULUS

SS. PONTIFICUM CONSTITUTIONUM

QUAE IN TOMO XV

EXTRA ORDINEM CHRONOLOGICUM VAGANTUR.

Datum A. D.		*Pag.*
	PIUS V.	
1 Octobris	1567 Ex omnibus afflictionibus .	92
	SIXTUS V.	
13 Decembris	1589 Nostri Pastoralis officii . .	320
	CLEMENS VIII.	
29 Octobris	1594 Sedes Apostolica	594
	PAULUS V.	
6 Februarii	1608 Ex iniuncto nobis desuper	289
22 Ianuarii	1618 Caelestis regis	321
(absque datâ)	Sacri apostolatus	595
	GREGORIUS XV.	
29 Maii	1623 Aliàs a fel. rec. Paulo PP. V	289

Datum A. D.		*Pag.*
	URBANUS VIII.	
10 Maii	1624 Ex illo die	546
21 Octobris	1624* Superni conditoris. . . .	418
12 Iulii	1632 Exponi nobis nuper fecit .	42
20 aprilis	1637 Ex iniuncto nobis desuper	475
28 Septembris	1639 Ad Romani Pontificis . .	16
13 Martii	1641 Cum sicut dilectus filius Ioannes Merinero	265
28 Iulii	1644 Ne insulae Melitanae** . .	473
	INNOCENTIUS X.	
14 Maii	1648 Cum sicut accepimus . . .	713
(absque datâ)	Indemnitati ecclesiarum .	369

* Huiusmodi datum habetur ex tom. XIII, pag. 233*a*.

** At huiusmodi habetur suo ordine in hoc tomo, pag. 325.

INDEX

LECTIONUM, VEL MENDOSARUM, VEL DUBIARUM

EDITIONIS ROMANAE

QUIBUS OPPONUNTUR SINGULIS SINGULAE EMENDATIONES VEL LECTIONES

NOSTRAE EDITIONIS.

(*Vide Adv. tom.* XI *pag.* XII).

Advert. In numerandis lineis a parte superiori paginarum editionis Romanae nulla habetur ratio rubricarum et titulorum quando ab hisce incipit pagina vel columna. Viceversa in lineis numerandis ab infra nostrae editionis nulla habetur ratio notarum.

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* II.						*Edit. Taur. Tom.* XV.					
Pag.	209 *b*	linea	7		vel, aut ipsi *	*Pag.*	1 *b*	linea	2		vel veniant ipsi
»	210 *a*	»	10		in	»	2 *b*	»	6		ex
»	211 *b*	»	3		deserta	»	4 *b*	»	19	*ult.*	deserto
»	213 *a*	»	20		hominis	»	6 *b*	»	3	*ult.*	homine
»	213 *b*	»	3		reipublicae	»	7 *b*	»	3		respublica
»	213 *b*	»	28		actus nonnullorum	»	7 *b*	»	3	*ult.*	actus ac nonnullorum
»	213 *b*	»	36		exspectata	»	8 *a*	»	6		spectata
»	214 *a*	»	8	*ult.*	convalescat	»	8 *a*	»	1	*ult.*	convalescant
»	214 *b*	»	9		quae	»	9 *a*	»	16		qua
»	214 *b*	»	17		vitare	»	9 *a*	»	22		vitari
»	214 *b*	»	18		Sicque	»	9 *a*	»	24		Sique
»	214 *b*	»	27		agravant	»	9 *a*	»	33		aggravans
»	215 *a*	»	6	*ult.*	iudicium	»	10 *b*	»	9		ad iudicium
	215 *b*	»	4		expressa	»	10 *b*	»	18		expressam
»	215 *b*	»	6		incerta	»	10 *b*	»	19		insertam
»	215 *b*	»	33	*ult.*	versantur	»	11 *a*	»	8		vertantur
»	216 *a*	»	6		te, cum	»	11 *b*	»	4		tecum
»	217 *b*	»	26		expressa .... inserta	»	14 *a*	»	4		expressam .... insertam
»	218 *a*	»	17	*ult.*	habentes	»	15 *a*	»	8		habemus
»	218 *a*	»	7	*ult.*	ante	»	15 *a*	»	19		a te (?)
»	218 *b*	»	10		etiamsi	»	15 *a*	»	8	*ult.*	etiam
»	221 *a*	»	15		nuncupatarum	»	19 *a*	»	22	*ult.*	nuncupatae
»	221 *a*	»	1	*ult.*	inhabilitates	»	19 *b*	»	19		habilitates
»	222 *a*	»	9	*ult.*	ducti	»	21 *a*	»	16		ductos
»	222 *b*	»	6		Collectorem. Nuncium	»	21 *a*	»	10	*ult.*	collectorem. nuncium
»	222 *b*	»	22		officiales	»	21 *b*	»	4		officialis
»	222 *b*	»	25		sessionem	»	21 *b*	»	7		laesionem
»	222 *b*	»	10	*ult.*	afficiet	»	21 *b*	»	1	*ult.*	efficiet
»	223 *a*	»	2	*ult.*	contenta	»	22 *b*	»	12	*ult.*	contentis

* Eadem tamen lectio habetur etiam *pag.* 31 *b* lin. 14, nostrae editionis.

Edit. Rom. Main. Tom. XI, *Part.* II.						*Edit. Taur. Tom.* XV.					
Pag.	223 *b*	linea	10	*ult.*	itaque	*Pag.*	23 *b*	linea	3		itaque, sicut
»	224 *a*	»	18		fuerant	»	23 *b*	»	10	*ult.*	fuerunt
»	224 *a*	»	25	*ult.*	etiam in	»	24 *a*	»	19		etiam
»	224 *b*	»	12		recepturum	»	24 *b*	»	12		recepturam
»	226 *a*	»	17		posse	»	25 *a*	»	3	*ult.*	possint
»	250 *b*	»	27		vicarium	»	27 *a*	»	14		in vicarium
»	251 *a*	»	7	*ult.*	absentes	»	28 *a*	»	10		absentium
»	251 *b*	»	13		habeant	»	28 *a*	»	16	*ult.*	se habeant
»	252 *a*	»	13	*ult.*	sunt	»	29 *a*	»	5	*ult.*	stabilita sunt
»	254 *a*	»	23		sive in aliis	»	31 *b*	»	1	*ult.*	sive in Indiis sive in aliis
»	266 *a*	»	23	*ult.*	apponat	»	35 *a*	»	5		apponant
»	226 *a*	»	16	*ult.*	decretum	»	37 *a*	»	6		secretum (?)
»	226 *a*	»	11		modiis	»	38 *a*	»	17		mediis
»	226 *b*	»	17	*ult.*	quae	»	38 *b*	»	5		qua
»	226 *b*	»	7		eiusdem	»	38 *b*	»	15	*ult.*	ac eiusdem
»	226 *b*	»	26	*ult.*	commodis	»	39 *a*	»	21		commodius
»	226 *b*	»	6	*ult.*	tam	»	39 *a*	»	3	*ult.*	tamen
»	228 *a*	»	1		revocari	»	41 *a*	»	12		revocari posse
»	228 *b*	»	23	*ult.*	subiectis	»	42 *a*	»	6		subiectorum (?)
»	230 *b*	»	40	*ult.*	cura	»	45 *a*	»	13	*ult.*	cura competat
»	232 *a*	»	35	*ult.*	digna	»	47 *b*	»	20		dignae, (*vel* digno)
»	232 *a*	»	28	*ult.*	moraveris	»	47 *b*	»	27		morareris
»	233 *a*	»	21-22		expressa...inserta	»	49 *a*	»	10-11		expressam...insertam
»	233 *a*	»	13	*ult.*	initorum	»	49 *b*	»	1		initarum
»	233 *b*	»	24		praestiterint	»	49 *b*	»	6	*ult.*	praestiterunt
»	234 *b*	»	26	*ult.*	si	»	51 *b*	»	14		ii
»	234 *b*	»	21	*ult.*	illae	»	51 *b*	»	20		ille
»	236 *a*	»	8		auctoritate	»	53 *b*	»	20	*ult.*	auctoritate apostolicâ
»	236 *b*	»	24	*ult.*	notarii	»	54 *b*	»	24		notarii publici
»	237 *b*	»	1		eidem	»	55 *b*	»	9	*ult.*	si eidem
»	237 *a*	»	10	*ult.*	ministrum	»	56 *b*	»	5		ministerium
»	238 *a*	»	16	*ult.*	praecipimus, et	»	57 *a*	»	17	*ult.*	praecepimus, ut
»	238 *b*	»	11		mature	»	57 *b*	»	10		muture perpenso
»	238 *b*	»	23	*ult.*	non facta expressione	»	58 *a*	»	3		. . . . (?)
»	242 *a*	»	16		non	»	63 *a*	»	3		nos
»	246 *b*	»	4	*ult.*	praescriptum	»	70 *a*	»	19		praescriptum irrepserunt
»	248 *b*	»	36	*ult.*	quatenus	»	72 *b*	»	4	*ult.*	an, quatenus
»	258 *a*	»	26	*ult.*	minime	»	75 *a*	»	7	*ult.*	uti minime
»	259 *b*	»	4		digni	»	76 *b*	»	4		dignae
»	259 *b*	»	9		declarationem	»	77 *a*	»	10	*ult.*	derogationem (?)
»	260 *a*	»	27		illa	»	78 *a*	»	12	*ult.*	illae (?)
»	261 *b*	»	21	*ult.*	profertur	»	78 *b*	»	3	*ult.*	proferunt
»	261 *b*	»	19	*ult.*	volentes	»	78 *b*	»	1	*ult.*	violenter (?)
»	262 *b*	»	25		locis	»	80 *a*	»	21		personis (?)
»	262 *b*	»	27		concesserit	»	80 *a*	»	23		concesserat
»	263 *a*	»	28		conventuum	»	81 *a*	»	8		conventum
»	263 *a*	»	16	*ult.*	conferendum	»	81 *a*	»	7	*ult.*	conferendis (?)
»	263 *a*	»	8	*ult.*	possis	»	81 *b*	»	2		possit
»	263 *b*	»	7	*ult.*	conventuum	»	82 *a*	»	24		conventum
»	264 *a*	»	13		eisdem	»	82 *a*	»	2	*ult.*	ab eisdem
»	265 *b*	»	1		conventus	»	84 *b*	»	4		conventus Cracoviensis (?)
»	266 *a*	»	12		patentales	»	85 *a*	»	1		patentes
»	266 *a*	»	17		et	»	85 *b*	»	5		ut
»	267 *a*	»	5		cum	»	86 *b*	»	4	*ult.*	eum
»	267 *b*	»	27	*ult.*	interpretari	»	88 *a*	»	15		interpretari debere
»	268 *a*	»	13		favore et instantia	»	88 *b*	»	11		favorem et instantiam
»	268 *a*	»	16		generali	»	88 *b*	»	13		generali editâ
»	269 *a*	»	17		tyranni de	»	90 *a*	»	21		tyrannide

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* II.					*Edit. Taur. Tom.* XV.				
»	269 *b*	»	13	ac in totum	»	91 *a*	»	2	ac si in totum
»	269 *b*	»	1 *ult.*	tenerentur	»	91 *b*	»	15	ac tenerentur
»	270 *a*	»	12	ut	»	91 *b*	»	16 *ult.*	et
»	272 *a*	»	25 *ult.*	discendens	»	95 *b*	»	13 *ult.*	decedens
»	272 *a*	»	22 *ult.*	impugnet	»	95 *b*	»	11 *ult.*	repugnet
»	272 *b*	»	39-40	bifarium	»	96 *b*	»	0	bifariam
»	272-273			damnationes	»	97 *a*	»	5	damnationis
»	273 *a*	»	1-2	cum perfectâ	»	97 *a*	»	6	cum charitate perfectâ
»	273 *a*	»	31	est	»	97 *b*	»	5	erat
»	277 *b*	»	32 *ult.*	et	»	101 *b*	»	1	ex
»	277 *b*	»	15 *ult.*	valeant	»	101 *b*	»	19	valeat
»	280 *a*	»	2	universis	»	108 *a*	»	6	universalis
»	280 *a*	»	13	opportune	»	108 *a*	»	14	opportunae
»	280 *b*	»	2	imposterum	»	108 *b*	»	20 *ult.*	aut imposterum
»	282 *b*	»	29 *ult.*	huiusmodi	»	112 *a*	»	16	huiusmodi favorem
»	284 *a*	»	11	comperit	»	112 *b*	»	19 *ult.*	competit
»	284 *a*	»	18 *ult.*	aurea	»	113 *a*	»	12	area
»	284 *a*	»	3 *ult.*	dilatam namque	»	113 *a*	»	13 *ult.*	dilatandamque mittendorum
»	284 *b*	»	6	adeundis	»	113 *a*	»	5 *ult.*	edendis
»	284 *b*	»	10	substentationem	»	113 *a*	»	1 *ult.*	substentatione
»	284 *b*	»	19	ascendentia	»	113 *b*	»	9	ascendentibus
»	284 *b*	»	22 *ult.*	deponendis	»	113 *b*	»	4 *ult.*	depromendis
»	285 *b*	»	14 *ult.*	propagandam et dilatandam.	»	115 *b*	»	5	propagandi et dilatandi
»	285 *b*	»	12 *ult.*	dilatione	»	115 *b*	»	6	dilatatione
»	285 *b*	»	4 *ult.*	omnimoda	»	115 *b*	»	14	commoda
»	286 a	»	8	ascendentia	»	115 *b*	»	25	ascendentibus
»	286 *a*	»	21	ac credita dictorum . .	»	115 *b*	»	2	ac credita, dictorumque
»	286 *a*	»	11 *ult.*	tantum	»	116 *a*	»	8 *ult.*	tamen
»	286 *b*	»	4	residentes	»	116 *b*	»	7	residentes elegimus et declaravimus
»	286 *b*	»	28	viderentur	»	116 *b*	»	12 *ult.*	videretur
»	286 *b*	»	8 *ult.*	aliae	»	117 *a*	»	22	alia
»	287 *a*	»	28	affectum	»	117 *b*	»	15	affectu
»	287 *b*	»	4	eo	»	118 *a*	»	16	eâ
»	287 *b*	»	18	datae	»	118 *a*	»	13 *ult.*	dątas
»	287 *b*	»	31	nuncupato	»	118 *b*	»	2	numero
»	288 *a*	»	23	fundatos et dotatos . .	»	119 *a*	»	17	fundati et dotati
»	288 *a*	»	21 *ult.*	praedictos	»	119 *a*	»	1 *ult.*	praeditos
»	288 *b*	»	23	mutum	»	119 *b*	»	2 *ult.*	nutum
»	288 *b*	»	32	eorum	»	120 *a*	»	7	ad eorum
»	289 *a*	»	1	nec	»	120 *b*	»	2	vel
»	289 *a*	»	22	habendis	»	120 *b*	»	23	habendis servatis
»	283 *a*	»	17	quod	»	121 *a*	»	16 *ult.*	quo
»	290 *a*	»	5 *ult.*	praeiudicia	»	124 *a*	»	16	praeiudicialia (?)
»	292 *a*	»	10	nuncupati sub	»	126 *b*	»	14	nuncupati, et sub
»	292 *a*	»	15	factas	»	126 *b*	»	20	facta
»	292 *a*	»	21	sortitos	»	126 *b*	»	26	sortita
»	292 *a*	»	28 *ult.*	praetensa	»	127 *a*	»	7	praetensas
»	292 *a*	»	12 *ult.*	indebitaque et illicita .	»	127 *a*	»	25	indebiteque et illicite
»	292 *a*	»	18 *ult.*	quae	»	127 *b*	»	1 *ult.*	qua
»	294 *b*	»	22 *ult.*	aliis	»	131 *a*	»	4	aliàs
»	295 *b*	»	8	et titulo	»	132 *a*	»	18	ex titulo
»	297 *a*	»	20 *ult.*	civitates	»	131 *b*	»	6 *ult.*	civitatem
»	298 *b*	»	4	statim	»	136 *b*	»	15	ut, statim
»	298 *b*	»	24	II	»	136 *b*	»	7 *ult.*	III
»	299 *a*	»	28 *ult.*	multiplicis	»	137 *b*	»	11 *ult.*	. . . . . (?)

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* II.					*Edit. Taur. Tom.* XV.				
Pag.	301 *a*	linea	3 *ult.*	sufficienti	*Pag.*	140 *b*	linea	2 *ult.*	sufficienti illorum
»	302 *b*	»	6	quae	»	141 *a*	»	5 *ult.*	qua
»	302 *b*	»	25 *ult.*	quae	»	141 *b*	»	20 *ult.*	qui
»	302 *b*	»	20 *ult.*	eorumdem	»	141 *b*	»	15 *ult.*	earumdem
»	303 *b*	»	1	eo quo	»	142 *b*	»	14 *ult.*	ex quo
»	304 *a*	»	13	seu succedere	»	143 *b*	»	17 *ult.*	succedere
»	301 *b*	»	31 *ult.*	institutam	»	145 *a*	»	6	instituta
»	302 *a*	»	3	civitatem praedictam . .	»	145 *a*	»	3 *ult.*	civitate praedictâ
»	305 *a*	»	27 *ult.*	occasionum	»	146 *b*	»	17	occasionem
»	305 *a*	»	6 *ult.*	duo Montis	»	146 *b*	»	6	duo per Montis
»	305 *b*	»	11	per eorum	»	147 *a*	»	11	praediorum (?)
»	305 *b*	»	20	ad notitiam	»	147 *a*	»	20	ad notitiam nostram pervenit
»	305 *b*	»	12 *ult.*	pastoris familias	»	147 *b*	»	20	patris familias
»	305 *b*	»	8 *ult.*	per dictarum	»	147 *b*	»	24	praedictarum
»	307 *a*	»	7	comprehendi	»	149 *b*	»	2	comprehendi posse
»	308 *b*	»	1 *ult.*	retrahentur	»	152 *a*	»	2 *ult.*	ratrahantur
»	309 *a*	»	17 *ult.*	exigendi	»	153 *a*	»	7	exigendis
»	310 *a*	»	10	posse	»	154 *a*	»	11	non posse *
»	313 *a*	»	13	ipsos	»	158 *b*	»	12 *ult.*	inter ipsos
»	313 *b*	»	29 *ult.*	quod	»	159 *b*	»	3 *ult.*	quoad
»	314 *b*	»	9 *ult.*	praestaverunt	»	161 *b*	»	20	praestiterunt
»	314 *b*	»	2 *ult.*	positum	»	161 *b*	»	27	posito
»	315 *b*	»	23	et multorum	»	162 *a*	»	6	ex multorum
»	315 *a*	»	24 *ult.*	antequam	»	162 *a*	»	15 *ult.*	antiquum
»	315 *a*	»	7 *ult.*	causam	»	162 *b*	»	3	causa
»	315 *b*	»	29	steterit	»	162 *b*	»	5 *ult.*	steterint
»	316 *a*	»	20	absoluta	»	163 *b*	»	8	obsoleta
»	316 *a*	»	35	distribuenda	»	163 *b*	»	23	distribuendorum
»	319 *a*	»	5 *ult.*	suam	»	168 *b*	»	11	tuam
»	319 *b*	»	5	et pastoralis	»	168 *b*	»	20	pastoralis
»	319 *b*	»	11 *ult.*	quoscumque	»	169 *a*	»	13 *ult.*	qualescumque
»	320 *a*	»	23 *ult.*	contigerit	»	169 *b*	»	1 *ult.*	contigerit, affixum
»	320 *b*	»	26 *ult.*	forma	»	170 *b*	»	6	formam
»	320 *b*	»	7 *ult.*	expressa ..... inserta . .	»	170 *b*	»	21	espressa ... insertam
»	322 *b*	»	13	huiusmodi	»	173 *a*	»	9 *ult.*	huiusmodi adiuvari
»	322 *b*	»	15	laborantibus	»	173 *a*	»	7 *ult.*	laborantes
»	325 *a*	»	22	inter	»	177 *a*	»	16	super lite inter
»	326 *a*	»	27	institutum	»	178 *b*	»	15 *ult.*	institum
»	326 *a*	»	6 *ult.*	observentur	»	179 *a*	»	14	observetur
»	327 *b*	»	9 *ult.*	sibi	»	181 *a*	»	7 *ult.*	tibi
»	327 *b*	»	8 *ult.*	suos	»	181 *a*	»	6 *ult.*	tuos
»	328 *b*	»	2 *ult.*	se	»	183 *a*	»	5	te
»	329 *a*	»	18 *ult.*	possint aut debeant . .	»	183 *b*	»	16	possit aut debeat
»	329 *a*	»	14 *ult.*	suis ... suorum . . .	»	183 *b*	»	19	tuis ... tuorum
»	329 *b*	»	1	alia	»	183 *b*	»	9 *ult.*	aliâs
»	329 *b*	»	31 *ult.*	quoscumque	»	184 *a*	»	14 *ult.*	quocumque
»	329 *b*	»	17 *ult.*	exemptione	»	184 *a*	»	6	exequutione
»	331 *a*	»	10	super	»	186 *a*	»	10 *ult.*	sub
»	331 *b*	»	11	episcopalis ... archiepiscopalis	»	187 *a*	»	1	episcopales . . . archiepiscopales
»	333 *a*	»	6	solitas	»	189 *a*	»	15	solitâ
»	333 *b*	»	22 *ult.*	si	»	190 *a*	»	9 *ult.*	sibi
»	334 *a*	»	11	ei praestita	»	190 *b*	»	20 *ult.*	praestita, ei
»	334 *a*	»	16	faciendam	»	190 *b*	»	14 *ult.*	faciendas
»	334 *a*	»	23	dignitati	»	190 *b*	»	7 *ult.*	dignitatis

* At emendatio respuenda, nam particula negativa iam praecessit.

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* II.			*Edit. Taur. Tom.* XV.		
Pag. 334 *b* linea 22 *ult.*	eiusdem		*Pag.* 191 *b* linea 1 *ult.*	eisdem	
» 334 *b* » 1 *ult.*	ullo		» 192 *a* » 23 *ult.*	nullo	
» 336 *a* » 7 *ult.*	quibuscumque		» 194 *a* » 12 *ult.*	quicumque	
» 337 *b* » 28	sufficientes		» 196 *a* » 23	sufficienter	
» 354 *a* » 11	« ut qui huiusmodi assistens, alio titulo de eodem definitorio esset dignior, et perpetuus in definitorio existeret		» 197 *b* » 13 *ult.*	« ut si, qui esset huiusmodi dignior et perpetuus in definitorio assistens, alio titulo de eodem definitorio existeret	
» 354 *a* » 14	sibique eius		» 197 *b* » 10 *ult.*	sibique ius	
» 356 *a* » 23	custodiae		» 199 *b* » 10	ac custodiae	
» 338 *b* » 7	auctoritatem		» 201 *a* » 19 *ult.*	auctoritate	
» 338 *b* » 25	sedendarum		» 201 *a* » 6	sedandarum	
» 338 *b* » 48	XIX		» 201 *b* » 24	XX	
» 339 *a* » 29	facturum		» 202 *a* » 11 *ult.*	facturam	
» 339 *a* » 40	XIX		» 202 *a* » 2 *ult.*	XX	
» 339 *b* » 32	Melevitanae		» 203 *a* » 14	Melitae	
» 340 *a* » 21 *ult.*	expeditis		» 204 *a* » 10	expediendis	
» 340 *b* » 22	factas		» 204 *b* » 10	factis	
» 341 *b* » 11 *ult.*	primitius		» 206 *a* » 3 *ult.*	primitus	
» 343 *a* » 26 *ult.*	praedecessores		» 208 *b* » 8	professores	
» 343 *a* » 20 *ult.*	regula		» 208 *b* » 14	regulae	
» 346 *a* » 2	ex		» 212 *b* » 17 *ult.*	ex quavis causâ	
» 346 *a* » 14 *ult.*	etiam		» 213 *a* » 5 *ult.*	etiamsi	
» 347 *a* » 20	derogatione specialis		» 214 *b* » 6	derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis	
» 347 *b* » 6	qui in ea		» 215 *a* » 10	in ea	
» 347 *b* » 26 *ult.*	quod		» 215 *b* » 9	quoad	
» 349 *b* » 22 *ult.*	suis		» 218 *b* » 17	tuis	
» 349 *b* » 16 *ult.*	quamcumque		» 218 *b* » 23	quemcumque	
» 350 *a* » 8 *ult.*	expressi		» 219 *b* » 19	expresso	
» 351 *a* » 10	si personaliter		» 220 *b* » 14	personaliter, si	
» 351 *a* » 25	iidemque		» 220 *b* » 11 *ult.*	iidem	
» 356 *a* » 29	regere		» 225 *b* » 1	eos regere	
» 356 *a* » 17 *ult.*	gubernare		» 225 *b* » 12	gubernari	
» 361 *a* » 12	illisque		» 232 *b* » 10	illique	
» 361 *b* » 28	luculenter		» 233 *a* » 3 *ult.*	sufficienter (?)	
» 362 *b* » 16	pertinentis		» 234 *b* » 10 *ult.*	pertinentia	
» 362 *b* » 21 *ult.*	Sedi		» 235 *a* » 23 *ult.*	Sedis	
» 363 *a* » 21 *ult.*	statuent		» 236 *a* » 1	statuet	
» 365 *a* » 4 *ult.*	ullatenus		» 239 *a* » 12	nullatenus	
» 365 *b* » 27 *ult.*	easdem		» 239 *b* » 13	eaedem	
» 367 *b* » 2	concessae et emanatae concedendaeque et emanandae		» 242 *a* » 20 *ult.*	concessas et emanatas concedendasque et emanandas	
» 367 *b* » 5	intelligantur		» 242 *a* » 17 *ult.*	intelligatur	
» 371 *a* » 10 *ult.*	permittentes		» 245 *b* » 2 *ult.*	permittens	
» 371 *b* » 33	adhiber		» 246 *a* » 4 *ult.*	et extra	
» 371 *b* » 34	et extraetur		» 246 *a* » 3 *ult.*	adhiberetur	
» 372 *a* » 7	rebusque		» 246 *b* » 3 *ult.*	visisque	
» 372 *a* » 24	abolitionem		» 247 *a* » 14	ablationem	
» 372 *a* » 25	a magistro		» 247 *a* » 15	a magisterio (?)	
» 372 *b* » 4	unquam		» 247 *b* » 21	nunquam	
» 373 *b* » 13	investiendis		» 249 *a* » 9 *ult.*	investiendi	
» 374 *a* » 19 *ult.*	super		» 250 *b* » 2	pro	
» 374 *b* » 27 *ult.*	avocamus		» 251 *a* » 23	avocavimus	
» 379 *a* » 15	concursum		» 255 *b* » 21	conversum	

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* II.						*Edit. Taur. Tom.* XV.					
Pag.	380 *b*	linea	18		privativa	*Pag.*	256 *a*	linea	5	*ult.*	privata
»	380 *a*	»	14		solvenda	»	258 *b*	»	8	*ult.*	solvendae
»	382 *b*	»	19		et	»	259 *b*	»	21		et remissionem (?)
»	382 *b*	»	21	*ult.*	transtulerimus	»	260 *a*	»	9		non transtulerimus
»	383 *b*	»	11		ab omnibus	»	261 *a*	»	21		ab omnibus criminibus
»	383 *b*	»	15		legis	»	261 *a*	»	25		legi
»	384 *b*	»	7		nostrae	»	262 *b*	»	1		nostri
»	384 *b*	»	4		provideri	»	264 *a*	»	12		provideri desiderent
»	385 *a*	»	11		postquam	»	265 *b*	»	14		postquam a
»	385 *a*	»	25		et	»	265 *a*	»	15	*ult.*	seu
»	385 *a*	»	4	*ult.*	lata	»	265 *a*	»	12		lata fuerit
»	386 *b*	»	29		concernunt	»	267 *b*	»	8		concernunt et concernent
»	386 *b*	»	17	*ult.*	praemissis	»	267 *b*	»	11	*ult.*	in praemissis
»	388 *a*	»	25		commissis	»	269 *b*	»	7	*ult.*	commisisse
»	388 *a*	»	21	*ult.*	officii	»	270 *a*	»	18		officii declararunt
»	388 *b*	»	4		fecerunt	»	270 *a*	»	1	*ult.*	fuerunt
»	388 *b*	»	21	*ult.*	innoverit	»	270 *b*	»	17	*ult.*	innovent
»	389 *a*	»	4		idem	»	271 *a*	»	14	*ult.*	iidem
»	389 *a*	»	11	*ult.*	apponendi	»	271 *b*	»	19	*ult.*	apponendo
»	391 *a*	»	26	*ult.*	supradicta	»	274 *b*	»	15		supradicta faciendi
»	392 *a*	»	34		illorum	»	276 *a*	»	12		illarum
	393 *a*	»	17		maxime	»	277 *b*	»	1		maximi
	393 *a*	»	15	*ult.*	arbitriis	»	277 *b*	»	2	*ult.*	arbitrii *
	393 *b*	»	26	*ult.*	illa	»	278 *a*	»	12	*ult.*	illam
»	395 *a*	»	13	*ult.*	exigi	»	280 *b*	»	20	*ult.*	. . . . (?) **
	397 *b*	»	31	*ult.*	decernimus	»	284 *a*	»	8	*ult.*	decrevimus
	398 *a*	»	26		arbitriis	»	285 *a*	»	4		arbitrii ***
»	399 *b*	»	27		adiutorem	»	287 *a*	»	12	*ult.*	auditorem (?)
»	400 *a*	»	15		auditoribus	»	288 *a*	»	2		adiutoribus (?)
»	400 *a*	»	24	*ult.*	auditores	»	288 *a*	»	10	*ult.*	adiutores
»	401 *a*	»	1		praevenire	»	289 *b*	»	6		provenire
»	401 *a*	»	4		tenore	»	289 *b*	»	9		tenorem
»	401 *a*	»	12		repertum	»	289 *b*	»	17		repertarum
»	401 *a*	»	23		ecclesiarum	»	289 *b*	»	9	*ult.*	ecclesiasticarum
»	401 *a*	»	9	*ult.*	liceat	»	290 *a*	»	16		liceret
»	401 *b*	»	12	*ult.*	fuerunt	»	290 *b*	»	6	*ult.*	fuerint
»	402 *a*	»	10		confirmatione	»	291 *a*	»	17		ac confirmatione
»	402 *a*	»	13		quibuscumque	»	291 *a*	»	20		sub quibuscumque
»	402 *b*	»	22		quod	»	292 *a*	»	13		quando
»	403 *a*	»	2		quae	»	292 *b*	»	15		qua
»	403 *a*	»	18		roboratis	»	292 *b*	»	11	*ult.*	roborata
»	403 *b*	»	9		providere	»	293 *b*	»	3		providere volentes
»	403 *b*	»	34		manutentioni	»	293 *b*	»	15	*ult.*	ac manutentioni
»	405 *a*	»	25		alterius	»	296 *a*	»	10		alterutrius (?)
»	406 *b*	»	7	*ult.*	Martinus	»	297 *a*	»	7	*ult.*	Martius
»	409 *a*	»	17		transitoriam	»	300 *b*	»	20	*ult.*	transituram
»	409 *a*	»	20	*ult.*	ante quarum	»	301 *a*	»	14		antiquarum
»	409 *a*	»	11		solvatur	»	301 *a*	»	20		solvatur decima
»	409 *a*	»	3	*ult.*	attentari	»	301 *a*	»	10	*ult.*	attentari, decernimus
»	409 *b*	»	19		disponentes	»	303 *a*	»	17		disponente
»	410 *a*	»	6		pastoralis	»	303 *b*	»	17	*ult.*	pastoris
»	410 *b*	»	12		existentibus	»	304 *b*	»	15		existentes
»	411 *a*	»	25	*ult.*	nobis	»	305 *b*	»	11		vobis
»	411 *a*	»	21	*ult.*	ut quae	»	305 *b*	»	12		utque

* Potius lege *arbitrariis.*

** Forsan legendum *excipi.*

*** Forsan *arbitrariis.*

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* II.			*Edit. Taur. Tom.* XV.		
Pag. 411 *a*	linea 24 *ult.*	nos	*Pag.* 305 *b*	linea 12	vos
» 411 *a*	» 19 *ult.*	prosequentibus	» 305 *b*	» 17	pro sequentibus
» 411 *a*	» 18 *ult.*	examinatum	» 305 *b*	» 18	examinatis
» 411 *b*	» 2	quorumlibet	» 305 *b*	» 3 *ult.*	quarumlibet
» 411 *b*	» 31	nullius	» 306 *a*	» 17 *ult.*	nulli
» 411 *b*	» 28 *ult.*	professus	» 306 *a*	» 4 *ult.*	professum
» 412 *a*	» 4	quae	» 306 *b*	» 14 *ult.*	factam, qua
» 413 *b*	» 27 *ult.*	habitumque	» 309 *b*	» 2	habitum
» 415 *b*	» 19	peccatorum	» 311 *b*	» 11	et peccatorum
» 415 *b*	» 28	Viennensis	» 311 *b*	» 22	Viennae
» 416 *a*	» 34	illis	» 313 *a*	» 13 *ult.*	illi
» 416 *b*	» 21 *ult.*	alienae	» 314 *a*	» 21	aliae
» 417 *b*	» 20	concernant	» 315 *a*	» 1 *ult.*	concernent
» 418 *b*	» 3	revocari	» 316 *b*	» 15	revocati
» 418 *b*	» 3 *ult.*	ibique	» 318 *b*	» 20	tibique
» 419 *a*	» 22	sit in eis	» 318 *b*	» 1 *ult.*	sit, et in eis
» 420 *b*	8 *ult.*	Pauli	» 320 *b*	» 6	Paulo
» 421 *a*	13	nulla	» 320 *b*	» 15 *ult.*	multa
421 *a*	» 17	fuerunt	» 320 *b*	» 11 *ult.*	fuerint
» 421 *a*	23	donorum et bonorum	» 320 *b*	» 5 *ult.*	domorum et locorum
» 422 *b*	3 *ult.*	Papa	» 323 *b*	» 15 *ult.*	Papae
423 *a*	» 2	ab omnibus	» 323 *b*	» 11 *ult.*	omnibus
» 423 *a*	» 23 *ult.*	provinciae	» 324 *a*	» 9 *ult.*	provinciâ
» 423 *b*	» 30	dictorum	» 325 *a*	» 2	dictorum collegiorum
» 424 *a*	» 8	detractent	» 325 *b*	» 15	detrectent
» 424 *b*	» 26	confirmatorum	» 326 *b*	» 4	confirmatorum vigore
424 *b*	» 28	infirmatae	» 326 *b*	» 5	infirmariae
» 424 *b*	» 5 *ult.*	*bonae voluntatis*	» 327 *a*	» 2	*bonae voluntates*
» 425 *a*	» 26 *ult.*	extra	» 327 *a*	» 6 *ult.*	intra
» 425 *a*	» 16 *ult.*	vinceri	» 327 *a*	» 6 *ult.*	vinciri
425 *a*	» 15 *ult.*	remigiis	» 327 *a*	» 5 *ult.*	remigii

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* III.					
» 2 *a*	» 11	praesidere	» 330 *a*	» 9	praesidere obligentur
» 3 *a*	» 20	subiectas	» 331 *b*	» 16	subiecta
» 3 *a*	» 23 *ult.*	terrae firmae	» 332 *a*	» 11	terrâ firmâ
» 3 *b*	» 6	licet	» 332 *a*	» 2 *ult.*	licet, sicut
» 3 *b*	» 28	terraque firma	» 332 *b*	» 20	terraeque firmae
» 3 *b*	» 15 *ult.*	praemissa	» 333 *a*	» 1	praemissis
» 3 *b*	» 7 *ult.*	ac	» 333 *a*	» 12	eam
» 4 *b*	» 16	solita	» 334 *a*	» 17	dari solita
» 5 *a*	» 24 *ult.*	nostrae, cura divina providenti commissae	» 335 *a*	» 4 *ult.*	nostrae curae divinâ providentiâ commissae
» 5 *a*	» 20 *ult.*	firma	» 335 *b*	» 2	ut firma
» 5 *a*	» 18 *ult.*	adiicimus	» 335 *b*	» 4	adiiciamus
» 5 *b*	» 8	expressis	» 335 *b*	» 13 *ult.*	pro expressis
» 7 *b*	» 2	v nonas	» 338 *b*	» 6 *ult.*	iv nonas
» 7 *b*	» 22 *ult.*	in Lucina presbyter cardinalis Barberinus	» 339 *a*	» »	in Lucina Capponius, Franciscus tituli S. Laurentii in Damaso praesbyter cardinalis Barberinus
» 8 *a*	» 31	fuerunt	» 340 *a*	» 12	fuerint
» 8 *b*	» 4 *ult.*	nationis	» 341 *a*	» 22	nationis favorem
» 10 *b*	» 3 *ult.*	et	» 341 *a*	» 12	et quod
» 10 *b*	» 17 *ult.*	laicorum	» 344 *a*	» 12 *ult.*	locorum
» 10 *b*	» 15 *ult.*	curam	» 344 *a*	» 10 *ult.*	coram
» 11 *a*	» 4 *ult.*	mense	» 345 *a*	» 16 *ult.*	mensem
» 11 *a*	» 1 *ult.*	etiam	» 345 *a*	» 13 *ult.*	et tam

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* III.						*Edit. Taur. Tom.* XV.					
Pag.	11 *b*	linea	9		millia	»	345 *a*	linea	3	*ult.*	millium
»	11 *b*	»	31		decem et novem praedictorum	»	345 *b*	»	21		decem praedictorum
»	12 *a*	»	30		nuncupatos	»	346 *a*	»	6		nuncupatus
»	13 *a*	»	23	*ult.*	bella	»	348 *a*	»	16	*ult.*	bella premitur
»	13 *a*	»	4	*ult.*	commorantium . . . consistentium	»	348 *b*	»	6		commorantia . . . . consistentia
»	13 *b*	»	23		quod	»	348 *b*	»	11	*ult.*	et quod
»	13 *b*	»	28	*ult.*	eiusdem	»	349 *a*	»	9		eisdem
»	13 *b*	»	25	*ult.*	proportionibus	»	349 *a*	»	12		pro portionibus
»	14 *a*	»	27		ne	»	349 *b*	»	21		nec
»	15 *a*	»	7		illi	»	351 *a*	»	13		illis
»	15 *a*	»	24		vesci	»	351 *a*	»	11	*ult.*	vesci possent
»	15 *a*	»	27		minime	»	351 *a*	»	8	*ult.*	quibus voluit minime
»	15 *b*	»	2	*ult.*	ob ex	»	352 *b*	»	18		obex
»	16 *a*	»	20		qui	»	352 *b*	»	1	*ult.*	quibus
»	16 *a*	»	25		apostolicorum	»	353 *a*	»	5		apostolicorum vigore
»	16 *a*	»	17	*ult.*	suis	»	353 *a*	»	10	*ult.*	illis
»	16 *b*	»	3		aut	»	353 *b*	»	10		ut
»	16 *b*	»	33	*ult.*	dispenses	»	354 *a*	»	1		dispensare
»	16 *b*	»	26	*ult.*	intra	»	354 *a*	»	8		citra
»	17 *a*	»	7		debitis	»	354 *a*	»	3	*ult.*	ut debitis
»	20 *a*	»	14	*ult.*	reservatas	»	359 *b*	»	16	*ult.*	reservata
»	20 *b*	»	12		conferendis	»	360 *a*	»	11		conferendi
»	20 *b*	»	13		providendis	»	360 *a*	»	»		providendi
»	20 *b*	»	1	*ult.*	quod	»	360 *b*	»	16	*ult.*	et quod
»	21 *a*	»	8		litteras	»	360 *b*	»	9	*ult.*	per litteras
»	21 *a*	»	13		expressa ... inserta	»	360 *b*	»	3	*ult.*	expressam ... insertam
»	21 *a*	»	15		deferri	»	360 *b*	»	1	*ult.*	vel differri
»	21 *a*	»	24		si	»	361 *a*	»	10		quod, si
»	21 *a*	»	34		expedire	»	361 *a*	»	20		expediri facere
»	22 *b*	»	19		discenda	»	363 *b*	»	9		dicenda
»	23 *a*	»	18	*ult.*	angustias	»	364 *b*	»	20		angustius
»	24 *a*	»	7		dunique	»	365 *b*	»	18		undique
»	25 *b*	»	8		et civitatum	»	368 *a*	»	20		civitatum
»	25 *b*	»	10		omnibus	»	368 *a*	»	22		in omnibus
»	25 *b*	»	35		1643	»	368 *b*	»	4		1645
»	26 *a*	»	5		latam	»	369 *a*	»	3		ratam
»	27 *b*	»	9		reddendi	»	371 *b*	»	2		redeundi
»	28 *a*	»	12	*ult.*	diutinus	»	372 *b*	»	6	*ult.*	diutius
»	28 *b*	»	17	*ult.*	disponendi	»	373 *b*	»	14		disponendi, facultate
»	28 *b*	»	16	*ult.*	ad	»	373 *b*	»	15		ac
»	28 *b*	»	10	*ult.*	videretur	»	373 *b*	»	22		videbitur
»	29 *a*	»	1		primi	»	373 *b*	»	9	*ult.*	S. Primi
»	29 *a*	»	20		corpore	»	374 *a*	»	11		corporis
»	29 *a*	»	27		collati	»	374 *a*	»	18		collecti
»	29 *a*	»	19		subministretur	»	374 *a*	»	21		subministrentur
	29 *a*	»	30		pro tempore	»	474 *a*	»	21		per pro tempore
»	29 *a*	»	31		ut sub	»	374 *a*	»	25		sub
»	29 *a*	»	36		tradendos et consignandos	»	374 *a*	»	27		tradendi et consignandi
»	29 *a*	»	36		quos	»	374 *a*	»	27		quot
»	29 *a*	»	4	*ult.*	unionis	»	374 *b*	»	20		uniones fient
»	29 *b*	»	15		existentium	»	374 *b*	»	3	*ult.*	existunt
»	29 *b*	»	18		in eâdem dioecesi et in	»	375 *a*	»	1		et in
»	29 *b*	»	34		locum maiorem.	»	375 *a*	»	18		Lacum Maiorem
»	29 *b*	»	44		dioecesum quod	»	375 *a*	»	28		dioecesum (ita quod
»	29 *b*	»	18	*ult.*	abbatia	»	375 *a*	»	4	*ult.*	abbatiae

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* III.						*Edit. Taur. Tom.* XV.					
Pag.	29	*b*	linea	14	*ult.* unum abbatiae	*Pag.*	375	*b*	linea	1	unum, aliud abbatiae
»	29	*b*	»	5	*ult.* proprii	»	375	*b*	»	10	perpetui (?)
»	30	*a*	»	20	cuius	»	375	*b*	»	9	*ult.* unius
»	30	*a*	»	29	singularum	»	376	*a*	»	1	singulorum
»	30	*a*	»	37	apprehensa	»	376	*a*	»	9	apprehensam
»	30	*a*	»	41	creare	»	376	*a*	»	13	.... (locare?)
»	30	*b*	»	24	clauso	»	376	*b*	»	20	*ult.* clausa
»	30	*b*	»	35	iuris	»	376	*b*	»	9	*ult.* iuris reductionis
»	30	*b*	»	42	comprehendi	»	376	*b*	»	2	*ult.* comprehendi posse
»	30	*b*	»	10	*ult.* auctoritate	»	377	*a*	»	14	auctoritate iudicari debere
»	31	*b*	»	30	ascenderunt	»	378	*a*	»	1	*ult.* ascenderent
»	31	*b*	»	20	*ult.* debeat	»	378	*a*	»	21	debebat
»	31	*b*	»	17	*ult.* affectum	»	378	*b*	»	23	effectum
»	32	*a*	»	17	illis	»	379	*a*	»	14	ullis
»	34	*a*	»	18	admittendo a dictis . .	»	382	*a*	»	25	. . . (?) *
»	34	*b*	»	9	*ult.* et una	»	383	*b*	»	6	ex una
»	34	*b*	»	7	*ult.* regno ... congregato . .	»	383	*b*	»	8	regnum ... congregatum
»	35	*a*	»	1	factam	»	383	*b*	»	15	factum
»	35	*a*	»	4	Praepositis	»	383	*b*	»	19	propositis
»	35	*a*	»	32	quorum	»	384	*a*	»	5	quarum
»	35	*a*	»	19	*ult.* administret	»	384	*a*	»	25	administrent
»	35	*b*	»	24	illa	»	384	*b*	»	20	*ult.* illi
»	36	*a*	»	16	ipse	»	385	*a*	»	1	*ult.* ipsi
»	36	*a*	»	30	*ult.* opportuna	»	385	*b*	»	24	per opportuna
»	36	*a*	»	28	compescendo	»	385	*b*	»	27	compescendi
»	36	*b*	»	27	voluimus	»	386	*a*	»	4	*ult.* volumus
»	37	*a*	»	21	*ult.* sentiamus	»	387	*b*	»	1	sententiamus
»	37	*a*	»	11	*ult.* correctorem	»	387	*b*	»	11	corrector
»	37	*b*	»	25	*ult.* Brevi	»	388	*a*	»	19	*ult.* Brevis
»	37	*b*	»	16	*ult.* subiectae	»	388	*a*	»	10	*ult.* subiectorum
»	38	*a*	»	13	et conventus	»	388	*b*	»	19	domus et conventus
»	38	*b*	»	13	maiori	»	389	*a*	»	2	maioris
»	38	*b*	»	22	subiectae	»	389	*a*	»	12	subiectos
»	39	*b*	»	19	*ult.* privilegii sexceptis . . .	»	391	*b*	»	2	privilegiis, exceptis
»	39	*b*	»	12	*ult.* regni	»	391	*b*	»	9	et episcoporum regni
»	40	*b*	»	11	*ult.* debere	»	392	*a*	»	14	debentibus
»	42	*a*	»	20	alias	»	395	*a*	»	10	aliâ
»	42	*a*	»	39	31 iunii	»	395	*a*	»	»	. . . (?)
»	42	*a*	»	8	*ult.* instituti existunt	»	395	*b*	»	11	institutus existit
»	42	*b*	»	15	*ult.* existebant	»	396	*a*	»	16	*ult.* existebat
»	43	*a*	»	14	*ult.* contrarientur	»	397	*a*	»	12	non contrarientur
»	43	*b*	»	35	*ult.* Etsi	»	397	*b*	»	23	*ult.* Etsi nobis
»	43	*b*	»	10	*ult.* nomine	»	398	*a*	»	2	nominis
»	44	*b*	»	28	impositamque	»	399	*a*	»	21	impositumque
»	44	*b*	»	17	*ult.* percipiendi	»	399	*b*	»	1	praecipiendi
»	45	*b*	»	5	*ult.* quam	»	401	*a*	»	24	quam extraordinarias
»	46	*b*	»	10	controversiam	»	402	*a*	»	19	vel controversiam
»	47	*b*	»	33	*ult.* exposito	»	404	*a*	»	9	expositum fuisset
»	48	*a*	»	34	anno I	»	405	*b*	»	23	anno II
»	48	*b*	»	17	*ult.* quam	»	405	*b*	»	4	*ult.* qua
»	49	*a*	»	34	*ult.* deputatos	»	406	*b*	»	3	deputatos redigerentur
»	49	*b*	»	8	hac	»	407	*a*	»	10	hoc
»	49	*b*	»	37	ac	»	407	*a*	»	11	*ult.* ad
»	50	*a*	»	3	anno I	»	408	*a*	»	2	anno II
»	50	*b*	»	16	*ult.* anno I	»	409	*a*	»	2	anno II
»	51	*a*	»	33	anno I	»	409	*b*	»	7	anno II

* Forsan legendum *remittendo dictis*, sed postea *ratam* pro *ratione* legendum.

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* III.					*Edit. Taur. Tom.* XV.				
Pag. 52 *a*	linea 23		anno I		*Pag.* 411 *a*	linea 5		anno II	
» 52 *a*	» 34	*ult.*	Deus Patris		» 411 *a*	» 23	*ult.*	Filius Patris	
» 52 *b*	» 7		utriusque		» 411 *b*	» 18		utrique	
» 52 *b*	» 11		tutumque		» 411 *b*	» 22		totumque	
» 53 *a*	» 29	*ult.*	universalibus		» 412 *b*	» 15	*ult.*	in universalibus	
» 54 *b*	» 26	*ult.*	totius academiae		» 415 *a*	» 20		totius academiae rector existat, committimus, ipsique academiae	
» 54 *b*	» 19	*ult.*	illamque		» 415 *a*	» 16	*ult.*	illarumque	
55 *a*	» 5		et alias		» 415 *b*	» 8		et iuxta alias	
» 55 *a*	» 33		et officialium		» 415 *b*	» 7	*ult.*	officialium	
» 55 *b*	» 31	*ult.*	plantemur		» 416 *b*	» 23		plantemus	
56 *b*	» 27		exactionem		» 418 *a*	» 15		extractionem	
57 *a*	» 5	*ult.*	opportunae		» 419 *a*	» 9	*ult.*	opportuna	
» 57 *b*	» 19		iurium		» 419 *b*	» 15		et iurium	
58 *b*	» 1		ei		» 421 *a*	» 2		et	
» 58 *b*	» 9		ad		» 421 *a*	» 11		ac	
58 *b*	» 17		in re		» 421 *a*	» 18		ius in re	
» 59 *a*	» 32	*ult.*	tollearum		» 422 *a*	» 24		talearum	
» 59 *a*	» 14	*ult.*	quarumcumque		» 422 *a*	» 2	*ult.*	quorumcumque	
» 59 *b*	» 13	*ult.*	incertandi		» 423 *a*	» 20	*ult.*	incettandi	
» 60 *a*	» 23	*ult.*	1655		» 423 *b*	» 6	*ult.*	1605	
» 60 *b*	» 8		1579		» 424 *a*	» 18	*ult.*	1578	
» 60 *b*	» 29	*ult.*	quam		» 424 *b*	» 15		quin	
» 61 *a*	» 7		Apostolica		» 425 *a*	» 6		Apostolicae	
» 61 *a*	» 23		illa		» 425 *a*	» 22		illae	
» 61 *a*	» 32		alia		» 425 *a*	» 12	*ult.*	alias	
» 61 *b*	» 20		iudicationem		» 426 *a*	» 2		indicationem	
» 61 *b*	» 9	*ult.*	ad illas tantum et pro tempore et personis		» 426 *a*	» 6		ad illas tantum pro tempore personas	
» 61 *b*	» 8	*ult.*	illi		» 426 *b*	» 2		illis	
» 61 *b*	» 2	*ult.*	sive		» 426 *b*	» 6		illis sive	
» 62 *a*	» 21		nec eos		» 426 *b*	» 12	*ult.*	ne reos	
» 62 *a*	» 12	*ult.*	imposterum		» 427 *a*	» 19	*ult.*	nec etiam similes extrahendi licentias et facultates imposterum	
» 62 *b*	» 9		aut		» 427 *b*	» 2		ut	
» 62 *b*	» 21		competentia		» 427 *b*	» 17		competentibus	
» 62 *b*	» 35	*ult.*	immemorabilis		» 427 *b*	» 16	*ult.*	immemorabili	
» 64 *b*	» 2		tales		» 430 *b*	» 3		taleas	
64 *b*	» 3	*ult.*	eos		» 431 *a*	» 19		reos	
» 65 *b*	» 18		immediato		» 432 *a*	» 18	*ult.*	mediato	
» 65 *b*	» 25		confirmata et innovata		» 432 *a*	» 10	*ult.*	confirmatas et innovatas	
» 67 *a*	» 26		illa		» 434 *b*	» 20		illae	
» 67 *b*	» 21		qui		» 435 *b*	» 11		quae	
» 68 *b*	» 1		et eorum		» 436 *b*	» 12	*ult.*	in eorum	
68 *b*	» 6		ipsosque		» 436 *b*	» 7	*ult.*	ipsique	
» 69 *a*	» 24		illum		» 437 *b*	» 8	*ult.*	illam	
» 69 *a*	» 18		universalibus		» 437 *b*	» 4	*ult.*	. . . . . (?)	
» 71 *a*	» 16		haeresi		» 440 *b*	» 8	*ult.*	haeresis	
» 71 *b*	» 18		transferrent		» 441 *b*	» 17	*ult.*	transferent	
» 72 *a*	» 30	*ult.*	et pensionum		» 442 *b*	» 20		ecclesiasticorum	
» 73 *a*	» 9		recesserint		» 443 *b*	» 5	*ult.*	recesserit	
» 75 *a*	» 8	*ult.*	ingrediendi		» 447 *b*	» 6		ingrediendo	
» 75 *a*	» 7	*ult.*	ac		» 447 *b*	» 7		ad	
» 75 *b*	» 27	*ult.*	datum		» 448 *a*	» 13		datam	
» 76 *b*	» 28		Minoricensis		» 449 *b*	» 10		Maioricensis (?)	
» 77 *a*	» 10	*ult.*	decreti irritantis		» 450 *b*	» 16	*ult.*	decreto irritante	

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* III.					*Edit. Taur. Tom.* XV.				
Pag. 77 *b*	linea	6	*ult.*	secundi dicti	*Pag.* 451 *b*	linea	14		secundo dicti
» 79 *a*	»	18		dilectum	» 453 *b*	»	2		predilectum
» 79 *a*	»	32	*ult.*	1643	» 453 *b*	»	17		1645 (?)
» 79 *b*	»	33	*ult.*	requisiti fuerint	» 454 *a*	»	1	*ult.*	requisitus fuerit
» 82 *a*	»	26		extra	» 458 *a*	»	19		quod extra
» 83 *b*	»	28		hortus	» 460 *b*	»	6		hortos
» 85 *a*	»	20	*ult.*	a te	» 463 *a*	»	13		vel a te
» 85 *b*	»	22		Minimorum	» 463 *b*	»	16		Minorum
» 86 *b*	»	23	*ult.*	habenda	» 465 *b*	»	9		facienda
» 93 *a*	»	19	*ult.*	et	» 475 *b*	»	21	*ult.*	aes
» 93 *a*	»	14	*ult.*	oneribus	» 475 *b*	»	16	*ult.*	pro dictis oneribus
» 93 *a*	»	10	*ult.*	fecerit	» 476 *b*	»	11		fecit
» 95 *b*	»	14	*ult.*	congregationis	» 479 *b*	»	21		congregationum
» 96 *a*	»	5		super	» 479 *b*	»	4	*ult.*	insuper
» 96 *a*	»	32	*ult.*	consignan ulterius	» 480 *a*	»	13	*ult.*	consignandas. Ulterius
» 96 *a*	»	13	*ult.*	pertinentia	» 480 *b*	»	6		pertinentium
» 96 *a*	»	12	*ult.*	earumque	» 480 *b*	»	8		eorumque
» 96 *b*	»	29	*ult.*	oneramus cum ceteris	» 481 *a*	»	19		oneramus, et, quum ceteris
» 96 *b*	»	27	*ult.*	eiusdemque	» 481 *a*	»	20		eiusdem
» 96 *b*	»	18	*ult.*	reservatis	» 481 *a*	»	13	*ult.*	reservatas
» 96 *b*	»	7	*ult.*	quam	» 481 *a*	»	1	*ult.*	qua
» 97 *a*	»	17		ullo	» 481 *b*	»	21	*ult.*	ulla
» 97 *a*	»	21		quoscumque	» 481 *b*	»	17	*ult.*	per quoscumque
» 97 *a*	»	18-17	*ult.*	inter vivos	» 482 *a*	»	16		inter vos
» 97 *a*	»	8	*ult.*	ut non quotannis integra	» 482 *a*	»	26		ut non quotannis quatuor millia scuta, sed in toto octennio integra
» 97 *b*	»	2		quos	» 482 *a*	»	7	*ult.*	aut quos
» 97 *b*	»	9		quemlibet	» 482 *b*	»	1		quilibet
» 97 *b*	»	17		eis quae	» 482 *b*	»	9		eisque
» 97 *b*	»	21		nobis	» 482 *b*	»	13		vobis
» 97 *b*	»	23		moderandi	» 482 *b*	»	15		mandandi
» 97 *b*	»	26	*ult.*	compescendo	» 482 *b*	»	2	*ult.*	compescendi
» 97 *b*	»	17	*ult.*	auctoritatem	» 483 *a*	»	8		auctoritate
» 98 *a*	»	2		possit	» 483 *a*	»	19	*ult.*	possint
» 98 *a*	»	10		expressis	» 483 *a*	»	10	*ult.*	expressis, concessis
» 98 *a*	»	28	*ult.*	anno II	» 483 *b*	»	20		anno III
» 99 *a*	»	20	*ult.*	haereticis	» 485 *a*	»	6	*ult.*	haeretici
» 99 *a*	»	17	*ult.*	oppidi	» 485 *a*	»	3	*ult.*	oppidum
» 99 *a*	»	8	*ult.*	Romani	» 485 *b*	»	8		Romani Pontifices
» 99 *a*	»	4	*ult.*	praebendas	» 485 *b*	»	13		praebendae
» 99 *b*	»	31	*ult.*	valent	» 486 *a*	»	13		vellent
» 99 *b*	»	25	*ult.*	Glaronae	» 486 *a*	»	11		Glaronae cantonis catholicos
» 101 *a*	»	22		certis	» 488 *a*	»	22		causis
» 101 *a*	»	28		vivere	» 488 *a*	»	28		alere
» 102 *a*	»	23		differentia	» 489 *b*	»	15	*ult.*	differentias
» 102 *a*	»	21	*ult.*	substituendis.... delegandis	» 490 *a*	»	7		substituendos... delegandos
» 103 *a*	»	2		sessionem et conventum	» 491 *a*	»	15		sessionum et conventuum (?)
» 103 *a*	»	7	*ult.*	vel	» 491 *b*	»	9	*ult.*	vel in
» 103 *b*	»	12		legere, ut iura	» 492 *a*	»	11		Leges et iura
» 103 *b*	»	30		ita	» 492 *a*	»	12	*ult.*	vitâ
» 103 *b*	»	40		veterum	» 492 *a*	»	2	*ult.*	votorum
» 104 *a*	»	3		metropolitanorum	» 492 *b*	»	13	*ult.*	metropolitanarum
» 104 *b*	»	29		tacite	» 493 *b*	»	4	*ult.*	licite

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* III.					*Edit. Taur. Tom.* XV.				
»	104 *b*	»	31 *ult.*	sub	»	494 *b*	»	18 *ult.*	extra
»	105 *a*	»	26 *ult.*	illa	»	494 *b*	»	4 *ult.*	aliâ
»	105 *a*	»	21 *ult.*	illisque	»	495 *a*	»	1	illique
»	105 *b*	»	4	novissimo	»	495 *a*	»	18 *ult.*	novissime
»	106 *a*	»	33 *ult.*	vigore causae	»	496 *a*	»	4 *ult.*	vigore et causâ
»	106 *a*	»	32 *ult.*	extendendis	»	496 *a*	»	3 *ult.*	extendendae
»	106 *a*	»	17 *ult.*	sic fiant	»	496 *b*	»	13	quae sic fient (?)
»	108 *a*	»	29	illis	»	498 *a*	»	15	illi
»	108 *b*	»	18	simulantes	»	498 *b*	»	5 *ult.*	simultates
»	107 *a*	»	13	faciendi... exigendi	»	500 *b*	»	13 *ult.*	faciendâ... exigenda
»	110 *b*	»	1	insimulet	»	503 *a*	»	3	insimuletur
»	110 *b*	»	28 *ult.*	V	»	503 *a*	»	4 *ult.*	VIII
»	111 *a*	»	3	ecclesiasticos	»	503 *b*	»	9 *ult.*	ecclesiasticus
»	112 *a*	»	28	sequuta	»	505 *b*	»	17	servata
»	112 *b*	»	4	praedicti	»	506 *b*	»	7 *ult.*	primodicti
»	113 *a*	»	12	pluribus	»	507 *a*	»	10	pluries
»	113 *a*	»	14	et	»	507 *a*	»	13	ad
»	113 *b*	»	26	illis eorum	»	508 *a*	»	7	sub quibuscumque verborum
»	113 *b*	»	34	tenoribus	»	508 *a*	»	14	tenores
»	114 *a*	»	28	expressis	»	508 *b*	»	3 *ult.*	expressus
»	114 *b*	»	23	desiderat	»	509 *b*	»	7 *ult.*	desideret
»	115 *a*	»	4	concernunt	»	510 *a*	»	20	concernunt aut concernent
»	115 *b*	»	18 *ult.*	non	»	511 *b*	»	8	nunc
»	116 *a*	»	24	permittitur	»	512 *a*	»	5	praemittitur
»	116 *a*	»	28	iura	»	512 *a*	»	9	iuri
»	116 *b*	»	8	apto	»	512 *b*	»	16	apti
»	116 *b*	»	27 *ult.*	inserviet	»	513 *a*	»	8	inserviat
»	117 *a*	»	20 *ult.*	praeceptoque	»	512 *b*	»	4 *ult.*	praecepto
»	119 *b*	»	24	curam *	»	517 *b*	»	14 *ult.*	animarum curam
»	119 *b*	»	2 *ult.*	litteris	»	518 *a*	»	4	tamen
»	120 *a*	»	21	extenderit	»	518 *a*	»	17 *ult.*	extenderet
»	120 *a*	»	27 *ult.*	suscepti	»	518 *b*	»	6	susceptis
»	120 *a*	»	21 *ult.*	quoties	»	518 *b*	»	12	.... (?, **
»	120 *b*	»	26	in Domino	»	519 *a*	»	15	in Domino expedire iudicabimus
»	121 *b*	»	29	nonnulla	»	520 *b*	»	14 *ult.*	nonnullorum
»	121 *b*	»	42	nuncupatur	»	520 *b*	»	1 *ult.*	nuncupatam
»	121 *b*	»	17 *ult.*	cathechesimi	»	521 *a*	»	8	cathecheses
»	121 *b*	»	13 *ult.*	diffuderint	»	521 *a*	»	12	diffuderit
»	121 *b*	»	6 *ult.*	Naioli	»	521 *a*	»	19	Maioli
»	122 *a*	»	5	professionis	»	521 *a*	»	11 *ult.*	professionem
»	122 *b*	»	29	ipsam quod	»	522 *a*	»	6 *ult.*	ipsamque
»	122 *b*	»	4 *ult.*	contraire	»	522 *b*	»	12 *ult.*	contrariae
»	123 *b*	»	9	non trahatur	»	523 *b*	»	2 *ult.*	ad iudicium non trahatur
»	123 *b*	»	24 *ult.*	excommunicari	»	524 *a*	»	13	excommunicari non possint
»	124 *a*	»	33	paces	»	524 *b*	»	12 *ult.*	pacis
»	124 *a*	»	25 *ult.*	cienda	»	524 *b*	»	3 *ult.*	facienda
»	124 *b*	»	25 *ult.*	decretis	»	525 *b*	»	22	aliis decretis
»	125 *a*	»	23	temporum	»	526 *a*	»	9 *ult.*	tempore
»	125 *a*	»	2 *ult.*	serventur	»	526 *b*	»	15 *ult.*	servetur
»	127 *b*	»	20	a iuriumque	»	528 *b*	»	21	iuriumque
»	127 *b*	»	21	debitorem	»	528 *b*	»	22	debitorum
»	129 *a*	»	24 *ult.*	anno III	»	531 *a*	»	2 *ult.*	anno IV

* At nunc deprehendo integram esse lectionem Mainardianam.

** Forsan quotidie.

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* III.						*Edit. Taur. Tom.* XV.					
Pag.	126 *b*	linea	15		voluimus	*Pag.*	531 *a*	linea	7		volumus
»	127 *a*	»	17		anno III	»	532 *b*	»	5	*ult.*	anno IV
»	133 *a*	»	6		archiepiscopo	»	533 *b*	»	1		archiepiscopi
»	133 *a*	»	12	*ult.*	quadraginta	»	534 *a*	»	11		quadringenta
»	133 *a*	»	7	*ult.*	successoribus	»	534 *a*	»	17		successorum
»	133 *b*	»	25		ut	»	534 *b*	»	6		aut
»	133 *b*	»	35		portiones	»	534 *b*	»	16		portiones erant electi
»	133 *b*	»	42		cappellanis	»	534 *b*	»	23		cappellaniis
»	133 *b*	»	47		ammittentium	»	534 *b*	»	28		amittentium
»	134 *a*	»	9		ipse	»	535 *a*	»	20		ipso
»	134 *a*	»	25		1500	»	535 *a*	»	8	*ult.*	1050
»	134 *a*	»	31	*ult.*	propterea	»	535 *b*	»	6		praeterea
»	134 *a*	»	23	*ult.*	anno	»	535 *b*	»	15		annis
»	134 *a*	»	2	*ult.*	fuerit	»	535 *b*	»	8	*ult.*	defuerit
»	134 *b*	»	5		defecisset	»	535 *b*	»	2	*ult.*	defuisset
»	134 *b*	»	38	*ult.*	simili	»	536 *a*	»	13	*ult.*	similia
»	134 *b*	»	37	*ult.*	cappellanos nuncupatos tantum	»	536 *a*	»	11	*ult.*	cappellanos et quoscumque beneficiatos tantum
»	134 *b*	»	36	*ult.*	etsi qui sint alios	»	536 *a*	»	12	*ult.*	et, si qui sint (inter) alios
»	134 *b*	»	14	*ult.*	distribuendarum	»	536 *b*	»	13		distribuenda
»	134 *b*	»	2	*ult.*	ammissionem	»	536 *b*	»	18	*ult.*	amissionem
»	135 *a*	»	2		interfuerit	»	536 *b*	»	15	*ult.*	interfuerint
»	135 *a*	»	3	*ult.*	dicto regio cappellano	»	537 *b*	»	8		dictus regius cappellanus
»	135 *b*	»	14		debeant et teneantur.	»	537 *b*	»	18	*ult.*	debeat et teneatur (?)
»	136 *a*	»	16	*ult.*	dicto	»	539 *a*	»	3		in dicto
»	136 *b*	»	15		quam	»	539 *a*	»	10	*ult.*	quem
»	137 *a*	»	19		omnia	»	540 *a*	»	20		per omnia
»	138 *a*	»	12	*ult.*	praedictarum	»	541 *a*	»	21		praedictorum
»	138 *a*	»	3	*ult.*	fuerat	»	541 *a*	»	14	*ult.*	fuerint
»	138 *b*	»	24		etiam	»	541 *b*	»	14		etiamsi
»	138 *b*	»	34	*ult.*	editis et	»	541 *b*	»	14	*ult.*	editis et edendis
»	138 *b*	»	29	*ult.*	Mazariensis	»	541 *b*	»	10	*ult.*	Mazariensis et Cataniensis
»	138 *b*	»	27	*ult.*	huiusmodi fundatione seu institutione si in aliquo obstet	»	541 *b*	»	7	*ult.*	huiusmodi fundationi seu institutioni si in aliquo obstent
»	139 *b*	»	34		230	»	544 *a*	»	8	*ult.*	250 (?)
»	139 *b*	»	50		ducentum	»	544 *b*	»	12		centum (?)
»	129 *b*	»	3	*ult.*	praevenire	»	547 *a*	»	4		provenire
»	130 *a*	»	30	*ult.*	excedant	»	547 *b*	»	4		excedat
»	130 *a*	»	26	*ult.*	minores	»	547 *b*	»	8		minoris
»	130 *a*	»	25	*ult.*	lapsu	»	547 *b*	»	9		casu
»	130 *a*	»	14	*ult.*	ex dictis	»	547 *b*	»	20		et dictis
»	130 *a*	»	12	*ult.*	durante	»	547 *b*	»	21		durantibus
»	130 *b*	»	26		huiusmodi pro huiusmodi pro quibus	»	548 *a*	»	19		huiusmodi pro quibus
»	130 *a*	»	22		comestabili	»	548 *b*	»	2	*ult.*	connestabili
»	130 *a*	»	27		fuerunt	»	549 *a*	»	3		fuerint
»	141 *a*	»	5		unius	»	550 *a*	»	8		unus
»	141 *a*	»	9	*ult.*	electi	»	550 *b*	»	21		electus
»	131 *b*	»	24	*ult.*	ut licet	»	552 *b*	»	7	*ult.*	licet
»	132 *a*	»	35		Domino	»	553 *b*	»	8		in Domino
»	142 *b*	»	34	*ult.*	cunctas	»	554 *a*	»	10	*ult.*	cunctis
»	142 *b*	»	11	*ult.*	nuncupatur	»	554 *b*	»	13		nuncupatae
»	143 *a*	»	6		concilia	»	554 *b*	»	13	*ult.*	consilia
»	143 *b*	»	18		praebendae	»	555 *b*	»	19		praebendas
»	144 *a*	»	4		tenoribus	»	556 *a*	»	6	*ult.*	tenores
»	144 *a*	»	24	*ult.*	VIII	»	557 *b*	»	12		VII *

* Male in nostrâ notatione irrrepsit VIII.

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* III.						*Edit. Taur. Tom.* XV.					
Pag.	145 *b*	linea	38		1647	*Pag.*	559 *a*	linea	10		1648
»	146 *a*	»	12		illorumque	»	559 *b*	»	9		illorum
»	146 *b*	»	18		(exceptis supradictis collectoribus ut infra deputandis)	»	560 *a*	»	2	*ult.*	(exceptis supradictis) collectoribus ut infra deputandis
»	147 *a*	»	2	*ult.*	eis	»	561 *b*	»	14	*ult.*	ea
»	147 *b*	»	29	*ult.*	debuerint	»	562 *a*	»	14	*ult.*	deberent
»	147 *b*	»	27	*ult.*	exempla... impressa... subscripta... obsignata	»	562 *a*	»	12	*ult.*	exemplis... impressis... subscriptis... obsignatis
»	148 *a*	»	16		afflictatione... contritione	»	562 *b*	»	10	*ult.*	afflictationi... contritioni
»	148 *a*	»	31	*ult.*	et	»	563 *a*	»	14		ut
»	148 *b*	»	20		alterius	»	563 *b*	»	22		alterutrius (?)
	148 *b*	»	17	*ult.*	quo	»	564 *a*	»	12		quae
»	149 *a*	»	34	*ult.*	indicent	»	564 *b*	»	21		indicant
»	149 *b*	»	16		servatis	»	565 *a*	»	19	*ult.*	servatâ
»	149 *b*	»	14	*ult.*	conspicitur	»	565 *b*	»	12		conspicit
»	150 *b*	»	14	*ult*	1748	»	567 *a*	»	20	*ult.*	1648
»	151 *b*	»	17	*ult.*	V	»	567 *b*	»	10	*ult.*	VIII
»	151 *b*	»	9	*ult.*	Nos	»	567 *b*	»	2	*ult.*	Non
»	152 *a*	»	9		qua	»	568 *a*	»	17		quae
»	152 *a*	»	17		supprimendam	»	568 *a*	»	24		supprimere
»	152 *a*	»	29		erigenda	»	568 *a*	»	14	*ult.*	erigere
	152 *a*	»	22		transferri	»	568 *a*	»	12	*ult.*	transferre
»	152 *a*	»	34		X	»	568 *b*	»	1		XIII
»	152 *a*	»	17	*ult.*	aulam	»	568 *b*	»	20		caulam
»	152 *a*	»	15	*ult.*	praedicti	»	558 *b*	»	22		praedictum
»	152 *a*	»	3	*ult.*	territoriis	»	568 *b*	»	8	*ult.*	territorii
»	152 *b*	»	21	*ult.*	sortiantur	»	569 *a*	»	4	*ult.*	sortiatur
»	152 *b*	»	16	*ult.*	praefati	»	569 *b*	»	6		praefatum
»	153 *a*	»	29		mensi	»	570 *a*	»	6		mensis
»	153 *a*	»	25	*ult.*	insignis	»	570 *a*	»	22		insigniis
»	153 *a*	»	7	*ult.*	votam	»	570 *a*	»	3	*ult.*	totam
»	154 *a*	»	18		*(ad marginem)* nonis maii	»	571 *b*	»	4		4 maii
»	154 *a*	»	10	*ult.*	hos	»	572 *a*	»	1		hoc
»	154 *b*	»	3		argentorum	»	572 *a*	»	13		argenteorum
»	154 *b*	»	38		(non exclusis ditionibus) qui... inserviant	»	572 *a*	»	3	*ult.*	(non exclusis ditionibus qui... inserviant)
»	154 *b*	»	27	*ult.*	et	»	572 *b*	»	13		aut
»	154 *b*	»	12	*ult.*	insigna	»	572 *b*	»	15	*ult.*	insignia
»	155 *a*	»	9	*ult.*	alium	»	573 *b*	»	10		alio
»	155 *a*	»	4	*ult.*	petitur	»	573 *b*	»	15		pariter (?)
»	155 *b*	»	2		thesaurariis	»	573 *b*	»	21		thesaurarii
»	155 *b*	»	7		congregationis	»	573 *b*	»	13	*ult.*	congregatio
»	155 *b*	»	15		seu	»	573 *b*	»	4	*ult.*	sess.
»	155 *b*	»	16		quae	»	573 *b*	»	2	*ult.*	quas
»	155 *b*	»	16	*ult.*	xx	»	574 *a*	»	9	*ult.*	XXIII
»	156 *a*	»	23	*ult.*	ab aliquibus	»	575 *a*	»	9		et ab aliquibus
»	157 *a*	»	32	*ult.*	illis	»	576 *b*	»	5		illi
»	157 *a*	»	26	*ult.*	suos	»	576 *b*	»	12		intra
»	157 *a*	»	24	*ult.*	tornaturam	»	576 *b*	»	13		tornaturarum
»	157 *a*	»	6	*ult.*	tornaturam	»	576 *b*	»	11	*ult.*	tornaturarum
»	158 *a*	»	18		spectato	»	577 *b*	»	5	*ult.*	expectato
»	158 *a*	»	21	*ult.*	usus	»	578 *a*	»	24		actus
»	158 *a*	»	6	*ult.*	quocumque	»	578 *a*	»	2	*ult.*	quoque
»	158 *b*	»	5		etiamsi	»	578 *b*	»	9		etiam, si
»	158 *b*	»	19		proemia	»	578 *b*	»	20	*ult.*	praemissa
»	158 *b*	»	32		praestandum	»	578 *b*	»	7	*ult.*	praesentandum
»	160 *a*	»	4		causa	»	680 *b*	»	6	*ult.*	cusa

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* III.					*Edit. Taur. Tom.* XV.				
Pag. 160 *a*	linea 22			iique	*Pag.* 581 *a*	linea 13			iidem
» 160 *a*	» 38			alio gravi aere alieno	» 581 *a*	» 14	*ult.*		aliud grave aes alienum
» 160 *b*	» 12	*ult.*		commodo	» 582 *a*	» 11	*ult.*		commodi
» 160 *b*	» 11	*ult.*		declarandi	» 582 *a*	» 9	*ult.*		declarandâ
» 161 *a*	»		*(rubr.)*	Burgensi	» 582 *b*	» 9	*ult.*		Bambergensi
» 162 *a*	» 23			aliis	» 584 *a*	» 12	*ult.*		alii
» 163 *a*	» 31			fortuniis	» 585 *b*	» 1	*ult.*		fortunis
» 163 *a*	» 32			tutilione	» 586 *a*	» 1			tuitione
» 163 *a*	» 33			parcant	» 586 *a*	» 2			pareant
163 *a*	» 24	*ult.*		praesumant	» 586 *a*	» 15			praesumerent
» 163 *a*	» 5	*ult.*		concessissent	» 586 *a*	» 7	*ult.*		concessisset
» 163 *b*	» 4			sive post	» 586 *b*	» 2			sive ante sive post
» 163 *b*	» 10			praedictas	» 586 *b*	» 7			praedicta
» 164 *b*	» 6			altera	» 588 *a*	» 9			edita
» 165 *a*	11	*ult.*		An	» 589 *a*	» 2	*ult.*		An quando
» 150 *a*	» 1	*ult.*		1647	» 591 *b*	» 15			1648
» 166 *b*	» 5			auferri	» 592 *a*	» 18			auferri iusserunt
» 166 *b*	» 12			antea	» 592 *a*	» 25			cum antea
» 166 *b*	» 24	*ult.*		quantumvis	» 592 *b*	» 18			quantivis
166 *b*	5	*ult.*		sieque	» 592 *b*	» 5	*ult.*		sique
» 167 *a*	25			intimatio	» 593 *a*	» 21			intimato
167 *b*	» 13			aliqui	» 593 *b*	» 9	*ult.*		aliquò
167 *b*	» 26	*ult.*		VII	» 594 *a*	» 21			VIII
167 *b*	» 14	*ult.*		omnimodum	» 594 *a*	» 8	*ult.*		commodum
» 167 *b*	» 4	*ult.*		faciant	» 594 *b*	» 1			facient
» 168 *a*	26			gaudere possint	» 594 *b*	» 9	*ult.*		gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, frui, potiri et gaudere possint
» 168 *a*	» 27			utpote	» 594 *b*	» 9	*ult.*		utque
169 *a*	» 7			debitae	» 596 *a*	» 22			debita
169 *a*	» 22			subditorumque	» 596 *a*	» 4	*ult.*		subditorum, quam
169 *a*	» 31			erudiendis	» 596 *b*	» 5			iuvenibus erudiendis
169 *a*	» 35			ministrorum	» 596 *b*	» 9			ministrorum numero
169 *a*	17	*ult.*		boneribus	» 596 *b*	» 15	*ult.*		oneribus *vel* honoribus
169 *b*	25			quorumcumque	» 597 *a*	» 17	*ult.*		quarumcumque
» 169 *b*	» 37			decrevimus	» 597 *a*	» 5	*ult.*		decernimus
» 170 *a*	» 1	*ult.*		IV	» 598 *b*	» 6			V
» 170 *b*	» 3	*ult.*		illisque	» 599 *a*	» 13	*ult.*		illique
» 171 *a*	» 32			deque	» 599 *b*	» 19	*ult.*		atque
» 171 *b*	» 8	*ult.*		IV	» 600 *b*	» 13	*ult.*		V
» 172 *a*	» 15	*ult.*		valeant	» 601 *b*	» 8			valerent
» 172 *b*	18			possint	» 601 *b*	3	*ult.*		possent
» 172 *b*	» 3	*ult.*		vigebant	» 602 *b*	» 2			vigeant
» 173 *a*	» 19			concessi	» 602 *b*	» 23			concesso
» 173 *a*	» 18	*ult.*		posset	» 603 *a*	» 13			possit
» 173 *b*	17	*ult.*		librum	» 603 *b*	» 5	*ult.*		liberum
» 174 *a*	» 4	*ult.*		officium	» 604 *b*	» 10	*ult.*		officiunt
» 175 *b*	» 17	*ult.*		universalibus	» 607 *a*	» 7			in universalibus
» 177 *b*	» 31			sicut	» 609 *b*	» 18	*ult.*		Si, sicut
» 178 *a*	» 17			consultatores	» 610 *a*	» 10	*ult.*		consultores
» 179 *b*	» 18			unum	» 612 *b*	» 11			unam
» 180 *b*	» 34	*ult.*		monachi	» 614 *a*	» 17	*ult.*		monachos
» 180 *b*	» 10	*ult.*		Pauli.... praedecessoris nostri	» 614 *b*	» 8			Paulo.... praedecessore nostro
» 181 *a*	» 3			divinae	» 614 *b*	» 21			vivae
» 181 *a*	» 26			observetur	» 615 *a*	» 2			censeatur
» 183 *a*	» 26			exposito	» 618 *a*	» 16			expositum fuit

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* III.						*Edit. Taur. Tom.* XV.					
Pag.	184 *b*	linea	6		causa	*Pag.*	620 *a*	linea	19		cusa
»	184 *b*	»	19	*ult.*	partium, quoniam	»	620 *b*	»	22		partium eidem hopistali constet. Quoniam
»	186 *a*	»	14		praedicti	»	622 *b*	»	16		praedictis
»	186 *a*	»	14		certis	»	622 *b*	»	17		ceteris
»	187 *b*	»	27	*ult.*	coniuncti sunt	»	625 *a*	»	13	*ult.*	coniuncti
»	187 *b*	»	15	*ult.*	quia	»	625 *a*	»	1	*ult.*	qui
»	188 *a*	»	3		in certis	»	625 *b*	»	17		certis
»	188 *a*	»	6		Indiis	»	625 *b*	»	20		Indis
»	188 *a*	»	20		ac cum	»	625 *b*	»	9	*ult.*	ac ut cum
»	188 *a*	»	29	*ult.*	dictosque presbyteros	»	626 *a*	»	13		dictisque presbysteris
»	188 *a*	»	28	*ult.*	coniuncti	»	626 *a*	»	14		coniungi
»	188 *a*	»	16	*ult.*	cum eisdem, mestisque	»	626 *a*	»	25		cum eisdem mestisis
»	192 *b*	»	23	*ult.*	gestant	»	629 *b*	»	6	*ult.*	gestatis
»	192 *b*	»	11	*ult.*	ac	»	630 *a*	»	2		ad
»	193 *a*	»	28	*ult.*	in	»	630 *b*	»	10		qui
»	193 *a*	»	6	*ult.*	pie prompteque	»	630 *b*	»	12	*ult.*	piae promptaeque
»	193 *b*	»	20		fides	»	631 *a*	»	14		fideles
»	193 *b*	»	13	*ult.*	agnoscant	»	631 *b*	»	6		agnoscant omnes
»	194 *a*	»	29	*ult.*	incendant	»	632 *a*	»	14		incedant
»	191 *a*	»	18	*ult.*	omnibus	»	632 *b*	»	4	*ult.*	ab omnibus
»	191 *a*	»	8	*ult.*	indulta	»	633 *a*	»	8		et indulta
»	191 *b*	»	3		quarumvis	»	633 *a*	»	18		quorumvis
»	190 *b*	»	11		quacumque	»	634 *b*	»	1	*ult.*	quaecumque
»	190 *b*	»	5	*ult.*	monasteriis	»	635 *b*	»	9		monasterii
»	196 *a*	»	13		iunii	»	638 *a*	»	17		iulii (?)
»	196 *a*	»	32		Rhenum	»	638 *a*	»	1	*ult.*	triremium
»	197 *a*	»	14		praedictis	»	639 *b*	»	19	*ult.*	praedicto (?)
»	198 *b*	»	26	*ult.*	signandae	»	642 *a*	»	8	*ult.*	assignandae
»	199 *a*	»	39		valeant	»	643 *a*	»	13		valeat
»	199 *b*	»	7		adducta	»	643 *b*	»	7		adductae
»	199 *b*	»	17		copiam	»	643 *b*	»	17		quodpiam
»	199 *b*	»	22	*ult.*	praemissis	»	644 *a*	»	5		permissis
»	199 *b*	»	22.	*ult.*	prohibentis	»	644 *a*	»	5		prohibitis
»	200 *b*	»	30		summa	»	645 *a*	»	6	*ult.*	summam
»	200 *b*	»	18	*ult.*	constituto	»	645 *b*	»	17		constito
»	201 *b*	»	22	*ult.*	arbitrari	»	647 *a*	»	18		arbitrati
»	202 *a*	»	19	*ult.*	nature	»	648 *a*	»	2		mature
»	202 *b*	»	26		debitum	»	648 *b*	»	1		habitum
»	204 *a*	»	12		ammissionis	»	650 *b*	»	6		amissionis
»	204 *a*	»	35		ad	»	650 *b*	»	13	*ult.*	ac
»	204 *b*	»	33		non	»	651 *b*	»	12		sive non
»	204 *b*	»	38		contigui	»	651 *b*	»	17		contiguis
»	206 *a*	»	29		larem	»	653 *b*	»	18	*ult.*	larium
»	207 *a*	»	9		debeant	»	655 *a*	»	18	*ult.*	debeant
»	207 *a*	»	14	*ult.*	eam	»	655 *b*	»	13	*ult.*	etiam
»	207 *b*	»	12	*ult.*	procedat	»	656 *b*	»	15		praecedant
»	208 *b*	»	10		ac	»	657 *b*	»	16		ad
»	208 *b*	»	29	*ult.*	ob praedicta	»	658 *a*	»	8		sed ob praedicta
»	208 *b*	»	16	*ult.*	longe	»	658 *a*	»	20		longae
»	208 *b*	»	9	*ult.*	de	»	658 *a*	»	15	*ult.*	et
»	209 *a*	»	15		cuius	»	658 *b*	»	9		cuiusvis
»	209 *b*	»	7		per	»	659 *a*	»	16	*ult.*	quae, per
»	209 *b*	»	39		praefatarum	»	659 *b*	»	17		praefatos
»	210 *a*	»	9	*ult.*	servanda	»	660 *b*	»	21		servanda foret
»	210 *b*	»	12	*rubr.*	conventionem	»	661 *a*	»	2		conversionem
»	210 *b*	»	25		fecit	»	661 *a*	»	14		facit
»	211 *a*	»	5		datas	»	661 *b*	»	16		ac datas

Edit. Rom. Maen. Tom. VI, *Part.* III.					*Edit. Taur, Tom.* XV.				
Pag. 212 *b*	linea 24			inducimus	*Pag.* 664 *a*	linea 16			inducimur
» 212 *b*	» 26			cum	» 664 *a*	» 18			prout cum
» 212 *b*	» 13	*ult.*		praesenten	» 664 *b*	» 3			praesentes (?)
» 212 *a*	» 1	*ult.*		VI	» 664 *b*	» 13			VII *
» 213 *b*	» 15			enses	» 664 *b*	» 2	*ult.*		ensis
» 213 *b*	» 2			VI	» 665 *a*	» 2	*ult.*		VII
» 214 *a*	» 9			concesserit	» 666 *a*	» 16	*ult.*		accesserit
» 214 *a*	» 24	*ult.*		bella	» 666 *b*	» 21	*ult.*		bella, premitur
» 214 *a*	» 4	*ult.*		commorantium et consistentium	» 666-667	»	»		commorantes et consistentes
» 214 *b*	» 9			durante praedicto	» 667 *a*	» 13			durante sexennio a praedicto
» 214 *b*	» 29			et	» 667 *a*	» 9	*ult.*		et quod
» 214 *b*	» 15	*ult.*		eximatur	» 667 *b*	» 18			eximantur
» 215 *a*	» 15	*ult.*		respective	» 668 *b*	» 2			respectu
» 216 *b*	» 1			a nobis	» 670 *a*	» 14	*ult.*		nobis
» 216 *b*	» 6			et pro	» 670 *a*	» 9	*ult.*		pro
» 218 *b*	» 22	*ult.*		iudicem	» 673 *b*	» 16	*ult.*		in iudicem
» 219 *a*	» 5			expressas	» 674 *a*	» 11			expressum
» 219 *a*	» 15	*ult.*		latas	» 674 *b*	» 17			latis
» 219 *a*	» 11	*ult.*		possint et valeant	» 674 *b*	» 21			possit et valeat
» 219 *b*	» 5	*ult.*		pro te	» 675 *b*	» 5			per te
» 220 *a*	» 22	*ult.*		illum	» 676 *a*	» 12			illam
» 220 *b*	» 30			ex	» 676 *b*	» 20			de
» 220 *b*	» 17	*ult.*		firmatum	» 676 *b*	» 9	*ult.*		firmum
» 221 *a*	» 34			religionis	» 677 *b*	» 6			religiosos
» 221 *a*	» 37			omnimode	» 677 *b*	» 9			omnimodae
» 221 *a*	» 14	*ult.*		et	» 677 *b*	» 20			ut
» 221 *a*	» 6	*ult.*		concedimus demum	» 677 *b*	» 14	*ult.*		concedimus. Demum
» 222 *a*	» 9			etiam	» 678 *b*	» 19	*ult.*		etiamsi
» 222 *a*	» 4	*ult.*		excedentium	» 679 *a*	» 5	*ult.*		excedentem
» 222 *b*	» 7			professorum	» 679 *b*	» 4			professores
» 223 *a*	» 8			alios	» 680 *a*	» 12	*ult.*		alias
» 223 *a*	» 30			quae	» 680 *b*	» 11			qua
» 223 *a*	» 36			cuiuslibet	» 680 *b*	» 17			cuiuslibet iuris
» 223 *b*	» 21			quarum	» 681 *a*	» 15	*ult.*		quam
» 223 *b*	» 21	*ult.*		resultantia	» 681 *b*	» 15			resultante
» 224 *a*	» 17	*ult.*		Congregationis	» 682 *a*	» 12	*ult.*		Congregationi
» 224 *a*	» 10	*ult.*		commutavimus	» 682 *b*	» 7			commutamus
» 224 *b*	» 1			pro parte	» 682 *b*	» 17			aut pro parte
» 224 *b*	» 35			fieri permissis	» 683 *a*	» 9			permissis, fieri
» 224 *b*	» 15	*ult.*		singulis	» 683 *a*	» 13	*ult.*		singulis, eorum tenores
» 224 *b*	» 12	*ult.*		servanda	» 683 *a*	» 10	*ult.*		servata
» 224 *b*	» 12	*ult.*		foret	» 683 *a*	» 10	*ult.*		foret, habentes
» 226 *b*	» 29	*ult.*		attentari	» 686 *a*	» 24			attentari, decernimus
» 227 *a*	» 19			VII	» 686 *b*	» 27			VIII
» 227 *b*	» 3			immediate	» 687 *a*	» 11	*ult.*		inciderit, in diem immediate
» 227 *b*	» 6	*ult.*		maiori	» 688 *a*	» 3			pro maiori
» 228 *a*	» 20			computandum	» 688 *a*	» 14	*ult.*		computandorum
» 228 *a*	» 29			honore	» 688 *a*	» 5	*ult.*		onere
» 229 *b*	» 16			illa	» 690 *b*	» 10			illae
» 229 *b*	» 29			ammissionis	» 690 *b*	» 23			amissionis
» 229 *b*	» 30			poenas	» 690 *b*	» 24			poenis
» 229 *b*	» 31			incurrendas	» 690 *b*	» 25			incurrendis
» 229 *b*	» 5	*ult.*		consenserint	» 691 *a*	» 18			non consenserint

* Hanc emendationem nunc addimus, et lin. 14 n. edit. legendum VI pro IV.

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* III.

Pag. 230 *a* linea 21 *ult.* Urbani praedecessoris pariter nostri . . . . .

» 231 *a* » 8 praeterea . . . . . .
» 231 *a* » 6 *ult.* ut . . . . . .
» 231 *b* » 3 quod qui . . . . . .
» 231 *b* » 8 sub . . . . . .
» 232 *a* » 20 fungimus . . . . . .
» 232 *b* » 2 iis . . . . . .
» 233 *b* » 3 produci . . . . . .
234 *a* » 5 diffuse . . . . . .
» 234 *b* » 20 *ult.* applicata . . . . . .
» 235 *a* » 6 qua . . . . . .
» 236 *b* » 19 litteris . . . . . .
» 237 *b* » 7 canonicos . . . . . .
237 *b* » 11 proenitentiarios . . . . .
» 237 *b* » 3 *ult.* lecturae . . . . . .
» 238 *a* » 25 in praedictis . . . . . .
» 238 *b* » 12 *ult.* 1647 . . . . . .
» 240 *a* » 25 *ult.* quae . . . . . .
» 241 *a* » 21 constituto . . . . . .
» 243 *a* » 8 neque . . . . . .
» 243 *a* » 14 expressis . . . . . .
» 244 *a* » 12 exercendi . . . . . .
» 244 *b* » 3 necnon . . . . . .
» 244 *b* » 28 laborabat . . . . . .
» 245 *a* » 11 Ordinarius . . . . . .
246 *a* » 11 extra . . . . . .
» 246 *b* » 13 congregatio . . . . . .
» 246 *b* » 24 obaeratas . . . . . .
» 247 *a* » 9 datum . . . . . .
» 247 *b* » 16 *ult.* executiones . . . . . .
» 248 *a* » 1 patrum . . . . . .
» 248 *b* » 25 *ult.* valent . . . . . .
» 249 *a* » 7 ferventibus . . . . . .
» 249 *a* » 4 *ult.* libere . . . . . .
» 250 *a* » 21 *ult.* cogitur . . . . . .
» 250 *b* » 20 *ult.* et congregationis, non tamen earumque beneficia praedicto inquisitionis officio unita in totum, fratres vero Mendicantes pro medietate dumtaxat ab eisdem decimis et illarum solutione immunes et exemptos esse volumus et decernimus ecclesias, etc. . . . . .

Edit. Taur. Tom. XV.

Pag. 691 *b* linea 14 *ult.* Urbani praedecessoris nostri litteris, necnon Bonifacii VIII praedecessoris pariter nostri

» 692 *b* » 8 *ult.* propterea
» 693 *b* » 4 et
» 693 *b* » 12 quodque
» 693 *b* » 17 super
» 694 *b* » 11 fungimur
» 695 *a* » 15 ii
» 695 *b* » 12 perduci
» 697 *b* » 1 diffusae
» 698 *b* » 17 *ult.* et applicata
» 699 *a* » 11 quavis
» 701 *b* » 6 lineis
» 703 *a* » 3 canonicus
» 703 *a* » 6 poenitentiarius
» 703 *b* » 14 lectores
» 703 *b* » 1 *ult.* prout in praedictis
» 705 *a* » 13 1648
» 707 *a* » 2 *ult.* qua
» 708 *b* » 21 *ult.* constito
» 711 *b* » 12 aeque
» 711 *b* » 18 expressas
» 713 *a* » 22 exercendo
» 713 *b* » 9 *ult.* nec
» 714 *a* » 17 laborat
» 714 *b* » 19 *ult.* Ordinarios non
» 716 *a* » 14 *ult.* vel extra
» 717 *a* » 13 congregatione
» 717 *a* » 24 oneratas
» 717 *b* » 8 *ult.* datae
» 719 *a* » 19 executionem
» 719 *a* » 3 *ult.* patres
» 720 *b* » 4 vellent
» 720 *b* » 9 *ult.* ferventius
» 721 *b* » 5 libro
» 722 *b* » 13 *ult.* cogimur
» 723 *b* » 5 *ult.* et congregationum (non tamen earum quae inferius descriptae sunt) ac militiarum regularium in universo dominio dictae Reipublicae Venetorum existentium; ac insuper alias sexdecim decimas omnium et quarumcumque pensionum annuarum super fructibus, redditibus et proventibus supradictis assignatarum et assignandarum, ab omnibus et quibuscumque patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis, et aliis ecclesiarum praelatis, ceterisque cuius-

Edit. Rom. Main. Tom. VI. *Part.* III.	*Edit. Taur. Tom.* XV.
	cumque status, gradus, dignitatis et conditionis personis (exceptis dumtaxat venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, nec non dilectis filiis fratribus hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, ac fratribus Mendicantibus praedictis, et insuper beneficiis ecclesiasticis officio sanctae inquisitionis haereticae pravitatis in dicto dominio instituto unitis, annexis et applicatis; quos cardinales ac fratres hospitalis praedicti ac beneficia praedicto inquisitionis officio unita, in totum, fratres vero Mendicantes pro medietate dumtaxat ab eisdem decimis et illarum solutione immunes et exemptos esse volumus et decernimus) ecclesias, etc.
Pag. 251 *a* linea 31 pertinentia	*Pag.* 724 *b* linea 1 pertinentium
» 252 *a* » 15 *ult.* praedictis, a dictis . . .	» 726 *a* » 13 *ult.* praedictis assignamus; ac a dictis
» 252 *a* » 2 *ult.* moderandi	» 726 *b* » 1 mandandi
» 252 *b* » 23 *ult.* non posse	» 727 *a* » 6 non possint
» 252 *b* » 15 *ult.* expressis	» 727 *a* » 13 concessis
» 258 *a* » 30 convertimus	» 727 *b* » 18 convertentes
» 258 *a* » 34 et honoribus	» 727 *b* » 21 honoribus et
» 258 *b* » 16 illam	» 728 *a* » 20 *ult.* illa
» 258 *b* » 24 *ult.* et oppidi	» 728 *b* » 11 oppidi
» 259 *b* » 2 *ult.* suppressionis	» 730 *a* » 4 *ult.* subreptionis
» 260 *a* » 14 et pro tempore	» 730 *b* » 11 pro tempore
» 260 *a* » 16 exequi	» 730 *b* » 14 excipi
» 260 *a* » 11 *ult.* anno IX	» 731 *a* » 3 anno X
» 253 *a* » 27 *ult.* tandem	» 731 *a* » 14 *ult.* eamdem
» 253 *a* » 12 *ult.* moneta	» 731 *b* » 1 monetae
» 253 *b* » 2 in vectis	» 731 *b* » 15 invectis
» 253 *b* » 6 necessarium	» 731 *b* » 18 necessariarum
» 253 *b* » 27 consimili	» 731 *b* » 1 *ult.* consimilis
» 253 *b* » 28 cussa	» 732 *a* » 1 cusa
» 253 *b* » 27 *ult.* ad triginta	» 732 *a* » 15 triginta
» 253 *b* » 18 *ult.* concilii	» 732 *a* » 14 *ult.* consilii
» 253 *b* » 8 *ult.* alio gravi aere alieno .	» 734 *a* » 4 *ult.* aliud grave aes alienum
» 253 *b* » 8 *ult.* quod	» 732 *a* » 4 *ult.* quo
» 253 *b* » 2 *ult.* computatis	» 732 *b* » 3 commutatis
» 254 2 » 1 pretium	» 732 *b* » 6 partium
» 254 *a* » 21 aere	» 732 *b* » 15 *ult.* aeri
» 254 *a* » 30 continente	» 732 *b* » 7 *ult.* continenter
» 254 *b* » 9 eos	» 733 *a* » 1 *ult.* vos
» 255 *a* » 25 imposita	» 734 *a* » 3 *ult.* posita

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Pari.* III.

Pag.	255 *b*	linea	16		praecipi . . . . .
»	256 *a*	»	26		1651 . . . . .
»	256 *a*	»	27		IX . . . . .
»	256 *b*	»	30		tam non . . . . .
»	256 *b*	»	28	*ult.*	ac . . . . .
»	257 *a*	»	6		esse . . . . .
»	257 *a*	»	14	*ult.*	directe . . . . .
»	257 *b*	»	6	*ult.*	liberi . . . . .
»	260 *b*	»	21		perniciosos . . . . .
»	260 *b*	»	31		laici . . . . .
»	260 *b*	»	34		vel . . . . .
»	262 *b*	»	24	*ult.*	earum . . . . .
»	262 *b*	»	5	*ult.*	quod . . . . .
»	263 *a*	»	16		ut . . . . .
»	263 *a*	»	29		1652 . . . . .
»	263 *b*	»	2		grado . . . . .
»	263 *b*	»	12		impedire . . . . .
»	264 *a*	»	21		aliqua . . . . .
»	264 *b*	»	33		clausas . . . . .
»	264 *b*	»	5	*ult.*	V . . . . .
»	266 *a*	»	15		existentium . . . . .
»	266 *b*	»	18	*ult.*	nunciis . . . . .
»	267 *b*	»	9		subrebat . . . . .
»	268 *b*	»	8		aere . . . . .
»	268 *b*	»	13		futuram . . . . .
»	268 *b*	»	17		nuncupata . . . . .
»	268 *b*	»	18		sita . . . . .
»	268 *b*	»	33		formam . . . . .
»	268 *b*	»	44		neque . . . . .
»	268 *b*	»	48		illorum . . . . .
»	269 *a*	»	6		ut . . . . .
»	269 *a*	»	19		totalis . . . . .
»	269 *b*	»	29		prohibentes . . . . .
»	271 *b*	»	16		nuncupato . . . . .
»	272 *b*	»	14		refectionem . . . . .
»	273 *a*	»	4		factae . . . . .
»	273 *a*	»	12		vaniis . . . . .
»	273 *a*	»	1	*ult.*	hibuisse . . . . .
»	273 *b*	»	17		metem . . . . .
»	273 *b*	»	34		quocumque . . . . .
»	274 *b*	»	8		quam . . . . .
»	274 *b*	»	9		nos . . . . .
»	275 *a*	»	10		pendens . . . . .
»	276 *a*	»	6	*ult.*	existentium . . . . .
»	277 *a*	»	30	*ult.*	additus . . . . .
»	277 *b*	»	2		etiamsi . . . . .
»	277 *b*	»	5		recursum . . . . .
»	277 *b*	»	20		defaetatum . . . . .
»	277 *b*	»	24		quae . . . . .
»	277 *b*	»	26		angariis . . . . .
»	278 *a*	»	22		1635 . . . . .
»	279 *a*	»	16	*ult.*	substentationem . . . .
»	279 *a*	»	10	*ult.*	impensas . . . . .
»	279 *a*	»	5		institutas . . . . .
»	279 *b*	»	27		contraria . . . . .
»	279 *b*	»	21	*ult.*	attentari . . . . .
»	280 *a*	»	3	*ult.*	factam fuisse . . . . .
»	281 *a*	»	2	*ult.*	asseramus . . . . .

Edit. Taur. Tom. XV.

Pag.	735 *a*	linea	13		percipi
»	736 *a*	»	7		1653
»	736 *a*	»	8		x
»	736 *b*	»	9	*ult.*	etiam
»	737 *a*	»	4		ex
»	737 *a*	»	6	*ult.*	esset
»	738 *a*	»	1		directe vel indirecte
»	738 *b*	»	8	*ult.*	libri
»	739 *b*	»	1		perniciosum
»	739 *b*	»	11		laicâ
»	739 *b*	»	3		nec
»	742 *b*	»	18		eorum
»	742 *b*	»	5	*ult.*	quod ad
»	743 *a*	»	20		et
»	743 *a*	»	30		1653
»	743 *a*	»	17	*ult.*	gradu
»	743 *a*	»	7	*ult.*	impediri
»	744 *b*	»	11	*ult.*	aliaque
»	744 *b*	»	1	*ult.*	clausos
»	746 *a*	»	2		VIII
»	747 *b*	»	22		existentibus
»	748 *b*	»	6	*ult.*	nuncii
»	749 *b*	»	1	*ult.*	subrepat
»	751 *b*	»	4		. . . . . (?)
»	751 *b*	»	9		futurum
»	751 *b*	»	13		nuncupatae
»	751 *b*	»	14		sitae
»	751 *b*	»	11	*ult.*	formâ
»	752 *a*	»	2		atque
»	752 *a*	»	6		illorumque
»	752 *a*	»	11	*ult.*	ut per
»	752 *b*	»	4		tot
»	753 *a*	»	4	*ult.*	prohibentis
»	756 *a*	»	12	*ult.*	nuncupati
»	757 *b*	»	12		resecationem
»	758 *a*	»	16	*ult.*	facere
»	758 *a*	»	8	*ult.*	variis
»	758 *b*	»	5	*ult.*	tribuisse
»	759 *a*	»	12		metam
»	759 *a*	»	13	*ult.*	quodcumque
»	760 *b*	»	7		quum
»	760 *b*	»	8		vos
»	761 *a*	»	13	*ult.*	pendent
»	763 *a*	»	2	*ult.*	existentibus
»	764 *b*	»	20		additis
»	765 *a*	»	7		etiam, si
»	765 *a*	»	9		recursum habere
»	765 *a*	»	13	*ult.*	defaecatum
»	765 *a*	»	10	*ult.*	quas
»	765 *a*	»	7	*ult.*	Augiensibus (?)
»	766 *a*	»	14		1653
»	767 *b*	»	2	*ult.*	subhastationem
»	768 *a*	»	5		impensa
»	768 *a*	»	11		instituas
»	768 *a*	»	2	*ult.*	non contraria
»	768 *b*	»	16		attentari decernas
»	769 *b*	»	10		facta fuisset
»	771 *a*	»	12		. . . . . (?)

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* III.						*Edit. Taur. Tom.* XV.					
Pag.	281 *b*	linea	11		in monasterio sibi commendata	*Pag.*	771 *a*	linea	25		in monasteriis sibi commendatis
»	181 *b*	»	31	*ult.*	conventuum	»	771 *b*	»	9		conventum
»	282 *b*	»	3		generalis	»	772 *b*	»	24		generali
»	282 *b*	»	32		x	»	773 *a*	»	9		XI
»	282 *b*	»	22	*ult.*	titulus	»	773 *a*	»	20	*ult.*	titulum
»	282 *b*	»	5	*ult.*	dignitate	»	773 *a*	»	3	*ult.*	ac dignitate
»	283 *a*	»	17	*ult.*	principes	»	774 *a*	»	9		principales
»	283 *b*	»	30	*ult.*	existant	»	774 *b*	»	21		existat
»	283 *a*	»	7	*ult.*	nec non	»	774 *b*	»	1	*ult.*	non obstantibus praemissis, nec non
»	286 *a*	»	14		morte	»	778 *a*	»	18		sit morte
»	286 *a*	»	31		sic	»	778 *a*	»	9	*ult.*	sit
»	287 *a*	»	19		affectum	»	779 *b*	»	11	*ult.*	affectu
»	287 *b*	»	17	*ult.*	damnaverimus	»	780 *b*	»	11	*ult.*	damnavimus
»	287 *b*	»	10	*ult.*	fuisse	»	780 *b*	»	4	*ult.*	fuisset

URBANI VIII

CONSTITUTIONES

Ab anno decimo septimo pontificatus ipsius et deinceps.

An. C. 1639

DCLVIII.

Quod ministri provinciales Indiarum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantia pro tempore existentes possint mittere commissarios, qui eorum nomine in capitulo generali suffragium ferant.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Circumspecta Romani Pontificis providentia ea quae in personarum regularium capitulis generalibus interdum sancita et auctoritate apostolicâ comprobata fuerunt, ipsâ subinde rerum experientiâ suadente, praesertim cum felici earumdem personarum statui et quieti opportune consulitur, immutat, in hisque suae sollicitudinis partes favorabiliter interponit, prout conspicit in Domino salubriter expedire.

Causa huius constitutionis.

§ 1. Aliàs siquidem in capitulo generali Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia nuncupatorum de anno MDCXXV celebrato inter alia conditum fuit statutum tenoris sequentis, videlicet: *Caveant ex Indianis provinciis ministri provinciales, nè ad capitulum generale, vel, aut*[1] *ipsi, vel commissarios suo nomine mittant, solis custodibus veniendi facultate concessâ;* nosque statutum huiusmodi, illius tenore inserto, confirmavimus et approbavimus, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris[2], quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Generalis supplicat Pontificem pro indulto prout in rubricâ.

§ 2. Cum autem, sicut nobis nuper exponi fecit dilectus filius Ioannes Marinero dicti Ordinis minister generalis, patres in capitulo generali eiusdem Ordinis in hac almâ Urbe nostrâ novissime celebrato congregati ministris provincialibus praedictarum provinciarum Indiarum antiquum ius quod habebant, ut ad capitulum generale commissarios eorum nomine suffragium laturos mittere possent, iustis ex causis restituendum esse censuerint: nobis propterea dictus Ioannes minister generalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

1 Pro *vel*, *aut* puto legendum esse *veniant*; aut potius *nisi veniant ipsi* (R. T.).

2 Quas puto deesse (R. T.).

Cui Pontifex annuit.

§ 3. Nos igitur, eiusdem Ioannis ministri generalis votis annuere volentes, illumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ministris provincialibus dictarum provinciarum Indiarum, pro tempore existentibus, quod ad capitulum generale dicti Ordinis mittere possint commissarios, qui eorum nomine suffragium ferant, eâ tamen lege, ut tam commissarii, qui mittentur, quam etiam custodes, filii earum provinciarum respective sint, pro quibus mittentur, vel in eis incorporati sive in Indiis sive in aliis Europae partibus existant, dummodo ad electionis effectum non incorporentur; ac ut tam commissarii quam custodes praedicti a suis provinciis non aliter quam iuxta constitutiones generales Segobienses eligantur; quodque, si commissarii et custodes huiusmodi in itinere decedant, suffragium suum nemini, etiam tamquam procuratori, absenti vel praesenti committere possint, ac idem in aliis etiam praelatis et vocalibus iuxta laudabilem dicti Ordinis consuetudinem servetur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Constitutionem Clementis VII confirmat.

§ 4. Et insuper, pro commodiori praemissorum exequutione, constitutionem felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri, quae incipit: *His quae ad regularium personarum statum*, die IV martii MDC, pontificatus sui anno IX, editam[1] (qua cavetur, ut in provinciis dicti Ordinis in partibus Indiarum, praesertim in Limensi provinciâ, ad magistratus provincialis seu quodlibet aliud dignitatis officium assumi non valeant alii dicti Ordinis religiosi, quam illi qui eiusdem provinciae alumni sunt, vel ad eam expresse ac nominatim missi in[1] Hispaniis, et cum ministri generalis aut commissarii Indiarum apud catholici Hispaniarum regis curiam assistentis litteris obedientialibus in illis provinciis incorporati fuerunt) innovamus, approbamus, et confirmamus; declarantes sub illis verbis *seu quodlibet aliud dignitatis officium*, in dictâ constitutione expressis, ministri provincialis, tam pro regendâ provinciâ, quam pro ferendo suffragio in capitulo generali designati vicarii provincialis, custodis, definitorum, guardianorum conventuum et vicariorum officia comprehendi et comprehensa intelligi;

Nec aliter iudicari posse decernit.

§ 5. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et Sedis Apostolicae nuncios, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Praemissa observari iubet.

§ 6. Quocirca dilectis filiis nunc et pro tempore existentibus dicti Ordinis commissariis generalibus in Indiis in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis latae sententiae, privationisque suorum officiorum, et perpetuae inhabilitatis ad alia obtinenda poenis, praecipimus et mandamus, ut praesentes litteras et in eis contenta quaecumque inviolabiliter servent, et ab aliis, ad quos spectat et spectabit, quomodolibet servari curent; alioquin, si eos hac in parte deliquisse compertum fuerit, ipso facto ad propriam provinciam regredientes, omni privilegio,

1 Eam habes in tom x, pag. 571 (R. T.).

1 Ex loco parallelo legend. *ex* pro *in* (R. T.).

titulo, immunitate et exemptione privati remaneant; iniungentes et districte praecipientes dicto Ioanni, et aliis pro tempore existentibus Ordinis praedicti ministris generalibus, ut citra conniventiam quamcumque poenas praedictas contra transgressores debitae exequutioni demandari faciant, onerando in his eorum conscientias.

Contrariis derogat. § 7. Non obstante statuto et litteris nostris praedictis, aliisque apostolicis, et in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon dicti Ordinis et provinciarum praedictarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordini et provinciis, illorumque ministris generalibus, ac provincialibus et commissariis praedictis, aliisque superioribus, fratribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat. § 8. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI augusti MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 6 augusti 1639, pontif. anno XVII.

DCLIX.

Confirmatio decreti Congregationis Regularium circa delationem habitus fratrum Tertii Ordinis sancti Francisci.

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Instantia commissarii generalis. Nobis pro parte dilecti filii Marci Antonii Bottonii, Bononiensis, Tertii Ordinis sancti Francisci commissarii generalis et procuratoris, nuper expositum fuit, quod inter generalia dicti Ordinis statuta, apostolicâ auctoritate confirmata, reperitur infrascriptum, videlicet:

Decretum Congregationis Regularium. § 1. Religioni consulentes decernimus, ut, iuxta nostra apostolica privilegia, nostrorum habitus sit tunica talaris cum scapulari, veste, sive cucullo utrinque angulari, posteriori tamen angulo funiculum tangenti; pallium vero instar impluviae, nullâ vel coloris vel formae differentiâ, ut eodem modo et colore, quem vulgo *beretinum* appellamus, omnes vestiantur.

§ 2. Verum, quia fratres Ordinis alicubi aliquando a fratribus Ordinis Minorum eiusdem sancti Francisci Conventualium nuncupatorum super hoc de facto perturbantur: nobis propterea dictus exponens ad obviandum controversiis et litibus quibuscumque humiliter supplicari fecit, ut praefatum decretum, pro illius firmiori subsistentiâ, apostolicae confirmationis patrocinio communire de benignitate apostolicâ dignaremur.

Cuius petitur confirmatio.

§ 3. Nos igitur, eumdem exponentem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati,

Confirmatio decreti, de quo in rubrica.

§ 4. De venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, decretum praefatum, cum omnibus et singulis in eo contentis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 5. Decernentes illud necnon praesentes litteras valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac primodictis fratribus in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari, nec eos a quoquam, quavis auctoritate fungente, quomodolibet molestari, perturbari vel inquietari posse vel debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX septembris MDCXXXIX, anno XVII.

Dat. die 9 septembris 1639, pontif. anno XVII.

DCLX.

Facultas Georgio Conaeo Scoto conceditur nominandi praepositum pro catholicis Angliae[1].

Dilecto filio Georgio Conaeo, clerico seu presbytero Scoto, Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Romani Pontifices semper solliciti de catholicis Anglis.

Romani Pontifices, gerentes in terris vices Eius, qui, relictis nonaginta novem ovibus in deserta[2], abiit ad unam quae perierat, postquam regnum Angliae ab ovile Ecclesiae Romanae et universalis Ecclesiae secessit, anxii semper et solliciti fuerunt, ne pusillus grex, quem sibi in eo regno praeservavit Dominus, a caulis catholicae fidei aut christianae unitatis et charitatis aberret; ac proinde aliquos pro temporum diversitate catholicis in eo regno degentibus praefecerunt, qui eos in spiritualibus dirigerent, et, prout opus esset, alios in fide stabilirent et confirmarent, alios humeris impositos ad gregem deportarent.

Urbanus Georgio Conaeo praepositum eis praeficiendi potestatem facit.

§ 1. Nos, quos pro officii nostri ratione eadem sollicitudo urget, attendentes nullum ad praesens in Anglia existere, qui commissâ a nobis auctoritate simile munus exerceat, volentes propterea aliquem in eo regno esse, qui sub praepositi no-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Aptius lege *deserto* (R. T.).

mine interea, dum sanctae Sedi Apostolicae ita expedire videbitur, catholicos in spiritualibus dirigat, quaerentibusque, aut indigentibus, spirituale solamen prompte impendat, de tuâ fide, prudentiâ, integritate, catholicae religionis zelo et doctrinâ plurimum in Domino confisi, motu proprio, et ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi facultatem nominandi praepositum in Angliae regno praedicto, qui omnibus catholicis in dicto regno existentibus, sive iis quos pro tempore existere contigerit, ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, praesit in spiritualibus, et tamquam director spiritualis, cum facultatibus prope diem submittendis, praesideat, tenore praesentium concedimus et impertimur.

Derogatque contrariis.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x septembris MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 10 septembris 1639, pontif. anno XVII.

DCLXI.

Sequitur Breve deputationis favore personae a praedicto Conaeo seligendae[1].

Dilecto filio Georgio Conaeo, clerico seu presbytero Scoto, Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium prout in praecedenti.

Romani Pontifices, gerentes in terris vices Eius, qui, relictis nonaginta novem ovibus in deserto, abiit ad unam quae perierat, postquam regnum Angliae ab ovile Ecclesiae Romanae et universalis Ecclesiae secessit, anxii semper et solliciti fuerunt, ne pusillus grex, quem sibi in eo regno praeservavit Dominus, a caulis catholicae fidei aut christianae unitatis et charitatis aberret; ac proinde aliquos pro temporum diversitate catholicis in eo regno degentibus praefecerunt, qui eos in spiritualibus dirigerent, et, prout opus esset, alios in fide stabilirent et confirmarent, alios humeris impositos ad gregem deportarent.

Deputatio, de qua in rubricâ.

§ 1. Nos, quos pro officii nostri ratione eadem sollicitudo urget, attendentes, nullum ad praesens in Anglia existere, qui commissâ a nobis auctoritate simile munus exerceat, volentes propterea aliquem in eo regno esse, qui sub praepositi nomine interea, dum sanctae Sedi Apostolicae ita expedire videbitur, catholicos in spiritualibus dirigat, quaerentibusque, aut indigentibus, spirituale solamen prompte impendat, de tuâ fide, prudentiâ, integritate, catholicae religionis zelo et doctrinâ plurimum in Domino confisi, motu proprio, ac ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, te praepositum in Angliae regno praedicto constituimus et nuncupari volumus, tibique, ut omnibus catholicis in dicto regno existentibus, sive iis quos pro tempore existere contigerit, ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, in spiritualibus praesis, et tamquam director spiritualis, cum facultatibus propediem submittendis, praesideas, licentiam et potestatem, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x septembris MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 10 septembris 1639, pontif. anno XVII.

---

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

DCLXII.

In locum episcopi Pisaurensis subrogatur Gaspar archiepiscopus Athenarum, apud Ferdinandum Romanorum regem in Imperatorem electum nuncius, ut ipse archiepiscopi Treverensis processum videat et consideret[1].

Venerabili fratri Gaspari, archiepiscopo Athenarum, apud charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Romanorum regem in imperatorem electum nostro et Sedis apostolicae nuncio,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Recenset mandatum sub die XXX iunii MDCXXXV episcopo Pisaurensi datum.

§ 1. Postquam annis retroactis, non sine animi nostri molestiâ, nobis innotuerat, venerabilem fratrem Philippum Christophorum, archiepiscopum et electorem Treverensem, ac episcopum Spirensem, monasteriique S. Maximini Ordinis sancti Benedicti eiusdem dioecesis Treverensis commendatarium, per milites charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici fuisse captum et detentum, nos, prò nostri pastoralis officii debito providere volentes, ut personae, dignitatique pontificali, libertatique ecclesiasticae, ac iustitiae consuleretur, iussimus et mandavimus venerabili fratri Malatestae episcopo Pisaurensi, tunc nostro apud piae memoriae Ferdinandum II in imperatorem electum residenti nuncio, ut eumdem Philippum Christophorum archiepiscopum et electorem Treverensem et episcopum Spirensem, qui etiam tunc de facto detinebatur, imposterum nomine nostro et Sedis Apostolicae in custodiam reciperet et detineret, prout latius in nostris litteris in simili formâ Brevis, sub annulo Piscatoris die ultimâ iunii anno MDCXXXV expeditis[2], continetur.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Quas vide tom. XIV, pag. 485 (R. T.).

In cuius exequutionem idem episcopus per aliquot annos in custodiam detinuit archiepiscopum Trevirensem.

§ 2. Praeterea idem Malatesta nuncius in exequutionem praedictarum nostrarum litterarum ipsum Philippum Christophorum, etiam ad instantiam eiusdem Ferdinandi II in imperatorem electi, in custodiam recepit, et per aliquot annos detinuit.

Cum tamen usque tunc nihil probatum fuisset.

§ 3. Cumque detentio et custodia praedicta spatio biennii ac maioris temporis perdurasset, et tamen usque tunc nihil deductum, nec minus probatum fuisset, propter quod ipse Philippus Christophorus archiepiscopus elector et episcopus iuxta canonicas sanctiones esset detinendus,

Ideo Pontifex mandavit, ut dimitteretur.

§ 4. Nos, calamitatibus ac damnis, tam personae dignitatis pontificialis et electoralis, quam suis ecclesiis insignibus praedictis, ut per suas litteras nobis pluries scriptas idem Philippus Christophorus affirmabat, de facto illatis, paternâ charitate compatientes, ipsiusque et suarum ecclesiarum praedictarum indemnitati, quantum nobis ex alto concedebatur, consulere volentes, eidem Malatestae nuncio dedimus in mandatis, ut eumdem Philippum Christophorum apertâ defensione et custodiâ dimitteret et liberaret, ut apud suas ecclesias residere animasque christifidelium sibi commissas verbo et exemplo pascere posset, prout latius in litteris nostris in simili formâ Brevis sub annulo Piscatoris sub die XVII decembris MDCXXXVII continetur[1].

Cum facultatibus eidem Pisaurensi episcopo lites in Romana curia non pendentes componendi.

§ 5. Insuperque per alias nostras litteras, eidem Malatestae nuncio directas facultatem decidendi et componendi lites ac differentias eiusdem Philippi Christophori, illasque, non tamen in Romanâ curiâ pendentes, terminandi concessimus[2].

Cum tamen idem episcopus nihil hucusque gesserit;

§ 6. Verum, quia, inimico hominis[3] zizaniâ disseminante, hae nostrae adhuc effectum suum non sunt sortitae; idcirco,

1 Quas habes in tom. XIV, pag. 626 (R. T.).

2 Has quoque vid. in tom. XIV, pag. 527 (R. T.).

3 Aptius lege *homine* (R. T.).

ut tandem post lapsum quinque annorum praedicta detentio iuxta reiteratas instantias eiusdem Philippi Christophori archiepiscopi electoris et episcopi suis litteris nobis factas cesset, cum etiam hactenus coram nobis non fuerit aliquid deductum nec probatum propter quod ipse Philippus Christophorus de iure detineri debeat, fraternitatem tuam in locum eiusdem Malatestae quoad praemissa in omnibus et per omnia, etiam quoad ipsam Philippi Christophori archiepiscopi electoris et episcopi praedicti consignationem, subrogamus; ac, remotâ omni et quacumque appellatione, etiam non frivolâ, procedendi, ac quaecumque omnia et singula faciendi et exercendi, ac exequendi, quae super praemissis omnibus et singulis, eorumque incidentibus, emergentibus, annexis et connexis, erunt quomodolibet necessaria et opportuna, facultatem et auctoritatem plenam et amplam, tenore praesentium, fraternitati tuae concedimus et impertimur.

Deputat archiepiscopum Athenarum.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac quibuslibet constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis universalibus, ac aliàs editis, etiam cancellariae nostrae apostolicae regulis, etiam individuam derogationem requirentibus, ac recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, privilegiis quoque, indultis, ac statutis, etiam iuramento confirmatis, ac confirmatione apostolicâ roboratis, consuetudinibusque, etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque; quorum omnium et singulorum tenores pro plene expressis et insertis habentes, illis ad praemissorum effectum plenissime derogamus.

Derogat obstantibus.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII septembris MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 23 septembris 1639, pontif. anno XVII.

DCLXIII.

Episcopo Civitatis Castelli committitur inquisitio in Rempublicam Lucanam super nonnullis attentatis contra libertatem ecclesiasticam[1].

Venerabili fratri Caesari, episcopo Civitatis Castelli, Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum, sicut non sine gravi animi nostri molestiâ accepimus, antiani, vexillifer iustitiae et Reipublicae Lucanae[2] aliqua fecerint, seu per eorum officiales et ministros fieri iusserint, in spretum cardinalitiae et episcopalis, quae in dilecto filio nostro Marco Antonio tituli S. Clementis S. R. E. presbytero cardinali Franciotto nuncupato, ecclesiae Lucanae ex concessione et dispensatione apostolicâ praesule, residet, dignitatis, ex quibus immunitas et libertas ecclesiastica, cum christifidelium scandalo, sacrorum canonum, ac conciliorum universalium et apostolicarum constitutionum etiam in die Coenae Domini legi solitarum transgressione, poenarum et censurarum in illis comminatarum etiam inflictarum incursu, laeditur et violatur:

Antiani et ministri Reipublicae Lucanae immunitatem ecclesiastisam violaverant.

§ 2. Nos, qui dictam Rempublicam ob eius singularem catholicae religionis zelum et erga personam nostram ac Sanctam Sedem hanc observantiam et obedientiam semper sincere in Domino dileximus et diligimus, valde dolemus, cogi nos, propter indebitos magistratuum et officialium ipsius Reipublicae propriae salutis oblitorum actus ac[3] nonnullorum iniqua consilia, contra istos et illam canonice animadvertere: sed, cum immunitatis

Huius causae cognitionem episcopo Civitatis Castelli committit Urbanus.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Ut infra patet legendum *Respublica Lucana* (R. T.).

3 Coniunct. *ac* nos addimus (R. T.).

et libertatis ecclesiasticae supremi iudices et defensores a Domino constituti simus, impunitam perturbatorum et violatorum eius audaciam nequaquam relinquere debemus. Itaque de spectatâ[1] tuâ in nostris et Sanctae Sedis negotiis tibi pro tempore commissis fide, prudentiâ, integritate et doctrinâ plurimum in Domino confisi, motu proprio, ac ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi harum serie committimus et mandamus, ut quamprimum ad civitatem Lucanam aut alium locum prout tibi expedire videbitur et placuerit et extra temporale dominium Reipublicae huiusmodi te conferas, et inibi causam et causas super omnibus et singulis praemissis, ceterisque in derogationem et violationem immunitatis et liberatis ecclesiasticae quomodolibet perpetratis, et forsan, quod Deus avertat, perpetrandis, ac inde sequutis et forte sequendis, rebusque aliis ex processu desuper faciendo quomodolibet resultantibus, cum omnibus suis et illarum incidentibus, emergentibus, connexis et annexis, tam coniunctim quam divisim, et tam ad instantiam dilecti filii Francisci Castagnacci, quem in procuratorem seu promotorem in causâ et causis huiusmodi deputavimus, et, quatenus opus sit, etiam deputamus, quam ex inquisitione et officio, et aliâs prout tibi videbitur motas et movendas contra antianos, vexilliferum iustitiae, consiliarios, iudices, ministros et officiales quoscumque Reipublicae et civitatis Lucanae praedictarum, ceterosque quoslibet, tam laicos quam clericos, seculares et cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti, ac militiae, etiam hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, regulares quantumlibet exemptos, etiam speciali notâ et individuâ expressione dignos, quoquo modo in praemissis culpabiles, eorumque complices et fautores, et qui in praemissis opem, auxilium, consilium et favorem quovis modo praestiterunt, vel praestiterint, ac etiam, ut praemissa huiusmodi fierent vel fiant mandaverunt, vel mandaverint, aut commissionem vel mandatum tam verbo et oretenus, quam in scriptis et aliàs quomodolibet dederunt vel dederint, quacumque dignitate mundanâ vel ecclesiasticâ fulgeant, ac cuiuscumque status, gradus, conditionis et praeeminentiae existant, etsi tales sint, qui in generali dispositione non comprehendantur, sed speciali et individuâ mentione indigeant, quorum omnium et singulorum nomina, cognomina, dignitates, qualitates et praeeminentias hic haberi volumus pro expressis, aliosque in exequutione praesentium nominandos, etiam summarie, simpliciter et de plano, ac sine figurâ et strepitu iudicii, non servatis quibusvis iuris communis et municipalis, ac legum, statutorum et stilorum quorumlibet solemnitatibus et formalitatibus, etiam substantialibus, ipsisque Reipublicae antianis, vexillifero, consiliariis, iudicibus, ministris et officialibus, aliisque praedictis, etiam per edictum publicum, constito etiam summarie, extraiudicialiter, ac quantum tibi sufficere videbitur, de non tuto accessu, tam coniunctim quam divisim citatis, cognoscas, audias, decidas et fine debito termines; ac antianos, vexilliferum, consiliarios, iudices, ministros et officiales Reipublicae et civitatis Lucanae praedictarum, et quoscumque alios culpabiles in praemissis repertos, in poenam etiam excommunicationis maioris, a qua nonnisi a nobis et pro tempore existente Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo constituti, et tunc cum reincidentiâ ipso iure, quatenus convalescant[1], absolvi possint,

1 Male edit. Main. legit *expectata* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *convalescat* (R. T.).

aliasque poenas et censuras ecclesiasticas a sacris canonibus et conciliorum universalium et apostolicis constitutionibus, etiam in die Coenae Domini legi solitis, contra similia perpetrantes, eorumque complices, fautores, et ceteros qui illis vel eorum alicui consilium, auxilium, favorem quomodolibet praestiterunt vel praestiterint, seu ut talia fierent vel fiant iusserunt et mandaverunt, seu iusserint et mandaverint, ut praefertur latas, comminatas et inflictas, necnon amissionis et privationis quarumcumque dignitatum, honorum, privilegiorum, ac etiam iurium et bonorum quorumcumque, si qua[1] forsan a Romanâ vel aliis ecclesiis et locis piis in feudum, emphiteusim, aut aliàs quomodolibet concessa habent, incidisse et incurrisse declares et publices, ac sic declaratos et publicatos ab omnibus tamquam membra putrida, ac a communione fidelium et mystico Ecclesiae corpore recisa, omnino vitari[2] debere decernas.

Cum facultatibus contra non parentes ad alias graviores poenas procedendi.

§ 3. Sique[3] antiani, vexillifer, consiliarii, iudices, officiales et ministri civitatis et Reipublicae praedictae, infra terminum a te eis praefigendum, sententiae, per te contra illos tam coniunctim quam divisim ferendae, vere, realiter et cum effectu non paruerint, et excommunicationem sic a te declaratam animo, quod absit, substinuerint indurato, tunc, eamdem sententiam aggravans[4], civitatem Lucanam, ac quaecumque oppida, terras, castra et loca, universumque temporale dominium dictae Reipublicae ecclesiastico supponas et subiicias interdicto, ac supposita et subiecta esse et fore nuncies et declares ac decernas, aliaque omnia et singula in praemissis necessaria et quomodolibet opportuna geras, facias et exequaris, ac exequi cures, etiam omni et quacumque appellatione, reclamatione, recursu, nullitate, etiam ex tribus, aliisque remediis ordinariis et extraordinariis penitus et omnino remotis.

Necnon etiam facultatem concedit compellendi quoslibet ad testimonium perhibendum.

§ 4. Nos enim tibi in praemissis, necnon, ad eruendam rerum gestarum et forsan gerendarum veritatem, quoscumque tam laicos, quavis dignitate, ut praefertur, praeditos, quam clericos seculares et cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti, ac militiae, etiam hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, regulares, et qualitercumque exemptos, ceterasque quascumque personas ecclesiasticas, etiam speciali notâ dignas, non solum in dictâ civitate Lucanâ eiusque districtu et ditione, sed etiam in aliis civitatibus et locis finitimis, seu contiguis et vicinis, ac alibi etiam extra temporale dominium dictae Reipublicae commorantes, et ubivis locorum existentes, ad perhibendum testimonium veritati super praemissis omnibus et singulis, per opportuna iuris et facti remedia, ac per censuras et poenas ecclesiasticas, cum iis nimirum personis, cum quibus ita expedire iudicaveris, cogendi et compellendi, plenam, liberam, amplam et omnimodam facultatem et potestatem, earumdem tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Mandatum de ei parendo.

§ 5. Mandantes propterea omnibus et singulis venerabilibus fratribus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis et personis ecclesiasticis quibuscumque, ceterisque nobis et Sedi praedictae in spiritualibus aut temporalibus quoquomodo subiectis, in virtute sanctae obedientiae, et sub poenis arbitrio nostro declarandis, ut tibi, tamquam nostro et dictae Sedis commissario, in praemissis, et nominatim in illis in quibus tu eos ex parte nostrâ hanc ob rem requisiveris, pareant, faveant et assistant, necnon ad exequenda mandata nostra hu-

1 Edit. Main. legit *quae* (R. T.).
2 Ed. Main. legit *vitare* (R. T.).
3 Male edit. Main. legit *Sicque* (R. T.).
4 Contra rationem edit. Main. habet *aggravant* (R. T.).

iusmodi auxilium et favorem opportunum prompte praestent et exhibeant.

Derogat obstantibus.

§ 6. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis, etiam in conciliis universalibus, provincialibus et synodalibus editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon ecclesiarum, monasteriorum, ordinum, congregationum, institutorum et militiarum quarumlibet, ac ipsius Reipublicae et civitatis Lucanae, ac quarumvis aliarum civitatum, terrarum et locorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis ac ordinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis dictae civitati et Reipublicae Lucanae, antianis, vexillifero, consiliariis, iudicibus et ministris, aliisque praedictis, tam coniunctim quam divisim, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum etiam pluries et iteratis vicibus concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio vel alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores[1] huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis et insertis, et formam huiusmodi pro servatâ habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si civitati et Reipublicae Lucanae huiusmodi, ac antianis, vexillifero, consiliariis, iudicibus, officialibus et ministris, aliisque praedictis communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod ad parendum alicui cogi vel compelli, aut quod citari, seu ad[4] iudicium coram iudicibus de eorum consensu non deputatis etiam a Sede Apostolicâ evocari, vel quod interdici, suspendi aut excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; et qualitercumque aliâ eiusdem Sedis indulgentiâ generali vel speciali, per quam praesentibus non expressam[2] vel totaliter non insertam[3] effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua eiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV septembris MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 24 septembris 1639, pontif. anno XVII.

1 Edit. Main. legit *tenore* (R. T.).

DCLXIV.

In idem argumentum, additâ nonnullarum facultatum concessione eidem episcopo Pisaurensi iudice delegato[4].

Venerabili fratri Caesari, episcopo Civitatis Castelli, Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Causa inter cardinalem Franciottum et Rem.

§ 1. Cum, sicut non sine gravi animi nostri molestiâ accepimus, inter dilectos

1 Voculam *ad* nos addimus (R. T.).
2 Male edit. Main. habet *expressa* (R. T.).
3 Pessim edit. Main. habet *incerta* (R. T.).
4 Ex Regest. in Secret. Brev.

publicam Lucanam super violatione immunitatis ecclesiasticae pendens.

filios nostrum Marcum Antonium tituli S. Clementis S. R. E. presbyterum cardinalem Franciottum nuncupatum, ecclesiae Lucanae ex concessione et dispensatione apostolicâ praesulem, ex unâ, necnon antianos, vexilliferum iustitiae et Rempublicam Lucanam partibus ex alterâ, nonnullae simultates et controversiae versantur[1], quarum occasione quaedam in odium ipsius Marci Antonii cardinalis eiusque cardinalitiae et seu pontificalis dignitatis contemptum per antianos, vexilliferum et Rempublicam huiusmodi, seu, ipsorum iussu vel permissu, per eorum officiales et ministros, commissa esse dicuntur, de quibus fama et clamor ad nos iam pervenit, et ex quibus iurisdictio et immunitas ecclesiastica cum christifidelium scandalo, sacrorumque canonum et conciliorum et apostolicarum constitutionum transgressione, poenarumque et censurarum in illis comminatarum et inflictarum incursu, laeditur et violatur:

Episcopo Civitatis Castelli diiudicanda committitur.

§ 2. Nos, pro pastoralis officii nostri ratione de praemissis diligenter inquiri, ac iurisdictionem et libertatem ecclesiasticam, cuius custodes et defensores a Domino constituti sumus, adversus quoscumque violatores et perturbatores opportunis iuris remediis tueri et asserere volentes, de spectatâ tuâ in nostris et huius Sanctae Sedis negotiis tibi pro tempore commissis fide, prudentiâ, integritate et doctrinâ plurimum in Domino confisi, motu proprio, ac ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, te nostrum et Sedis praedictae commissarium ad inquirendum super praemissis omnibus et singulis ceterisque in derogationem iurisdictionis et libertatis ecclesiasticae quomodolibet perpetratis, et forsan perpetrandis, et quibusvis inde sequutis et forte sequendis, ac ad infrascripta etiam faciendum et exequendum, tenore praesentium, ad nostrum et dictae Sedis beneplacitum, facimus, constituimus et deputamus;

1 Aptius lege *vertantur* (R. T.).

Mandatum eidem episcopo de se statim Lucam conferendo.

§ 3. Mandantes tibi, ut assumpto te cum[1] aliquo notario dilecti filii causarum curiae camerae nostrae apostolicae generalis auditoris, necnon aliquo viro probo et perito, qui dilecti pariter filii procuratoris fisci nostri vices hac in causâ gerat, et aliis tibi benevisis, quamprimum ad civitatem Lucanam recto tramite, ac omni morâ et impedimento sublatis, te conferas, et ibi, vel in aliâ civitate et loco per te ad hoc arbitrio tuo eligendo, super praemissis omnibus et singulis diligentem et fidelem informationem et inquisitionem capias, processus quoscumque contra ipsos antianos et vexilliferum et alios dictae Reipublicae consiliarios, officiales, iudices et ministros, necnon particulares personas, tam laicos quam clericos, seculares et cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti regulares quantumlibet exemptos, etiam speciali notâ et expressione dignos, et ceteros quoscumque in praemissis culpabiles, eorumque complices et fautores, et qui in praemissis huiusmodi auxilium, consilium et favorem quovis modo praestiterint, quavis dignitate mundanâ vel ecclesiasticâ fulgeant, etiamsi tales sint qui in generali dispositione non comprehendantur sed speciali mentione indigeant, quorum omnium et singulorum nomina, cognomina, dignitates et praeeminentias hîc haberi volumus pro expressis, tam coniunctim quam divisim, formes, fabrices atque perficias, indicia, probationes, informationes, tam verbo et oretenus, quam aliàs in scriptis, et per inspectionem ocularem, vel tamquam super notorio, necnon examen et depositiones testium super eisdem sumas atque recipias;

Et ibi, vel alibi processus fabricando.

§ 4. Ac quoscumque, tam laicos quavis

Facultas quos-

1 Improbe ed. Main. legit *te*, *cum* pro *tecum* (R. T.).

cumque ad testimonium perhibendum compellendi.

dignitate ut praefertur praeditos, quam clericos seculares et cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti regulares, etiam quantumlibet exemptos, ceterasque quaslibet personas ecclesiasticas, etiam speciali notâ dignos, ut praefertur, non solum in dictâ civitate eiusque districtu et ditione, sed in aliis civitatibus et locis finitimis seu illi contiguis et vicinis, ac alibi, etiam extra dominium dictae Reipublicae commorantes, et ubicumque locorum existentes, ad perhibendum testimonium veritati super praemissis et aliis supradictis per opportuna iuris et facti remedia, ac per censuras et poenas ecclesiasticas, cum his nimirum personis cum quibus tu ita opus esse iudicaveris, auctoritate nostrâ cogas et compellas;

Nonnullae aliae facultates.

§ 5. Dantes tibi insuper facultatem et potestatem, tam coniunctim quam divisim, antianos, vexilliferum et consiliarios huiusmodi, dictae civitatis et Reipublicae officiales, iudices et ministros, aliosque culpabiles quoscumque, citandi, monendi et requirendi ad personaliter seu legitime per procuratorem respective comparendum et se etiam praesentandum, infra terminum aliquem competentem arbitrio suo praefigendum, coram dilecto filio magistro Octaviano Raggio causarum curiae dictae camerae apostolicae generali auditore litterarumque et sententiarum apostolicarum ac censurarum ecclesiasticarum exequutore, ad ostendendum et docendum se citationi, monitioni et requisitioni huiusmodi realiter et cum effectu paruisse; alioquin ad audiendum et declarari videndum ipsos poenas, sententias et censuras praedictas respective incurrisse; vel ad dicendum et allegandam causam, si quam habent rationabilem, ob quam praemissa facere minime teneantur, et quare ad exequutionem dictarum poenarum et ad alia etiam graviora iuris remedia, per nos, cum opus fuerit, declaranda, propter praemissa contra eos procedi et deveniri non debeat; cum monitione, quod, ipsis non comparentibus in terminis praefigendis, procedatur ad declarationem incursus excommunicationis et interdicti respective, illorum contumaciâ non obstante, et successive ad publicationem et invocationem, quatenus opus erit, auxilii brachii secularis sine remissione.

§ 6. Quatenus vero ad civitatem Lucanam praedictam et alia loca dictae Reipublicae subiecta tutus accessus non pateat, per easdem praesentes tibi praecipimus et mandamus, ut, constito de hoc quantum tibi sufficere videbitur, te ad aliquem locum proximum et securum arbitrio tuo conferas, et ibi praedicta omnia et singula de expressis mandato et auctoritate nostris apostolicis facias, geras et exequaris, et supradictos omnes, ac ipsorum quemlibet, etiam absentes et contumaces, ipsosque adeo antianos, vexilliferum, consiliarios, officiales, iudices et ministros huiusmodi aliosque culpabiles cites, moneas et requiras, ut praefertur, per affixionem ad valvas aut per publica edicta in duobus vicinioribus locis, ubi tutus erit accessus, per te eligendis, ad se praesentandum et excusandum, ut praemittitur, coram dicto magistro Octaviano auditore, et ad omnes et singulos actus in eâdem causâ usque ad sententiam inclusive faciendos, cum eâdem monitione, quod ipsis non comparentibus procedatur ut supra, ipsorum contumaciâ non obstante, et contra quoscumque super praemissis, ut praefertur, inquiras et procedas, culpabiles vero repertos respective carceres, detineas et sufficientibus praecedentibus iudiciis rigoroso examini subiicias, vel in dictâ civitate aut alibi captos sub bonâ et fidâ custodiâ teneas, vel, si ita tibi expedire videbitur, ad almam Urbem nostram transmittas, seu ad praestandum fideiussores de se praesentando

in eâdem Urbe coram eodem magistro Octaviano auditore, et inde sinè illius expressâ licentiâ non recedendo, et aliàs arbitrio tuo cavendum, similiter cogas et compellas, aliaque geras, facias et exequaris, quae pro habendâ rei veritate necessaria fuerint, et quomodolibet opportuna; quidquid autem in praemissis repereris, in scriptis redigas, et processum manu notarii praedicti conficias, confectumque et in authenticam formam redactum ad nos quamprimum transmitti cures. Nos enim super omnibus et singulis praedictis plenam, liberam, amplam et omnimodam facultatem et potestatem, ac eam quam nos ipsi, si praesentes essemus, in praemissis exerceremus, eisdem auctoritate et tenore tibi concedimus et impertimur.

Mandatum de eidem episcopo parendo.

§ 7. Mandantes propterea omnibus et singulis venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis ac aliis ecclesiarum praelatis et personis ecclesiasticis quibuscumque, ceterisque nobis et Sedi praedictae in spiritualibus et temporalibus quoquomodo subiectis, in virtute sanctae obedientiae, et sub poenis arbitrio nostro declarandis, ut tibi tamquam nostro et dictae Sedis commissario in praemissis, et nominatim in illis in quibus tu eos ex parte nostrâ hanc ob rem requisieris, pareant, faveant et assistant, nec non ad exequendum mandata nostra huiusmodi auxilium et favorem opportunum prompte praestent et exhibeant.

Obstantium derogatio.

§ 8. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali de duabus dietis, aliisque apostolicis et in conciliis universalibus provincialibusque et synodalibus editis, generalibus et specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon ecclesiarum, monasteriorum, ordinum, congregationum et institutorum quorumcumque, ac ipsius civitatis et Reipublicae Lucanae et quarumvis aliarum civitatum, terrarum et locorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, legibus, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, dictae civitati et Reipublicae Lucanae, ac antianis, vexillifero, consiliariis, officialibus, iudicibus et ministris, aliisque praedictis, tam coniunctim quam divisim, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum etiam pluries et iteratis vicibus concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis, et formam in illis traditam pro servatâ habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si civitati et Reipublicae Lucanae huiusmodi, ac antiano, vexillifero, consiliariis, officialibus et ministris, aliisque praedictis, communiter vel divisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod ad parendum alicui cogi et compelli, aut quod moneri, requiri et citari, seu in iudicium coram iudicibus ab ipsis non deputatis evocari, vel interdici, suspendi aut excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad ver-

bum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet aliâ eiusdem Sedis indulgentiâ generali vel speciali, per quam praesentibus non expressam vel totaliter non insertam[1] effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua eiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV septembris MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 24 septembris 1639, pontif. anno XVII.

DCLXV.

In idem argumentum, cum additione aliarum facultatum[2].

Venerabili fratri Caesari,
episcopo Civitatis Castelli,
Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Refert causam aliàs a se episcopo Civitatis Castelli commissam.

§ 1. Nuper a nobis accepto, quod, occasione nonnullarum simultatum et controversiarum inter dilectos filios nostrum Marcum Antonium tituli S. Clementis S. R. E. presbyterum cardinalem Franciottum nuncupatum ecclesiae Lucanae ex concessione et dispensatione apostolicâ praesulem ex unâ, necnon antianos, vexilliferum iustitiae et Rempublicam Lucanam ex alterâ partibus vertentium, quaedam in odium ipsius Marci Antonii cardinalis eiusque cardinalitiae et sacrae pontificalis dignitatis contemptum per antianos, vexilliferum et Rempublicam huiusmodi, seu ipsorum iussu vel permissu per eorum officiales et ministros commissa esse dicebantur, ex quibus iurisdictio et immunitas ecclesiastica violatur: nos, de praemissis diligenter inquiri, ac iurisdictionem et libertatem ecclesiasticam adversus quoscumque violatores et perturbatores asserere volentes, te nostrum et Apostolicae Sedis commissarium ad inquirendum super praemissis omnibus et singulis aliisque in derogationem iurisdictionis et libertatis praedictae perpetratis, et forsan perpetrandis, ac inde sequutis et forte sequendis, ad nostrum et Sedis Apostolicae praedictae beneplacitum, constituimus et deputavimus, tibique, ut quamprimum ad civitatem Lucanam te conferres, et ibi, vel in aliâ civitate et loco per te ad hoc arbitrio tuo eligendis, super praemissis diligentem informationem caperes, ac processus contra antianos, vexilliferum praedictos, et alios dictae Reipublicae consiliarios, ministros et officiales et ceteros in praemissis culpabiles, eorumque complices et fautores, tam coniunctim quam divisim, formares, atque perficeres; ipsosque antianos, vexilliferum et alios praedictos, tam coniunctim quam divisim, etiam per edictum, si liber ad dictam civitatem non pateret accessus, citares, moneres et requireres ad comparendum per se vel legitime per procuratorem coram dilecto filio magistro Octaviano Raggio causarum curiae camerae nostrae apostolicae generali auditore, ac litterarum apostolicarum et censurarum, poenarumque ecclesiasticarum exequutore, ad docendum se citationi, monitioni et requisitioni huiusmodi paruisse, alioquin ad audiendum et declarare videndum se poenas, sententias et censuras ecclesiasticas contra similia perpetrantes comminatas et inflictas incurrisse, vel ad dicendum causam quare praemissa facere non tenerentur et ad declarationem huiusmodi contra eos procedi non deberet; et ad omnes et singulos actus in causâ huiusmodi usque ad sententiam inclusive faciendos; utque processum super praemissis scribi et confici per notarium dicti auditoris generalis ad hoc per te assumptum, ac confectum

1 Edit. Main. legit *expressa... inserta* (R.T).
2 Ex regest. in Secret. Brev.

et in authenticam formam redactum ad nos quamprimum transmitti curares mandavimus, et aliàs prout in nostris in simili formâ Brevis die XXIV septembris proxime praeteriti desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes[1], uberius continetur.

Alias addit facultates.

§ 2. Nunc autem, quo causa huiusmodi celerius cognoscatur et fine debito terminetur providere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi harum serie committimus et mandamus, ut causam et causas praedictas super omnibus et singulis praemissis rebusque aliis ex processu ante[2] fabricando quomodolibet resultantibus, cum suis et illarum incidentibus, emergentibus, annexisque et connexis, tam coniunctim quam divisim, et tam ad instantiam praedicti procuratoris seu promotoris fiscalis, quam ex inquisitione et officio, et aliàs, prout tibi videbitur, motas et movendas contra antianos, vexilliferum, consiliarios, iudices, officiales et ministros praedictos, aliosque in dictis nostris litteris nominatos et expressos, et ceteros omnes alios in exequutione praesentium nominandos, in praemissis culpabiles, summarie, et de plano ac sine figurâ et strepitu iudicii, solâque facti veritate inspectâ, ipsisque tam coniunctim quam divisim, etiamsi[3] per edictum publicum, constito etiam summarie et extraiudicialiter, et quantum tibi sufficere videbitur, de non tuto accessu, citatis, cognoscas, audias, decidas, et fine debito termines, ac antianos, vexilliferum, consiliarios, iudices, officiales et ministros dictae civitatis et Reipublicae Lucanae, ac quoscumque alios culpabiles in praemissis repertos, in poenam excommunicationis maioris, a qua nonnisi a nobis et pro tempore existente Romano Pontifice praeterquam in mortis articulo constituti absolvi possint, aliasque poenas et censuras ecclesiasticas praedictas, necnon amissionis et privationis quarumcumque dignitatum, honorum, privilegiorum et indultorum, ac etiam iurium et bonorum quorumcumque, si qua forsan a Romanâ vel aliis ecclesiis et locis piis in feudum aut aliàs quomodolibet concessa habent, incidisse et incurrisse declares et publices; et, si antiani, vexillifer, consiliarii, iudices, officiales et ministri civitatis et Reipublicae huiusmodi infra terminum competentem a te eis praefigendum declarationi et publicationi per te faciendae non paruerint, et excommunicationem sic a te declaratam animo, quod absit, sustinuerint indurato, tunc, sententiam huiusmodi aggravans, civitatem Lucanam et quaecumque alia oppida, terras, castra et loca, universumque temporale dominium dictae Reipublicae, ecclesiastico interdicto supponas, ac supposita esse et fore nuncies et declares, aliaque omnia et singula in praemissis necessaria et quomodolibet opportuna geras, facias et exequaris, etiam omni et quacumque etiam non frivolâ appellatione, reclamatione, recursu, nullitate; etiam ex tribus, aliisque remediis ordinariis et extraordinariis penitus et omnino remotis. Nos enim tibi desuper plenam, amplam, liberam et omnimodam facultatem et potestatem concedimus et impertimur.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus, quoad ea quae praesentibus adversantur, litteris nostris praedictis, ac omnibus illis, quae in eisdem litteris voluimus non obstare, necnon stylo curiae Romanae, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem,

1 Lege *habemus* vel *haberi volumus* (R. T.).
2 Forsan legend. *a te* pro *ante* (R. T.).
3 Forsan legend. *etiam* pro *etiamsi* (R. T.).

sub annulo Piscatoris, die xxx septembris MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 30 septembris 1639, pontif. anno XVII.

DCLXVI.

Declarat lapides cogoli *vulgo nuncupatos, conflandae crystalli massae aptos, qui in Agro Romano ubivis etiam sub terrâ seu lapidicinis reperiuntur, comprehendi inter regalia Sedis et camerae Apostolicae* [1].

Urbanus Papa VIII.
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Ad Romani Pontificis spectat officium, boni patrisfamilias exemplo, iura Sedis et camerae Apostolicae sarta tecta, quantum cum Domino potest, conservare, et ne a quoquam indebite usurpentur sedulo providere.

Declaratio, prout in rubrica. § 1. Cum itaque nos artem conflandi massas crystalli, et inde specularia, cyathos et alia opera conficiendi in almâ Urbe nostrâ, benedicente Domino, ad utilitatem publicam introducere intendamus, et, sicut accepimus, in variis tenimentis et casalibus in Agro Romano existentibus lapides *cogoli* vulgo nuncupati conflandis crystalli massis inservientes reperiantur, qui de regalibus Sedis et camerae praedictae esse dignoscuntur; ne tamen hac de re apud imperitos dubitari contingat, et ut omnes praetextus ignorantiae, quo lapides huiusmodi contra fas et aequum usurpare et sibi appropriare volentes cupiditatem suam palliare possent, plane removeantur, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et quoscumque lapides *cogoli* nuncupatos huiusmodi, qui in casalibus et tenimentis Agri Romani praedicti, ad quasvis personas et loca etiam pia et quantumvis privilegiatas et privilegiata spectantibus et pertinentibus, sive huc et illuc sparsi, sive coacervati, et tam in superficie terrae, quam intra illam et sub illâ, ac in fodinis et lapidicinis existunt et reperiuntur, ac in futurum existent et reperientur, fuisse et esse ac respective fore de regalibus Sedis et camerae huiusmodi, et ad eam pleno iure spectasse et pertinere, ita ut nemini prorsus liceat dictos lapides ex tenimentis et casalibus ac fodinis et lapidicinis huiusmodi, absque speciali nostrâ et pro tempore existentis Romani Pontificis ac ministri ad exercitium artis praedictae et ad aperiendum fornacem seu fornaces in dictâ Urbe pro eiusdem artis introduductione et exercitio deputandi licentiâ, colligere, effodere, evehere, extrahere ac auferre, tenore praesentium declaramus, et, quatenus opus opus sit, decernimus.

Prohibitio dictos lapides colligendi. § 2. Inhibentes propterea omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, sub poenis etiam personalibus et pecuniariis arbitrio personae in superintendentem artis huiusmodi per nos deputandae infligendis et applicandis, ne absque dictâ licentiâ lapides huiusmodi in locis praefatis, quovis praetextu, colore et ingenio, colligere, effodere, vel ex illis evehere extrahere et auferre audeant vel praesumant.

Clausulae. § 3. Ac decernentes praesentes litteras, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes vel habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, minusve ad ea vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas praesentes litterae emanarunt, adductae et sufficienter aut etiam nullatenus iustificatae et verificatae fuerint, et ex quocumque alio capite, causâ, occasione et praetextu, de subreptionis, aut obreptionis, vel nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, seu

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

alio quocumque defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, rescindi, in ius vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, ac sic concesso quempiam in iudicio vel extra uti minime posse, sed easdem praesentes semper validas, firmas et efficaces existere et fore, plenamque roboris firmitatem obtinere et inviolabiliter observari, sicque desuper per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, ac quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, in qualibet instantiâ semper et ubique, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, nostrâ de iure quaesito non tollendo, necnon legibus, et municipalibus ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis et locis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII septembris MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 28 septembris 1639, pontif. an. XVII.

DCLXVII.

Deputatio Francisci Castagnàcci in procuratorem fiscalem causae et causarum contra antianos, vexilliferum, et alios officiales et ministros Reipublicae Lucanae[1].

Dilecto filio Francisco Castagnaccio, iuris utriusque doctori, Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem

Motivum deputationis faciendae refert.

§ 1. Cum nobis nuper innotuisset, occasione nonnullarum simultatum et controversiarum, inter dilectos filios nostrum Marcum Antonium tituli S. Clementis S. R. E. presbyterum cardinalem Franciottum nuncupatum ecclesiae Lucanae ex concessione et dispensatione apostolicâ praesulem ex unâ, ac antianos, vexilliferum iustitiae et Rempublicam Lucanam ex alterâ partibus vertentium, quaedam in odium ipsius Marci Antonii cardinalis eiusque cardinalitiae et seu pontificalis dignitatis contemptum per antianos, vexilliferum et Rempublicam huiusmodi, seu ipsorum iussu vel permissu per eorum officiales et ministros, commissa fuisse, ex quibus iurisdictio et immunitas ecclesiastica violatur:

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Narrat commissiones episcopo Civitatis Castelli iampridem datas.

§ 2. Nos, de praemissis diligenter inquiri, et iurisdictionem ac libertatem ecclesiasticam adversus quoscumque violatores asserere volentes, venerabilem fratrem Caesarem episcopum Civitatis Castelli in nostrum et Apostolicae Sedis commissarium ad inquirendum super praemissis et aliis in derogationem iurisdictionis et libertatis ecclesiasticae quomodolibet perpetratis et forsan perpetrandis, ac inde sequutis et forte sequendis, ad nostrum et dictae Sedis beneplacitum, constituimus et deputavimus, mandantes eidem Cesari episcopo, ut, assumpto aliquo notario dilecti filii causarum curiae camerae nostrae apostolicae generalis auditoris, et aliquo viro probo et perito, qui dilecti pariter filii procuratoris fisci nostri vices in causâ huiusmodi ageret, quamprimum se ad civitatem Lucanam conferret, et ibi, vel in alio loco sibi beneviso, diligentem super praemissis informationem caperet, processusque contra antianos, vexilliferum praedictos, aliosque dictae Reipublicae consiliarios, iudices, officiales et mistros, et ceteros in praemissis huiusmodi culpabiles formaret et perficeret; et subinde eidem Caesari episcopo commisimus et mandavimus, ut causam et causas super praemissis, et aliis ex processu per eum faciendo resultantibus, cum incidentibus, emergentibus, annexis et connexis, tam coniunctim quam divisim, et tam ad instantiam procuratoris seu promotoris fiscalis, quam ex inquisione et officio, et aliàs, prout sibi videretur, motas et movendas contra antianos, vexilliferum et alios praedictos, ceterosque in exequutione commissionis nostrae huiusmodi nominandos, cognosceret, audiret, decideret et fine debito terminaret, et aliàs prout in binis nostris in simili formâ Brevis diebus XXIV et XXX septembris proximi praeteriti respective expeditis litteris [1], quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

§ 3. Nunc autem, de viro probo et perito, qui in causâ et causis huiusmodi partes procuratoris seu promotoris fisci nostri agat et sustineat, providere volentes, ac de tuâ fide, prudentiâ, integritate et doctrinâ plurimum in Domino confisi, motu proprio, et ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, te in causâ et causis huiusmodi procuratorem seu promotorem fisci nostri, tenore praesentium, ad nostrum et Sedis praedictae beneplacitum, facimus, constituimus et deputamus, mandantes tibi, ut quamprimum eumdem Caesarem episcopum convenias, et cum illo ad dictam civitatem et alia loca ad quae ipse Caesar episcopus ibit vel te mittet accedas, ac procuratoris seu promotoris fisci nostri partes in causâ et causis huiusmodi contra antianos et vexilliferum praedictos, et alios in dictis nostris litteris nominatos, ac in illarum exequutione nominandos, agas et substineas. Nos enim tibi desuper plenam, amplam et liberam facultatem concedimus et impertimur.

Nunc autem deputat, prout in rubricâ.

§ 4. Non obstantibus, quoad ea quae praesentibus adversantur, litteris nostris praedictis, ac omnibus illis, quae in eisdem litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogat contrariis.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV octobris MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 4 octobris 1639, pontif. anno XVII.

1 Quas habes supra pag. 7 et 14 (R. T.).

DCLXVIII.

Declarat religiosos Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, circa nullitatem professionis reclaman-

tes, esse veros professos, et qui professionem ante vigesimumprimum annum emiserunt esse veros clericos.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Religiosos viros, qui, spretis huius seculi vanitatibus, divini numinis obsequiis sub suavi religionis iugo sese mancipaverunt, pastorali charitate complectimur, utque in vocatione, qua vocavit eos Dominus, permaneant, ibique, sublatis quibusvis perturbationibus, tranquille famulentur, iuxta creditum nobis apostolicae servitutis munus sedulo intendimus, ac desuper eiusdem muneris partes propensis studiis interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Motiva. § 1. Cum itaque, sicut accepimus, nonnulli religiosi congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum nuncupatarum[1], circa nullitatem professionum regularium per eos emissarum, praetextu non servatae formae constitutionum eiusdem congregationis apostolicâ auctoritate confirmatarum, reclament, ac in eâdem congregatione circa distinctionem inter clericos et laicos nonnullae differentiae vigeant:

Declaratio, prout in rubricâ. § 2. Nos, in praemissis, quantum nobis ex alto conceditur, opportune providere volentes, de nonnullorum Romanae curiae praelatorum et theologorum, qui pluries, auditis partibus, negotium huiusmodi mature iussu nostro discusserunt, consilio, dictos religiosos reclamantes circa nullitatem professionum, sub praetextu non servatae formae constitutionum praedictarum, non esse audiendos, et maxime post quinquennium; ac insuper omnes religiosos reclamantes huiusmodi, qui emiserunt pofessionem ante vigesimumprimum annum elapsum, esse veros clericos; et, si, infra tempus a dilecto filio nostro Alexandro S. Eustachii diacono cardinali Caesarino nuncupato congregationis praedictae apud nos et Sedem Apostolicam protectore assignandum, fuerint idonei reperti, posse ad omnes etiam sacros ordines promoveri, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus.

Validat professiones. § 3. Et quoniam, sicut pariter accepimus, aliqui ex praedictis religiosis minime tuti sibi videntur de validitate suae professionis propter defectum solemnitatum ex suo instituto requisitarum, eorum conscientiae et quieti consulere volentes, quandocumque aliquis vel aliqui ex istis professiones suas ratas habere voluerint, nos eas ex nunc. acceptamus et validamus, atque ad omnes gradus, honores, dignitates, praeeminentias, atque inhabilitates[1], quas, si ab initio valide professi fuissent, haberent et obtinerent, restituimus, ac restitutos eo ipso esse et censeri decernimus, ita ut habeant eumdem locum, sessionem et votum, prout haberent si priores professiones validae fuissent, et nondum promoti ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, servatis aliàs servandis, promoveri, et tam ipsi quam alii ad eosdem ordines iam promoti in susceptis ordinibus huiusmodi, etiam in altaris ministerio, ministrare libere et licite valeant, necnon omnes actus, quos contraxerunt, et legitime contraxissent, vel cum laicis, vel cum aliis monasteriis, seu alterius religionis viris, si nullum aliud paterentur vitium vel defectum, nisi ex eo solum quia initi aut contracti sunt invalide ab eis qui sine praedictis solemnitatibus professi sunt, auctoritate nostrâ praedictâ confirmamus et approbamus, ac valida omnino esse volumus et declaramus.

Decretum irritans. § 4. Decernentes praesentes litteras et

1 Aptius legerem *nuncupatae* (R. T.).

1 Potius lege *habilitates* vel simile (R. T.).

in eis contenta quaecumque valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, quos illa concernunt, et concernent quomodolibet in futurum, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, eosque praemissorum occasione vel praetextu quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari nullatenus posse, nec debere; sicque et non aliter ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, dictaeque Sedis nuncios, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignorauter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illi eiusque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium motu proprio et ex certâ scientiâ et apostolicae potestatis plenitudine et aliàs quomodolibet iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 6. Ut autem praesentium notitia ad omnes facilius perveniat, volumus ut harum exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII octobris MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 22 octobris 1639, pontif. anno XVII.

DCLXIX.

Comitem de Olivares hortatur, ut curet reditum in Portugalliae regnum collectoris spoliorum, utque ille munere suo absque ullo impedimento fungi valeat [1].

Dilecto filio nobili viro Gaspari de Guzman, comiti de Olivares et duci de Sanlucar,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili, nobilis vir,
salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium ab ipsa materia sumptum.

Clamores tot gravaminum, quae in regno Portugalliae et Algarbiorum, magno cum animarum christifidelium detrimento, contra sacrosanctam Romanam Ecclesiam, eiusque Sedem Apostolicam in dies magis excitantur et fiunt, statim atque ad nostras aures pervenerunt, nos de illis iuste conqueri coëgerunt.

Refert violentias collectori spoliorum per regios ministros illatas.

§ 1. Accepimus enim officiales et ministros regios, eorumque complices, temere, nulliter, ac indebite in civitate Ulyssiponensi contra venerabilem fratrem Alexan-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

drum episcopum Neocastrensem iurium et spoliorum camerae apostolicae debitorum in eisdem regnis collectorem generalem cum facultate nuncii apostolici, nulli nisi nobis et Sedi Apostolicae subditum, procedere tentasse, ac de facto etiam processisse, eo sub praetextu, quod, pro officii sui debito, ad evitandum ne ecclesiae, monasteria, etiam sanctimonialium, et pia loca suis bonis a tempore antiquo possessis et ad sustentationem ac victum necessariis spoliarentur, suâ generali monitione turbantes et spoliantes de incursu censurarum monuerat et excommunicaverat; insuperque maligno spiritu ducti[1], iuraque tam spiritualia et ecclesiastica, quam naturalia et gentium violando, pertinaciâque in deterius utendo, eumdem collectorem eorum superiorem ecclesiasticum violentis actibus nedum inter christianos inauditis, sed ab omni humanitate alienis, tractasse, etiam domi obsidendo, et suorum famulorum servitio alimentisque etiam spiritualibus ac libertate naturali privando; cumque in monasterium fratrum sancti Francisci praedictae civitatis ad evitandas tot persequutiones per fenestram elapsus se recepisset, ausos etiam fuisse eumdem collectorem, nuncium[2] et episcopum, non sine maximo sacrilegio, etiam satellitibus et militibus armatis associatos, a praedicto monasterio et loco ecclesiastico violenter extrahere, in eumque tamquam inimicum et criminosum saevire et extra ipsa regna ducere, censuras et poenas a sacris canonibus sacrorumque conciliorum universalium decretis et constitutionibus apostolicis etiam in die Coenae Domini legi solitis inflictas contemnendo; interdictaque ecclesiastica ab eo posita in aliquibus parochialibus ecclesiis eiusdem civitatis Ulyssiponensis non timendo, ab illicitâ eius eiectione non abstinuerunt, in maximam suarum animarum damnationem, primariique officiales[1] et ministri apostolici in illis regnis oppressionem, iurisdictionisque et immunitatis ecclesiasticae gravamen, sessionem[2], ac Sedis Apostolicae sanctaeque Matris Ecclesiae gravissimum damnum, et inter principes catholicos pessimum exemplum, ac in eâdem civitate Ulyssiponensi, ad quam ratione commercii ex aliis nationibus etiam infideles et haeretici confluere solent, in maximum christifidelium scandalum, infideliumque et haereticorum in non modicam derisionem. Quas innovationes praesertim hoc tempore nobilitatis tuae oriri parum decebat, cum aemulis gloriae tuae detrahendi ansam praestent, nec credendum videtur te in illis partem habuisse, quia pie educatus fuisti et te nonnisi virum probum exhibuisse percepimus.

Monet, prout in rubricâ.

§ 2. Cupientes igitur tot scelera, ut decet, puniri, et interim scandala quantocitius removeri, cum aliquando ex parvâ favillâ magnum incendium sequi contingat nisi celeri remedio obviam eatur, nobilitatem tuam hortamur, requirimus et paterne in Domino monemus, ut gratiâ et auctoritate, qua apud charissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum et Portugalliae et Algarbiorum regem catholicum pollet, praedicta omnia et singula impedimenta, ipsi Alexandro collectori eiusque muneri quomodolibet praestita, tolli et removeri studeat, ut quamprimum ipse Alexander collector debitâ cum dignitate eius officium, ut prius, continuare et exercere possit et valeat; quod si nobilitas tua, ut confidimus, egerit, nobis rem apprime gratam praestabit, et efficiet[3] ut praedicti officiales et mini-

1 Legendum foret *ductos* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *collectorem. Nuncium* (R. T.).

1 Legerem *officialsi* (R. T.).
2 Forsan legendum *laesionem* (R. T.).
3 Male edit. Main. legit *afficiet* (R. T.).

stri ac eorum complices, qui propter praemissa, quae perpetrarunt, seu perpetrantibus auxilium, consilium vel favorem dederunt, in praedictas censuras et poenas eo ipso inflictas inciderunt, suarum animarum saluti consulant, et alii imposterum illas evitent.

§ 4. Ceterum venerabilis frater Caesar archiepiscopus Damiatensis nuncius noster tecum de his plenius disseret, et iterum benedictionem apostolicam nobilitati tuae paterne elargimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI octobris MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 31 octobris 1639, pontif. anno XVII.

DCLXX.

Facultas nuncio Hispaniarum et collectori Portugalliae absolvendi eos, qui collectorem spoliorum, ac eius familiam, res et bona, necnon ipsius officium verbo aut factis offenderunt, eorumque complices et fautores[1].

Venerabili fratri Caesari archiepiscopo Damiatensi, nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Cum nonnulli regii ministri in Portugalliae et Algarbiorum regnis in censuras incurrissent ob offensam personam Alexandri episcopi Neocastrensis.

Cum, sicut accepimus, nonnulli etiam officiales et ministri regii in Portugalliae et Algarbiorum regnis, propriae salutis obliti, ac Dei timore postposito, personam venerabilis fratris Alexandri episcopi Neocastrensis, iurium et spoliorum camerae apostolicae in dictis regnis collectorem generalem, et eius familiam, res et bona, ac ipsius officium, verbis vel facto male tractaverint et offenderint, aut male tractantibus et offendenitibus opem, auxilium, consilium vel favorem praestiterint, censuras et poenas in sacris canonibus universalibusque conciliis ac constitutionibus apostolicis etiam in die Coenae Domini legi solitis contentas et inflictas propterea incurrendo, fieri vero possit, ut illi seu aliqui ex eis ad cor reversi a censuris et poenis huiusmodi per eos incursis absolvi desiderent:

Earum absolutionis facultatem Hispaniarum nuncio Pontifex concedit.

§ 2. Nos, cum illis qui poenitentes veniam petierint clementer agere volentes, fraternitati tuae officiales et ministros regios et quoscumque alios qui praedicta commiserunt, aut committentibus opem, auxilium, consilium vel favorem quomodolibet praestiterunt, si et postquam omnia in pristinum et eum in quo antequam praemissa committerentur erant statum restituta, reposita et plenarie reintegrata vel ad nostrum et sanctae Sedis Apostolicae iudicium remissa fuerint, aut aliàs desuper pro interim ad effectum recurrendi ad nos et eamdem Sedem pro terminando bonorum ecclesiasticorum *cappellae* inibi nuncupatorum[1] negocio concordatum fuerit, ipsique id a te humiliter petierint, impositâ illis arbitrio tuo aliquâ poenitentiâ salutari, aliisque iniungendis iniunctis, a quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis et in constitutione in die Coenae Domini legi solitâ contentis[2], quas praemissorum ratione quomodolibet incurrerunt, in formâ Ecclesiae consuetâ auctoritate nostrâ absolvendi facultatem, eâdem auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in conciliis universalibus, provincialibusque et synodalibus editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maio-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 De hisce bonis *cappellis* nuncupatis vide tom. XIV, pag. 655.

2 Male edit. Main. legit *contenta* (R. T.).

rem, sub annulo Piscatoris, die ultimâ octobris MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 31 octobris 1639, pontif. anno XVII.

DCLXXI.

In idem argumentum, collectori generali.

Venerabili fratri Alexandrino[1] episcopo Neocastrensi, iurium et spoliorum camerae apostolicae debitorum in Portugalliae et Algarbiorum regnis debitorum collectori generali,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Cum, sicut, etc. postposito, personam tuam et familiam, res et bona tua, ac officium tuum, etc. *(Reliqua ut in praecedenti).*

Datum Romae, etc. *ut supra,* etc.

DCLXXII.

In idem argumentum Philippo regi[2].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo, Portugalliae et Algarbiorum regi catholico,

Urbanus Papa VIII.

Charissime in Christo fili noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Pastoralis muneris nostri debitum et honoris domus Dei zelus, quibus pro tuendis sanctae Ecclesiae iuribus assidue premimur, nos impellunt, ut in silentio non praetereamus, quae maximâ cum Dei offensione in ipsius Ecclesiae et Sedis Apostolicae detrimentum per officiales ac ministros maiestatis tuae in regnis Portugalliae et Algarbiorum nedum contra sacrorum canonum dispositionem, sed etiam contra ius naturale et gentium nuper commissa fuerunt, et forsan ipsi committere non desinunt.

Nonnullas servitias in personam episcopi Neocastrensis commissas refert.

§ 1. Cum itaque sicut[1] non sine gravi animi nostri molestiâ accepimus, venerabilis frater Alexander episcopus Neocastrensis, iurium et spoliorum camerae apostolicae debitorum in dictis regnis collector generalis cum facultate nuncii apostolici existens, ad consulendum saluti animarum, et ad evitandam usurpationem legatorum piorum et bonorum a christifidelibus pro suarum animarum suffragio diversis ecclesiis ac monasteriis etiam sanctimonialium et locis piis relictorum, ab eis per plures annos pacifice possessorum, quae inibi *cappellae* nuncupantur, a maiestatis tuae ministris tunc comminatam et fortasse inceptam, fecisset generalem monitionem contra spoliantes spoliareque volentes ipsas ecclesias, monasteria et loca pia, monendo illos de incursu censurarum et poenarum ecclesiasticarum ex ipsis occupationibus resultante: ipsi officiales et ministri, ut quosdam laicos potentiores ditarent, Dei timore postposito, nedum easdem ecclesias, monasteria et loca pia suis bonis etiam ad victum et sustentationem respective necessariis spoliarunt, sed etiam in praedictum Alexandrum eorum superiorem ecclesiasticum, ac beati Petri nostrumque et Sedis Apostolicae officialem praecipuum, et episcopum, inhumaniter saevire ausi fuerunt[2], nulliter enim ac de facto contra ipsum, nulli nisi nobis et Sanctae Sedis subditum, processerunt, et suâ pertinaciâ in deterius utendo, ipsum propriâ libertate etiam naturali, ac cibariis, commoditateque missam audiendi et confessarium sibi necessarium habendi privarunt, famulosque ab eius servitiis violenter amoverunt, ac etiam per milites et satellites in eius propriâ

1 Ex praeced. et seq. Const. legendum *Alexandro* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Vocem *sicut* nos addimus (R. T.).
2 Edit. Main. legit *fuerant* (R. T.).

domo obsederunt, ac etiam eidem ad se deiiciendum e fenestrâ cum vitae periculo, ne talia pateretur, causam dederunt, et interdictum ecclesiasticum ab eo positum, Dei iracundiam provocando, parvi fecerunt, ac deinde a monasterio fratrum Ordinis sancti Francisci civitatis Ulyssiponensis, ad quam ex exteris nationibus etiam infideles et haeretici causâ commercii confluunt, non sine catholicorum scandalo ac orthodoxae fidei inimicorum derisione sacrilege extraxerunt, illumque invitum extra praedicta regna ad instar facinorosi et hostis duxerunt in ipsius vilipendium et Sedis Apostolicae contemptum, sententias, censuras et poenas ab iisdem sacris canonibus et conciliorum universalium decretis ac constitutionibus apostolicis, etiam [1] Bullâ in die Coenae Domini legi solitâ, ipso iure inflictas damnabiliter unâ cum complicibus suis incurrendo.

Alloquutio regi catholico ut impedimenta et sevitias eidem episcopo factas removeat.

§ 2. Nos autem, ut Deus ab Ecclesiâ suâ huiusmodi gravem afflictionem avertat, ad eum levabimus oculos nostros, et religiosi coetus orationes fundere non intermittent, donec in Domino faciamus virtutem. Interim vero, cum non videatur credendum a rege catholico scienter talia emanasse, idcirco sperantes maiestatem tuam omnia esse in integrum reposituram, et contra delinquentes animadversuram, quantumque adverso animo illa acceperit patefacturam, eamdem maiestatem tuam paterne in Domino hortamur et enixe rogamus, ut avitae virtutis ac pietatis aemulatrix, regumque Portugalliae et Algarbiorum, qui in similibus negociis pro opportuno remedio ad Sedem Apostolicam recursum habuerunt, vestigiis inhaerens, praedicta omnia et singula impedimenta et oppressiones removeat, ac removeri faciat, ut idem Alexander collector debitâ cum dignitate ad eadem regna quamprimum reverti et in exercitio sui muneris continuare et prosequi ut prius possit et valeat; nos enim praedictorum innovatorum remotionem a maiestate tuâ sedulo postulamus; Sedes enim Apostolica, sicuti semper facere consuevit, ab aequitate non recedet; nobis etiam persuadentes illam gloriam, quam tua maiestas pietate in Deum et propensâ voluntate in Sedem Apostolicam aliisque magnis meritis hucusque assequuta est, inde non parvum augmentum esse recepturam [1]. Et quidquid in favorem praedicti collectoris a tuâ maiestate gestum fuerit nobis tam gratum erit, quam quae gratissima accidere possunt. Et super hoc gravissimo negocio cum maiestate tuâ fusius disseret venerabilis frater Caesar achiepiscopus Damiatensis nuncius noster, ac, dum nostram apostolicam benedictionem maiestati tuae iterum impertimur, fusis ad Deum precibus petimus ut caelestium gratiarum dona eidem iugiter elargiatur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die ultimâ octobris MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 31 octobris 1639, pontif. anno XVII.

1 Praeposit. *in* delemus (R. T.).

DCLXXIII.

In idem argumentum Margaritae a Sabaudia proreginae [2].

Dilectae in Christo filiae nobili mulieri Margaritae a Sabaudia, regnorum Portugalliae et Algarbiorum proreginae,

Urbanus Papa VIII.

Dilecta in Christo filia nobilis mulier, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium ab ipsa materia sumptum.

Super militantis Ecclesiae speculâ Dei benignitate constituti, ex nostro pastorali

1 Incongrue ed. Main legit *recepturum* (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

debito non potuimus nec possumus non improbare vehementerque damnare tot oppressiones et gravamina in Portugalliae et Algarbiorum regnis nobilitatis tuae gubernio commissis per officiales et ministros regios contra venerabilem fratrem Alexandrum episcopum Neocastrensem, in eisdem regnis iurium et spoliorum camerae nostrae apostolicae debitorum collectorem generalem cum facultate nuncii apostolici, eorum superiorem ecclesiasticum et spiritualem, et nulli nisi nobis et Sanctae Sedi subditum, ausu temerario de facto etiam cum insolitâ violentiâ temere et sacrilege gesta, quae non recensemus, tum quia ob eorum inhumanitatem animus abhorret, tum etiam quia nos non latet illa nobilitati tuae fuisse et esse nimis nota, quae quanto cum scandalo etiam publico, et sanctae Matris Ecclesiae et Sedis Apostolicae detrimento, et christifidelium eorumdem regnorum afflictione, ac hostium catholici nominis gaudio facta fuerint nemo non vidit, sed prae ceteris nobilitatem tuam, de quo valde dolemus, fertur nedum scivisse, sed etiam ad illa indebite facienda auctoritatem tuam interposuisse; ex illis autem processisse nedum maximam et notoriam transgressionem sacrorum canonum, conciliorum universalium, et constitutionum apostolicarum, etiam in die Coenae Domini legi solitarum, inauditamque violationem iuris spiritualis et ecclesiastici ac naturalis et gentium, sed etiam incursum censurarum et poenarum ab illis ipso iure inflictarum (a quibus ipsi transgredientes et complices nonnisi a nobis et Romano Pontifice pro tempore existente, non autem a quocumque alio, etiam in vim sanctae cruciatae, praeterquam in mortis articulo absolvi posse [1]) omnibus notum esse volumus, ut quisque suae animae saluti consulere possit.

1 Legend. *possint* vel *posse declaramus* (R.T.).

§ 1. Interim vero, ne tot scandala confoveantur, et in deterius augeantur, nobilitatem tuam hortamur, requirimus et paterne in Domino monemus, ut eos, qui praedicta scelera commiserunt, tuaeque iurisdictioni subsunt, puniri facias, omniaque impedimenta ipsi Alexandro collectori praestita removeas, ut ipse ad praedicta regna quamprimum cum dignitate reverti et suum officium ut prius exercere possit. Quod si feceris, obligationi tuae satisfacies, et nobis rem gratam et rationi congruam praestabis, et iterum nobilitati tuae apostolicam benedictionem impertimur. Hortatio, de qua in rubricâ.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI octobris MDCCXXXIX, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 31 octobris 1639, pontif. anno XVII.

DCLXXIV.

Statuta generalia Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia a sanctissimo domino nostro Urbano VIII in formâ speciali et certâ scientiâ ac cum praeinsertione ipsorum litteris sequentibus confirmata [1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

In supremo apostolatus solio, meritis licet imparibus, divinâ dispensatione praesidentes, ex incumbenti nobis pastoralis officii debito religiosorum Ordinum in Ecclesiâ Dei militantium prosperum statum felicemque directionem sinceris desiderantes affectibus, iis, quae propterea pie et provide praesertim in eorum capitulis generalibus facta fuisse comperimus, ut firma perpetuo et illibata remaneant, libenter, cum a nobis petitur, apostolici mu- Exordium.

1 Similia statuta habes in Const. huius Pontificis, *In supremo*, tom. XIII, pag. 393, ubi plura ad materiam annotata reperies.

niminis adiicimus firmitatem, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

In capitulo generali huius Ordinis edita fuerunt nonnulla statuta.

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Joannes Merinero, Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia nuncupatorum minister generalis, nobis nuper exponi fecit, in capitulo generali eiusdem Ordinis, in domo B. Mariae de Aracaeli nuncupatae de Urbe praedicti Ordinis novissime celebrato, pro felici universi Ordinis huiusmodi gubernio et directione nonnulla statuta edita fuerint tenoris subsequentis, videlicet:

Statuta generalia.

Pro utrâque familiâ.

De ministro generali.

Declarat capitulum generale omnem et quamlibet potestatem quae in ministro generali reperitur ad dispensandum in statutis generalibus, totam ipsi provenire a generali capitulo: unde, quoties ab eodem capitulo generali decreto irritante prohibetur, ne in aliquo statuto concedatur absolute dispensatio, vel nonnisi sub certis conditionibus ibidem expressis, si generalis minister aut absolute dispenset aut conditiones ad dispensandum requisitas non observet, huiusmodi dispensatio ipso facto irrita evadit.

Ordinatur a capitulo generali, ne liceat ministro generali, et multo minus aliis inferioribus praelatis qui electionibus praesident, illas iam inchoatas suspendere, aut, iis iam congregatis ad quos spectat faciendis electionibus interesse, eas impedire ne fiant. Praeterea iisdem praelatis generalibus interdicitur, ne functiones, quae ad congregationem legitime convocatam spectant, suspendere aut impedire praesumant: scientes totum hoc irritum fore, utpote violentum et libertati electionis contrarium.

Item prohibetur iisdem praelatis generalibus, ne posthac ad provincias quemquam mittant, ut celebrandis earum congregationibus intermediis praesit, nisi causa valde notoria et urgens se obtulerit, vel maior definitorii pars provinciae ita postulet. Alioquin provinciales, et alii ad quos attinet, uti iure suo in hac parte permittantur.

Si generalis minister e familiâ discedat ex qua fuit assumptus, et neminem ibi relinquat, cui vices suas commiserit, ut ad eum veluti commissarium generalem e provinciis recurratur, in hoc eventu determinat capitulum generale provincialibus fas esse cum definitoribus ad intermedias congregationes celebrandum devenire. Capitulum tamen provinciale nullatenus celebrabunt.

De substitutionibus praelatorum.

Declaratur nemini praelatorum deinceps licere vices suas alteri committere, ut in capitulo generali ipsius loco tam ad eligendum quam ad alios actus ibi exercendos intersit; quia sanctissimus dominus noster Urbanus VIII constitutione editâ, et in praesenti capitulo promulgatâ, similes substitutiones contra formam constitutionum factas interdixit.

De commissario generali Belgico.

Commissarius generalis Belgicae nationis secundum antiquam consuetudinem fit a ministro generali cum potestatis plenitudine, et huiusmodi officium triennale est.

Praedicto commissario generali Belgico fas erit auctoritatem suam alteri subdelegare, attamen subdelegatus non habebit in electionibus votum, quo fruitur ipse commissarius.

Congregationes intermedias ex vi sui muneris cogere nequit, et ideo in hac parte statutorum generalium decretis standum est. Quinimo omni severitate praefatis commissariis praecipitur, et decreto quidquid in contrarium fecerint irritante prohibetur, ne congregationes nationales cogere aut celebrare praesumant, quidquid in contrarium habeatur in statutis generalibus Barchinonensibus pro eâdem natione accomodatis, quae capitulum ge-

nerale, ad hunc effectum dumtaxat, revocat. Quod si id necessarium censuerint, capitula seu congregationes generales expectent, et ibi nationalium congregationum celebrationem fieri ipsis permittitur.

De vicario generali Ordinis.

Ad tollendam omnem ambiguitatis speciem, atque ut certior cognitio de qualitate eligendi in vicarium generalem habeatur, revocat capitulum generale constitutionem illam ultramontanae familiae, qua statuebatur, ut, vitâ functo generali ministro, electio vicarii generalis fieret in familiâ, in qua vitâ functus est generalis, dummodo is, qui in[1] vicarium totius Ordinis erit eligendus, sit ex illâ familiâ, ex qua erat generalis minister, ex cuius personâ officium ministri generalis vacavit. Et statutis cismontanae familiae adhaerens praecipit, ut, vacante quacumque de causâ officio ministri generalis, electio vicarii generalis in ea familiâ celebretur ex qua erat generalis assumptus. In electione autem faciendâ unaquaeque familia modum sibi in constitutionibus praescriptum observabit.

Iubetur deinde, ut in eiusmodi electione votum activum habeant patres omnes, qui pro tempore in generali definitorio assistunt: videlicet, discreti perpetui Ordinis, aut familiae, quales sunt ministri et commissarii generales praeteriti, et vicarii generales praeteriti qui per biennium completum officium vicarii generalis exercuerunt; deinde procurator et commissarius Romanae curiae, procurator generalis reformatorum cismontanae familiae, et definitores generales utriusque familiae, quamdiu munere suo actu funguntur, dummodo in eâ natione praesentes sint, ubi electionem fieri contingat; quod si absentes sint, nec vocandi erunt, nec expectandi, sed ad electionem iuxta praescriptum constitutionum generalium erit procedendum; quam utraque familia, nemine dissentiente, novo compromisso sic faciendam pronunciavit.

1 Praep. *in* nos addimus (R. T.).

De patribus perpetuis Ordinis et familiae.

Attento ordinis ac honoris gradu, in quo singuli pro suâ quisque dignitate constitui debent, capitulum generale determinat, ut perpetui Ordinis et familiae patres secundum a superiore locum semper obtineant, ita quod Ordinis patres in toto Ordine unus tantum superior sedendi ordine praecedat; unde, praesentibus ministro vel commissario generali, illi solummodo praecedent; si vero absint, solus provincialis, et, hoc absente, guardianus conventus anteibit. Et idem cum familiae patribus, unoquoque in suâ familiâ, observetur, sicut statuto cismontanae familiae fuerat praeceptum, a qua mutuatum in ultramontanâ familiâ observandum statuit capitulum generale.

De procuratore et commissario generali curiae Romanae.

Declarat capitulum generale, iuxta constitutionem Gregorii XIII, procuratorem et commissarium generalem curiae Romanae tam in capitulis quam in congregationibus generalibus, in definitoriis, assistere semper debere, nimirum, ut in veteri definitorio, quod tunc absolvitur, et in novo, quod creatur, religionis rebus determinandis intersint. Et idem statuitur de procuratore reformatorum cismontanae familiae, iuxta constitutionem SS. D. N. Urbani VIII.

De definitoribus generalibus et eorum subrogatis ac substitutis.

Censuit capitulum generale nimis indecorum esse, atque ab optimi regiminis ratione valde alienum, ut definitores generales, primarii in Ordine iudices, penes quos est aliorum suffragatorum discussio et approbatio, in congregationibus et capitulis generalibus suffragandi potestate careant: et ideo statuit, ut posthac definitores generales utriusque familiae tam in congregationibus quam in capitulis generalibus, ubi suo funguntur officio, suffragium ferant non aliter quam in suarum provinciarum capitulis et congregationibus suffragantur.

Quando in utrâque familiâ continget, ut definitores generales absint, vel quolibet eventu deficiant, statuitur, ut eorum loco alii statim subrogentur, vel substituantur. Verum, tam in substitutione, quam in subrogatione, forma in statutis apud Toletum novissime editis tradita observetur.

Patres illi, qui loco definitorum generalium, dum adhuc vivunt, et absentes[1], substituuntur pro capitulo generali, deinceps inter provinciae suae patres numerentur; dummodo ultimi sint et post eos locum habeant, qui ministri et vicarii provinciales iam extiterunt, vel postea eisdem officiis perfungentur.

Prohibet capitulum generale, ne in ministros provinciales assumantur, nisi qui de earumdem provinciarum corpore, hoc est, ibi professi vel a longo iam tempore (saltem per decennium) in eis fuerint incorporati, et insuper in inferiorum officiorum gradibus aptitudinis suae ad gubernandum specimen praebuerint; aliter electio ipso facto irrita et nulla sit.

Titulares ministri, ad suffragandi effectum solummodo electi, ad instar commissariorum provincialium habeant[2] qui pro provincialibus legitime impeditis generali capitulo suffragantur, nec ullo patrum provinciae privilegio aut exemptione gaudeant.

De vicariis provincialibus.

Provinciali ministro e vitâ decedente, determinat capitulum generale, ad amputandas litium occasiones quae ex diversis provinciarum consuetudinibus ac constitutionibus oriuntur, ut in toto Ordine regestrum scripturae et sigilla ad digniorem provinciae patrem, eum videlicet qui primum locum vendicat, statim deferantur. Is vero, absque morâ convocato definitorio, faciet vicarii provincialis electionem, in qua votum activum habeat et passivum. Quod si minister aut commissarius generalis intra tres dietas consistant, consulendi sunt, et eorum responsio expectanda. Si tamen longius absint, iis inconsultis fiat electio, non obstante statuto in contrarium edito, quod ad hunc effectum revocat capitulum generale.

Vicarii provinciales, qui per biennium completum in officio steterunt, patrum provinciae privilegium et praecedentiam habeant: eos tamen subsequentur, qui ministri provinciales extiterunt vel postmodum existent. Absoluto tamen vicariatus provincialis officio, nonnisi post triennii vacationem in provinciales ministros eligentur. Qui vero per biennium integrum in officio non steterint, nullo gaudeant privilegio, sed absque ullo vacationis interstitio eligi poterunt provinciales ministri.

Is, qui, mortuo provinciali ministro, vel quolibet eventu vacante, in vicarium provincialem fuit assumptus, usque ad capituli provincialis celebrationem in officio durabit. At vero capitulum, pro superiorum generalium arbitrio, anticipari poterit vel prorogari, dummodo tempus a lege praescriptum non excedatur.

Provincialibus ministris e provinciâ discedentibus, vel ad generale capitulum, vel negotiorum causâ quae per ipsos fieri necesse sit, quolibet eventu officium vacaverit, commissarii provinciales, qui relicti fuerint, sub titulo et appellatione vicariorum provincialium in officio succedent, quousque capitulum provinciale celebretur. Quando autem absentibus ministris provincialibus commissarii morientur, provinciae regimen ad digniorem ipsius patrem, cum câdem auctoritate, usque ad provincialis regressum deferatur.

De custodibus.

Decrevit capitulum generale, ut custodes, in solo definitorio extra capitulum

1 Nescio an legi debeat *absentium* (R. T.).
2 Videtur legendum *se habeant* (R. T.).

electi, custodum qui officium absolverunt privilegio minime gaudeant, nisi per duos annos integros functi fuerint custodiatus officio, vel ad capitulum seu congregationem generalem suffragaturi accesserint, quamvis biennium non sit completum. Sive autem custodes in capitulis sive in definitoriis sint electi, in capitulo provinciali eorum cesset officium, et alii de novo eligantur. Ille tamen qui duos annos non complevit, reeligi poterit ad idem officium.

De secretariis curiae Romanae.

Sanctissimus dominus noster Urbanus VIII, considerato labore, ac ingenti fatigatione, quam secretarii, procuratores et commissarii generales in Romanâ curiâ subeunt, quatenus eos in suorum officiorum administratione coadiuvant, litteris in formâ Brevis expeditis decrevit, ut praedicti secretarii, postquam officium per triennium expleverint, in suis provinciis immunitatibus et privilegiis gaudeant eorum qui ibi definitores extiterunt, sed semper post eos, qui per electionem definitores fuerunt, vel postea existent.

De privilegiis et privilegiatis.

Creverat adeo in religione nostrâ privilegiatorum numerus, et tam frequenti abusu immunitates et privilegia, laborantibus in praemium destinata, ignavis forsan et ambitiosis gratuito et sponte donabantur, ut propterea SS. D. N. Urbanus VIII motu proprio omnia privilegia personalia ex gratiâ et favore per quemcumque concessa abstulerit, sublatâ facultate alia de novo concedendi[1], iis tamen exceptis, quae in iustum laboris praemium et virtutis incitamentum constitutionibus nostris et statutis sunt[2] vel postmodum stabilientur; exemptis hinc etiam regum et imperatorum praedicatoribus et confessoribus, quos ab hac regulâ Sanctissimus exclusit.

1 Vide tom. XIV, pag. 744 (R. T.).

2 Lege : *a constitutionibus et statutis sunt stabilita* etc. (R. T.).

Pro ultramontanâ familiâ.

De patribus provinciae.

Provinciarum patres, a Gregorio XV quoad ius suffragandi in capitulis et definitoriis in toto Ordine extinctos, sanctissimus dominus noster Urbanus VIII in totâ ultramontanâ familiâ iterum suscitandos iudicavit, non tamen omnes, ne provinciae tot iudicibus oneratae premerentur, sed aliquos, qui, rerum religionis experti, in capitulis, congregationibus et definitoriis existentes, auctoritate suâ et consilio alios in officio novos erudiant et compescant. Quapropter motu proprio decrevit, ut in unâquaque provinciâ ultramontanae familiae duo essent provinciae patres: unus qui foret perpetuus, is videlicet qui in provinciâ dignior esset, hoc est primum inter provinciae patres locum vendicaret; quod si pater istè alio titulo sit de corpore definitorii, pro illo tempore assumatur alius in dignitate propinquior; idem etiam subrogationis ordo servetur, cum per mortem vacare contigerit: alter provinciae pater, iuxta praedictam constitutionem apostolicam, ille est, qui immediate provincialatum absolvit; per triennium tantummodo durabit huiusmodi pater; quo finito, succedet provincialis qui post ipsum subsequetur, officio absoluto; quod si ante triennium deesse contingat, alius assumatur, qui immediatus provincialis extiterat[1].

Praecipit vero Sanctissimus ministris generalibus et aliis, ad quos praedictae constitutionis apostolicae exequutio spectat, ut sub gavissimis poenis et nullitate electionis illam observent et inviolabiliter observari procurent.

De commissario generali Terrae Sanctae in curia regis catholici residente.

Declarat capitulum generale commissarium generalem Terrae Sanctae, qui residet in curiâ regis catholici, non esse praelatum; proindeque non solum ministro generali, sed etiam commissario ge-

1 Vide tom. XIV, pag. 746 (R. T.).

nerali familiae subditum esse, ac in omnibus et per omnia subiectum. Ipsius autem socii quoad regularem disciplinam provinciali ministro et guardiano conventus subiici debent.

Praedictus vero commissarius singulis sex mensibus rationes reddere teneatur sub poenâ privationis, quae ipsi Segobiensibus statutis imponitur.

De magistris novitiorum. Abrogatur statutum ultimi capituli Toletani, in quo magistris novitiorum concedebatur, ut, qui per octo annos in conventibus principalioribus munus illud exercuissent, lectorum iubilatorum privilegio quoad praecedentiam dumtaxat fruerentur, et decernit capitulum generale ut statutum Segobiense observetur.

De lectoribus. Censuit generale capitulum theologiae lectoribus nullum umquam ius quaesitum aut actionem ad continuandum legendi officium, quousque tempus iubilationis praescriptum compleverint. Et ideo statuit posse a ministris provincialibus amoveri de consensu definitorii, et aliis muneribus, prout necessarium videbitur, destinari. Eodem namque iure lectores primo instituere, et cum libeat amovere, ad ministrum provincialem et definitorium pertinet.

De praecedentia. Quoniam, variatis in Ordine nostro aliquibus statutis et constitutionibus apostolicis, non parva circa praecedentiam exorta est confusio, et abusus aliqui pullularunt; quapropter visum est graduum et praecedentiae ordinem hunc in modum dirigere, quem ab omnibus in ultramontanâ familiâ inviolabiliter observandum statuimus:

Primo igitur inter praelatos actuales habeat primum locum minister generalis; postea commissarius generalis familiae; deinde commissarius visitator provinciae et minister provinciae, et tandem guardianus loci;

Post praelatos autem sedeant, qui ministri generales, deinde qui vicarii generales per biennium fuerunt, post quos sequentur qui commissarii generales fuerunt, secundum bullam unionis electi; deinde qui vicecommissarii generales biennio extiterunt;

Postea sequentem locum habeat commissarius generalis Indiarum in curiâ regis catholici residens;

Deinde procurator et commissarius Romanae curiae, dum actu suis muneribus funguntur; post quos sequetur procurator Reformatorum cismontanae familiae;

Postea definitores generales dum in suis officiis actualiter persistunt;

Deinde procuratores et commissarii curiae Romanae officiis functi (etiamsi ministri provinciales aliàs non fuissent) qui, intra suam provinciam et extra, omnes alios praecedent, licet ministri provinciales aut definitores generales extitissent;

Post praedictos sequentur qui ministri provinciales fuerunt in suis provinciis;

Deinde qui definitores generales extiterunt, qui, si ministri provinciales antea fuerunt, alios, qui eodem munere functi sunt, praecedent; sin minus, illos dumtaxat, qui postquam ipsi definitoriatus officium expleverunt, ad ministeriatum sunt promoti;

Postea vero ii, qui triennio secretarii Ordinis fuerunt, videlicet ministri, aut vicarii, aut commissarii, aut vicecommissarii generalis, secundum bullam unionis electi;

Deinde, qui commissarii generales fuerunt in regno Peruano et in novâ Hispaniâ et in Indiâ orientali per triennium; dummodo in eisdem muneribus obeundis laudabiliter se gesserint:

Deinde, qui in propriis provinciis vicarii provinciales per biennium completum extiterunt;

Postea sedebunt, qui ministri provin-

ciales in alienâ provinciâ fuerunt intra Hispaniae provincias;

Post quos sequentur actuales praedicatores regis catholici;

Deinde, qui pro definitoribus generalibus in capitulo generali substituti sunt;

Postea sequentur, qui per duodecim annos in curiâ regis catholici commissarii generales fuerint Terrae Sanctae;

Postea, qui per duodecim annos Hispali vicecommissarii generales Indiarum extiterunt;

Deinde definitores et custodes actuales provinciae;

Postea, qui in eâdem provinciâ definitores et custodes fuerunt; quo gradu solum gaudent custodes, qui in capitulo electi sunt, vel, si extra per solum definitorium, per biennium completum in officio durarunt; vel si in capitulo generali tulerunt suffragium, licet biennium non compleverint;

Deinde, qui per biennium secretarii fuerunt procuratoris aut commissarii curiae Romanae;

Postea secretarii commissarii generalis Indiarum, qui residet in curiâ regis catholici, dummodo per sexennium laudabiliter officium illud exercuerint;

Deinde, qui per octo annos commissarii generales Terrae Sanctae in curiâ regis catholici extiterunt; et illi postea, qui etiam per octo annos Hispali vicecommissarii Indiarum fuerunt;

Deinde lectores iubilati, iuxta Ordinis statuta;

Postea sedebit procurator seu commissarius curiae regis catholici;

Deinde commissarius generalis Terrae Sanctae, dum actu exercet officium in curiâ regis catholici;

Postea immediate sedebit vicecommissarius actualis Indiarum, qui Hispali residet;

Deinde sedebit primus lector sacrae theologiae;

De aliis vero lectoribus et praedicatoribus, ceterisque officialibus et religiosis circa praecedentiam serventur statuta Segobiensia, exceptis quae huic dispositioni contraveniunt.

Pro Indianis. Quoniam decretum illud ultimi capituli Toletani, quo concedebatur ministris provincialibus Indiarum ut mittere possent commissarios ad capitulum generale, nullum erat, utpote contrarium alteri statuto edito in capitulo generali Romano ad annum MDCXXV tenoris sequentis: *Caveant ex Indianis provinciis ministri provinciales, ne ad capitulum generale, vel aut ipsi veniant, vel commissarios suo nomine mittant, solis custodibus veniendi facultate concessâ;* quod statutum a Sede Apostolicâ in formâ speciali ac ex certâ scientiâ cum illius praeinsertione fuit confirmatum; atque adeo nonnisi ab eâdem Sede Apostolicâ potuit revocari; quapropter, cum in hoc capitulo generali sancitum fuerit, restituendum esse ministris provincialibus ius antiquum quod habebant, ut commissarios ad capitulum generale suo nomine suffragaturos mitterent, ad Sedem Apostolicam recursum est, quatenus, non obstante praedicto statuto Romano, facultatem mittendi commissarios Indianis provincialibus indulgeret, prout clausulis sequentibus Sanctissimus Dominus noster Urbanus VIII indulsit:

« Ministris provincialibus[1] dictarum provinciarum Indiarum pro tempore existentibus, quod ad capitulum generale dicti Ordinis mittere possint commissarios, qui eorum nomine suffragium ferant, eâ tamen lege, ut tam commissarii qui mittentur, quam etiam custodes, filii earum provinciarum respective sint, pro quibus mittuntur, vel in eis per sexennium completum antea incorporati (sive[2] in aliis Eu-

1 Vide supra pag. 2 *a* seq. (R. T.).

2 In loco parallelo ut supra legitur *sive in Indiis sive* etc. (R. T.).

ropae partibus existant), dummodo ad electionis effectum non incorporentur (aliter electio sit nulla ipso facto[1]), ac ut tam commissarii quam custodes praedicti a suis provinciis non aliter quam iuxta constitutiones generales Segobienses eligantur; quod si commissarii et custodes huiusmodi in itinere decedant, suffragium suum nemini, etiam tamquam procuratori, absenti vel praesenti committere possint; ac idem in aliis, etiam praelatis et vocalibus, iuxta laudabilem dicti Ordinis consuetudinem a Sede Apostolicâ approbatam, servetur.

« Et insuper pro commodiori praemissorum exequutione constitutionem felicis recordationis Clementis Papae VIII, quae incipit: *His, quae ad regularium personarum statum,* die IV martii MDC, pontificatus sui anno IX, editam, qua cavetur, ut in provinciis dicti Ordinis in partibus Indiarum, praesertim in Limensi provinciâ, ad ministratus provincialis, seu quodlibet aliud dignitatis officium, assumi non valeant alii dicti Ordinis religiosi, quam illi qui eiusdem provinciae alumni sunt, vel ad eam expresse ac nominatim missi ex Hispaniis, cum ministri generalis aut commissarii Indiarum apud catholici Hispaniarum regis curiam assistentis litteris obedientialibus in illis provinciis incorporati fuerunt, omnino admittimus, et praecipimus observandum esse.

« Declarantes sub illis verbis, *seu quodlibet aliud dignitatis officium,* in dictâ Clementis VIII constitutione expressis, ministri provincialis, tam pro regendâ provinciâ quam pro ferendo suffragio in capitulo generali designati, vicarii provincialis, custodis, definitorum, guardianorum conventuum, et vicariorum officia comprehendi et comprehensa intelligi.

« Quocirca commissariis generalibus, nunc et pro tempore existentibus in Indiis, in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis latae sententiae, privationisque suorum officiorum et perpetuae inhabilitatis ad alia obtinenda poenis praecipimus et mandamus, ut praesentes litteras et in eis contenta quaecumque inviolabiliter servent, et ab aliis, ad quos spectat et spectabit quomodolibet, servari curent; alioquin, si eos in hac parte deliquisse compertum fuerit, ipso facto ad propriam provinciam regredientes, omni privilegio, titulo, immunitate et exemptione privati remaneant; iniungentes et districte praecipientes ministro generali et aliis pro tempore existentibus ministris generalibus, ut, citra conniventiam quamcumque, poenas praedictas contra transgressores debitae exequutioni demandari faciant, onerando in his eorum conscientias »[1].

Declarat insuper capitulum generale, ut nullus ex sociis, quos secum deferunt commissarii generales Indiarum, nec etiam alii religiosi, ad provincialis, custodis, definitoris et guardiani officium assumi valeant, nisi postquam sexennium ab incorporatione fuerit transactum, aliter electionem ipso facto irritam esse determinat. Quod si commissarii generales Indiarum in hac parte deliquerint, idem capitulum generale decernit, ut ipso facto poenas a sanctissimo domino nostro Urbano VIII in Brevi supra posito adversus transgressores impositas incurrant, inane, irritumque diiudicans, si quid in contrarium per quosvis Ordinis superiores fuit vel postmodum fuerit statutum.

De auctoritate commissarii generalis peruensis.

Determinat capitulum generale, ut praedictus commissarius de Perù in omnibus electionibus suarum provinciarum votum habeat, et auctoritatem suam cuilibet alteri subdelegare possit; attamen subdelegatus non habebit in electionibus votum,

1 Iste verba, inclusa parenthesi, supra in loco parallelo non legebantur (R. T.).

1 Hucusque ut supra pag. 2 et 3 (R. T.).

sicuti commissarius habet. Et idem statuitur de commissario novae Hispaniae.

De vice-commissario Indiarum Hispali residente.

Vicecommissarius Indiarum ex decreto capituli generalis, dum actu exercet officium, sedeat immediate post lectores iubilatos. Et qui per octo annos completos idem officium continuaverit eorum privilegio gaudeat qui fuerunt definitores; si autem per duodecim annos in vicecommissariatu steterit, praecedentiam et paternitatem habeat dumtaxat, qua patres provinciae fruuntur, dummodo sedeat post omnes, qui ministri seu vicarii provinciales fuerunt vel postea existent.

De secretario commissarii generalis Indiarum.

Secretarius commissarii generalis Indiarum, qui residet in curiâ regis catholici, ex concessione sanctissimi domini nostri Urbani VIII, postquam per sexennium in eo munere recte et laudabiliter se gesserit, in suâ quisque provinciâ dumtaxat, privilegiis et exemptionibus gaudeat, quibus uti et gaudere solent ii qui fuerunt definitores. Illum tamen omnes praecedent, qui vel iam definitores extiterunt, vel postea extiterint.

Reliqua negotia, quae pro Indianis tractanda supersunt, capitulum generale determinat, ut a reverendissimo patre ministro generali, unâ cum Indiarum commissario generali et patribus de definitorio generali apud Matritum existentibus, tractentur et resolvantur.

Pro Canaria.

Statuitur ne in Canaria priventur guardiani voce activâ, ante electionem factam, nisi delictum sit aliàs publicum et scandalosum.

Pro Sardinia.

Decrevit capitulum generale provinciam Sardiniae in duas fore dividendam, quarum una sub nomine S. Saturnini martyris haberet conventus qui in capite Calaritano continentur, et alia sub titulo S. Mariae Gratiae fieret ex conventibus qui sunt in capite Saceris, servato illi pristino nomine, unâ cum prioritatis et antiquitatis iure, prout sanctissimi domini nostri Urbani VIII motu proprio sancitum fuit.

Pro custodia insularum de Açores.

In definitorio generali, praeside assistenteque domino cardinali Barberino protectore nostro, decretum est, custodiam insularum de Açores ab Algarbiorum provinciâ, cui aliàs in regimine subiiciebatur, separandam esse, prorsusque dividendam, ac in novam provinciam erigendam, et de facto sanctissimus dominus noster Urbanus VIII motu proprio praedictam custodiam divisit ac dismembravit, et in novam provinciam sub invocatione sancti Ioannis Evangelistae erexit.

Pro cismontanâ familiâ.

Sanctissimus dominus noster Urbanus VIII omnes cismontanae familiae custodias reformatorum, quae viginti quinque numerum explent, in provincias erexit, et unicuique praecedentiae locum iuxta ordinem infrascriptum assignavit:

Provincia S. Francisci.
Provincia Romana.
Provincia Marchiae.
Provincia Tusciae.
Provincia Bononiae.
Provincia S. Antonii.
Provincia Genuae.
Provincia Mediolani.
Provincia Principatus.
Provincia Septem Martyrum.
Provincia Vallis Nemorum.
Provincia Vallis Mazzari.
Provincia Vallis Neti.
Provincia S. Nicolai.
Provincia S. Bernardini.
Provincia S. Angeli.
Provincia Minoris Poloniae.
Provincia Maioris Poloniae.
Provincia Corsicae.
Provincia Brixiae.
Provincia Basilicatae.
Provincia Terrae Laboris.
Provincia Calabriae.

Provincia S. Didaci.

Provincia S. Thomae Apostoli.

Receptum est Breve sanctissimi domini nostri Urbani VIII circa lectorum iubilationem, cuius initium est: *Cum, sicut accepimus,* etc.[1].

Nullus deinceps praedicator aut lector instituatur, nisi prius fidem suorum lectorum exhibeat per provincialem ministrum authenticatam, et nisi ab eodem ministro cum suo definitorio fuerit antea examinatus, atque idoneus repertus.

Nec aliquis studens possit in futurum ad sacrae theologiae studium transire, nisi philosophiae cursum antea perfecerit, et a definitorio provinciae, quoad sufficientiam et bonos mores, fuerit approbatus. Cursum autem philosophiae declaramus esse trium annorum completorum. De quo studens tenebitur suorum lectorum fidem per provincialem et definitorium authenticatam praesentare.

Renovatur statutum, quo praecipitur, nullum institui posse praedicatorem, nisi prius cursum theologicum trium annorum completorum perfecerit: neque lectorem, nisi quatuor annis expletis studuerit.

Renovatur etiam generale statutum prohibens, ne studentes generales e conventu possint egredi, nisi bis pro quolibet mense; sive guardianus aut alius superior localis possit eis licentiam concedere nisi pro gravissimâ causâ a discretis conventus prius approbatâ.

Ministri et definitores provinciales actuales extrà suam provinciam praecedant eos, qui fuerunt provinciales et definitores respective.

Lectores artium et casuum conscientiae eos sacerdotes praecedant, qui trigesimum annum religionis non compleverunt, inter sese iuxta antiquitatem habitus sedeant et incedant, nisi aliquis theologiam aliàs legisset.

Laici transeuntes ad statum clericalem, non possint habere officia et dignitates in religione.

Duo fratres germani in provincialatu immediate sibi succedere, aut simul in definitores duo ex eâdem agnatione eligi minime possint, ut aliàs statutum est.

Minister in eo capitulo, in quo suum explet officium, in definitorem eligi non possit, sub poenâ nullitatis electionis.

Moriente aliquo definitore extra limites provinciae, vel absente, itaut infra tres dies eius praesentia haberi non possit, subrogetur alter pater dignior illius provinciae, aliter electio nulla sit.

Ut induendis fratribus opportune consulatur, ministris districte praecipitur, ut officinas pro lanificio et pannorum fabricatione introductas conservare procurent. Et ubi introductae non fuerint, intra unius anni spatium illas erigant et introducant, sub poenâ privationis officii ipso facto incurrendâ; nec ex alio panno, quam ex fabricato in supradictis officinis indui fratres possint, aliàs induti inhabiles ad officia et dignitates provinciae indispensabiliter censeantur.

Defunctorum spolia nonnisi conventibus, in quibus fratres decedere contigerit, applicentur; sublatâ ministris provincialibus in hac parte facultate aliàs dispensandi sub poenâ privationis officii.

Ut multis abusibus et periculis occurratur, statuimus, ut qua die quisque fratrum itineris causâ discesserit, et in qua item accesserit, ab eisdem conventuum superioribus in eâ ipsâ facultate discedendi causa fideliter notetur. Si secus fecerint, praelati ab officio suspendantur per mensem, et subditi sicut apostatae plectantur. Quod ut exactius observetur, districte praecipitur superioribus, ut in obedientiarum et licentiarum exemplis id

1 Quod vide tom. XIV, pag. 640 (R. T.).

ipsum guardianis, ceterisque locorum superioribus districte iniungant, et terminum temporis praefixum secundum distantiam viarum et dispositionem mittentium et qualitatem euntium apponant.

Pro Germaniae provinciis. In provinciis Germaniae confessarii et commissarii monialium et guardiani durent tantummodo ad triennium, et nullo pacto possint provinciales nec commissarii generales super hoc dispensare, cum sit mandatum apostolicum. Quod etiam servetur de abbatissis monialium.

Minister provincialis Bohemiae habet iurisdictionem in moniales sanctae Clarae, quam regulariter habent ministri aliarum provinciarum in suos.

Pro Poloniae provinciis. Tollitur auctoritas ministris Poloniae incorporandi fratres unius illarum provinciarum in aliam, sub poenâ privationis mandantibus et recipientibus. Capitulum generale prohibet sub poenâ privationis officiorum et actuum legitimorum superioribus et subditis provinciarum Poloniae, ne ullo unquam tempore tractent de reuniendis illis provinciis.

De Bulgaria. Guardiani ultra triennium durare non possint, cum apostolicis constitutionibus repugnet. Aliter facta electio nulla sit et invalida.

Hucusque statuta.

Quae hic confirmat Pontifex cum supplemento defunctorum. § 2. Nos inviolabili statutorum huiusmodi observationi, perpetuaeque firmitati, quantum nobis ex alto conceditur, opportune consulere, ipsumque Ioannem ministrum generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eiusdem Ioannis ministri generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, statuta praeinserta huiusmodi apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, sine praeiudicio tamen observantiae regularis et statutorum apostolicâ auctoritate confirmatorum, ac ordinationum et brevium apostolicorum pro fratribus Discalceatis Hispaniarum et Indiarum factorum et emanatorum, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Et ab omnibus observari mandat. § 3. Decernentes eadem statuta in praedicto Ordine ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in futurum inviolabiliter perpetuo observari et adimpleri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII novembris MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 8 novembris 1639, pontif. anno XVII.

Praeter ea, quae sub hac confirmatione apostolicâ in formâ speciali, utpote maioris momenti facta continentur, alia etiam a capitulo generali sancita sunt non minori observatione custodienda, cuiusmodi sunt.

Pro monialibus Hispaniarum Praecipit capitulum generale, ut statuta nunc pro monialibus edita et approbata typis mandentur et inviolabiliter observentur.

1 Edit. Main. habet *apponat* (R. T.).

Pro India Orientali.

Praecipit capitulum generale, ut in Indiâ Orientali serventur statuta Segobiensia pro iis partibus edita, nunc vero renovata et approbata, in melioremque methodum cum aliquibus additamentis redacta, quae ad felicius earum provinciarum regimen et tranquillitatem deserviunt.

Pro regestis.

Sit in utrâque familiâ regestum, in quo notentur actus omnes capitulares, non solum ad futuram rei memoriam, sed ut religionis status cognoscatur et ad regiminis directionem inserviat.

Ad praesentis decreti properam exequutionem iubetur, ut actus omnes capitulares, decreta, bullae, declarationes sacrarum congregationum, decisiones rotae et sententiae latae in causis nostrae religionis, specialiter Romae in archivio reperta, quamprimum transcribantur, et transumptum authenticum ad ultramontanam familiam remittatur, ubi etiam aliud fiet transumptum earum rerum, quae ibi fuerint inventae ad cismontanam familiam pariter transmittendum.

Tria apostolica Brevia pro feliciori nostri Ordinis regimine, nunc a sanctissimo domino nostro Urbano VIII expedita, videlicet: primum, in quo omnia privilegia personalia in nostro Ordine abrogantur; secundum, in quo pro unâquaque ultramontanae familiae provinciâ duo provinciae patres instituntur; tertium ad favorem provinciarum Indiarum expeditum, ad finem horum statutorum excudantur.

Ut statutorum varietas et multiplicatio tollatur, ac in sacris ritibus et administrandâ iustitiâ aequalis in omnibus provinciis forma servetur, statuit capitulum generale, ut statuta cismontanae familiae, per eiusdem patres revisa, reformentur, et ad normam apostolicarum constitutionum strictius reducantur: edantur caeremoniale et praxis criminalis; quibus standum esse superioribus omnibus et subditis respective praecipitur.

Numerus defunctorum a postremo capitulo generali.

Numerus fratrum, qui a praeterito capitulo generali usque in praesens e vitâ decesserunt, iuxta computationem factam per testimonia ad capitulum delata, complet septem millia ducentos et nonaginta tres, Gallis hinc exceptis, qui ad capitulum non venerunt.

Ita est:

Cardinalis BARBERINUS protector et praesidens.

Fr. Ioannis Merinero minister generalis.
Fr. Didacus de Cea commendator generalis curiae.
Fr. Ioseph Vasquez definitor generalis.
Fr. Bartholomaeus Foyas definitor generalis.
Fr. Lazarus Sanguessa definitor generalis.
Fr. Antonius Hiqueus definitor et secretarius definitoris generalis.
Fr. Benignus a Genua commendator generalis.
Fr. Ioannes Baptista a Campanea pater totius Ordinis.
Fr. Ioseph Redaëllus procurator generalis.
Fr. Ascanius de Assisio procurator generalis, reformator cismontanae familiae.
Fr. Evangelista Mogminio definitor generalis.
Fr. Thomas a S. Agatha definitor generalis.
Fr. Petrus Posnaniensis definitor generalis.
Fr. Nicolas de Spinazzola definitor generalis.
Fr. Ioannes a Neapoli definitor generalis.
Fr. Pacificus de Roma definitor generalis.

Loco † sigilli.

DCLXXV.

Confirmatio decreti S. P. Q. R. quo statuitur notarios capitum regionum Urbis ex collegio notariorum capitolinorum esse eligendos [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Refert decretum S. P. Q. R.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum collegii notariorum curiae capitolinae nobis expositum fuit, quod aliàs usque de anno MDCXXII, per decretum[1] et publicum populi Romani consilium, decretum fuit, quod notarii collegii capitolini huiusmodi de cetero forent esseque deberent notarii capitum regionum almae Urbis nostrae; quodque capita regionum huiusmodi pro tempre existentia nullatenus possent eligere nec deputare, in eorum regionum notarios, alios quam ex dicto collegio pro tempore notarios; et in eventum, in quem aliquis ex dictis capitibus regionum alium quam ex dicto collegio deputaret, deputatio praefata nulla et invalida esset, et dilecti filii eiusdem almae Urbis camerae conservatores pro tempore existentes aliquem ex dicto collegio in notarium capitum regionum huiusmodi ex officio deputare deberent, et aliàs prout in dicto decreto plenius dicitur contineri.

Quoad apostolicâ confirmatione roboratur.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes decretum huiusmodi, pro illius firmiori subsistentiâ, apostolicâ auctoritate nostrâ roborari summopere desiderent: nos, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praefatum, cum omnibus et singulis in eo contentis, per secretum et publicum populi Romani consilium, ut praefertur, factum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulas addit.

§ 3. Decernentes illud necnon praesentes litteras valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ipsisque exponentibus in omnibus et per omnia suffragari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac camerae et almae Urbis praefatarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX novembris MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 29 novembris 1639, pontif. anno XVII.

DCLXXVI.

Erectio provinciae S. Antonii regni Portugalliae Ordinis fratrum Minorum

1 Infra legitur *secretum* (R. T.).

sancti Francisci Discalceatorum ad instar provinciae S. Ioannis Baptistae fratrum Minorum Discalceatorum in Hispaniâ.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Supplicatio. Cum, sicut dilecti filii Franciscus Ulyssiponensis, minister provincialis, et definitores provinciae S. Antonii regni Portugalliae Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Discalceatorum nuncupatorum, et illorum nomine Bernardus a Martyribus, commissarius provincialis et guardianus collegii S. Antonii Colimbriensis dicti Ordinis, nobis nuper exponi fecerunt, ipsi negotium reformationis dictae provinciae iisdem fere modis et mediis[1], quibus provincia S. Ioannis Baptistae fratrum Minorum Discalceatorum nuncupatorum regularis Observantiae eiusdem sancti Francisci in Hispaniâ reformata existit, promovere summopere desiderent:

Concessio quod possint recipere nova loca. § 2. Nos, qui personarum quarumlibet, praesertim sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium, quieti et statui, quantum cum Domino possumus, libenter consulimus, super praemissis opportune providere, ipsosque exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, modernis eidem Francisco et pro tempore existentibus ministro provinciali, custodi, definitoribus, guardianis et fratribus dictae provinciae S. Antonii, ut quascumque domos, sive eremitoria, seu loca, si qua[1] sibi a piis christifidelibus in Portugalliae partibus concedantur, recipere, et in illis conventus sui Ordinis erigere et fundare, servatâ tamen aliàs sacrorum canonum et decretorum sacri Concilii Tridentini formâ, de solâ Ordinarii loci licentiâ, ac nullo quarumvis aliarum personarum cuiusvis Ordinis, congregationis, aut instituti regularium desuper requisito consensu, ac domos sui Ordinis et provinciae S. Antonii praedictae cum ecclesiâ, sacrario, campanâ, seu campanis humilibus, coemeteriis, claustro, refectorio, cellis, hortis, aliisque officinis et aedificiis necessariis erigere et fabricari facere, ac in illis fratres sui Ordinis Discalceatorum introducere, atque in ipsarum domorum ecclesiis, postquam erectae et fabricatae fuerint, sanctissimum Eucharistiae sacramentum pro infirmis asservare, ac divina officia celebrare, et ecclesiastica sacramenta ministrare, ut in ceteris fratrum Discalceatorum eorumdem domibus fieri solet, ac[2] eiusdem S. Antonii provinciae nunc et pro tempore existentibus ministris provincialibus, seu guardianis, sive alio quovis nomine nuncupatis praelatis, ad quos de iure et iuxta regularia eiusdem Ordinis statuta apostolicâ auctoritate confirmata spectat et pertinet, ut quoscumque praedictum Discalceatorum Ordinem ingredi et profiteri volentes, dummodo in qualibet dictarum domorum erigendarum tam fratres professi quam novitii numerum triginta non excedant, iuxta regularia eiusdem Ordinis instituta ad habitum et professionem recipere et admittere, ac cum aliis religiosis professis incorpo-

1 Perperam edit. Main. habet *modiis* pro *mediis* (R. T.).

2 Hinc et deinceps vide similes clausulas in tom. XIV, pag. 731 seq. (R. T.).

1 Edit. Main. habet *quae* (R. T.).

2 Coniunct. *ac* addimus ex loc. paral. (R. T.).

rare libere et licite valeant, licentiam et facultatem perpetuo concedimus.

Quod utantur solis statutis municipalibus.

§ 3. Praeterea, quod provincia S. Antonii praedicta illiusque fratres et conventus suis arctioribus constitutionibus et statutis, quae in pleno capitulo provinciali a maiori parte capituli recepta et stabilita fuerint, gubernentur, nec ad observanda statuta generalia a capitulis vel congregationibus generalibus Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, iam facta, vel pro tempore facienda, nec ad specialia eiusdem Ordinis superiorum mandata, quae ministri provincialis, custodis et definitorum provinciae iudicio fuerint dictorum fratrum Discalceatorum reformationi aut commodo dissentanea, teneantur;

Quod possint celebrare Congregationes iuxta morem religionis.

§ 4. Quod ministri seu praelati provinciales congregationes particulares, quas definitoriales vocant, quando et ubi commodius[1] sibi visum fuerit, libere et licite convocare et celebrare, ac in eis quaslibet electiones guardianorum et aliorum officiorum facere, et quascumque causas sive civiles sive criminales et negotia ad eamdem provinciam spectantia iuxta formam sacrorum canonum et regularium statutorum et suarum constitutionum provincialium tractare, definire et sententiare possint; quodque praelati generales eiusdem Ordinis huiusmodi congregationes particulares definitoriales, aut earum electiones seu definitiones, vel decreta et sententias, nequaquam impedire, immutare nec dilatare valeant;

Quod visitator sit ex Discalceatis.

§ 5. Quod dicta provincia S. Antonii, eiusque nunc et pro tempore existentes conventus et fratres, nisi per fratres visitatores provinciae Discalceatorum huiusmodi, a praelatis tam[2] generalibus deputandos, nullatenus visitari aut syndicari possint, quodque huiusmodi visitatores Discalceati in dictam provinciam ingredi, aut in eâ aliquam iurisdictionem exercere non valeant, nisi tempore statuto circa finem triennii ministri provincialis, nempe post duos annos et septem menses provincialatus cuiuslibet ministri provincialis eiusdem provinciae transactos, et non antea; tales autem visitatores omnia statuta provincialia eiusdem provinciae observare, et iuxta illorum tenorem et praescriptum provinciam visitare et gubernare debeant et teneantur, nec in eisdem statutis, nisi de consensu maioris partis definitorii, plene dispensare valeant, quamvis hoc idem in litteris patentibus et authenticis a praelatis generalibus aliisve superioribus specialiter iisdem indultum et concessum fuerit;

Vocales ante capitulum non possint privari voce activâ.

§ 6. Ut autem omnes ambitionis et iniustitiae occasiones, quae sub simulato ac apparentis correctionis et reformationis zelo obrepere solent, e medio penitus evellantur, postquam praedicti visitatores et commissarii suam iurisdictionem et visitationem in provinciâ huiusmodi coeperint exercere, nulli guardiani, nullique vocales, quibus concursus ad capitulum proxime futurum de iure competit, possint ante ipsum celebratum capitulum ob aliquam seu aliquas causas ab officio removeri, nec voce activâ aut passivâ privari, si autem in ipsâ visitatione aliquibus delictis et culpis quidam praedictorum reperiantur obnoxii, vel eorum punitio et correctio post omnes electiones capituli factas differatur, vel aliis canonicis et regularibus poenis, praeter privationem officii ac vocis activae et passivae, arbitrio superiorum puniri debeant;

Quod fratres non transferantur ad alias provincias.

§ 7. Insuper, quod fratres eiusdem provinciae S. Antonii ab ipsâ suâ provinciâ per quoscumque superiores abstrahi nequeant, ut ad Indos vel alias partes et provincias remittantur, nisi de

1 Perperam ed. Main. habet *commodis* (R.T.).
2 Ex loco parallelo legendum *tamen* (R. T.).

consensu capituli provincialis vel definitorii pleni eiusdem provinciae, et quod huiusmodi superiores, quicumque illi sint, non possint fratres praedictos licentiare, ut in domibus secularium seu extra claustra habitent, nisi servatâ ad unguem formâ a Clemente Papa VIII praedecessore nostro praescriptâ in Bulla seu litteris de reformatione regularium incipientibus *Nullus omnino praetextu cuiuscumque privilegii*, sub anno MDXCIX[1], nempe, quod tales licentiae nisi ex gravissimâ causâ a Sede Apostolicâ approbandâ nullatenus concedantur, quae vero aliter concessae sint, ipso facto irritae et nullae censeantur, et religiosi talibus licentiis utentes statim ad claustra revocentur;

Possint uti libris bibliothecae.

§ 8. Quodque possint iidem fratres Discalceati intra septa domus regularis suae libros a bibliothecis de licentiâ praelati abstractos habere, et illis uti, dummodo, qostquam illis usi fuerint, iisdem bibliothecis illos restituere procurent;

Communicat eis privilegia aliarum provinciarum.

§ 9. Ac demum ministro provinciali, custodi, necnon guardianis, conventibus et fratribus universis dictae provinciae, nunc et pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis gratiis, indultis et privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, indulgentiis et litteris apostolicis tam S. Iosephi et S. Pauli quam quibusvis aliis eiusdem Ordinis fratrum Discalceatorum Hispaniarum provinciis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac per nos et Sedem Apostolicam praedictam hactenus concessis et imposterum concedendis, aeque ac si ipsimet provinciae S. Antonii nominatim concessa fuissent, frui, potiri et gaudere perpetuo possint et valeant, auctoritate et tenore praedictis pariter perpetuo concedimus et indulgemus.

1 Legitur in tom. X, pag. 37 sub datum 1593, et iterum in tom. XIII, pag. 207 (R. T.).

Volumusque, statuimus et ordinamus respective, et insuper praecipimus ministro et commissario generalibus Ordinis Minorum regularis Observantiae, et quibusvis commissariis et visitatoribus ad dictam provinciam S. Antonii destinatis, ceterisque tam praelatis quam subditis, sub excommunicationis latae sententiae ac privationis quorumcumque officiorum et dignitatum eo ipso absque aliâ declaratione incurrendâ poenâ, ne in praemissis fratres praedictos Discalceatos provinciae S. Antonii huiusmodi litibus gravari, aut quovis modo molestari permittant, quinimmo praedicta omnia privilegia et indulta illis inviolabiliter observent et observari faciant, ac per suas proprias litteras, quoties pro parte praedictorum fratrum Discalceatorum fuerint requisiti, faveant et assistant.

Exequutores deputati.

§ 10. Et nihilominus venerabilibus fratribus Ulyssiponensi, Bracharensi et Elborensi archiepiscopis et Conimbriensi episcopo, eorumque officialibus, ac dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem fratrum Discalceatorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicent, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistant, faciantque auctoritate nostrâ eos praemissis omnibus et singulis pacifice frui et gaudere; non permittentes eos desuper per praelatos generales et visitatores praedictos quomodolibet molestari; contradictores quoslibet et rebelles, et praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis

servatis processibus censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Decernentes praesentes litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis nostrae defectu, etiam ex eo quod in praemissis interesse habentes, vel fratres de Observantiâ, aut quicumalii, vocati non fuerint, notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, aut quomodolibet in ius vel controversiam revocari posse[1]; sed semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae.

Obstantium derogatio.

§ 11. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII pariter praedecessoris nostri, per quam cavetur expresse, ne professores Ordinum Mendicantium loca ad habitandum, absque dictae Sedis licentiâ speciali et de prohibitione huiusmodi expressam mentionem faciente, recipiant, et de unâ, ac concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac nostris litteris, quae incipiunt *In cathedra beati Petri apostolorum principis*, de anno MDCXXVI emanatis, ac quibusvis eiusdem Ordinis fratrum Minorum de Observantiâ, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam per fratres Discalceatos huiusmodi acceptatis, praesertim capitulorum seu congregationum generalium, quibus cavetur expresse, ne fratres Discalceati huiusmodi domum aliquam dicti eorum Ordinis absque expressâ licentiâ capituli generalis aut infra quinque leucas a domo eorumdem fratrum Minorum erigere audeant, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Ordini fratrum Minorum, illiusque superioribus et quibusvis religiosis particularibus, aliisque personis, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacissimis et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet praemissorum concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si ministro et commissario generalibus, aut fratribus dicti Ordinis Minorum de Observantiâ, seu quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptis danda fides.

§ 12. Ceterum, quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca, ubi necesse fuerit, deferri, volumus et dictâ auctoritate decernimus, quod tran-

1 Verbum *posse* nos addimus (R. T.).

sumptis earumdem praesentium impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die 1 decembris MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 1 decembris 1639, pontif. anno XVII.

DCLXXVII.

Pro qua summâ moniales Ordinis sanctae Clarae Hispaniarum exemptae sint a decimarum solutione[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Refert litteras a se anno MDCXXXII editas;

§ 1. Aliàs (postquam emanarunt a nobis litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius vicarius generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quod dudum felicis recordationis Sixtus IV, Leo X, Nicolaus III, Bonifacius VIII, Ioannes XXII, Clemens III, Alexander IV, Benedictus XI, Eugenius IV, Nicolaus etiam IV, aliique Romani Pontifices praedecessores nostri, dilectis in Christo filiabus abbatissis seu priorissis et monialibus, tam Ordinis sanctae Clarae quam aliorum omnium monasteriorum, dilectis filiis superioribus dicti Ordinis illorumque curae et gubernio subiectis[2], quod decimas omnium suorum agrorum quos tam ipsae quam eorum affictuarii coli facerent solvi non tenerentur, concesserant, prout exequutioni demandatum fuit; subinde vero, Salamantino et aliis episcopis in regno Castellae constitutis pro modificatione concessionis huiusmodi instantibus, piae memoriae Clemens Papa VII, etiam praedecessor noster, voluit, quod huiusmodi decimae pro summâ sexdecim ducatorum auri de camerâ tantum pro uniuscuiusque monialis victu et vestitu minime solverentur, et ita exequutioni tunc similiter demandatum fuit; verum nonnullis post annis, cum summa huiusmodi nequaquam sufficeret, recolendae memoriae Gregorius Papa XIII, similiter praedecessor noster, attentâ ipsarum monialium paupertate, summam praedictam ad vigintiquinque ducatos similiter pro unaquaque moniali huiusmodi extendit et ampliavit, et aliàs, prout in eorumdem praedecessorum litteris desuper expeditis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ab eo tempore circa pretium rerum duplo adauctum sit, redditus vero et census decreverint, ita ut moniales huiusmodi summâ rerum inopiâ laborent, ac in Hispaniarum regnis omnia duplo quam in Italiâ vendantur, proindeque vicarius praedictus per nos desuper opportune provideri summopere desideret: nos, monialium praedictarum necessitatibus huiusmodi consulere, illasque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eiusdem vicarii illarum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, abbatissis seu priorissis et monialibus praefatis, quod de cetero perpetuis futuris temporibus decimas praedictas pro summâ quinquaginta

Quibus moniales sanctae Clarae in regnis Hispaniarum exemptas declaravit a solutione decimarum pro summâ scutorum quinquaginta pro unâquaque.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Posset etiam legi *subiectorum* (R. T.).

scutorum monetae tantum pro uniuscuiusque earum victu persolvere minime teneantur, nec ad id a quoquam quavis auctoritate quomodolibet cogi vel compelli possint nec debeant, irritumque et inane existat quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus, ac decernimus et declaramus. Quocirca venerabili fratri Caesari patriarchae Antiocheno moderno et pro tempore existenti in regnis Hispaniarum nostro et Apostolicae Sedis nuncio per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte monialium praefatarum fuerit requisitus, solemniter publicans, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostrâ easdem moniales praesentium nostrarum commodo et effectu plene et pacifice frui et gaudere, non permittens illas desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet molestari, perturbari vel inquietari, contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, locorum Ordinariis et quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie, aut aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; necnon aliis omnibus, quae dicti praedecessores in suis litteris praedictis voluerunt non obstare; quibus omnibus, etiamsi de illis specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII iulii MDCXXXII, pontificatus nostri anno IX),

§ 2. Subinde, pro parte dilectorum filiorum universi cleri regnorum Castellae et Legionis nobis exposito quod in praeinsertis litteris nulla facta fuerat mentio litterarum felicis recordationis Pauli Papae III similiter praedecessoris nostri, per quas praefatae praedecessorum nostrorum tunc suorum litterae revocatae et ad terminos iuris reductae fuerant, nobisque propterea humiliter supplicato ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur: nos, ex sententiâ aliquorum Romanae curiae praelatorum, qui hoc negocium partibus auditis iussu nostro discusserant et examinaverant, praeinsertas nostras litteras, subreptitie ob non factam de praefatis Pauli III praedecessoris litteris mentionem impetratas et concessas, apostolicâ auctoritate revocavimus, cassavimus, irritavimus, annullavimus, viribusque et effectu omnino evacuavimus, ac pro revocatis, cassis, irritis, annullatis, viribusque et effectu vacuis haberi voluimus et declaravimus, necnon concessionem abbatissis seu priorissis et monia-

Hanc vero summam anno MDCXXXVIII per aliud Breve redactam fuisse ad ducatos viginti quinque.

libus praefatis, quod dictas decimas pro summâ quinquaginta scutorum monetae tantum pro uniuscuiusque earum victu persolvere minime teneantur, per easdem nostras litteras factam, ad terminos litterarum Gregorii XIII praedecessoris praefati pro vigintiquinque ducatis auri de camerâ pro qualibet moniali monasteriorum praefatorum paupertate laborantium reduximus, et aliàs prout in aliis nostris in eâdem formâ Brevis desuper sub die XXI decembris MDCXXXVIII expeditis litteris[1], quarum tenores praesentibus pro expressis haberi voluimus, uberius continetur.

Oborta postmodum controversia super monetarum diversitate, ac valore;

§ 3. Cum autem, sicut pro parte dilecti filii Ioannis Merinero, Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum ministri generalis, nobis nuper expositum fuit, ob monetarum variationem controversum fuerit, quae monetae quantitas summam vigintiquinque ducatorum auri de camerâ conficiat, proindeque dictus Ioannes minister generalis per nos in praemissis peramplius opportune ut infra provideri summopere desideret:

Urbanus easdem moniales eximit pro summa vigintiquinque scutorum auri in auro et vigintiquinque iuliorum.

§ 4. Nos, monialium praedictarum necessitatibus consulere, ipsasque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eiusdem Ioannis ministri generalis huiusmodi illarum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ex sententiâ pariter nonnullorum Romanae curiae praelatorum, qui hoc negocium partibus auditis iussu nostro discusserunt et examinarunt, abbatissis seu priorissis et monialibus praedictis, quod ipsae de cetero perpetuis futuris temporibus decimas praedictas, in secundodictis nostris litteris ad vigintiquinque ducatos auri de camerâ pro qualibet moniali monasteriorum praedictorum paupertate laborantium ut praefertur redactas, pro summâ vigintiquinque scutorum auri in auro et vigintiquinque iuliorum monetae Romanae seu regalium monetae Hispaniarum dumtaxat pro uniuscuiusque earum victu persolvere minime teneantur, nec ad id a quoquam, quavis auctoritate fungente, tam ex causâ de praeterito quam in futurum, non tamen quoad iam per sententiam iudicatam et exequutioni demandatam ac aliàs hactenus solutum, quomodolibet cogi vel compelli possint nec debeant, irritumque et inane existat quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus ac indulgemus, ac decernimus et declaramus.

Nuncio apostolico harum litterarum exequutionem delegat.

§ 5. Quocirca dilecto filio nunc et pro tempore existenti in regnis Hispaniarum nostro et Sedis Apostolicae nuncio per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictarum monialium seu aliorum earum nomine requisitus fuerit, solemniter publicans, faciat illas ab omnibus ad quos spectat et spectabit in futurum inviolabiliter observari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

1 Quae in *Bullario* non sunt (R. T.).

Contrariis derogat.

§. 6. Non obstantibus eisdem nostris litteris, ac omnibus illis quae in eis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IX decembris MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 9 decembris 1639, pontif. anno XVII.

DCLXXVIII.

Regulares in Aquensi provinciâ Provinciae quoad curam animarum sunt subiecti iurisdictioni, visitationi et correctioni episcoporum[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Nonnulli Pontifices domum S. Maximini ab Ordinarii iurisdictione, etiam quoad curam animarum, exemptam fecere.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit venerabilis frater archiepiscopus Aquensis in provinciâ Provinciae, quod aliàs felicis recordationis Bonifacius VIII, Benedictus XI, Sixtus IV, et forsan alii Romani Pontifices praedecessores nostri, diversa privilegia et exemptiones priori et fratribus domus regularis S. Maximini et de Belme Ordinis Praedicatorum Aquensis dioecesis dictae provinciae, in quibus inter alia continetur expresse quod eidem priori et suis successoribus cura competat[2] animarum habitatorum villae dicti loci S. Maximini et illic advenientium, quae primum per presbyteros seculares idoneos instituendos et destituendos, ac demum per religiosos eiusdem Ordinis ad nutum praefati prioris amovibiles valeat exerceri, et quod ratione dictae curae animarum prior et religiosi praedicti iurisdictioni Ordinarii in nullo penitus sint subiecti, concesserunt.

Successores Pontifices regularium exemptionem in his, quae pertinent

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, privilegia huiusmodi, regularibus circa curam animarum concessa, iustis et legitimis de causis per diversorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones et sacri Concilii Tridentini decreta penitus sublata et abrogata sint, ad curàm animarum, substulerunt.

Sed reluctantibus fratribus S. Maximini,

§ 3. Nihilominus prior et religiosi supradictae domus regularis, praetextu privilegiorum huiusmodi, iurisdictioni, visitationi et correctioni Ordinarii in his quae ad curam animarum spectant et concernunt subiacere resistunt, ex quo varia scandala in animarum detrimentum et sacrorum canonum contemptum in dies oriuntur: nobis propterea idem archiepiscopus humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune, ut infra, providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Archiepiscopus Aquensis petit sua consuli auctoritati.

§ 4. Nos igitur, eumdem archiepiscopum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum consilio, regulares quoad curam animarum esse subiectos iurisdictioni, visitationi ac correctioni episcoporum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus,

Urbanus Regulares Ordinariorum iurisdictioni in his, quae pertinent ad curam animarum, subiectos declarat.

§ 5. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulas apponit.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, et, quatenus opus sit, dictae domus

Contrariis derogat.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Verbum *competat* deesse nobis viderum fuit (R. T.).

regularis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Ordini et quibusvis illius religiosis, sub quibusvis verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficaciôribus et insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie, aut aliàs in contrarium praemissorum, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII decembris MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 12 decembris 1639, pontif. anno XVII.

DCLXXIX.

Facultas episcopo Neocastrensi, collectori generali in Portugalliae et Algarbiorum regnis, exercendi suam iurisdictionem tam in subditos quam non subditos, ubivis locorum, etiam extra dicta regna[1].

Venerabili fratri Alexandro episcopo Neocastrensi, in Portugalliae et Algarbiorum regnis spoliorum et iurium camerae nostrae apostolicae debitorum collectori generali,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Refert violentias a regiis ministris collectori spoliorum illatas.

§ 1. Cum nuper, sicut non sine gravi animi nostri molestiâ accepimus, ministri regii in regnis Portugalliae et Algarbiorum, Dei timore postposito, in suarum animarum damnationem, christifidelium etiam ipsorum regnorum scandalum, iurisdictionisque et immunitatis ecclesiasticae violationem, ac Sedis Apostolicae contemptum, ausi fuerint in civitate Ulyssiponensi nedum absque iurisdictione contra fraternitatem tuam, in dignitate episcopali existentem, ac munus primarii officialis et ministri nostri et Sedis Apostolicae, nempe collectoris generalis iurium camerae apostolicae cum facultatibus nuncii, in eisdem regnis exercentem, et nulli nisi nobis et sanctae Sedi subditum, procedere, sed etiam eamdem fraternitatem tuam temere, sacrilege, ac non sine maximâ violentiâ, actibusque valde inhumanis tractare, cibariisque tam animae quam corporis, ac servitio solito famulorum, quos etiam carceribus mancipare fecerunt, privare, teque in domo tuâ obsidere, et in duobus illius cubiculis, etiam militibus ac satellitibus armatis, obsessum retinere, ac deinde in monasterio fratrum Ordinis sancti Francisci dictae civitatis capere, et ab illo etiam pro delinquentibus immuni violenter extrahere, ac ab eisdem regnis expellere, et extra ipsa regna invitum adducere, et in loco a civitate Pacensi regni Castellae octo miliaribus circiter distante iniuriose dimittere;

Ideoque possit ille contra eosdem ubique locorum agere;

§ 2. Idcirco, cum, pro vindicandis tot gravaminibus et iniuriis sanctae Ecclesiae illatis, eadem fraternitas tua, iuxta sacrorum canonum, conciliorumque universalium et constitutionum apostolicarum etiam in die Coenae Domini legi solitarum dispositionem, ad censurarum et poenarum ecclesiasticarum tam in eis inflictarum quam a te forsan promulgatarum declarationem, ac etiam aliarum poenarum tibi benevisarum fulminationem, condemnationem et denunciationem pro-

1 Ex regest. in Secret. Brev.

cedere debeat, et minister apostolicus, praecipue facultatibus nuncii munitus, ubicumque existens possit in expulsores animadvertere, facultatesque et iurisdictiones sibi in certâ provinciâ, civitate seu loco concessas in eius subditos exercere, ac si expulsus non fuisset; et propterea ambigendum non videatur quin tu, etiam a tuâ provinciâ ut praefertur expulsus, possis in aliâ provinciâ tam Hispaniarum, quam ubique locorum, ubi secure commorari valeas, ad praedicta iuris remedia, ac alia necessaria et opportuna, ac tibi benevisa, etiam ad propulsandas offensiones et iniurias tibi illatas, nedum extraiudicialiter devenire (tam contra praefatos expulsores et illos qui eis et cuilibet eorum auxilium, consilium vel favorem quomodolibet praestiterunt, quam quoscumque alios etiam participes seu complices et fautores, etiam sub generali et universali sermone non comprehensos, cuiuscumque qualitatis, status, gradus, conditionis et dignitatis etiam ecclesiasticae sint vel fuerint, ac aliàs quomodolibet speciali et individuâ expressione dignos, etiam ultra duas ac tres et quotcumque dietas legales degentes seu moram trahentes et habitantes) sed contra quoscumque etiam iudicialiter procedendo inquirere:

Suam tamen Pontifex addit auctoritatem;

§ 3. Nihilominus nos, ad omnem dubitandi occasionem amovendam et abundantiorem cautelam adhibendam, facultatesque facultatibus addere volentes, motu proprio, certâque scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omniumque expulsionis praedictae et excessuum quorumcumque a praedictis et complicibus contra te, iurisdictionemque et immunitatem ecclesiasticam, ac Sedis Apostolicae superioritatem et iura perpetratorum, ac circumstantiarum et qualitatum quomodolibet aggravantium aliorumque praesentibus forsan inserendorum vel exprimendorum quorumcumque tenores, etiam maiores et veriores, pro sufficienter insertis et expressis habentes, fraternitati tuae praesentium tenore committimus et mandamus ac concedimus, ut tam intra quam extra praedicta regna, et ubivis locorum, etiam in quacumque alienâ provinciâ, civitate, dioecesi et iurisdictione ubi nunc et pro tempore te etiam itinerando vel transeundo existere seu morari contigerit, omnibus et singulis tam coniunctim quam divisim iuris remediis opportunis, etiam ex officio, seu per inquisitionem, etiam non requisito episcopo dioecesano, metropolitano, primate, et quocumque alio, cuiuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis et dignitatis etiam ecclesiasticae et speciali notâ ac mentione individuâ dignâ[1], nullâque petitâ nec obtentâ licentiâ illorum nec aliorum quorumcumque, nedum facultates et iurisdictiones a nobis tibi in et pro eisdem Portugalliae et Algarbiorum regnis concessas in iurisdictionis tuae subditos, ac si expulsus non esses et in praedictis regnis morareris[2], ac et in alios non subditos tibi vim aliquam inferentes, seu quomodolibet te offendentes, exerceas, exercereque libere et licite possis et valeas, sed etiam contra expulsores, eorumque complices et fautores, aliosque praedictos, etiam summarie, simpliciter, et de plano, etiam sine strepitu et figurâ iudicii, solâ facti veritate inspectâ, omni et quacumque appellatione remotâ, procedas super praemissis, rebusque aliis in actis causae et causarum huiusmodi a tuo procuratore fiscali vel ab alio per te loco illius deputando exprimendis ac deducendis, contra praefatos, omnesque alios quantumlibet magnum et maximum numerum constituentes, et quomodolibet qualificatos, quotcumque et qualescum-

Eique dat facultatem contra illos etiam extra regnum Portugalliae procedendi.

1 Legendum *dignae* vel *digno* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *moraveris* (R. T.).

que sint et fuerint, sententiasque, censuras et poenas ad tui defensionem, et iniuriarum etiam illatarum propulsationem et vindictam, nedum extraiudicialiter procedendo, infligas et fulmines, inflictasque et fulminatas, etiam a iure, vel etiam a constitutionibus apostolicis, declares ac denuncies, aggravesque et reaggraves, aliaque desuper necessaria et opportuna, etiamsi speciali expressione indigerent, facias, decernas et exequaris toties quoties opus erit vel tibi videbitur, necnon quaecumque interdicta ecclesiastica, tam personalia quam localia et mixta, in unâ seu pluribus civitatibus ac terris et locis, ac etiam in toto regno seu regnis Portugalliae et Algarbiorum, et capellâ regiâ ipsorum regnorum, cessationemque a divinis decernas et ponas. Nos enim ad praemissorum effectum plenam, amplam et sufficientem facultatem fraternitati tuae desuper tribuimus et impertimur cum facultate deputandi ubique alium vel alios cum simili vel limitatâ facultate, prout tibi videbitur, ad faciendum, gerendum et exequendum omnia et singula praedicta, ac alia quae tibi videbuntur, et quae erunt quomodolibet necessaria et opportuna, illumque et illos mittendi ad civitates, terras et loca quaecumque tibi benevisa, tam intra quam extra praefata regna consistentia, et etiam cum facultatibus citandi praefatos, omnesque alios, etiam per edictum publicum, constito etiam summarie, quantum tibi sufficere videbitur, de non tuto accessu, illisque toties quoties opus fuerit inhibendi, etiam sub sententiis, censuris et poenis, etiam pecuniariis, per te vel tuos deputatos tuo vel eorum arbitrio infligendis, applicandis et moderandis, et quaecumque alia quomodolibet necessaria et opportuna gerendi, decernendi, mandandi et exequendi.

Obstantia tollit. § 4. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII de unâ, et concilii generalis editâ de duabus dietis, aliisque apostolicis, et in conciliis universalibus provincialibusque et synodalibus editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon dictorum regnorum ac ecclesiarum, monasteriorum, Ordinum, congregationum, institutorum et militiarum quorumlibet, ac quarumvis civitatum, terrarum et locorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, legibus, usibus, naturis et ordinationibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis dictis regnis, illorumque incolis et quibusvis aliis locis et personis, tam coniunctim quam divisim, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac aliâs quomodolibet in contrarium praemissorum, etiam pluries et iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis et insertis et formam huiusmodi pro servatâ habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si eisdem regnis, illorumque incolis, et quibusvis aliis locis et personis communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod ad parendum alicui cogi et compelli, aut quod citari seu

in iudicium coram iudicibus de eorum consensu non deputatis vel extra regna huiusmodi et loca suae habitationis evocari, vel quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet aliâ eiusdem Sedis indulgentiâ generali vel speciali per quam praesentibus non expressam vel totaliter non insertam[1] effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua, cuiusque tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII decembris MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 22 decembris 1639, pontif. anno XVII.

DCLXXX.

Facultas collectori Portugalliae absolvendi illos, qui bona ecclesiastica, cappellas inibi nuncupata, occuparunt, vel etiam ecclesias molestarunt[2].

Venerabili fratri Alexandro episcopo Neocastrensi, iurium et spoliorum camerae apostolicae debitorum in regnis Portugalliae et Algarbiorum collectori generali,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Nonnulli ministri regii bona ecclesiastica occupaverant,

§ 1. Cum, sicut accepimus, nonnulli etiam officiales et ministri regii in Portugalliae et Algarbiorum regnis, sub praetextu assertarum legum seu ordinationum illorum regnorum, etiamsi illae a piae memoriae Gregorio IX et aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, etiam occasione confirmationis concordiarum inter regem, seu reges, ac praelatos et clerum aliàs initarum[1], annullatae, revocatae et abrogatae fuerint, attentaverint et inceperint inquietare et perturbare ecclesias, monasteria, beneficia, opera et loca pia eorumque possessores super suis bonis, etiam ab antiquo tempore per christifidelium diversas largitiones relictis et acquisitis, cappellis vulgo nuncupatis, de facto etiam auctoritate laicali et regiâ et coram iudicibus laicis vexare, et aliqui forsan etiam nulliter ac de facto iniuste et indebite illis easdem ecclesias et monasteria, beneficia, operaque et loca pia praedicta, eorumque possessores spoliaverint, alii etiam occupantibus et molestantibus auxilium et favorem tam in agendo et occupando quam retinendo et aliàs quomodolibet praestiterint, censuras et poenas in sacris canonibus, constitutionibus apostolicis, universalibusque conciliis, ac Bullâ in die Coenae Domini legi solitâ contentas et inflictas propterea incurrendo, tuque quosdam ex illis in censuras et poenas huiusmodi incidisse forsan declaraveris; nunc autem aliqui ex officialibus et ministris, aliisque praefatis, ad cor reversi, a censuris et poenis huiusmodi per eos incursis absolvi desiderent:

Sed postea a censuris absolvi petierant.

Urbanus facultates ad id necessarias collectori spoliorum concedit.

§ 2. Nos, attendentes exuberantem Sedis Apostolicae clementiam gremium suae pietatis veniam petentibus claudere non consuevisse, fraternitati tuae officiales et ministros praedictos et quoscumque alios, qui praefata commiserunt, seu committentibus favorem, auxilium, consilium et opera quomodolibet praestiterunt[2], si facti poenitentes veniam a te humiliter petierint, et qui tenentur ad restitutionem occupatorum illa restituerint et a molestiis et vexationibus huiusmodi revera desiterint respective, impositâ illis arbitrio

1 Ed. Main. legit. *expressa... inserta* (R. T.).
2 Ex regest. in Secret. Brev.

1 Ed. Main. legit *initorum*, tunc legi debuisset *concordatorum* pro *concordiarum* (R. T.).
2 Incongrue edit. Main. legit *praestiterint* (R. T.).

tuo poenitentiâ salutari, aliisque iniungendis iniunctis, a quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis, etiam in dictâ Bullâ in die Coenae Domini legi solitâ contentis, quas praemissorum occasione quomodolibet incurrerunt, vel incurrisse per te declarati fuerint, in formâ Ecclesiae consuetâ, auctoritate nostrâ absolvendi facultatem eâdem auctoritate tenore praesentium concedimus et impertimur.

Derogat contrariis.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die primâ ianuarii MDCXL, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 1 ianuarii 1640, pontif. anno XVII.

DCLXXXI.

Improbat accessum collectoris spoliorum camerae apostolicae Matritum ad regis aulam[1].

Venerabili fratri Alexandro episcopo Neocastrensi, iurium et spoliorum camerae nostrae apostolicae debitorum in Portugalliae et Algarbiorum regnis collectori generali,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Reprobat accessum collectoris spoliorum ad regis aulam.

§ 1. Cum, sicut nobis nuper innotuit, tu, postquam e Portugalliae et Algarbiorum regnis illorumque finibus non minus iniuriose quam ignominiose, ac maximo cum sacrilegio, ab officialibus et ministris regiis abductus fuisti, Matritum ad aulam charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici, nobis inconsultis et minime approbantibus, te contuleris, cum potius alio ire nosque hac super re prius consulere debuisses; etiamsi pro certo habeamus, te illuc accessisse ratum fore ut, inibi insinuatis ore tuo proprio actibus inhumanis tecum adhibitis et tot gravaminibus tibi illatis, remedium efficax et integrum relevamen adhiberetur; nihilominus, quia sine ordine nostro eo ivisti, nos, volentes ut omnibus pateat te id nobis insciis imo aegre ferentibus fecisse, motu proprio ac ex certâ scientiâ nostris, harum serie, itionem tuam ad aulam regiam praefatam nobis insciis et inconsultis factam plane improbamus, idque te contra nostram intentionem immo animo et voluntate nostrâ maxime reluctante et ab hoc aversâ fecisse, declaramus et attestamur.

Nullumque inde praeiudicium auctoritati Sedi Apostolicae dimanare posse declarat.

§ 2. Volentes proinde, ac decernentes, nullum omnino etiam minimum nobis ac Sedi Apostolicae nostraeque et illius auctoritati ex itione tuâ huiusmodi ad aulam praedictam praeiudicium illatum fuisse vel esse, aut imposterum fore vel dici aut intelligi posse; sicque et non aliter in praemissis ab omnibus censeri, et per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et, quatenus opus sit, regulâ nostrâ de non tollendo iure quaesito, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die II ianuarii MDCXL, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 2 ianuarii 1640, pontif. anno XVII.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

DCLXXXII.

Canonicis poenitentiariis, theologali et doctorali ecclesiarum metropolitanarum et cathedralium regnorum Castellae et Legionis prohibetur, quominus a suis absint ecclesiis, et in casu absentiae fructus praebendarum eis minime solvendos esse declaratur [1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Proœmium. Super universas orbis ecclesias ab eo qui cunctis imperat, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, constituti, in his, per quae ipsarum ecclesiarum praesertim metropolitanarum et cathedralium honori et commodis opportune consulitur, pastoralis officii nostri partes, cum a nobis petitur, libenter interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Ex decreto Concilii Tridentini erectae in unâquaque ecclesiâ praebendae poenitentiaria, theologalis et doctoralis.

§ 1. Nuper siquidem, nomine dilectorum filiorum capitulorum metropolitanarum et aliarum cathedralium ecclesiarum regnorum Castellae et Legionis, nobis exponi fecit dilectus filius Augustinus Gonzales Davila, iuris utriusque doctor, eorumdem capitulorum procurator generalis, quod in qualibet ecclesiarum huiusmodi dudum, iuxta sacri Concilii Tridentini decreta, poenitentiarius cum unione unius ex praebendis pro uno magistro vel doctore aut licentiato in sacrâ theologiâ vel iure canonico institutus, necnon una lectoralis pro uno theologo lectore Sacrae Scripturae, et praeterea, iuxta ordinationem felicis recordationis Sixti IV et Leonis X Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, et particulari Sedis Apostolicae indulto, in quibusdam ex dictis ecclesiis duae doctorales pro uno seu duobus respective doctoribus seu licentiatis in utroque vel altero iurium, ac alia praebenda magistralis respective nuncupatae pro uno magistro seu licentiato in sacrâ theologiâ constitutae fuerunt.

Iniuncta praebendatis onera.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, iuxta eiusdem Concilii Tridentini decreta, poenitentiario onus audiendi confessiones publice in ecclesiâ, theologo autem, canonicis praedictis, legendi et interpretandi Sacram Scripturam incumbat, magistralis vero et doctorales canonici huiusmodi in praedictis ecclesiis, in vim dictae ordinationis Sixti IV et Leonis X praedecessorum nostrorum huiusmodi et respective indulti praedicti, eo fine instituti sint, ut ii [1] suae ecclesiae in defendendis illius iuribus et in dandis capitulo suo aliisque ecclesiae suae ministris salubribus consiliis pro felici negociorum eorumdem directione assistant, ille [2] autem ut verbum Dei populo praedicet et in his quae ad conscientiam pertinent recta consilia capitulo et ministris suae ecclesiae praebeat, et proinde ipsos apud suas ecclesias assidue residere oporteat; contingit tamen interdum, ut nonnulli ex canonicis huiusmodi, variis praetextibus, et, inter alios, quod officio sanctae inquisitionis adversus haereticam pravitatem inserviant, ac etiam vigore indultorum sibi ab Apostolicâ Sede concessorum, ab ecclesiis suis absint, et nihilominus suorum canonicatuum et praebendarum fructus, redditus et proventus, ac etiam distributiones quotidianas integre tamquam residerent percipere praetendant, in grave ipsarum ecclesiam detrimentum.

Quibus ut satisfaciant, residere tenentur.

Sed cum saepe absint etiam ex indulto Sanctae Sedis et fructus suae praebendae accipiant.

§ 3. Quare dictus Augustinus eorumdem capitulorum nomine nobis humiliter supplicari fecit, ut capitulorum et ecclesiarum huiusmodi indemnitati in praemissis opportune consulere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Remedium postulatur.

§ 4. Nos igitur, attendentes petitionem huiusmodi rationi esse consentaneam, ac

Pontifex declarat illis absentibus fructus

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Pessime edit. Main. legit *si* pro *ii* (R. T.).
2 Improbe iterum eadem ed. legit *illae* (R.T.).

non esse dandos.

capitula et Augustinum praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eisdem capitulis metropolitanarum et aliarum cathedralium ecclesiarum regnorum Castellae et Legionis praedictorum, ut nullo umquam tempore canonicis poenitentiariis, lectoribus, magistralibus et doctoralibus suarum ecclesiarum pro tempore existentibus, ex quavis causâ, etiam praetextu quod officio sacrae inquisitionis inserviant, absentibus, etiamsi aliquod ab Apostolicâ Sede indultum desuper sine speciali capitulorum praedictorum consensu obtinuerint, fructus, redditus et proventus ac distributiones quotidianas suorum canonicatuum et praebendarum praestare minime teneantur, nec ad id inviti cogi aut compelli, seu vigore litterarum apostolicarum, nisi in illis de praesenti indulto de verbo ad verbum speciali mentio fiat, interdici, suspendi, vel excommunicari possint, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, de speciali gratiâ indulgemus.

Eisque nullum indultum suffragari, ne resideant.

§ 5. Ac praedictos canonicos poenitentiarios, lectores, magistrales et doctorales quavis de causâ, occasione, vel praetextu, etiam servitutis dictae sanctae inquisitionis huiusmodi, a dictarum suarum ecclesiarum servitiis illis incumbentibus se quoquo modo eximere, ac super hoc quodcumque indultum etiam a Sede Apostolicâ, nisi eorumdem capitulorum ad id expresso accedente consensu, impetrare, aut sibi quovis modo etiam motu proprio concesso uti vel frui nullatenus posse aut debere, nec illis in aliquo contra praesentium tenorem suffragari; quinimmo, quandocumque contigerit pro tempore existentes canonicos poenitentiarios, lectores, magistrales et doctorales huiusmodi in aliis quam dictarum suarum ecclesiarum servitiis, etiam officii sacrae inquisitionis, etiam intra civitates in quibus ecclesiae praedictae existunt, occupari, canonicatus et praebendas per eos obtentos in ecclesiis huiusmodi eo ipso vacare, ac aliis personis qualificatis, per eos ad quos eorum collatio pertinebit, libere conferri posse;

Clausulae.

§ 6. Sicque ab omnibus censeri, et ita et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, nostrosque et Sedis Apostolicae nuncios, ac quoscumque alios quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum quilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Exequutorum deputatio.

§ 7. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis metropolitanarum et cathedralium ecclesiarum praedictarum respective, necnon nostro et Apostolicae Sedis pro tempore existenti in regnis Hispaniarum nuncio, per praesentes committimus et mandamus, quatenus archiepiscopi et episcopi praedicti, quilibet in suis civitate et dioecesi, nuncius vero praedictus in quibusvis suae iurisdictionis locis, in eisdem regnis, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum capitulorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis effica-

cis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ eadem capitula praemissorum huiusmodi effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes illa desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari; contradictores quoscumque et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo; legitimisque super his habendis servatis processibus censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesiarum praedictarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, et pro sacrae inquisitionis officio, et quibusvis aliis, in contrarium praemissorum nunc et pro tempore, sub quibuscumque tenoribus et formis, quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis adhibenda fides.

§ 9 Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x ianuarii MDCXL, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 10 ianuarii 1640, pontif. anno XVII.

DCLXXVIII.

Quod fratres Minores Conventuales, tamquam Mendicantes, prohiberi non possint ab Ordinariis locorum, seu aliis regularibus, quominus per seipsos, in locis ubi habent conventus, eleemosynas quaerant.

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius Blasius a Chersio, Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum procurator generalis, nobis nuper exponi fecit, fratres praedicti, qui nedum ex regulâ quam profitentur, sed etiam ex constitutionum dicti Ordinis Urbanarum nuncupatarum auctoritate[1] confirmatarum observantiâ, vere Mendicantes sunt, et hactenus privilegiis fratrum Mendicantium gavisi fuerunt et gaudent, impediri non debeant quominus eleemosynas quaerant, praesertim in partibus ultramontanis, ubi ab haereticis maiori parte rerum quas in communi possident exuti sunt, et absque piorum eleemosynis fame perirent, aut suas domos regulares deserere cogerentur: nobis propterea dictus Blasius procurator generalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Declaratio, prout in rubricâ.

§ 2. Nos igitur, eumdem Blasium procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sen-

[1] Heic forsan deest vox *apostolicâ* vel *nostrâ*; vide de hisce constitutionibus, tom. XIII, pag. 663 (R. T.).

tentiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, inhaerentes declarationibus aliàs super editis, praefatos fratres Minores Conventuales sancti Francisci, tamquam Mendicantes, nequaquam posse ab Ordinariis locorum seu aliis regularibus prohiberi, quominus per se ipsos in locis ubi habent conventus eleemosynas quaerant, sed tantum, si extra loca ubi conventus existunt quaeritare voluerint, teneri suorum superiorum licentiam Ordinario ostendere, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus.

Decretum irritans.

§ 3. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub aliis arbitrii nostri poenis, omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet in futurum spectabit, ut eosdem fratres Conventuales praemissorum omnium commodo et effectu frui et gaudere sinant et faciant, non permittentes eos desuper a quibusvis quavis auctoritate fungentibus, etiam aliis regularibus Mendicantibus, quovis praetextu quomodolibet indebite molestari; ac decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque fratribus Conventualibus in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio facienda esset, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii[1] subscriptis, et sigillo personae alicuius in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IX februarii MDCXL, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 9 februarii 1640, pontif. anno XVII.

DCLXXXIV.

Erectio custodiae reformatae Transilvaniae fratrum Minorum sancti Francisci strictioris Observantiae[2].

1 Deest adiectivum *publici* (R. T.).

2 Istorum fratrum Reformatorum materiam habes in Constit. *Sacrosanctum*, et *In supremo*, tom. XIII, pag. 373 et 393; necnon Const. *Iniuncti nobis*, tom. XIV, pag. 719, ubi agitur de reformatione provinciarum.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Salvatoris nostri Iesu Christi, licet immeriti, vices gerentes in terris, illam curam libenter amplectimur, per quam religiosorum Ordines, multiplicatis cultoribus, quorum assiduis precibus et fructuosis operibus omnipotens Deus propitiatur et fides catholica propagatur, nostris etiam temporibus suscipiant incrementum, quod ut optatum sortiatur effectum, officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Motiva. § 1. Sane, pro parte dilecti filii procuratoris generalis fratrum Minorum Reformatorum nuncupatorum Ordinis sancti Francisci, nobis nuper expositum fuit, quod, pro culturâ catholicorum in Transilvaniâ, ac haereticorum et schismaticorum in illis partibus degentium conversione, maxime expedit ex domibus regularibus fratrum Minorum strictioris Observantiae Ordinis huiusmodi in eisdem partibus existentibus unam custodiam Transilvaniae nuncupandam erigi, et a provinciâ S. Salvatoris Ungariae eiusdem Ordinis separari.

Erectio custodiae. § 2. Nobis propterea idem procurator generalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, eiusdem procuratoris generalis votis huiusmodi, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, illumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tres, quae a fratribus Minoris strictioris Observantiae huiusmodi ad praesens, ut asseritur, habitantur in Transilvaniâ, necnon aliam de Cich, eorumdem fratrum provinciae S. Salvatoris Ungariae praedictae, domos regulares ab eâdem provinciâ S. Salvatoris illiusque ministri provincialis iurisdictione et superioritate, ita quod illi amplius minime subsint, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo separamus; ipsasque quatuor domos regulares huiusmodi in custodiam Transilvaniae nuncupandam eisdem auctoritate et tenore etiam perpetuo erigimus; illamque iurisdictioni, superioritati, visitationi et correctioni ministri et commissarii generalium pro tempore existentium eiusdem Ordinis, qui custodiam per nos sic erectam pro tempore regant, illique de religiosis et aliis necessariis provideant, immediate subiicimus; necnon in custodem custodiae huiusmodi, pro hac primâ vice, dilectum filium Stephanum Salines eiusdem Ordinis professorem deputamus et constituimus.

Quod haec custodia gaudeat privilegiis. § 3. Demum eidem custodiae sic erectae, illiusque domibus regularibus, custodi et fratribus, ut omnibus et singulis privilegiis, gratiis, praeeminentiis, concessionibus et indultis, quibus aliae eiusdem Ordinis custodiae, illarumque domus custodes et fratres utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt in futurum, similiter et aeque principaliter ac si[1] eidem custodiae per praesentes erectae illiusque domibus custodi et fratribus concessa fuissent, uti, frui et gaudere libere et licite possint et valeant, indulgemus.

Decretum irritans. § 4. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, sicque, per quos-

1 Particulam *si* nos addimus (R. T.).

cumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et provinciae S. Salvatoris praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus ac singulis, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII februarii MDCXL, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 13 februarii 1639, pontif. anno XVII.

DCLXXXV.

Opus redemptionis captivorum Calceatis Ordinis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum privative addicitur [1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Inter Calceatos ac Discalceatos inita concordia super opere redemptionis captivorum quod privative spectat ad Calceatos.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Perez de Munebrega, procurator generalis Ordinis B. Mariae Virginis de Mercede redemptionis captivorum, quod aliàs inter fratres Calceatos dicti Ordinis ex unâ et fratres eiusdem Ordinis congregationis Discalceatorum nuncupatorum ex alterâ partibus, occasione separationis ac totalis dismembrationis fratrum Discalceatorum a fratribus Calceatis huiusmodi, inita fuit quaedam concordia, inter cuius capitula extat unum tenoris sequentis, videlicet: « Item, quod ministerium[1] redemptionis solum spectet religiosis Calceatis, et quod patres Recollecti non se intromittant in recipiendis legatis a christifidelibus relictis ad dictum effectum, nec possint petere in suis monasteriis nec extra pro redimendis captivis, nec habere cippos, nec cappas, nec aliquid aliud pro eleemosynâ petendâ hac de causâ, quia totum hoc debet demandari curae et sollicitudini patrum Calceatorum dumtaxat, sicut usque nunc fuit in consuetudine »: quae quidem concordia a felicis recordationis Gregorio Papa XV praedecessore nostro, ac etiam a nobis, cum clausulâ *citra dispensationem a quarto voto*, confirmata fuit.

Qua confirmata fuit a Gregorio Papa XV et ipsemet Urbano,

§ 2. Postmodum vero, dictis fratribus Discalceatis praetendentibus, vigore praedictae clausulae *citra dispensationem a quarto voto*, ministerium redemptionis captivorum fratribus Calceatis huiusmodi in dictâ concordiâ illiusque confirmationibus dumtaxat reservatum a se quoque exerceri posse etiam vigore suarum particularium constitutionum aliàs a nobis confirmatarum, venerabiles fratres nostri sanctae Romanae Ecclesiae cardinales negotiis regularium praepositi decreverunt, vigore dictae clausulae *citra dispensationem super quarto voto* huiusmodi, et aliarum in dictâ concordiâ et illius confirmationibus apostolicis contentarum, non fuisse nec esse ius aliquod de novo quaesitum fratribus Discalceatis seu Calceatis praedictis ad ministerium redemptionis captivorum exercendum sub directione et superioritate eorum vicarii generalis, sed omnia circa ministerium dictae redem-

Idem declaratum a congregatione episcoporum et regularium.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Pessime edit. Main. legit *ministrum* pro *ministerium* (R. T.).

ptionis captivorum remansisse et remanere in eisdem statu et terminis, in quibus reperiebantur ante dictam concordiam, ita ut praedicti fratres Discalceati, quoad dictum opus redemptionis captivorum aut alia ad id ministerium quomodolibet spectantia, remaneant et remanere debeant sub directione, curâ et obedientiâ ac superioritate eiusdem dilecti filii magistri generalis Calceatorum, ac in eisdem statu et terminis, in quibus erant seu existebant ante concordiam et confirmationes praedictas. Nosque decretum cardinalium huiusmodi confirmavimus.

Vetitum postea expresse Discalceatis ne in redemptione se immisceant.

§ 3. Et subinde, nonnullis ex fratribus Discalceatis huiusmodi decreto praedicto nostrisque litteris confirmatoriis parere detrectantibus, nos omnibus et singulis fratribus Discalceatis seu Recollectis Ordinis praedicti nunc et pro tempore existentibus quacumque auctoritate et officio fungentibus, sub privationis vocis activae et passivae ac quorumcumque dicti Ordinis officiorum per eos obtentorum poenis ipso facto absque aliâ declaratione per contravenientes incurrendis, praecepimus[1], ut[2] dicto magistro generali in omnibus ab eo commissis et praedictum redemptionis captivorum opus seu ministerium quomodolibet concernentibus irrefragabiliter obedirent, et aliàs, prout in Gregorii praedecessoris praedicti, ac nostris super praemissis in simili formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur[3].

Orta subinde quaestio de legatis.

§ 4. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, fratres Discalceati praedicti praetendant legata particularia relicta, ac dispositiones quascumque, etiam donationes inter vivos, factas et pro tempore faciendas per quoscumque pro redemptione captivorum ecclesiis seu domibus aut personis ipsorum Discalceatorum cum electione industriae eorum, sub concordiâ et litteris praedictis minime comprehendi; nobis propterea idem procurator generalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportunae declarationis ministerio providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Urbanus declarat legata quaecumque, donationes, etc. ad Calceatos dumtaxat pertinere.

§ 5. Nos igitur, negocio mature[1] ac ambabus partibus pluries in facto et iure informantibus et auditis per congregationem praelatorum a nobis ad id deputatorum, eorumdem praelatorum resolutione in favorem fratrum Calceatorum eorumque procuratoris generalis factâ nobis relatâ, eiusdem procuratoris generalis et fratrum Calceatorum praedictorum votis huiusmodi annuere volentes, ac singulares eorum personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concordiam praedictam ac dicti Gregorii praedecessoris et nostras desuper expeditas litteras praedictas comprehendisse et comprehendere etiam legata particularia, ac dispositiones et donationes, etiam inter vivos, particulariter, aliàsque quomodolibet facta et factas, ac pro tempore perpetuis futuris temporibus pro captivorum redemptione per quoscumque faciendas, etiam in favorem quorumcumque praedictorum Discalceatorum ac eorum vicarii generalis ac conventuum et domorum ipsorum Discalceatorum, et in quibus eorum industria sit vel erit electa, et praesertim legatum sive dispositionem

1 Edit. Main. legit *praecipimus* (R. T.).
2 Male edit. Main. habet *et* pro *ut* (R. T.).
3 Quas omnes puto deesse (R. T.).

1 Deest vox *perpenso* aut similis (R. T.).

et donationem quondam Elvirae Manrique factam conventui S. Barbarae Matriti Toletanae dioecesis, non factâ expressione[1], ita ut in ministerio redemptionis captivorum attributo seu concesso per concordiam vel litteras apostolicas praedictas magistro generali dictorum fratrum Calceatorum comprehensa et comprehensae sint et comprehendantur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus.

Perpetuumque silentium Discalceatis imponit.

§ 6. Eisdemque fratribus Discalceatis, eorum conventibus, et vicario generali perpetuum silentium imponimus.

Clausulae.

§ 7. Sicque ab omnibus censeri, et per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Decretum, ne generalis Calceatorum quidquam sibi, aut suo Ordini addicat.

§ 8. Volumus tamen, quod idem magister generalis Calceatorum debeat integre relicta, donationes et dispositiones praedictas in praedictum opus redemptionis expendere absque eo quod aliquam illorum partem pro se, conventibus, aut suâ religione Calceatorum huiusmodi, nec aliàs umquam retinere possit.

Derogatio obstantium.

§ 9. Non obstantibus quorumvis testatorum et testatricum etiam ultimis voluntatibus, ac donantium dispositionibus, quas in et quoad praemissa, quatenus foret opus, sufficienter et expresse commutamus, necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac constitutionibus Discalceatorum auctoritate apostolicâ confirmatis, et praecipue earum capitulis XX, XXI et XXII primae distinctionis, ac omnibus illis quae in praedictis litteris apostolicis dictus Gregorius praedecessor voluit et nos voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV februarii MDCXL, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 15 februarii 1640, pontif. anno XVII.

1 Clausulam *non facta expressione* non intelligo (R. T.).

DCLXXXVI.

Prohibitio, ne de cetero in monasteriis monialium Ordinis Praedicatorum provinciae Andalusiae, et eorum ecclesiis, comoediae recitentur[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Causae decreti.

§ 1. Cum monialium monasteria ideo muris undique claudantur, ut ipsae a communi hominum consortio plane separatae, Deo, cui suam integritatem sponte devoverunt, liberius servire, et, lasciviendi occasione sublatâ, eidem corda et corpora sua in omni sanctimoniâ diligentius custodire valeant; oportet proinde a monasteriis huiusmodi et earum ecclesiis, quae sunt domus orationis, actus quoscumque profanos, et personarum secularium concursus omnino arceri, ne inde puros monialium mores facile corrumpi, et divinam maiestatem graviter offendi contingat.

Prohibitio, de qua in rubricâ.

§ 2. Hinc est quod nos, supplicationibus nomine dilecti filii Petri Manrique de Sfenophosa, prioris provincialis provinciae Andalusiae Ordinis Praedicatorum, nobis hac super re humiliter porrectis inclinati, ne de cetero perpetuis futuris temporibus in quibusvis monialium dicti Ordinis et praesertim Matris Dei Hispalensis monasteriis in praedictâ provinciâ existentibus, et eorum ecclesiis, cuiuscumque generis comoediae a comoedis et aliis personis secularibus agantur et recitentur, sub ex-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

communicationis, tam per agentes et recitantes, quam per monasteriorum huiusmodi priorissas seu abbatissas, et eorum superiores, qui comoedias praedictas in dictis monasteriis et ecclesiis agi et recitari permiserint, necnon etiam per seculares personas cuiuscumque dignitatis, gradus et conditionis, quae comoedias huiusmodi in eisdem monasteriis et ecclesiis agi et recitari fecerint, comoedosque ad illas agendas eo mittere praesumpserint, eo ipso incurrendâ poenâ, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, districte prohibemus.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictorumque monasteriorum et Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum efctum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII februarii MDCXL, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 17 februarii 1640, pontif. anno XVII.

DLXXXVII.

Facultas magno magistro hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani imponendi quoddam vectigal super rebus comestibilibus, pro muniendis insulâ Melitensi et Gozzi [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Dilecto filio, magno magistro hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,

salutem et apostolicam benedictionem.

Magnus magister muniendas esse Melitanam et Gozzi insulas exposuerat.

§ 1. Aliàs, pro parte tuâ nobis exposito, quod, habitâ per reiteratos nuncios molitionum notitiâ, quas impius Turcarum tyramnus contra insulam Melitanam machinabatur, ut praedictam et adiacentem Gozzi insulas adversus eorumdem Turcarum irruptiones et invasiones de cetero tutas et securas redderes, illas novis operibus munire coeperas, munitionesque huiusmodi ordinariis communis aerarii istius hospitalis S. Ioannis Hierosolimitani viribus ad finem perduci debitum nequibant, nisi sibi de aliquo subventionis auxilio per nos opportune provideretur:

Pontifex autem facultatem concesserat quoddam vectigal imponendi iisdem in insulis.

§ 2. Nos, considerantes, sicut eadem expositio subiungebat, insulam Melitanam praedictam maximum esse nedum Italiae, sed totius reipublicae christianae adversus eosdem Turcas propugnaculum, et propterea illi quacumque opportuniori ratione succurri debere, tuis hac in parte supplicationibus inclinati, tibi concessimus facultatem imponendi collectam seu contributionem super omnibus et singulis ac quibuscumque bonis stabilibus laicorum necnon etiam dicti hospitalis magni magistri et personarum quarumcumque, infra limites dictarum insularum existentibus, annuum redditum quomodolibet ferentibus, usque ad summam quinquaginta millium scutorum, infra tempus tibi benevisum persolvendam per modernos et pro tempore existentes eorumdem bonorum et reddituum possessores, pro perficiendis et finiendis novarum munitionum huiusmodi operibus, et non in alios usus convertendam.

Decimamque a clero persolvendam praescripserat.

§ 3. Ac insuper, attendentes cleri dictarum insularum aeque ac laicorum interesse munitiones praedictas perfici,

imposuimus tot decimas semel et infra tempus tunc existenti in dictis insulis adversus haereticam pravitatem inquisitori generali benevisum persolvendas, quae in totum ad summam quinque millium scutorum monetae ascenderent, fructuum, reddituum et proventuum bonorum cleri, tam secularis, quam quorumcumque utriusque sexus Ordinum, etiam Mendicantium redditus annuos habentium, etiam Societatis Iesu, regularis, in insulis praedictis, et aliàs, prout in binis nostris in simili formâ Brevis desuper sub die IX februarii MDCXXXVI expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis et totaliter insertis haberi volumus, uberius continetur[1].

Quae cum exequutioni demandata non fuerint:

§ 4. Cum autem, sicut nobis nuper exponi fecisti, praemissa effectus suos hactenus sortita non fuerint, tuque propterea aliâ commodiori ratione inopiam communis aerarii dicti hospitalis pro perficiendis munitionibus praefatis per nos sublevari desideres:

Urbanus irritat.

§ 5. Nos, ut munitiones huiusmodi quamprimum absolvi possint, quantum cum Domino possumus, providere, teque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, facultatem imponendi collectam seu contributionem scutorum quinquaginta millium monetae super bonis laicorum ac dicti hospitalis magni magistri et personarum quarumcumque, infra limites dictarum insularum existentibus, tibi, ut praefertur, a nobis concessam, ac desuper emanatas litteras nostras praedictas, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, cassamus et abolemus, revocamus et annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino evacuamus, illasque nullius roboris et momenti esse, ac pro nullis revocatis, cassatis, irritis et inanibus, perinde ac si numquam emanassent, haberi et censeri debere, decernimus et declaramus:

Et magno magistro facultatem dat novum vectigal imponendi super rebus comestibilibus.

§ 6. Loco autem et vice facultatis imponendi contributionem seu collectam praedictam, per nos, ut praefertur, revocatae et annullatae, tibi licentiam imponendi super tritico et granis, leguminibus, fructibus, vino, carne, piscibus, oleo, olivis, et aliis quibuscumque rebus comestibilibus, vendendis et emendis in praedictis insulis, unam gabellam arbitrio tuo pro summâ tamen quinquaginta millium scutorum monetae romanae in totum dumtaxat, in praedictos perfectionis dictarum munitionum et alios usus integre convertendam[1], illamque a quibuscumque personis laicis, et, ut fraudes et difficultates, quae in eius exactione intervenire possint, evitentur, etiam ab ecclesiasticis secularibus, ac dicti hospitalis, et cuiusvis alterius Ordinis, congregationis, societatis et instituti etiam Mendicantium utriusque sexus regularibus, hospitaliumque et aliorum locorum piorum personis, etiam quocumque immunitatis, exemptionis, vel alio quovis privilegio suffultis, etiamsi de illis specialis, specifica, individua ac de verbo ad verbum expressa mentio facienda esset, exigendi, seu exigi faciendi, auctoritate et tenore praedictis, concedimus et impertimur.

Quod habeatur loco decimae, quoad ecclesiasticos.

§ 7. Ceterum volumus, ut in fine cuiuslibet mensis rata dictae gabellae praedictos ecclesiasticos tangens per viam compensationis cum decimâ praedictâ, quae ab ecclesiasticis esset solvenda nisi fieret

1 Sub hoc dato non leguntur, sed vid. tom. XIV, pag. 368 (R. T.).

1 Edit. Main. habet *convertenda* (R. T.).

compensatio huiusmodi, restituatur, qua quidem compensatione mediante ipos ecclesiasticos a solutione eiusdem decimae pro ratâ, quae compensabitur, liberatum iri decernimus.

Libros speciales rationum pro huiusmodi vectigali confici mandat.

§ 8. Ut autem omnes et singulae pecuniae ex dictâ gabellâ exigendae in praefatos et non alios usus convertantur, tibi praecipimus et mandamus, ut particulares libros, in quibus pecuniae ex gabellâ huiusmodi percipiendae absque fraude adnotentur, confici cures et iubeas.

Clausulas apponit.

§ 9. Decernentes omnes et quascumque personas praedictas ad gabellae per te vigore praesentium imponendae solutionem omnino teneri, easque ad id opportunis iuris ac facti remediis, summarie, omni appellatione, reclamatione et recursu remotis, cogi et compelli posse, praesentes vero litteras de obreptionis seu subreptionis aut nullitatis vitio, vel nostrae et Sedis praedictae intentionis seu quocumque alio defectu, notari, redargui, impugnari in ius vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari minime posse; sicque ab omnibus censeri, et per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac quaecumque dicti hospitalis tribunalia, necnon S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, dictaeque Sedis nuncios, et quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantia tollit.

§ 10. Non obstantibus praedictis nostris litteris, ac quibusvis apostolicis et in conciliis universalibus, provincialibusque et synodalibus editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quarumvis ecclesiarum, monasteriorum, ordinum, congregationum, institutorum et locorum piorum, ac insularum praedictarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus et litteris apostolicis, quibusvis ecclesiis, monasteriis, ordinibus, congregationibus et institutis, locisque piis, ac insulis praedictis, et personis quibuslibet, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque ac aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, ac individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII februarii MDCXL, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 18 februarii 1640, pontif. anno XVII.

DCLXXXVIII.

Facultas episcopo Civitatis Castelli Rempublicam Lucanam ecclesiastico interdicto subiiciendi[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Venerabili fratri Caesari, episcopo Civitatis Castelli, Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Refert litteras editas XXIV septembris MDCXXXIX.

§ 1. Nuper emanarunt a nobis litterae in simili formâ Brevis tibi directae, tenoris subsequentis, videlicet: *a tergo:* Venerabili fratri Caesari episcopo Civitatis Castelli; *intus* vero: Urbanus Papa VIII, venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. Cum sicut non sine gravi (*Reliqua, ut in aliis expeditis sub die* XXIV *septembris* MDCXXXIX, *supra, pag.* 7).

Novosque Lucanorum excessus.

§ 2. Cum autem, sicut nobis postmodum innotuit, tu, in exequutione praeinsertarum nostrarum litterarum, civitatem Lucanam petens, non solum eâ qua par erat civilitate et honorificentiâ non fueris exceptus, sed etiam in finibus ipsius dominii armato milite fueris praepeditus ulterius pervadere ac iter tuum prosequi, in maximam tui, immo nostri, et Apostolicae Sedis irreverentiam, ac illam quidem et omnes alios excessus in praeinsertis litteris narratos tam dicti officiales quam Respublica ipsa hactenus agnoscere et emendare neglexerint, quinimo abiecto Dei timore in suâ pervicaciâ persistant:

Et episcopo Civitatis Castelli facultatem dat illos excommunicationi, civitatem vero, oppida etc., ecclesiastico interdicto.

§ 3. Nos, qui nullo pacto ferre debemus ut nostra et dictae Sedis auctoritas adeo pernicioso ceteris chistifidelibus exemplo contemnatur, animadvertentes antianos, vexilliferum, consiliarios et Rempublicam huiusmodi paternâ nostrâ clementiâ et patientiâ in suarum damnationem animarum abuti, nequaquam differenda amplius esse graviora ecclesiasticae disciplinae remedia, quibus in viam iustitiae, a qua turpiter aberrant, quamprimum reduci salubriter possint, arbitramur. Idcirco, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, citra recessum a praemissis nostris litteris, nisi quatenus aliter per praesentes disponimus, illasque in reliquis confirmantes et approbantes, et te, quo maiori cum auctoritate iniunctum tibi munus iuxta mentem et intentionem nostram exequi valeas, ampliorибus facultatibus suffultum esse volentes, tibi ut postquam antianos, vexilliferum, consiliarios, iudices, ministros et officiales Reipublicae et civitatis Lucanae praedictarum culpabiles in praemissis repertos in excommunicationis maioris aliasque poenas in dictis litteris expressas et a sacris canonibus, legibus, aliisque constitutionibus inflictas incidisse et incurrisse declaraveris, illico, absque ullius termini praefixione, nullâque morâ vel dilatione interpositâ, dictam civitatem Lucanam, ac quaecumque oppida, terras, castra et loca, universumque temporale dominium Reipublicae huiusmodi, ecclesiastico interdicto, non expectatâ aliâ ulteriori contumaciâ, supponere et subiicere, ac supposita et subiecta esse et fore nunciare, declarare et decernere libere et licite possis et valeas, plenam, amplam et liberam facultatem et auctoritatem, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Derogatque contrariis.

§ 4. Non obstantibus, quoad ea quae praesentibus adversantur, litteris nostris praedictis, ac omnibus illis quae in eisdem litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque, licet talia essent, quae individuâ atque specificâ mentione indigerent.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII februarii MDCXL, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 23 februarii 1640, pontif. anno XVII.

DCLXXXIX.

Declaratio mentis suae circa reductionem onerum quorumdam beneficiorum[1].

1 Multa alia securitatem conscientiarum beneficia obtinentium concernentia videri possunt

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Aliàs nos[1], ex certis rationabilibus causis adducti, ex diversis legatis piis, seu bonis, diversis domibus regularibus fratrum, tam non reformatorum, quam etiam forsan reformatorum, Ordinis sancti Francisci Minorum de Observantia nuncupatorum, similium legatorum incapacium, in diversis civitatibus et locis regni Neapolitani, ac in civitate seu dioecesi Florentinâ, ac alibi etiam forsan in Statu nostro Ecclesiastico existentibus, per christifideles per viam testamentorum, seu codicillorum, aut donationum, tam inter vivos, quam causâ mortis, aut aliàs etiam sub celebrationis missarum et seu anniversariorum aliorumve divinorum officiorum et suffragiorum et forsan aliis oneribus, ac etiam sine oneribus, respective relictis, diversa perpetua simplicia beneficia ecclesiastica in diversis ecclesiis et diversis temporibus, tam nostro motu proprio, quam ad diversorum supplicationem, apostolicâ auctoritate perpetuo ereximus et instituimus, illisque sic erectis et institutis, pro eorum dote et illa pro tempore obtinentium substentatione, onerumque eis incumbentium supportatione, tam in actu ipsarum erectionum et applicationum plurima, quam etiam deinde in pluribus vicibus diversa alia legata seu bona similia cum similibus oneribus, ac etiam forsan sine illis, eisdem seu aliis domibus regularibus eorumdem fratrum etiam ut praefertur relicta, etiam forsan cum eorum fructibus eatenus respective decursis, etiam forsan pro supplemento seu augmento dotis huiusmodi, etiam perpetuo applicavimus et appropriavimus, oneraque eisdem legatis, seu bonis, ut praefertur incumbentia ad certum missarum numerum per unumquemque ex obtinentibus unumquoque ex beneficiis huiusmodi vel per alium eius nomine respective celebrandis etiam perpetuo reduximus, ac obtinentes beneficia huiusmodi ad aliquod aliud quam dictarum missarum onus non teneri voluimus, ipsaque beneficia a primaevâ illorum erectione et institutione huiusmodi vacantia diversis clericis seu presbyteris contulimus, et de illis etiam providimus, prout in diversis nostris desuper confectis litteris plenius respective continetur.

§ 1. Cum autem, sicut accepimus, nonnulla ex dictis legatis seu bonis, sicut praefertur applicatis et appropriatis, cum onere dotationis alicuius puellae seu aliquarum puellarum inter cetera eisdem fratribus relicta fuerint, ab aliquibus vero revocetur in dubium, an sub reductionibus onerum sic in confuso expressorum per nos ut praefertur factis dotationes puellae seu puellarum huiusmodi comprehensae extiterint: nos, ne ulterius circa praemissa a quoquam haesitari contingat providere ac securitati conscentiarum dicta beneficia obtinentium consulere volentes, ac omnium et singularum litterarum super erectionibus et institutionibus ac applicationibus et appropriationibus necnon reductionibus et provisionibus huiusmodi respective confectarum totos et integros tenores, perinde ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, inserirentur et exprimerentur, ac datas necnon nomina et cognomina illorum, qui dicta beneficia ad praesens obtinent, seu aliàs obtinuerunt, etiamsi familiares ac continui commensales ac praelati domestici nostri aut aliàs speciali notâ et expressione digni sint, ac etiam legatorum seu bonorum praedictorum veros annuos valores, eorumque ac dictorum onerum qualitates et quantitates praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis

Declarat Pontifex suam mentem circa reductionem onerum quorumdam beneficiorum.

annotata in repertorio materiarum, sub verbo *Beneficium*.

1 Pessime ed. Main. legit *non* pro *nos* (R. T.).

habentes, motu simili, et ex certâ scientiâ nostrâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, mentis et intentionis nostrae fuisse et esse decernimus et declaramus sub reductionibus onerum, sicut supra in confuso et in genere absque aliquâ specificatione dotationis seu dotationum puellae seu puellarum expressorum et narratorum per nos factis huiusmodi, noluisse comprehendere illa onera dotationum, quae fuerunt relicta pro aliquâ puellâ, vel aliquibus puellis nominatim, vel de aliquâ particulari familiâ, aut descendentiâ, seu agnatione in specie, quae nullo modo reducta intelligantur, sed iuxta voluntatem legantium tam quoad tempus decursum quam decurrendum semper et perpetuo adimpleri debeant, sed tantum eas dotationes, quae fuerunt relictae pro aliquâ puellâ seu aliquibus puellis etiam ex certo loco oriundis aut aliàs quomodolibet qualificatis in genere et in confuso absque ullâ speciali expressione personarum, seu particularis familiae, aut descendentiae, vel agnationis;

Clausulas praeservativas apponit.

§ 2. Sicque, et non aliàs, litteras nostras praedictas etiam ab illarum datâ intelligi, et per modernos ac pro tempore obtinentes beneficia huiusmodi et eorum quemlibet tam quoad tempus praeteritum quam futurum semper et perpetuo observari debere, praesentesque litteras de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu notari vel impugnari numquam posse, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et vicelegatos ac Sedis Apostolicae nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Per praesentes autem non intendimus aliquid innovare seu immutare circa eas dotationes dictarum puellarum, quae a nobis in eisdem litteris, seu earum aliquibus, in specie praeservatae extiterunt.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus litteris nostris praefatis, et earum singulis, quatenus in aliquo obstent, aut obstare dici possent, ac earumdem legantium voluntatibus, necnon regulâ nostrâ de iure quaesito non tollendo, quatenus opus sit, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis, quae in dictis litteris, earumque singulis, voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 4. Volumus autem, quod praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, et manu nostri et pro tempore existentis Romani Pontificis datarii subscriptis, eiusque sigillo munitis, eadem prorsus tam in iudicio quam extra illud ubique in Romanâ curiâ et extra eam fides adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus litteris, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI martii MDCXL, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 6 martii 1640, pontif. anno XVII.

DCXC.

Prohibitio erigendi nova loca sub titulo de Propagandâ Fide ubique terrarum absque facultate Sedis Apostolicae.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Prohibitio, prout in rubricâ.

Ne nova loca sub titulo de Propagandâ Fide imposterum ubivis gentium temere et inconsultâ Sede Apostolicâ erigantur aut instituantur, quantum cum Domino

possumus, opportune providere volentes, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium negotio Propagandae Fidei huiusmodi praepositorum consilio, superioribus cuiuscumque Ordinis, religionis, congregationis, societatis, aut instituti, sub poenis privationis officiorum et vocis activae et passivae ac inhabilitatis ad ea, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, prohibemus, ne monasteria, conventus, domos, seminaria, collegia, hospitia, seu oratoria sub titulo de Propagandâ Fide construant aut erigant, vel a suis subditis construi aut erigi permittant, sine speciali eorumdem cardinalium licentiâ.

Contrariis derogat.

§ 1. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac cuiuscumque Ordinis, religionis, congregationis, societatis et instituti, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis;

§ 2. Quibus omnibus, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio facienda esset, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 3. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu secretarii congregationis dictorum cardinalium de Propagandâ Fide vel notarii publici subscriptis, et sigillo praefecti congregationis huiusmodi vel personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII martii MDCXL, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 13 martii 1640, pontif. anno XVII.

Anno a nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCXL, *indictione* VIII, *die vero* XXIV *mensis martii, pontificatus autem sanctissimi domini nostri domini divinâ providentiâ Urbani Papae VIII, anno eius* XVII, *supradictum Breve affixum et publicatum fuit ad valvas curiae, in acie Campi Florae, ac aliis locis solitis et consuetis Urbis, per me Antonium Bardum praelibati sanctissimi domini nostri Papae cursorem.*

DCXCI.

Confirmatio decreti a magistro generali Ordinis S. Spiritus de consensu vocalium dicti Ordinis facti, quo cavetur, ne ullus imposterum in Ordine huiusmodi admittatur, nisi prius per continuum annum saltem in aliquo archihospitalis S. Spiritus de Urbe ministerio se laudabiliter gesserit.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ex iniuncto nobis pastoralis officii munere his quae pro religiosorum quorumlibet statu prospero dirigendo provide statuta et ordinata sunt, ut inviolabiliter serventur, apostolici roboris adiicimus firmitatem, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Refert decretum praeceptoris.

§ 1. Cum itaque, sicut nobis nuper exponi fecit venerabilis frater Stephanus episcopus Xirenensis, nostri archihospitalis S. Spiritus in Saxia nuncupati de Urbe praeceptor, ac totius Ordinis S. Spiritus magister generalis, ipse, archihospitalis et Ordinis praedictorum profectui bonaeque directioni consultum esse cupiens, die XIII mensis decembris anni MDCXXXIV, de unanimi patrum vocalium dicti Ordinis consensu, fecerit decretum tenoris subsequentis, videlicet: « Nullus imposterum in Ordine S. Spiritus valide possit admitti, nisi prius per continuum saltem annum in aliquo dicti archihospitalis ministerio se fideliter et laudabiliter gesserit, ac annum aetatis suae XXII attigerit, XLV non excesserit, salvâ in reliquis formâ constitutionis felicis recordationis Sixti Papa V de recipiendis ad religionem novitiis editae »:

Et illud confirmat.

§ 2. Nos, inviolabili decreti huiusmodi observantiae, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, dictumque Stephanum episcopum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eiusdem Stephani episcopi nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, ac illud in archihospitali et Ordine praedictis inviolabiliter observari mandamus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon archihospitalis et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI aprilis MDCXL, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 16 aprilis 1640, pontif. anno XVII.

DCXCII.

Nonnullae facultates congregationi Propagandae Fidei conceduntur super collegiis Avenionensibus[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Refert aliàs a se haec collegia regimini Con-

§ 1. Aliàs[2] per nos accepto, quod in civitate nostrâ Avenionensi unum S. Ni-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Confer. const. DCXLVI eiusdem Pontifices in tom. XIV relatam, pag. 726 (R. T.).

gregationis de Propaganda Fide fuisse subiecta.

colai de Anexiaco magnum nuncupatum et alterum de la Rovere vulgo etiam nuncupatum collegia pro recipiendis, alendis et instruendis in eis collegialibus seu alumnis, ex provinciis et locis in eorum fundatione expressis evocandis, a multis annis apostolicâ auctoritate aut aliàs instituta, erecta et dotata reperiebantur, et ex relatione visitationis praefatorum collegiorum in congregatione de Propagandâ Fide in nostrâ praesentiâ habitâ per nos etiam comperto bona tam libera quam emphyteutica et iurisdictiones ac redditus praefatorum collegiorum, temporis successu, et malo rectorum et aliorum qui curam illorum habuerant regimine, non solum deteriorata et imminuta, sed etiam ex parte alienata fuisse, ipsorum quoque collegiorum aedificia praefatorum ministrorum incuriâ et negligentiâ pessumdata, et disciplinam collegialium seu alumnorum ob constitutionum praedictorum collegiorum inobservantiam fere penitus esse collapsam, et denique, contra fundatorum mentem et dispositionem pontificiasque constitutiones pro praefatis collegiis editas, multos graves in eis, et praesertim circa gubernium praedictorum collegiorum [1] seu alumnorum, irrepsisse abusus, quibus nisi celeriter provideretur, res omnes praefatorum collegiorum in deterius labi necesse erat, et modica seu nulla utilitas aut fructus ex illis imposterum percipi potuissent: nos, eorumdem collegiorum reformationi, conservationi et manutentioni, bonoque eorum regimini ac praefatorum bonorum et iurisdictionum ac reddituum eorum exactioni ac fideli administrationi consulere volentes, motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ merâque deliberatione nostris, habito desuper cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus negotio propagationis fidei in universum mundum praepositis maturo consilio, collegia praedicta et eorum quodlibet, necnon eorum et cuiuslibet ipsorum doctores, magistros, scholares, aliosque ministros et personas quascumque, necnon bona, iurisdictiones, proventus, iura et emolumenta quaecumque, quocumque nomine nuncupata, aliasque res omnes et singulas tam ecclesiasticas quam profanas, necnon ecclesias seu cappellas, omnino iurisdictioni, gubernationi, protectioni et directioni tunc et pro tempore existentium eorumdem cardinalium privative quod alios omnes quacumque dignitate fungentes, etiamsi specialem requisivissent mentionem, qui super collegiis, personis, rebus et bonis praedictis vel eorum aliquibus similem gubernationem, protectionem, iurisdictionem et directionem ex quacumque causâ quomodolibet habebant seu habere potuissent, apostolicâ auctoritate perpetuo subiecimus et submisimus, eisdemque cardinalibus, praedicta collegia et eorum quodlibet, prout eis visum fuisset, reformandi, regendi et gubernandi, rectoresque, iudices, cappellanos, oeconomos et alios ministros eorumdem collegiorum, et cuiuslibet eorum, deputandi et constituendi, eosque et quemlibet eorum, ad eorumdem cardinalium merum et liberum et absolutum beneplacitum, et etiam absque ullâ causâ, amovendi, in collegiis praefatis scholares seu alumnos ex provinciis in fundationibus eorum expressis et nominatis oriundos, qui testimoniales litteras suorum Ordinariorum de vitâ et moribus et idoneitate ad studia deferant, admittendi, eosque, si dyscoli aut inepti ad studia fuissent, vel aliàs in litteris vel bonis moribus non perfecissent, et denique si constitutiones praedictorum collegiorum non observassent, e collegiis

1 Potius lege *collegialium* (R. T.).

ipsis et eorum quolibet eiiciendi, necnon eorumdem collegiorum et cuiuslibet eorum bona, iura et iurisdictiones et redditus huiusmodi administrandi, ipsosque redditus in alendis scholaribus et ministris, ac in reficiendis et reparandis fabricis eorumdem collegiorum, et eorum cuiuslibet, aut aliàs prout expediens visum fuisset circa manutentionem et conservationem dictorum collegiorum, et cuiuslibet eorum, insumendi, bonaque et iurisdictiones huiusmodi ad tempus a iure permissum locandi et dislocandi, affictus exigendi, eosque insumendi, ut supra, ac de exactis quietandi, ac alia in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna faciendi, dicendi, exercendi, gerendi, procurandi et exequendi, etiam privative quoad omnes alios, dictâ auctoritate facultatem etiam perpetuo concessimus et impertiti fuimus, eisdemque cardinalibus, ut facultatem huiusmodi ut praefertur impertitam circa praemissa vel eorum aliquod, ac in toto vel in parte, prout eis visum fuisset, tunc et pro tempore existentibus legatis vel prolegatis Avenionensibus, aut congregationi particulari in civitate Avenionensi erectae seu erigendae, communicare libere et licite possent et valerent, dictâ auctoritate similiter perpetuo indulsimus, et aliàs, prout in nostris sub plumbo desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus[1] plenius, continetur.

Nunc alias eidem Congregationi facultates cancedit.

§ 2. Nunc autem, prospero felicique eorumdem collegiorum statui, regimini et gubernio peramplius consultum esse cupientes, ex relatione pariter congregationis eorumdem cardinalium die XXVII martii MDCXXXVIII coram nobis habitae, eisdem cardinalibus negotio propagationis fidei in universum mundum praepositis, pro salubri eorumdem collegiorum directione et regimine, nova statuta condendi et vetera reformandi, si opus fuerit, eisdemque veteribus statutis et fundationibus, etiamsi a Sede Apostolicâ aut legatis Avenionensibus aliàs condita vel confirmata fuerint, pro bono collegiorum praedictorum derogandi, insuper agentes et procuratores constituendi pro recuperatione bonorum et iurisdictionum male alienatorum ad praefata collegia spectantium, et denique alia quaecumque faciendi et gerendi, quae pro recto regimine praefatorum collegiorum, ac bonorum, iurium et iurisdictionum eorumdem eisdem cardinalibus necessaria aut quomodolibet opportuna videbuntur, plenam, liberam et omnimodam licentiam et facultatem etiam perpetuo concedimus et impertimur.

Derogatque contrariis.

§ 3. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae in praefatis nostris litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV maii MDCXL, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 15 maii 1640, pontif. anno XVII.

1 Quas vide tom. XIV, pag. 726 (R. T.).

DCXCIII.

Declarat civitatem Sarsinae ac terram Meldulae et Castrum del Rio in provinciâ Romandiolae existentia comprehendi sub legatione Romandiolae[1].

Dilecto filio nostro Marco Antonio tituli S. Mariae de Pace presbytero cardinali Franciotto nuncupato, in provinciâ Romandiolae et exarchatu nostris Ravennae nostro et Apostolicae Sedis de latere legato,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Causae faciendae declarationis.

§ 1. Cum nos, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

te hodie in provinciâ Romandiolae et exarchatu nostris Ravennae nostrum et Apostolicae Sedis de latere legatum, ac pro nobis et S. R. E. in spiritualibus et temporalibus vicarium generalem, cum certis facultatibus et auctoritate procedendi etiam contra feudatarios, barones et domicellos, ad triennium proximum constituerimus, dubitari vero ab aliquibus forsan posset, an civitas Sarsinae et terra Meldulae, Sarsinatensis seu alterius aut nullius dioecesis, necnon Castrum del Rio nuncupatum, Imolensis dioecesis, quae in provinciâ praedictâ existunt, et nuper a nobis et Apostolicâ Sede ex causâ devolutionis seu caducitatis aut aliàs alio modo recuperata fuerunt, seu de proximo recuperabuntur, sub legatione tuâ huiusmodi et facultatibus tibi, ut praefertur, concessis comprehendantur:

Declaratio, de qua in rubricâ.

§ 2. Nos, licet nullatenus controverti possit, quin ea sint sub legatione et facultatibus huiusmodi comprehensâ, cum legatio et facultates praefatae quascumque civitates, terras et castra provinciae praefatae complectantur, nihilominus, ut omnis circa id ambigendi occasio prorsus tollatur, motu proprio, ac ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, civitatem Sarsinae ac terram Meldulae necnon Castrum del Rio huiusmodi sub legatione et facultatibus praefatis, prout reliquae civitates, terrae et castra provinciae et exarchatus huiusmodi, comprehendi et comprehensa esse, sicque ab omnibus censeri, teneri, iudicari et definiri debere, sublatâ quibusvis aliter interpretandi vel iudicandi facultate et auctoritate, tenore praesentium declaramus et decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, quibuscumque civitatis Sarsinatensis et terrae Meldulae ac Castri del Rio praefatorum concessionibus et infeudationibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI maii MDCXL, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 21 maii 1640, pontif. anno XVII.

DCXCIV.

Pro restituendo ac conservando in Ordine fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ disciplinae regularis candore[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Militantis Ecclesiae regimini, meritis licet imparibus, inscrutabili divinae providentiae voluntate praesidentes, quid pro felici christifidelium quorumlibet, et praesertim regularium personarum, quae, ab-

1 De huiusmodi fratrum religione plene notatum est ad Const. *Sacrosanctum*, et *In supremo*, tom. XIV, pag. 373 et 393; et in statutis generalibus supra relatis pag. 25.

iectis mundi vanitatibus, Deo sub suavi religionis iugo se totas devoverunt, statui conferat, diligenter prospicimus, ac quae ipsis, per emissorum votorum semitas ad perfectionis apicem contendentibus, offendiculo esse possunt, removere studemus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Motiva.

§ 1. Cum igitur, sicut accepimus, in Ordine fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, ob minus accuratam aliquorum praeceptorum regulae eorumdem fratrum Observantiae, nonnullosque abusus qui in Ordine praedicto contra apostolicarum constitutionum praecipue et felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri decretorum pro reformatione regularium editorum praescriptum irrepserunt [1], pacem mentisque quietem turbari, religionis candorem minui, ac fidelibus non paucorum scandalorum occasionem praeberi contingat:

Tollit quasdam desuetudines et poenas apponit.

§ 1. Hinc est quod nos, eiusdem Clementis decretis, dictique Ordinis statutis, per Sedem Apostolicam confirmatis, inhaerendo, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione confirmantes quae aliàs a nobis circa patrum privilegiatorum abrogationem sub die XXIII iulii anni MDCXXXIX sancita fuere [2], patrum ex electione factorum (sive ii procuratores et commissarii generales curiae, sive definitores generales Ordinis, seu ministri provinciarum, sive earumdem custodes et definitores, a quibus ob maiorem multitudinem maiora etiam in eisdem oriuntur incommoda, quos ultra numerum in statutis Ordinis praescriptum minime augeri posse sine dispensatione decernimus, sive provincialium gratiis et privilegiis ex Ordinis concessione gaudentes extiterint vel existant), relictâ tantummodo praecedentiâ, ac antelatione, ac socio eisdem per Ordinis statuta respective concessis, omnes exemptiones, immunitates, licentias, consuetudines, quae potius abusus dici possunt, quoquomodo in dicto Ordine obtenta, inducta, intrusaque, in perpetuum cassamus, tollimus, abolemus et abrogamus, ac cassata, ablata, abolita et abrogata esse et censeri debere (cuicumque in posterum tales exemptiones et privilegia concedendi facultate penitus interdictâ sub privationis vocis activae necnon excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrendis poenis) decernimus et ordinamus.

Dat facultatem superioribus libere exercendi munus suum.

§ 3. Declarantes, ex officiis, quibus functi fuerint, nullum aliud in ipsis remansisse vel remanere, aut eos praetendere possse ius, arbitrium, superintendentiam, intelligentiam, vel, quocumque alio nomine nuncupetur, praeeminentiam in provinciis, conventibus, fratrum collationibus, aliisque dispositionibus; ita ut liberum omnino sit provincialibus et definitoribus (nullo ad praedictos patres habito respectu) de conventibus disponere, guardianos instituere, fratres collocare, aliaque exequi, sicut communi provinciarum bono viderint expedire. Necnon Ordinis huiusmodi apud nos et Sedem Apostolicam cardinali protectori, ministro, ac commissario generalibus pro tempore existentibus, contravenientes provinciales et guardianos taliter electos obtentis officiis, eorum arbitrio, privandi; patres vero praefatos, qui, praeteritorum officiorum per eos obtentorum praetextu, aliquid contra praesentis constitutionis tenorem moliri, innovare vel attentare praesumpserint, ad maiorem tranquillitatem et pacem, eorumdem protectoris et generalium arbitrio, etiam, si opus fuerit, in alienas pro-

1 Verbum *irrepserunt* nobis visum est deesse (R. T.).

2 Vide tom. XIV, pag. 744 (R. T.).

vincias transferendi et transmittendi facultatem concedimus et impertimur.

Mandat quod praedicatores eleemosynas superioribus significent.

§ 4. Ne autem in dicto Ordine recipiendi pro concionibus pecuniarias eleemosynas, deque illis ad concionatorum arbitrium disponendi, neve nimius equitandi abusus ulterius invalescant, gravissimisque regulae beati Francisci voto et praecepto passim contraveniatur, omnibus et singulis praedicti Ordinis concionatoribus, ultra poenas in proprietarios per eiusdem Ordinis statuta fulminatas, in virtute sanctae obedientiae et sub privatione officiorum, quae obtinent, ac perpetuâ inhabilitate ad quaecumque officia, gradus et dignitates imposterum, ipso facto incurrendis, praecipimus et mandamus, ut de praedictis eleemosynis per se nullo modo disponant, nec eas ab offerentium manibus in suas recipiant, vel in procuratoris, sive alterius cuiuslibet deponi faciant, sed easdem integras superiori provinciali significent, qui de illis iuxta regulae praescriptum disponat: quibus etiam poenis eo ipso subiicimus omnes eiusdem Ordinis fratres, qui sine manifestâ, verâ, gravique necessitate, aut infirmitate, et absque licentiâ provincialis, vel, in casu urgenti, superioris localis, de consilio et iudicio trium discretorum conventus in scriptis obtentâ, equitare ausi fuerint: easdem poenas solis ministro et commissario generalibus aliquando et ex rationabili causâ remittendi facultate relictâ.

Dat normam equitandi.

§ 5. Quos cum provincialibus provinciarum, commissariis, et ad urgentiora negotia destinatis paterne monemus, ut in casu urgenti, ac per regulam permisso, memores sint paupertatis, humilitatis et patientiae Christi Domini Salvatoris nostri, ad cuius vitae exemplum beatus Franciscus et conversationem instituit et Ordinem suum fundavit, vilioribus, despectisque iumentis contenti sint, et, comitatu, qui seculares divites decet, relicto, maiori qua fieri poterit modestiâ gradiantur, exemploque ceteros praecuntes sciant in concessis tantum casibus equitandi licentiam indulgere, super quo superiorum omnium, ad quos spectat et pro tempore spectabit, conscientiam oneramus. Concedentes provincialibus et provinciarum commissariis, ut uno, eoque humili iumento, pro se tantum, non autem pro sociis, in necessitatis articulo uti possint: alioquin, si contrafecerint, suis officiis eo destituti remaneant.

Observari mandat constitutiones Clementis VIII et poenas apponit.

§ 6. Ad hoc, ut praedicti Clementis VIII praedecessoris nostri decreta inviolabiliter observentur, omnes fratres, praecipue nominatos Ordinis et provinciarum patres, legitime non impeditos, ad chori servitium, et ad faciendam hebdomadam, aliasque ecclesiasticas functiones, ad vestitum et cellarum suppellectilem eorum statui convenientes, ad communem mensam, cum eisdem pane, vino, obsonio (nihil cuiquam singularitatis concesso), ad egressum de conventibus cum licentiâ et socio, qualibet vice a superioribus obtinendis, benedictionisque receptione post regressum, ad cubitum singulorum in singulis lectis, ad orationis mentalis studium, a qua nullus, cuiuscumque conditionis existat, exemptus censeatur, ad silentii custodiam, ad culparum capitula, ad virtutum exercitium, ad colloquutiones et sermones, singulis saltem hebdomadis, de regulari disciplinâ spiritualique profectu tractantes, teneri volumus et obligamus, nedum sub poenis in eisdem decretis contentis, verum etiam sub privatione officiorum et perpetuâ inhabilitate imposterum ipso facto incurrendis: guardianis, provincialibus et generalibus respective, qui sine legitimâ causâ praedictorum transgressionem permiserint, et notabiliter negligentes ac trangressores non legitime impeditos voce activâ et

passiva non privaverint, et imposterum ad alia non inhabilitaverint, prout nos hac nostrâ constitutione (quam in solâ cismontanâ familiâ valere, statimque post eiusdem notitiam a praedictis superioribus sub fulminatis poenis in quolibet conventu pro felici exequutione publicari, ac in statutis Ordinis inseri, et cum illis bis saltem in anno publice in communitate fratrum legi, sub destitutione ipso facto superiorum localium negligentium, volumus) privamus et inhabilitamus, ac tamquam candoris Ordinis obscuratores, disciplinaeque regularis relaxatores, privatos esse volumus et declaramus;

Decretum irritans.

§ 7. Sicque in praemissis omnibus et singulis inviolabiliter observari, et per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 8. Non obstantibus apostolicis, ac in conciliis universalibus, provincialibusque et synodalibus editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, dictique Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Ordini, illiusque superioribus et fratribus, ac quibusvis aliis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum praemissorum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 9. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subsciptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 1 iunii MDCXL, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 1 iunii 1640, pontif. anno XVII.

DCXCV.

Confirmatio nonnullarum declarationum Congregationis Concilii Tridentini, videlicet episcopum posse sine adiunctis procedere contra coadiutorem, nisi ei fuerint concessa omnia privilegia, quae habent canonici, ac episcopum super hoc per capitulum impediri non posse, nec ipsos capitulares posse mulctare episcopum, sed solum ad superiores appellare[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Referuntur decreta Congregationis concilii.

§ 1. Cum, sicut accepimus, a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus Concilii Tridentini interpretibus fuerit quaesitum: 1. an episcopus possit solus sine adiunctis procedere contra coadiutores canonicorum; 2. an in casu, quo solus procedat, possit per capitulares adiunctos impediri monitionibus et inhibitionibus; 3. an[2], quatenus episcopus spernat huiusmodi inhibitiones et monitiones, liceat eisdem adiunctis mulctare episcopum, vel potius appellare debeant ad su-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Particula *an* nos addimus (R. T.).

periores; dicti vero cardinales ad quaesita huiusmodi responderint, prout sequitur, videlicet: ad 1^um episcopum posse, si coadiutori non fuerint concessa omnia privilegia quae habent ipsi canonici; ad 2^um per capitulares non potuisse impediri; ad 3^um pariter non potuisse episcopum mulctare, sed ad superiores appellare debuisse:

Quae confirmantur.

§ 2. Nos, pro firmiori responsorum huiusmodi subsistentiâ et observatione, eadem responsa, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac illa observari mandamus; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Obstantium derogatio.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX iunii MDCXL, pontificatus nostri anno XVII.

Dat. die 9 iunii 1640, pontif. anno XVII.

DCXCVI.

Confirmatio electionis sancti Dominici in patronum civitatis Neapolitanae et totius regni.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Domini nostri Iesu Christi, qui servos suos aeternae gloriae praemio donat in caelis, vices, quamquam immeriti, gerentes in terris, ex iniuncto nobis pastoralis officii debito procurare tenemur, ut eorumdem servorum Christi debitus honor et veneratio in terris in dies magis promoveatur, et laudetur Dominus in sanctis suis. Quamobrem christifidelium ad eorumdem sanctorum patrocinium confugientium vota, ut optatum sortiantur effectum, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, ac desuper eiusdem officii partes propensis studiis impendimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Supplicatio.

§ 1. Sane pro parte dilectorum filiorum communitatis et hominum civitatis Neapolitanae, aliarumque communitatum et universitatum, ac hominum totius regni Neapolitani, nobis nuper expositum fuit, quod ipsi ob singularem, quem erga sanctum Dominicum Ordinis Praedicatorum institutorem gerunt devotionis affectum, eumdem sanctum Dominicum in patronum et protectorem civitatis et regni huiusmodi elegerunt. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, exponentes praedicti plurimum cupiant electionem huiusmodi, quo firma perpetuo subsistat, nostro et huius sanctae Sedis Apostolicae patrocinio communiri:

Confirmat prout in rubricâ.

§ 2. Nos, eorumdem exponentium pietatem et consilium huiusmodi plurimum in Domino commendantes, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sen-

tentiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus exponentium eorumdem nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, electionem praedictam, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodlibet intervenerint, supplemus.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Exemplis fidem addit.

§ 4. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII augusti MDCXL, pontificatus nostri anno XVIII.

Dat. die 23 augusti 1640, pontif. anno XVIII.

DCXCVII.

Declarat illos, qui collectorem Portugalliae molestarunt, non posse a quoquam etiam vigore cruciatae sanctae absolvi a censuris et interdicto [1].

Venerabili fratri Alexandrino[2] episcopo Neocastrensi, iurium et spoliorum camerae apostolicae debitorum in Portugalliae et Algarbiorum regnis debitorum collectori generali,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Refert litteras praecedentes.

§ 1. Emanarunt aliàs a nobis litterae in simili formâ Brevis, tenoris sequentis, videlicet:

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam. Quamvis iuxta canonicas sanctiones, etc. (Reliqua invenies suo loco sub datum V iulii MDCXXXVIII, anno XV, tom. XIV, pag. 555).

Declaratio, de qua in rubricâ.

Nunc autem, ad abundantiorem cautelam, mentem et intentionem nostras in praemissis manifestiores facere et apertius innotescere volentes, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, illos qui bona praedicta occupare et usurpare ausi sunt, necnon fraternitatem tuam molestantes, sive tibi molestiam et persequutionem inferentes, aut qui antea te molestarunt et persequuti sunt, et pro tempore molestabunt seu persequentur, vel bona huiusmodi occupantibus et usurpantibus, aut te molestantibus vel persequentibus, auxilium, consilium vel favorem quomodolibet praestiterunt et praestabunt, cuiuscumque qualitatis, status, gradus et conditionis, praeeminentiae et dignitatis, etiam ecclesiasticae, etiam speciali notâ et expressione dignae, sint vel fuerint, non posse a quoquam, quavis auctoritate fungente, etiam cruciatae sanctae illiusque facultatum et privilegiorum vigore, absolvi, etiam in foro conscientiae tantum, ab excommunicationis, aliisque sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, quas propterea incurrerunt et incurrent, vel in quas incidisse per te declarati fuerint seu declarabuntur; quodque, durantibus interdicto seu interdictis per fraternitatem tuam ubivis in quacumque mundi parte commorantem et aliàs

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Alibi legitur *Alexandro* (R. T.).

quomodolibet appositis et apponendis, quicumque etiam regularis cuiuscumque Ordinis, societatis, congregationis et instituti, etiam speciali et individuâ mentione et expressione digni, et qui aliàs ex privilegiis apostolicis etiam in corpore iuris clausis sub generali et universali mentione regularium non veniunt, minime possint, praetextu ac etiam vigore eiusdem cruciatae, missas etiam privatas aliaque divina celebrare, seu celebrari facere, vel permittere, aut illis interesse et intervenire, tenore praesentium declaramus.

Clausulae.

§ 2. Decernentes praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod regulares et alii praefati ac quicumque alii in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, causaeque propter quas illa emanarunt adductae, seu etiam nullatenus verificatae fuerint, de subreptionis aut obreptionis vel cuiuslibet nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel quocumque alio, quantumvis substantiali defectu, seu ex quacumque aliâ causâ quantumvis iustâ et legitimâ, vel capite etiam in corpore iuris clauso, ac quocumque alio colore seu praetextu, notari, impugnari, impediri, redargui, limitari, rescindi, infringi, in ius vel controversiam revocari, aut adversus illa restitutionis in integrum, aperitionis oris, vel quodcumque aliud iuris, facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, aut etiam motu, scientiâ et potestate similibus concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti[1] minime posse, sed easdem praesentes, cum omnibus et singulis in eis contentis, semper validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios effectus sortiri, et ab omnibus ad quos spectat et quomodolibet spectabit inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, dictaeque cruciatae sanctae commissarium, seu commissarios, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et quoscumque alios quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis universalibus editis, ac cruciatâ praedictâ, illiusque facultatibus et privilegiis, ac litteris apostolicis desuper emanatis, et, quatenus opus sit, regulâ nostrâ de iure quaesito non tollendo, necnon omnibus illis quae in praeinsertis nostris litteris voluimus non obstare; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua mentio ac de verbo ad verbum expressio facienda seu quaevis alia forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII septembris MDCXL, pontificatus nostri anno XVIII.

Dat. die 7 septembris 1640, pontif. anno XVIII.

DCXCVIII.

Quaecumque privilegia nemini suffragari decernit, quominus interdicto subia-

1 Verbum *uti* nos addimus (R. T.).

ceat a collectore Portugalliae publicato seu publicando[1].

Venerabili fratri Alexandro episcopo Neocastrensi, iurium et spoliorum camerae nostrae apostolicae debitorum in Portugalliae et Algarbiorum regnis collectori generali,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Refert litteras pridem a se editas super negocio illatarum collectori molestiarum.

§ 1. Dudum a nobis emanarunt binae litterae in simili formâ Brevis fraternitati tuae directae, quarum priores sunt tenoris sequentis, videlicet: *a tergo:* Venerabili fratri Alexandro episcopo Neocastrensi, etc.; *intus* vero: Urbanus, etc. Licet vigore tuarum facultatum, etc., sub datum II iulii MDCXXXVI: posteriorum autem tenor est qui sequitur, videlicet: *a tergo:* Venerabili fratri Alexandro, etc.; *intus* vero: Urbanus Papa VIII, venerabilis frater, etc. Cum nuper, sicut non sine gravi animi nostri molestiâ accepimus, etc. *(Omittitur tenor dictarum litterarum quia eas reperies suo loco*[2]*).*

Eidem facultatem dat derogandi quibuscumque privilegiis a S. Sede concessis.

§ 2. Nunc autem fraternitatem tuam amplioribus favoribus, etiam ad abundantiorem cautelam, munire, et illas tibi hactenus concessas declarare volentes, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, eidem fraternitati tuae, ut ad praeinsertarum litterarum nostrarum exequutionem in toto vel in parte, et prout tibi magis expedire videbitur, procedat, procedique faciat toties quoties opus fuerit, et aliàs, prout tibi placuerit, tam contra praedictos et alios quoscumque, qui te eiecerunt et molestarunt, quam omnes alios, qui etiam de praesenti et pro tempore molestabunt et persequentur, eisque molestantibus auxilium, consilium, vel favorem praestiterunt vel praestabunt quomodolibet, cuiuscumque conditionis, status, gradus, dignitatis, etiam ecclesiasticae, etiam speciali mentione dignae[1], fuerint et sint, etiam cum facultate derogandi quibuscumque privilegiis et gratiis apostolicis per nos et Romanos Pontifices praedecessores nostros tam regnis, populis, civitatibus et locis, ecclesiisque, monasteriis, universitatibus, collegiis etiam ecclesiasticis eorumdem regnorum, quam personis, etiam ecclesiasticis, etiam regularibus cuiuscumque Ordinis, societatis et instituti, etiam speciali expressione digni, ac cuiuscumque status, gradus conditionis et dignitatis, etiam ecclesiasticae, quomodolibet concessis et aliàs emanatis, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Durante interdicto neminem regularium divina operari posse etiam private vigore cuiuscumque indulti declarat.

§ 3. Necnon durantibus interdictis per fraternitatem tuam hactenus appositis et in posterum apponendis, quoscumque regulares, etiam Mendicantes, cuiuscumque Ordinis, societatis, congregationis et instituti, etiam individuâ mentione et expressione dignos, et qui aliàs ex privilegiis apostolicis, etiam in corpore iuris clausis, sub generali et universali mentione regularium non veniunt, ac etiam qui durantibus huiusmodi interdictis infrascripta facere sibi licuisse et licere praetendunt, ac praesertim fratres Ordinis Praedicatorum, in regnis praefatis illorumque civitatibus, oppidis, castris, terris et locis quibuslibet habitantes, degentes, ac aliàs quomodocumque moram trahentes, vigore quorumcumque apostolicorum privilegiorum et indultorum, etiam ipsis et eorum Ordini, ac etiam Sanctissimi Rosarii et Nominis Dei, aliisque quibusvis confraternitatibus quomodolibet nuncupatis et quavis auctoritate erectis et institutis, quoquo modo, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, ac etiam

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

2 Priores nempe tom. XIV, pag. 534; posteriores supra, pag. 7 huius tomi (R. T.).

1 Edit. Main. legit *digni* (R. T.).

consistorialiter, et etiam per viam legis generalis, ac aliàs quocumque alio modo, causâ, viâ et iure concessorum et quandocumque emanatorum, ac etiam pluries et iteratis vicibus confirmatorum et innovatorum, missas, etiam privatas, aliaque divina celebrari facere vel permittere, etiam in claustris, hospitalibus, grangiis et dependentibus, et aliis quibuscumque locis, eorumque monasteriis et domibus regularibus quomodolibet annexis, ac oratoriis vel eremitoriis, ac aliàs quomodocumque nuncupatis, nullatenus potuisse nec in futurum posse declaramus, et, quatenus opus foret (ita ut nullus nec etiam iidem regulares hactenus potuerint, nec in posterum possint, altaria in eorum monasteriorum seu domorum regularium et locorum claustris vel alibi erigere seu erigi facere, multoque minus in eis, nec in antea erectis, celebrare seu celebrari facere aut permittere, interdicto seu interdictis, sive generalibus et universalibus, sive personalibus et localibus, seu alterius cuiuscumque generis et speciei, per eamdem fraternitatem tuam positis hactenus, seu imposterum quandocumque etiam ex quacumque causâ ponendis, durantibus, ullo modo seu praetextu valeant), earumdem tenore praesentium districte inhibemus et inhibitum antea fuisse denunciamus.

Idque declarandi eidem collectori potestatem tribuit.

§ 4. Tibique similem prohibitionem et declarationem[1] faciendi et promulgandi sub censuris et poenis tibi benevisis plenam et amplam facultatem impertimur, eamdemque facultatem derogandi et derogationem et prohibitionem sub eisdem censuris faciendi antea tibi competiisse declaramus.

Et ad hunc effectum ipse Pontifex quaecumque tollit privilegia.

§ 5. Nos enim omnibus et quibuscumque praefatorum regularium et confraternitatum privilegiis et indultis, etiam in corpore iuris clausis, etiam in monasteriorum et domorum eorumdem regularium fundationibus, erectionibus et dotationibus, ac praefatis et quibusvis aliis regnis, civitatibus, oppidis, castris, terris et locis etiam ex quacumque causâ quantumvis favorabili et onerosâ, etiam contemplatione ac ad supplicationem imperatoris, regum et principum quorumcumque concessis, confirmatis et innovatis et quomodolibet emanatis, quoad praefatam celebrationem missarum et divinorum interdicto seu interdictis praefatis durantibus, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, plenissime derogamus, necnon fraternitati tuae eamdem derogationem faciendi, et in eius decretis et edictis apponendi seu addendi, ad abundantiorem cautelam, facultatem tribuimus.

Clausulae.

§ 6. Decernentes praesentes litteras et in eis contenta quaecumque etiam ex eo quod regulares et alii praefati, ac quicumque alii in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, causaeque propter quas illa emanarunt adductae, seu etiam nullatenus iustificatae fuerint, de subreptionis aut obreptionis vel nullitatis cuiuslibet vitio aut intentionis nostrae vel quocumque alio quantumvis substantiali defectu seu ex quacumque aliâ causâ, colore seu praetextu, etiam enormis et enormissimae laesionis, notari, impugnari, impediri, redargui, limitari, rescindi, infringi, in ius vel controversiam revocari, aut adversus illa restitutionis in integrum, aperitionis oris, vel quodcumque aliud iuris, facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, aut etiam motu, scientiâ et potestate similibus concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti minime posse, sed easdem praesentes, cum omnibus et sin-

1 Videtur legendum *derogationem* pro *declarationem* (R. T.).

gulis in eis contentis, semper validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios effectus sortiri, et ab omnibus, ad quos spectat et quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et quoscumque alios quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 7. Non obstantibus omnibus et singulis praemissis, ac conciliis universalibus, etiam quoad dietas, ac, quatenus opus sit, regulâ nostrâ de iure quaesito non tollendo, necnon omnibus illis quae in praeinsertis nostris litteris voluimus non obstare; quibus omnibus et singulis, etiamsi in eis caveatur expresse, quod ullo umquam tempore sub similium vel dissimilium concessionum, privilegiorum et aliorum praefatorum derogationibus, suspensionibus et limitationibus, aut quibuscumque aliis contrariis dispositionibus pro tempore faciendis, comprehendantur, sed semper ab illis excepta, et quoties illae[1] emanabunt, toties in pristinum statum validissimum, etiam sub posteriori datâ, denuo concessa sint et esse censeantur, necnon pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII septembris MDCXL, pontificatus nostri anno XVIII.

Dat. die 7 septembris 1640, pontif. anno XVIII.

1 Edit. Main. habet *illa* (R. T.).

DCXCIX.

Breve exequutoriale super litteras apostolicas Clementis VIII ac Urbani VIII, ac super statuta pro Indiarum provinciis fratrum Minorum de Observantiâ, quod mittere possint commissarios ad capitulum generale.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Aliàs a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet: *Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam. Circumspecta Romani Pontificis providentia*, etc.[1].

Causae praesentis edendae constitutionis.

§ 5. Cum autem, sicut accepimus, commissarii generales Indiarum in praedictis provinciis circa provisionem officiorum multa quotidie contra praedictas nostras litteras et statuta in capitulo generali dicti Ordinis novissime in Urbe celebrato pro Indianis edita moliantur (etenim, peractâ provincialis ministri definitorumque electione, tabulas guardianorum arbitratu suo conscriptas profertur[2], atque a provincialibus et definitoribus subscribi volentes[3] faciunt, necnon captiosas et dolo

1 Reliquum omittimus, quia iam habetur supra pag. 1 seq. (R. T.).

2 Videtur legendum esse *proferunt* (R. T.).

3 Vox *volentes* redundat, vel nescio an legendum *violenter* (R. T.).

plenas praelatorum postulationes sibi fieri procurant, in maximum dicti Ordinis detrimentum et sacrorum canonum decretorumque Concilii Tridentini transgressionem); idcirco nos, cupientes praeinsertas nostras litteras et statuta huiusmodi debitae, ut par est, exequutioni demandari, et, ne talia deinceps fiant, providere, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, venerabili fratri nostro archiepiscopo Limano, ac dilectis filiis decano et archidiacono ecclesiae Limanae, nunc et pro tempore existentibus, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte superiorum et aliorum quorumcumque Ordinis et provinciae huiusmodi religiosorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ praedictas nostras insertas, ipsumque statutum, ac praesentes etiam nostras litteras debitae exequutioni demandari, et ab omnibus, quos illae concernunt et in futurum quomodolibet concernent, in omnibus et per omnia inviolabiliter observari, ipsosque superiores, et alios praedictos, omnium et singulorum in praedictis statuto et litteris contentorum aliorumque praemissorum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper a quoquam, quavis auctoritate fungente, quovis praetextu quomodolibet indebite molestari.

Decretum irritans.

§ 6. Contradictores quoscumque, eisque auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, directe vel indirecte, quomodolibet praestantes, per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, ac concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, necnon omnibus et singulis illis, quae in dictis praeinsertis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 8. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII septembris MDCXL, pontificatus nostri anno XVIII.

Dat. die 27 septembris 1640, pontif. anno XVIII.

DCC.

Indultum Philippo IV regi catholico nominandi ad monasteria, prioratus et praeposituras in Belgio et comitatu Burgundiae[1].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo, Hispaniarum regi catholico, Urbanus Papa VIII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Referuntur similes concessiones Philippo II a Pontifice factae.

§ 1. Olim (postquam felicis recordationis Pius Papa IV praedecessor noster clarae memoriae Philippo II Hispaniarum regi catholico, quamdiu ageret in humanis et in sinceritate fidei ac unitate S. R. E., necnon obedientiâ et devotione suis ac

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

successorum suorum Romanorum Pontificum canonice intrantium persisteret, ut nullus ad dignitates abbatiales, aut quorumcumque monasteriorum, etiam per priores aut praepositos regi et gubernari solitorum, regimina infra districtus ducatuum, marchionatuum et comitatuum aliorumque dominiorum suorum in partibus inferioris Germaniae seu Belgicae ditionis comprehensorum, ac se cum suis civitatibus et appendiciis extendentium, quaeque tunc possidebat, in illis partibus dumtaxat consistentium, per eumdem Pium praedecessorem aut Sedem Apostolicam praefici, nec illis de quorumvis personis quovis modo provideri posset, absque dicti Philippi regis intentione et consensu praecedentibus; de aliis vero dignitatibus, videlicet secularibus principalibus et regularibus non conventualibus, infra praefatos districtus, nonnisi de locis[2] suae ditioni subiectis aut sibi gratis et acceptis de aliis locis oriundis provideri concesserit[1] et indulserat) piae memoriae Gregorius XIII etiam praedecessor noster multis maximisque praedicti Philippi regis erga se ac dictam Sedem meritis inductus, concessionem et indultum huiusmodi ad comitatum Burgundiae ditionis suae haereditariae extendit et ampliavit; et deinde recolendae memoriae Sixtus Papa V, etiam praedecessor noster, exposito sibi pro parte eiusdem Philippi regis ab aliquibus tunc haesitari, an prioratus conventuales, qui per priores seu forsan praepositos reguntur, seu gubernantur, et nonnulla monasteria et similes prioratus, intra septa dominiorum praedictorum et eiusdem Burgundiae comitatum seu sub temporali dominio aliorum procerum consistentia, etiamsi prioratus vel praeposiurae aut praepositatus et non monasteria nuncuparentur, sub indulto ac extensione praedictis comprehenderentur, eamdem dubitationem amputando, eidem Philippo regi, suâ tantum vitâ durante, ius nominandi praedicto Sixto praedecessori et Romanis Pontificibus pro tempore existentibus tam ad praedictas dignitates abbatiales aut quorumcumque monasteriorum, etiam per priores aut praepositos regi et gubernari solitorum, regimina, quam etiam ad quoscumque prioratus, praeposituras, aut praepositatus conventum habentes, infra districtus eorumdem ducatuum, marchionatuum et aliorum dominiorum et comitatus Burgundiae, dummodo intra septa eorumdem dominiorum et comitatus Burgundiae consisterent, etiamsi sub temporali dominio aliorum procerum extarent, vel temporalem iurisdictionem haberent, ac etiamsi prioratus, praepositurae, aut praepositatus, et non monasteria nuncuparentur, pro tempore vacantes seu vacantia, per eumdem Sixtum praedecessorem et Romanos Pontifices successores suos ad nominationem huiusmodi conferendos et conferenda, concessit et indulsit, prout in diversis dictorum praedecessorum litteris[1] desuper in simili formâ Brevis confectis, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, plenius continetur.

§ 2. Cum autem pro parte tuâ nobis fuerit expositum, maiestatem tuam simili concessione et indulto ex nostrâ et Sedis Apostolicae benignitate gaudere posse plurimum exoptasse: nos, tuae fidei constantiae, ac devòtionis, quibus erga nos et Sedem Apostolicam praefulgere dignosceris, meritis adducti, tuisque supplicationibus huiusmodi inclinati, tibi, tuâ tantum vitâ durante, et quamdiu in sinceritate fidei et unitate S. R. E. necnon obedientiâ et devotione nostris et successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium huiusmodi perstiteris, ius et

Concessio Philippo IV de qua in rubrica.

1 Legendum foret *concesserat* (R. T.).

2 Aptius lege *personis* quam *locis* (R. T.).

1 Quas non puto esse in *Bullario* (R. T.).

facultatem nominandi nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti tam ad praedictas dignitates abbatiales, aut quorumcumque monasteriorum regimina, etiam per priores aut praepositos regi et gubernari solitorum, quam etiam ad quoscumque prioratus, praeposituras, aut praepositatus conventuum[1] habentes infra districtus eorumdem ducatuum, marchionatuum et aliorum dominiorum tuorum praedictorum, ac comitatus Burgundiae, dummodo intra septa eorumdem dominiorum comitatus Burgundiae existant, etiamsi sub temporali dominio aliorum procerum consistant, vel temporalem iurisdictionem habeant, ac etiamsi prioratus, praepositurae ac praepositatus et non monasteria nuncupentur, pro tempore vacantes seu vacantia, per nos et Romanos Pontifices successores nostros ad nominationem tuam, infra decem menses a die cuiuslibet vacationis faciendam ac nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti praesentandam, conferendos et conferenda, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, de specialis dono gratiae concedimus et indulgemus: ita ut de dictis dignitatibus abbatialibus, aut quibuscumque monasteriis, prioratibus, praeposituris, praepositatibus praedictis, pro tempore vacantibus, absque nominatione tuâ praedictâ, de aliis vero sub nominatione huiusmodi non comprehensis et absque illâ libere conferendum[2], dignitatibus videlicet secularibus principalibus et regularibus actu non conventualibus infra praedictos districtus consistentibus nonnisi de locis tuae ditioni subiectis aut tibi gratis et acceptis personis per nos et successores nostros Romanos Pontifices et Sedem eamdem pro tempore disponi et respective provideri minime possit[1].

§ 3. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac singulorum prioratuum et praepositurarum et praepositatuum praedictorum, ac Ordinum, quorum illa sunt, seu a quibus dependent, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, illorum omnium tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Derogatio contrariorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI octobris MDCXL, pontificatus nostri anno XVIII.

Dat. die 6 octobris 1640, pontif. anno XVIII.

1 Legendum *conventum* pro *conventuum*, ut patet ex dictis; nempe *actu conventuales*, ut distinguantur ab aliis *actu non conventualibus*, de quibus postea (R. T.).

2 Legerem *conferendis* (R. T.).

DCCI.

Confirmatio declarationis constitutionis Clementis Papae VIII de largitione munerum regularibus utriusque sexus interdictâ[2].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Nuper a congregatione nonnullorum romanae curiae praelatorum, coram dilecto filio nostro Antonio tituli S. Petri Exordium.

1 Perperam ed. Main. legit *possis* (R. T.).

2 Hanc constitutionem Clementis VIII de largitione munerum, etc., num. XCI (*al.* 86), incipientem *Religiosae Congregationes*, habes in tom. X, pag. 146.

ad Vincula presbytero cardinali S. Onuphrii nuncupato, maiori poenitentiario, ac nostro in almâ Urbe provicario in spiritualibus generali, et nostro secundum carnem fratre germano, a nobis deputatâ, emanavit declaratio tenoris subsequentis, videlicet :

Refertur declaratio circa Constitutionem Clementis VIII de largitione munerum.

§ 1. « Cum circa interpretationem constitutionis felicis recordationis Clementis VIII sub datum XIII kalendas iulii, pontificatus sui anno III, de largitione munerum regularibus utriusque sexus interdictâ, nonnullae difficultates et ambiguitates sint exortae, congregatio specialiter a sanctissimo domino nostro Urbano divinâ providentiâ Papa VIII coram eminentissimo cardinali S. Onuphrii maiori poenitentiario ac Urbis provicario deputata, auctoritate sibi attributâ, declaravit et declarat, munera a religiosis utriusque sexus tribui posse ex causis gratitudinis, conciliationis, benevolentiae, eiusque conservationis erga ipsam religionem, vel conventum[1], aliisve causis ex sui naturâ actum virtutis et meriti continentibus, modeste tamen, ac discrete, et dummodo id non fiat nisi de superiorum localium licentiâ, ac etiam cum consensu maioris partis conventus, si talis consensus de iure vel ex constitutionibus seu consuetudinibus cuiusque religionis respective in huiusmodi casibus requiratur. Consensum vero conventus § 3 eiusdem constitutionis ad leviora esculenta aut poculenta, seu ad devotionem et religiositatem pertinentia munuscula largienda, etc., requisitum, intelligi debere de consensu aliàs de iure requisito, et ubi concurrit ambitionis suspicio, qua cessante, nec in his requiri licentiam superiorum in scriptis in § 4 eiusdem bullae requisitam, sed sufficere licentiam etiam oretenus eisdem[2] concessam, declarat. Commessationes autem, compotationes et convivia in excipiendis praesertim benefactoribus, protectoribus, vel Ordinariis honorifice et laute, de quibus in § 5 et 6 eiusdem constitutionis, censeri tantummodo prohibita, si decentiae status regularis adversentur. Restitutionem vero receptorum conventibus faciendam, de qua in § 7 ibidem cautum est, intelligi debere de conventibus, ad quos data, donata, seu missa de iure pertinent, si id commode fieri potest; aliàs conventui eiusdem religionis viciniori loco, ubi petita fuit absolutio, restituantur. Insuper, eâdem facultate sibi tributâ, omnes, qui hucusque adversus supradictae constitutionis capitula hîc moderata largiti fuerunt vel receperunt, a poenis quibuscumque in eâdem constitutione inflictis et incursis posse et debere a propriis confessariis absolvi in foro conscientiae, etiam non factâ prius huiusmodi rerum donatarum seu datarum restitutione. Quoad eos vero, qui praeter modum praedictum, graviori religionis detrimento, largiendo vel recipiendo transgressi sunt, sed ob inopiam restituere nequeunt, eadem Sanctitas concedit maiori poenitentiario, ut de praeteritis usque ad diem datae praesentium in foro conscientiae absolvat, dispenset et condonet, seu absolvi, dispensari et condonari mandet, prout in Domino magis expedire iudicaverit. Et ne praedictae Clementis VIII constitutionis memoria dilabatur, superiores locales cuiuscumque monasterii, conventus, domus et collegii regularis, sub poenâ privationis officii vocisque activae et passivae ipso iure incurrendâ, efficere teneantur, ut in perpetuum singulis annis mense ianuario non solum praedicta constitutio (quam in reliquis eius partibus eadem Sanctitas omnino observari iubet, et quatenus opus sit innovat, quemcumque praetensum non usum, aut praetensum usum, seu praetensam consuetudinem damnando et irri-

1 Male edit. Main. *conventuum* (R. T.).

2 Legerem *ab eisdem* (R. T.).

tando), verum etiam hoc decretum in aliquâ publicâ congregatione, vel saltem in publicâ mensâ perlegatur: omnibus tam ecclesiasticis personis, etiam regularibus, quam laicis, cuiuscumque sint ordinis, conditionis, gradus, ac dignitatis, etiam speciali notâ dignis, et qui sub generali dispositione non comprehenderentur, praedictam Clementis constitutionem contra praesentis decreti tenorem declarandi vel interpretandi facultate penitus interdictâ, super quibus Sanctissimus mandavit expediri Breve. Datum Romae, die XV septembris MDCXL ».

Declarationem praefatam confirmat hic Pontifex.

§ 2. Quapropter, ut praemissa firmius subsistant et inviolabiliter observentur, quantum cum Domino possumus, providere volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, declarationem praeinsertam cum omnibus et singulis in eâ contentis, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; illaque inviolabiliter ab omnibus, ad quos spectat et spectabit in futurum, observari,

Clausula *sublatâ*, etc.

§ 3. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus, quoad ea quae declarationi praedictae et praesentibus sunt contraria vel diversa, constitutione felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri ac omnibus illis quae idem Clemens in constitutione huiusmodi voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI octobris MDCXL, pontificatus nostri anno XVIII.

Dat. die 16 octobris 1640, pontif. anno XVIII.

Anno a Nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCXL, *indictione* VIII, *die vero* XIII *mensis octobris, pontificatus sanctissimi in Christo Patris et D. N. D. Urbani divinâ providentiâ Papae VIII anno* XVIII, *retroscriptae litterae publicatae et affixae fuerunt in acie Campi Florae, ac aliis locis publicis et consuetis, per nos Hieronymum Mascellam et Andream Castruccium eiusdem sanctissimi domini nostri cursores.* Ita est. *Hieronymus Mascella sanctissimi domini nostri Papae cursor pro dictis magistris.* Ita est. *Andreas Castruccius sanctissimi domini nostri Papae cursor.*

DCCII.

Quod prior provincialis fratrum Ordinis Praedicatorum provinciae Poloniae sit biennalis dumtaxat, ad instar Romanae et Lombardiae dicti Ordinis provinciarum[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Domini nostri Iesu Christi, qui charitas est et Deus pacis, vices, meritis licet imparibus, gerentes in terris, pacem et concordiam inter christifideles quoslibet,

1 De his fratribus vide in Constit. DVI (al. 483) *Aliàs per nos*, tom. XIV, pag. 464, ac Constitution. DCXLIII (al. 608), *In his apostolici*, ibidem, pag. 723.

praesertim regulares, sublatâ dissidiorum materiâ, confovere studemus, ut ipsi, in charitate et sic in Deo manentes, ei sua vota reddant in sanctitate et iustitiâ coram ipso.

Motiva.

§ 1. Cum itaque, sicut dilecti filii fratres Ordinis Praedicatorum provinciae Poloniae nobis nuper exponi fecerunt, gravissimae in praedictâ provinciâ dissensiones et controversiae super distributione officiorum vigeant, proptereaque ipsi exponentes perpetuam inter eiusdem provinciae filios, necnon inter conventuales conventus Cracoviensis, Ordinis huiusmodi, pacem stabiliri summopere desiderent:

§ 2. Nos, pro nostri pastoralis officii debito desuper opportune providere volentes, ipsosque exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

Prior provincialis eligatur alternis vicibus ex quinque nationibus.

§ 3. Quod de cetero futurus eiusdem provinciae prior provincialis biennalis dumtaxat, ad instar priorum provincialium Romanae et Lombardiae dicti Ordinis provinciarum existat, alternis vicibus, primo videlicet ex Cracoviensi, secundo ex Vilnensi, tertio ex Lublinensi, quarto ex Posnaniensi, ac demum quinto successive ex aliis dictae provinciae conventibus Ordinis huiusmodi eligi et assumi respective debeat, quodque nec definitor generalis, seu provincialis, nec socius definitoris ac provincialis sit umquam ex eodem conventu cuius erit ipse prior provincialis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo statuimus, mandamus et ordinamus; ita tamen, ut post modernum dictae provinciae priorem provincialem, qui, ut asseritur, filius conventus[1] existit, ac cuius officium dominicâ tertiâ post festum Paschatis Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi MDCXLII exspirabit, eligatur primo loco prior provincialis ex conventu Vilnensi praedicto, et sic deinceps, ordine per nos supra constituto.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter et inconcusse observari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et provinciae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI novembris MDCXL, pontificatus nostri anno XVIII.

Dat. die 6 novembris 1640, pontif. anno XVIII.

1 Heic forsan supplendum *Cracoviensis* (R.T.).

DCCIII.

Concessio nuncio apostolico apud Helvetios ac Rhetos circa conferenda beneficia curata, quae personis idoneis male collata fuerunt[1].

Venerabili fratri Hieronymo archiepiscopo Patracensi, nostro et Apostolicae Sedis in domino Helvetiorum et Rhetorum nuncio,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Causae concessionis.

§ 1. Cum, sicut nobis nuper significasti, pleraeque ecclesiae parochiales, ac alia curata beneficia, quae de iurepatronatus esse asseruntur, intra limites tuae legationis, a personis de illis canonice non institutis et minus idoneis possideantur, non sine gravi auctoritatis ecclesiasticae, ac divini cultus, salutisque animarum, curae personarum huiusmodi commissarum, detrimento:

Concessio de qua in rubrica.

§ 2. Propterea, pro pastorali nostro munere in praemissis, quantum cum Domino possumus, opportune providere volentes, fraternitati tuae, ut parochiales ecclesias, aliaque beneficia curata huiusmodi de iurepatronatus existentia, quae possidentur a personis vitiosum ingressum habentibus, utpote non examinatis, nec institutis ab habente facultatem, sed a patronismet, et consequenter vacant, et ad Sedem Apostolicam iuxta constitutionem felicis recolendae memoriae Pii Papae V praedecessoris nostri ob lapsum temporis in eâ praefixi devoluta sunt, eisdem personis, si praevio examine debito idoneae repertae sint, sin minus aliis idoneis, citra tamen approbationem iuris patronatus huiusmodi, conferre, eisdemque fructus perceptos gratis condonare possis, ac ut super his litteras patentales[2] gratis concedas, facultatem, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, tribuimus et impertimur.

Clausulae.

§ 3. Mandantes tibi quatenus sedulo cures ut[1] deinceps in subsequentibus vacationibus, post sequutas praesentationes patronorum, ante possessionem, adeatur Ordinarius pro obtinendis institutionibus, concedendis praevio examine debito, ac decernentes quidquid in praemissis vigore praesentium feceris validum, firmum et efficax fore, sicque desuper per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, et de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac beneficiorum et ecclesiarum praedictarum fundationibus et erectionibus, necnon statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die v ianuarii MDCXLI, pontificatus nostri anno XVIII.

Dat. die 5 ianuarii 1641, pontif. anno XVIII.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Forsan legendum *patentes* (R. T.).

DCCIV.

Restitutio viae antiquae et postarum a terrâ Montis Rosarum per loca et ter-

1 Male edit. Main. legit *et* pro *ut* (R. T.).

ritoria immediate subiecta Sedi Apostolicae Viterbium usque.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Decet et aequum est, ut nos, qui pro pastorali nostrâ sollicitudine omnium christifidelium commodis assidue invigilamus, Sedis Apostolicae, nostrorumque et illius in temporalibus subditorum utilitati studio peculiari consulamus. Cum itaque, sicut accepimus, licet via, quae Roma Viterbium ducit, antiquitus loca et terras nobis et dictae Sedi immediate in temporalibus subiecta dumtaxat, nimirum priscam viam Cassiam, ac a terrâ Montis Rosarum nuncupatâ Sutrium, et inde Capranicae et Capannae Brusciatae vulgo nuncupatae territorium, necnon terram seu territorium Vetrallae traiiceret, maximâ cum nostrorum et eiusdem Sedis subditorum in locis huiusmodi commorantium utilitate, nihilominus a pontificatu felicis recordationis Iulii II vel Pauli III Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, seu alio veriori tempore, immutata fuerit via huiusmodi, illâque et praefatis locis declinatis, veredarii, vectores, muliones et alii viatores per alia loca, nempe, Viterbio traiecto Monte Cymino, per Vici et Roncilionis terras eiusque territorium transire consueverint, in gravissimum eorumdem subditorum nostrorum detrimentum:

Motiva huius Constitutionis.

Avocat lites Sedi Apostolicae et perpetuum silentium imponit.

§ 1. Hinc est quod nos, eiusdem Sedis, ac praedictorum subditorum nostrorum indemnitati et commodis hac in re consulere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et quascumque lites et causas occasione mutationis viae praefatae, illiusque postarum, tam pro parte dilecti filii nobilis viri ducis Parmae et Placentiae, ac universitatum et hominum dictae terrae Roncilionis, quam pro parte communitatis et hominum civitatis Sutrinae praedictae, et quorumlibet aliorum, motas et pendentes, etiam instructas, etiam ut asseritur in Congregatione viarum, in qua praetenditur tempore piae memoriae Pauli Papae V, etiam praedecessoris nostri, decretum fuisse nihil super praemissis esse innovandum, in statu et terminis, in quibus ad praesens reperiuntur, a quocumque seu quibuscumque iudicibus, tribunalibus et congregationibus, coram quibus pendent, tenore praesentium ad nos avocamus, illasque perpetuo supprimimus et extinguimus, ac partium et litium, causarumque huiusmodi iudicibus perpetuum desuper silentium imponimus; necnon, vestigiis Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, praesertim felicis recordationis Clementis Papae VIII, qui postam e terrâ Borghetti ad nostram Civitatem Castellanam, ubi ad praesens existit, transtulit, inhaerentes, omnes et singulas postas a dictâ terrâ Montis Rosarum per terram Roncilionis praedictam, eiusque territorium, ac inde, per alia loca et territoria nobis et Sedi praedictae immediate non subiecta, Viterbium usque quavis auctoritate constitutas et collocatas, necnon viam ab eadem terrâ Montis Rosarum Viterbium per loca et territoria huiusmodi tendentem, tenore praesentium abolemus, revocamus, prohibemus et interdicimus, ac viam antiquam, nempe a dictâ terrâ Montis Rosarum per civitatem seu suburbia Sutrina, et terram Capranicae, terramque seu territorium Vetrallae praefata Viterbium usque, postasque et diversoria, seu cauponas in viâ huiusmodi in pristinum et eum[1] quo ante pontificatum eiusdem Pauli III praedecessoris nostri et antiquitus quomodolibet erant statum usumque restituimus et reintegramus, ac

1 Pessime edit. Main. hab. *cùm* pro *eum* (B.T.).

diversoria seu cauponas denuo instituimus.

Poenae viatoribus non incedentibus per viam antiquam.

§ 2. Mandantes propterea omnibus et singulis veredariis, tabellariis, vectoribus, aurigis, quadrigariis, mulionibus, agasonibus, bubulcis et viatoribus praedictis, nobis quomodolibet in temporalibus subditis, ut, a die publicationis praesentium in futurum, relictâ et declinatâ viâ, quae a terrâ Montis Rosarum per dictam terram Roncilionis eiusque territorium, ac montem praefatum, aliaque loca nobis et Sedi praedictae immediate non subiecta, Viterbium ducit, de cetero viam a nobis per praesentes restitutam et respective de novo institutam quovis tempore insistant et frequentent, sub excommunicationis, ac equorum, mulorum, asinorum, iumentorum, boum, vehiculorumque et carrucarum ac bigarum et quadrigarum suorum amissionis, necnon centum ducatorum auri de camerâ, pro unâ eidem camerae et pro alterâ partibus communitati et universitatibus Sutrinis, aliorumque locorum per quae via per nos, ut praefertur, restituta et respective instituta traiicit, seu traiiciet, applicandorum, et in manutentionem et reparationem eiusdem viae convertendorum, poenis eo ipso incurrendis.

Praeceptum de observando.

§ 3. Praesentes quoque litteras et omnia et singula in eis contenta, etiam ex eo quod in temporalibus quomodolibet domini ac universitates et homines dictarum terrarum, et illarum veredarii, caupones, et alii quicumque in praemissis seu eorum aliquo interesse habentes, vel habere quomodolibet praetendentes, praemissis nullatenus consenserint, et ad hoc vocati aut auditi non fuerint, minusque causae, propter quas eaedem praesentes emanarunt, deductae, verificatae, seu aliàs sufficienter, aut etiam nullatenus iustificatae fuerint, nullo umquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato et substantiali, sive etiam ex eo quod in praemissis seu eorum aliquo solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda servata et adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio capite a iure, vel facto, aut statuto, seu consuetudine resultante, vel praescriptionis etiam quadraginta annorum et ultra, enormis et enormissimae ac totalis laesionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore iuris clauso, seu occasione vel causâ, etiam quantumvis iustâ, rationabili et privilegiatâ, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostrâ huiusmodi et aliis superius expressis seu relatis nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illa restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiae, vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut etiam motu, scientiâ, deliberatione, vel potestatis plenitudine similibus concesso quempiam uti seu se iuvare in iudicio vel extra posse, neque ipsas praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi; sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per supranominatos, aliosque omnes et singulos, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari,

Decretum irritans.

§ 4. Sicque et non aliàs in praemissis

omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac quorumvis locorum Status nostri praedicti gubernatores, praetores, magistratus, ac officiales, sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et Sedis praedictae nuncios, ac quascumque congregationes etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, ac alios quavis auctoritate et potestate fungentes, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et interpretari debere[1], ac quidquid desuper a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane pariter decernimus.

Cardinalem camerarium exequutorem constituit.

§ 5. Quocirca dilecto filio nostro Antonio S. Agathae diacono cardinali Barberino nuncupato, nostro secundum carnem ex fratre germano nepoti, nunc et pro tempore existenti eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae camerario, per easdem praesentes iniungimus, quatenus illas solemniter publicans, seu publicari faciens, ipsas et in eis contenta quaecumque, per se, vel alium, seu alios, debitae exequutioni demandet, ac demandari curet; contradictores quoslibet et rebelles, ac praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, omni et quacumque appellatione, recursu et reclamatione remotis, auctoritate nostrâ compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Nos enim eidem cardinali camerario plenam in praemissis, necnon ad eorum effectum vias novas aperiendi, vel antiquas instaurandi, aliaque necessaria quomodolibet et opportuna gerendi, faciendi, mandandi, praecipiendi et exequendi facultatem, eadem tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstantibus, quatenus umquam emanaverint, aut extent, felicis recordationis Iulii II et Pauli III praedictorum litteris, ac magistrorum seu congregationis viarum decreto seu decretis quibuslibet super negotio viae et postarum huiusmodi, ad ducis ac universitatis dictae terrae Roncilionis praefatorum, et quorumvis aliorum, favorem et instantiam[1], ut asseritur, editis, factis et expeditis, necnon Bonifacii VIII de unâ, et in concilio generali editâ[2] de duabus dietis, dummodo quis ultra tres dietas extra suam civitatem et dioecesim ad iudicium vigore praesentium non trahatur, et Pii IV, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, de gratiis interesse dictae camerae quomodolibet concernentibus infra certum tempus in eâdem camerâ insinuandis et registrandis, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, nostrâ de non tollendo iure quaesito, aliisque cancellariae apostolicae regulis, ac terrarum et aliorum locorum praedictorum statutis, privilegiis, indultis, concessionibus, exemptionibus, immunitatibus, licentiis, facultatibus, deputationibus, confirmationibus, extensionibus, prorogationibus et litteris apostolicis duci, universitatibusque et hominibus, ac cauponibus et veredariis, postisque terrarum et locorum praedictorum, et quibusvis aliis, etiam speciali notâ et mentione dignis, etiam motu, scientiâ et potestate paribus, etiam consistorialiier de eorumdem cardinalium consilio et assensu, et aliàs quomodolibet, ac ex quocumque titulo, ratione, vel causâ, etiam speciali mentione et expressione dignis, sub quibuscumque verborum formis et tenori-

1 Verbum *debere* nos addimus (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *favore et instantia* (R. T.).

2 Vocem *editâ* nos addimus (R. T.).

bus, ac quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, et irritantibus et aliis decretis, etiam necessario exprimendis, etiam in vim contractus iurati et camerali obligatione vallati, et quovis alio robore et cautelâ firmati, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, editis, factis, emanatis, et pluries ac iteratis vicibus comfirmatis, approbatis et innovatis;

§ 7. Quibus omnibus et singulis, etiam si in eis caveatur expresse, quod nullo umquam tempore sub similium vel dissimilium facultatum, licentiarum, concessionum, privilegiorum et aliarum gratiarum praefatarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore faciendis comprehendantur, sed semper ab eis excepta, et quoties illa emanarent, toties in pristinum et validissimum statum, etiam sub posteriori datâ, per eos, quibus concessa sunt, eligendâ, reposita et plenarie reintegrata, ac de novo concessa sint et esse censeantur, necnon pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, harum serie, attento quod agitur de regalibus, specialiter et expresse ac latissime, ad effectum praemissorum, derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentium publicatio.

§ 8. Ut autem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus et apostolicâ auctoritate decernimus easdem praesentes ad valvas basilicae Principis apostolorum ac in acie campi Florae per aliquem ex cursoribus nostris publicari et illarum exempla, ibidem affixa, relinqui, quae sic publicatae et affixae omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant et arctent, ac si illorum unicuique personaliter notificatae et intimatae fuissent;

Transumptis eredi mandat.

§ 9. Quodque earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII ianuarii MDCXLI, pontificatus nostri anno XVIII.

Dat. die 23 ianuarii 1641, pontif. anno XVIII.

DCCV.

Facultas archiepiscopo Ragusino convertendi piorum legatorum medietatem in reparationem ecclesiarum et monasteriorum ac moenium Reipublicae Ragusinae[1].

Venerabili fratri archiepiscopo Ragusino, Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Causa concedendae facultatis.

§ 1. Cum, sicut exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii magistratus Reipublicae Ragusinae, continuatis per decem mensium spatium terremotibus, civitas Ragusina et universum eius dominium adeo conquassatum fuerit, ut, praeter multorum aedificiorum ruinam, plurimae ecclesiae et monasteria, ipsaque dictae civitatis et dominii huiusmodi propugnaculorum moenia maximum inde damnum acceperint, quae, si quamprimum non

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

resarciantur, periculum est, ne funditus corruant; in dictâ vero civitate nonnulla diversarum summarum annua legata pro variis operibus piis adimplendis relicta et per deputatos a dictis magistratibus, vel forsan alios, administrari solita existant: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut eis de aliquo ex redditibus huiusmodi subventionis auxilio ad praemissa resarcienda providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Facultas archiepiscopo Ragusino conceditur prout in rubrica.

§ 2. Nos igitur, attendentes ex praemissis non solum magistratuum et hominum sed etiam personarum ecclesiasticarum et locorum piorum Reipublicae et dominii praedictorum causam agi, religionisque catholicae in universo dominio huiusmodi conservandae non parum interesse civitatem praedictam, eiusdemque dominii, provinciis et locis ab impiâ Turcarum tyrannide occupatis [1] undique circumdati, propugnacula recte munita et clausa esse, dictosque magistratus specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, constito tibi de narratis, integram reddituum, proventuum et emolumentorum omnium et singulorum legatorum praedictorum medietatem, quae tamen summam sex millium scutorum monetae annuatim non excedat, magistratibus praedictis, ita quod liceat illis eamdem reddituum, proventuum et emolumentorum huiusmodi medietatem percipere, exigere et levare, ac in ecclesiarum et monasteriorum atque moenium praedictorum reparationem, dummodo, quoad ipsa moenia, facultates laicorum civitatis et dominii huiusmodi ad hoc non suppetant, et non alios usus, super quo illorum conscientiam oneramus, convertere, dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentiâ minime requisitâ, ad triennium proximum a datâ praesentium computandum, auctoritate nostrâ concedas et assignes, super quibus tibi plenam, liberam et amplam facultatem, eâdem auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Obstantium derogatio.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac quorumcumque testatorum voluntatibus, quas, in et quoad praemissa, sufficienter commutamus, necnon, quatenus opus sit, felicis recordationis Pauli II et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque apostolicis, necnon in universalibus, provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut residuum missarum et aliorum operum omnino celebrentur et adimpleantur, et suffragentur animabus

1 Edit. Main. legit *ab impiâ tyranni de occupatis;* aliae emendationes menti occurrebant; at simpliciorem elegimus legentes *tyrannide* pro *tyranni de* (R. T.).

eorum, qui legata pia huiusmodi fecerunt, perinde ac si[1] in totum adimpleta essent.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI ianuarii MDCXLI, pontificatus nostri anno XVIII.

Dat. die 26 ianuarii 1641, pontif. anno XVIII.

DCCVI.

Confirmatio decreti Congregationis Visitationis Apostolicae, quo Ruthenis unitis conceditur ecclesia Ss. Sergii et Bacchi in Urbe cum suis pertinentiis[2].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Refert decretum Congregationis Visitationis.

§ 1. Aliàs a Congregatione Visitationis Apostolicae emanavit decretum tenoris subsequentis videlicet: « Cum in sacrâ Congregatione Visitationis Apostolicae fuerit pluries propositum an permittendum sit fratres religiosos Ordinis Minimorum sancti Francisci de Paula exercere curam animarum in ecclesiâ et parochiâ Ss. Sergii et Bacchi per unum seu duos religiosos degentes extra claustra et conventum regularem, contra formam et ordinationem Bullae concessionis, applicationis et incorporationis parochiae factae per felicis recordationis Gregorium XV, sub datum nonis ianuarii anno MDCXXII[3], in qua dicta ecclesia et parochia cum aedibus parochialibus ac situ adiacente conceditur praedicto Ordini ac fratribus ad effectum inibi extrui faciendi unum conventum seu domum regularem pro usu et habitatione competentis numeri ad minus duodecim fratrum eiusdem Ordinis, quorum operâ eadem ecclesia cultu et devotione celebrior redderetur, et in eâ cura animarum aliaque officia parochialia etiam melius et fructuosius quam antea exercerentur; et re mature discussâ decretum fuerit nullo modo permittendum esse dictam curam exerceri a fratribus existentibus extra domum et conventum regularem; sed, stante quod iidem fratres, contra praedictam Bullae dispositionem, domum et conventum regularem, quem fundare et construere debebant in situ adiacente parochiali ecclesiae, erexerint in loco valde distanti, licet intra fines eiusdem parochiae, videlicet prope ecclesiam S. Petri ad Vincula, factâ impensâ multorum millium aureorum, ac[1] tenerentur ibidem etiam construere unam novam ecclesiam pro exercitio curae animarum praefatae parochiae, cum praesertim ad id teneantur ex onere imposito a quondam Ioanne Pizzullo Calabro fundatore dicti conventus in suo ultimo testamento, in quo omnia sua bona, ascendentia ad valorem fere quadraginta millium scutorum, eâ conditione ac lege inter alias reliquit, ut ibidem construere deberent unam novam ecclesiam[2], prout eadem sacra Congregatio, auctoritate sibi a SS. D. N. concessâ, et[3] omni meliori modo, facto etiam prius verbo cum eodem Sanctissimo, ac de eius ordine ac mandato, statuit, decrevit et ordinavit, applicando etiam praedictam ecclesiam parochialem Ss. Sergii et Bacchi, cum situ adiacente, collegio nationis Ruthenorum ibidem erigendo; cumque etiam pluries iidem fratres, de ordine eiusdem sacrae Congregationis, ac in eâdemmet congregatione, ubi eorum superiores non semel personaliter comparuerunt, fuerint moniti, ut quamprimum ad exitum perducerent aedificium novae ecclesiae inceptum, et se excusaverint non posse, ob graves impensas, nisi paulatim ex annuis

1 Partic. *si* nos addimus (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

3 Huiusmodi deest, sed vide de eâdem re tom. XIII, pag. 258, 259 (R. T.).

1 Particula *ac* nos addimus (R. T.).

2 Vide loco cit. tom. XIII, pag. 259 (R. T.).

3 Perperam ed. Main. legit *ut* pro *et* (R. T.).

redditibus conventum et aedem iam excitatam complere, ac perficere: ideo eadem sacra Congregatio, ne alia mora interponeretur, facto verbo cum Sanctissimo, mandavit iterum, donec nova ecclesia compleretur, curam animarum parochiae exerceri a fratribus in parvâ ecclesiâ sub invocatione S. Francisci de Paula contiguâ monasterio praedicto, ubi modo divina officia ab eisdem persolvuntur, et omnino statim liberam et expeditam relinquere ecclesiam Ss. Sergii et Bacchi, eamque cum aedibus parochialibus et situ adiacente consignari pro erectione collegii Ruthenorum, cum facultate etiam, quoad sepelienda corpora mortuorum parochiae, quod interim, donec sepulchra in novâ ecclesiâ construantur, vel aliter provideatur, possint sepelire in praefatâ ecclesiâ Ss. Sergii et Bacchi, et ita servari mandavit, statuit et ordinavit hac die XXII maii MDCXXXIX.

I. B. episcopus Camerinensis vicesgerens, et sacrae Congregationis secretarius.

Concordat cum originali existente in secretariâ Congregationis de Propagandâ Fide. — FRANCISCUS INGOLUS secretarius.

Confirmatur. § 2. Cum autem firmiora sint ea quae Sedis Apostolicae patrocinio muniuntur, idcirco nos, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negocio Propagandae Fidei praepositorum consilio, decretum praeinsertum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae. § 3. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, quos illae concernunt, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII februarii MDCXLI, pontificatus nostri anno XVIII.

Dat. die 8 februarii 1641, pontif. an. XVIII.

DCVII.

Confirmatio constitutionum Pii Papae V et Gregorii XIII prohibentium quasdam theologorum sententias et opiniones, necnon prohibitio libri, cui titulus Augustinus, *Cornelii Iansenii, olim Iprensis episcopi.*

Urbanus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. In eminenti Ecclesiae militantis Sede, meritis licet imparibus, constituti, sedulo meditamur, ut, quae ad fidei catholicae conservationem a praedecessoribus nostris provide statuta et ordinata sunt, firmiter et perpetuo observentur, et, cum opus sit, nostrae auctoritatis munimine confirmentur.

Constitutio Pii V. § 1. Dudum siquidem a felicis recordationis Pio Papa V praedecessore nostro emanavit constitutio tenoris subsequentis, videlicet:

Pius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam[1].

Ex omnibus affictionibus, quas, in hoc loco a Domino constituti, tam luctuoso

1 Huiusmodi Pii V litterae dogmaticae iam legebantur in *Bullario*, tom. VIII, pag. 314, insertae in Const. *Provisionis nostrae* Gregorii XIII; sed tamen pro rei gravitate eas cum edit. Main.

tempore sustinemus, ille animum nostrum praecipue excruciat dolor, quod religio christiana, tantis iampridem turbinibus agitata, novis quotidie propositis opinionibus conflictetur, Christique populus, antiqui hostis suggestione dissectus, in alios atque alios errores passim et promiscue deferatur. Quantum vero ad nos attinet, totis viribus conamur, ut illae, simul atque prosiliunt, penitus opprimantur: magno enim moerore afficimur, quod plerique, spectatae alioquin probitatis et doctrinae, in varias sententias, offensionis et periculi plenas, tum verbo tum scriptis prorumpunt; deque eis etiam in scholis invicem controversantur cuiusmodi sunt sequentes:

§ 2. I. Nec angeli, nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur gratia.

Sententiae suspectae.

II. Sicut opus malum ex naturâ suâ est mortis aeternae meritorium, sic bonum opus ex naturâ suâ est vitae aeternae meritorium.

III. Et bonis angelis et primo homini, si in statu illo perseverassent usque ad ultimum vitae, felicitas esset merces et non gratia.

IV. Vita aeterna homini integro et angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, et bona opera ex lege naturae ad illam consequendam per se sufficiunt.

V. In promissione factâ angelo et primo homini continetur naturalis iustitiae constitutio, qua pro bonis operibus, sine alio respectu, vita aeterna iustis promittitur.

VI. Naturali lege constitutum fuit homini, ut, si in obedientiâ perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.

VII. Primi hominis integri merita fuerunt primae creationis munera; sed iuxta modum loquendi Scripturae sacrae non recte vocantur gratia; quo fit ut tantum merita non etiam gratia debeant nuncupari.

iterum referimus, indeque sumimus propositionum distinctionem et numerationem (R. T.).

VIII. In redemptis per gratiam Christi nullum inveniri potest bonum meritum quod non sit gratis indigno collatum.

IX. Dona concessa homini integro et angelo forsitan non improbandâ ratione possunt dici gratia; sed quia, secundum usum sacrae Scripturae, nomine gratiae ea tantum munera intelliguntur, quae per Iesum Christum male merentibus et indignis conferuntur, ideo neque merita, neque merces, quae illis redditur, gratia dici debet.

X. Solutio poenae temporalis, quae, peccato dimisso, saepe remanet, et corporis resurrectio proprie nonnisi meritis Christi adscribenda est.

XI. Quod pie et iuste in hac vitâ mortali usque in finem conversati vitam consequimur aeternam, id non proprie gratiae Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutae iusto Dei iudicio deputandum est, neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua[1] lege naturali constitutum est, ut iusto Dei iudicio obedientiae mandatorum vita aeterna reddatur.

XII. Pelagii sententia est, opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non est regni caelestis meritorium.

XIII. Opera bona a filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti ex eo quod fiunt per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum ex eo quod sunt conformia legi, quodque per ea praestatur obedientia legi.

XIV. Opera bona iustorum non accipiunt[2] in die iudicii extremi ampliorem mercedem, quam iusto Dei iudicio mereantur accipere.

1 Male in edit. Main. Const. Gregorii XIII omissa fuit vox *qua*, et male etiam in edit. hac Taurinensi positum fuit *nam* pro *in qua* (R. T.).

2 In cit. Const. Greg. XIII legitur *accipient* et postea *mererentur* pro *mereantur* (R. T.).

XV. Ratio meriti non consistit in eo quod, qui bene operatur, habeat gratiam et inhabitantem Spiritum Sanctum, sed in eo solum, quod obedit divinae legi.

XVI. Non est vera legis obedientia, quae fit sine charitate.

XVII. Sentiunt cum Pelagio qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum.

XVIII. Opera catechumenorum, ut fides et poenitentia, ante remissionem peccatorum facta, sunt vitae aeternae meritoria, quam vitam ipsi non consequentur, nisi prius praecedentium delictorum impedimenta tollantur.

XIX. Opera iustitiae et temperantiae, quae Christus fecit, ex dignitate personae operantis non traxerunt maiorem valorem.

XX. Nullum est peccatum ex naturâ suâ veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam.

XXI. Humanae naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae debita fuit integritati primae conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis.

XXII. Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos II : *Gentes, quae legem non habent, naturaliter quae legis sunt faciunt,* intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.

XXIII. Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam supernaturali et gratuito supra conditionem naturae suae fuisse exaltatum, ut fide, spe et charitate Deum supernaturaliter coleret.

XXIV. A vanis et otiosis hominibus, secundum insipientiam philosophorum, excogitata est sententia, quae ad pelagianismum reiicienda est, hominem ad initio sic[1] constitutum, ut per dona naturae superaddita fuerit largitate conditoris sublimatus et in Dei filium adoptatus.

XXV. Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia.

XXVI. Integritas primae creationis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis eius conditio.

XXVII. Liberum arbitrium, sine gratiae Dei adiutorio, nonnisi ad peccandum valet.

XXVIII. Pelagianus est error dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

XXIX. Non soli[1] fures ii sunt et latrones, qui Christum viam et ostium veritatis et vitae negant, sed etiam quicumque aliunde, quam per ipsum, in viam iustitiae (hoc est ad aliquam iustitiam) conoscendi posse docent;

XXX. Aut tentationi ulli sine gratiae ipsius adiutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab eâ non[2] superetur.

XXXI. Charitas perfecta et sincera, quae est ex corde puro, et conscientiâ bonâ, et fide non fictâ, tam in catechumenis, quam in poenitentibus, potest esse sine remissione peccatorum.

XXXII. Charitas illa, quae est plenitudo legis, non est semper coniuncta cum remissione peccatorum.

XXXIII. Catechumenus iuste, recte et sancte vivit, et mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quae in baptismi lavacro demum percipitur.

XXXIV. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet quo Deus amatur ut auctor naturae, et gratuiti quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia,

1 Male in Const. Gregorii XIII omissum fuit *sic*, et dein *et* pro *ut* legebatur (R. T.).

1 In loco parallelo citato legitur *Non solum* (R. T.).

2 Perperam in edit. Main. et etiam in edit. Taurinensi Constitut. Gregorii XIII omissa fuit particula *non* (R. T.).

et ad illudendum sacris litteris et plurimis veterum testimoniis excogitata.

XXXV. Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.

XXXVI. Amor naturalis, qui ex viribus naturae exoritur, ex solâ philosophiâ, per elationem praesumptionis humanae, cum iniuriâ crucis Christi defenditur a nonnullis doctoribus.

XXXVII. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturae solis viribus ortum ducit, agnoscit.

XXXVIII. Omnis amor creaturae rationalis, aut otiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quae a Ioanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusâ Deus amatur.

XXXIX. Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit.

XL. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.

XLI. Is libertatis modus, qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato.

XLII. Iustitia, qua iustificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientiâ mandatorum, quae est operum iustitia, non autem in gratiâ aliquâ animae infusâ, qua adoptatur homo in filium Dei et secundum interiorem hominem renovatur ac divinae naturae consors efficitur, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus deinceps bene vivere et Dei mandatis obedire possit.

XLIII. In hominibus[1] poenitentibus ante sacramentum absolutionis, et in catechumenis ante baptismum est vera iustificatio, separata tamen a remissione peccatorum.

XLIV. Operibus plerisque, quae a fidelibus fiunt solum ut Dei mandatis pareant, cuiusmodi sunt obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, a furto, a fornicatione abstinere, iustificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia et vera legis iustitia, non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

XLV. Sacrificium missae non aliâ ratione est sacrificium, quam generali illâ, qua omne opus, quod fit, fit[1] ut sanctâ societate Deo homo inhaereat.

XLVI. Ad rationem et definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quaestio est, sed causae et originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium;

XLVII. Unde peccatum originis vere habet rationem peccati sine ullâ relatione ac respectu ad voluntatem a qua originem habuit.

XLVIII. Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, et habitualiter dominatur parvulo, eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium:

XLIX. Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus discedens[2] sine regenerationis sacramento, quando usum rationis consequutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet et legi Dei repugnet[3].

L. Prava desideria, quibus ratio non consentit, et quae homo invitus patitur, sunt prohibita praecepto *Non concupisces.*

LI. Concupiscentia, sive lex membrorum, et prava eius desideria, quae inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.

LII. Omne scelus est eius conditionis, ut suum auctorem et omnes posteros eo

1 In loco parallelo legitur *omnibus* pro *hominibus* (R. T.).

1 Verbum *fit* non iteratur in constit. parallela Gregorii XIII (R. T.).

2 Male edit. Main. habet *discendens;* in loco parallelo aptius legitur *decedens* (R. T.).

3 Male edit. Main. habet *impugnet* (R. T.).

modo inficere possit, quo infecit[1] prima trangressio.

LIII. Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum a generante contrahunt qui cum minoribus nascuntur vitiis, quam qui cum maioribus.

LIV. Definitiva haec sententia, Deum homini nihil impossibile praecepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit.

LV. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.

LVI. In peccato duo sunt, actus et reatus; transeunte autem actu, nihil remanet nisi reatus, sive obligatio ad poenam;

LVII. Unde in sacramento baptismi, aut sacerdotis absolutione, proprie reatus peccati dumtaxat tollitur, et ministerium sacerdotum solum liberat a reatu.

LVIII. Peccator poenitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui, poenitentiam suggerens et inspirans, vivificat eum et resuscitat: ministerio autem sacerdotis solum reatus tollitur.

LIX. Quando per eleemosynas aliaque poenitentiae opera Deo satisfacimus pro poenis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioquin essemus, saltem aliquâ ex parte, redemptores), sed aliquid facimus, cuius intuitu Christi satisfactio nobis applicatur et communicatur.

LX. Per passiones sanctorum, in indulgentiis communicatas, non proprie redimuntur nostra delicta, sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi a poenis pro peccatis debitis liberemur.

LXI. Illa doctorum distinctio, divinae legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad praeceptorum operum substantiam tantum, altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad regnum aeternum (hoc est ad modum meritorum), commentitia est et explodenda.

LXII. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam[1] bonum, vel quia ex obiecto et omnibus circumstantiis rectum est et bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt), vel quia est meritorium regni aeterni, eo quod fit a vivo Christi membro per spiritum charitatis, reiicienda est.

LXIII. Sed et illa distinctio duplicis iustitiae, alterius quae fit per spiritum charitatis inhabitantem, alterius quae fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti cor ad poenitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis et in eo charitatem diffundentis qua divinae legis iustificatio impleatur, similiter reiicitur.

LXIV. Item et illa distinctio duplicis vivificationis, alterius, qua vivificatur peccator, dum ei poenitentia et vitae novae propositum et inchoatio per Dei gratiam inspiratur, alterius, qua vivificatur qui vere iustificatur et palmes vivus in vitae Christo efficitur, pariter commentitia est, et Scripturis minime congruens.

LXV. Nonnisi pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus; et gratiae Christi iniuriam facit, qui ita sentit et docet.

LXVI. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

LXVII. Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod necessario facit.

LXVIII. Infidelitas pure negativa in his, in quibus Christus non est praedicatus, peccatum est.

LXIX. Iustificatio impii fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem et inspirationem gratiae, quae per eam iustificatos faciat implere legem.

1 In loco parallelo legitur *inficit* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *bifarium* (R. T.).

LXX. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu aeternae damnationis, potest habere veram charitatem, et charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu aeternae damnationis [1].

LXXI. Per contritionem, etiam cum charitate [2] perfectâ et cum voto suscipiendi sacramentum coniunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione sacramenti.

LXXII. Omnes omnino iustorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum; unde et Iob et martyres, quae passi sunt, propter peccata sua passi sunt.

LXXIII. Nemo, praeter Christum, est absque peccato originali; hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque eius afflictiones in hac vitâ, sicut et aliorum iustorum, fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis.

LXXIV. Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus iam dominatur, peccatum est, sicut et alii habitus pravi.

LXXV. Motus pravi concupiscentiae sunt, pro statu hominis vitiati, prohibiti praecepto *Non concupisces;* unde homo eos sentiens, et non consentiens [3], transgreditur praeceptum *Non concupisces,* quamvis transgressio in peccatum non deputetur.

LXXVI. Quamdiu aliquid concupiscentiae carnalis in diligente est, non facit praeceptum *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

LXXVII. Satisfactiones laboriosae iustificatorum non valent expiare de condigno poenam temporalem restantem post culpam condonatam.

LXXVIII. Immortalitas primi hominis non est [1] gratiae beneficium, sed naturalis conditio.

LXXIX. Falsa est doctorum sententia, primum hominem potuisse a Deo creari et institui sine iustitiâ naturali.

Damnat praedictas sententias.

§ 3. Quas quidem sententias, stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullae aliquo pacto sustineri possent, in rigore, et proprio verborum sensu ab assertoribus intento, haereticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas et in pias aures offensionem immittentes respective, ac, quaecumque super iis verbo scriptoque emissa, praesentium auctoritate damnamus, circumscribimus et abolemus, deque eisdem et similibus posthac quoquo pacto loquendi, scribendi et disputandi facultatem quibuscumque interdicimus. Qui secus fecerint, ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis et officiis perpetuo privamus, ac etiam inhabiles ad quaecumque decernimus, vinculo quoque anathematis eo ipso innodamus, a quo nullus Romano Pontifice inferior valeat ipsos, excepto mortis articulo, liberare.

Exequutores deputat.

§ 4. Ceterum, ut iam commoti his de rebus tumultus et contracta odia facilius comprimi possint, simulque animarum saluti plenius consulatur, dilecto filio nostro Antonio tituli S. Bartholomaei in Insulâ presbytero cardinali Granuelano nuncupato per apostolica scripta mandamus, ut ipse, quid ad perpetuam dictarum sententiarum et scripturarum abolitionem, quid ad arcenda huiusmodi proloquia et disputationes, quid denique ad unionem et pacem, cum communi omnium et Ecclesiae catholicae satisfactione, componendam, facto opus sit, in primis

1 Erronee, ut patet, ed. Main. habet *damnationes* (R. T.).

2 Vocem *charitate*, oscitanter ut patet omissam in edit. Main., addimus ex loco parallelo (R. T.).

3 Haec verba *et non consentiens* omissa fuerunt in ed. Main. et Taurin. Bullae Gregorii XIII citatae (R. T.).

1 Ex loco parallelo legendum *erat* pro *est* (R.T).

diligenter expendat, deinde in omnibus, quae pro communi salute, tranquillitate et honore optimum iudicaverit, salvâ semper Ecclesiae praedictae unitate, etiam per alium seu alios fide, doctrinâ et religione praestantes, ocius exequatur, faciatque quicquid decreverit inviolate ab omnibus observari.

Contravenientium poenae.

§ 5. Contradictores quoslibet per censuras et poenas praedictas, ceteraque iuris et facti remedia opportuna, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus, quod forsan aliquibus ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, indulgentiis et litteris apostolicis, specialibus vel generalibus, quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus praesentium impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae damnationis, circumscriptionis, abolitionis, interdicti, decreti et mandati, privationis et innodationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDLXVII, kalendis octobris, pontificatus nostri anno II.

Gregorius XIII confirmat praedictam Pii Constitutionem.

§ 6. Deindeque piae memoriae Gregorius Papa XIII, etiam praedecessor noster, intellecto per eum, non sine animi sui dolore, non defuisse tunc temporis aliquos theologos, tum studiosos, tum professores, qui articulos in praedictâ constitutione damnatos asserere et pertinaciter defendere pergerent, pro officii sui munere eorumdem temeritatem atque audaciam, ad totius Ecclesiae periculum pertinentem, minime contemnendam et dissimulandam censuit, sed, ad coërcenda huiusmodi ingenia, per aliam suam constitutionem, sub datum IV kalendas februarii, anno Incarnationis Dominicae MDLXXIX, pontificatus sui anno VIII, editam, Pii praedecessoris constitutionem praedictam suâ quoque auctoritate confirmavit, articulosque ibidem comprehensos iterato damnavit, et, ne quis hac in re constantem Sedis Apostolicae voluntatem ac sententiam ignorare posset, suam huiusmodi confirmationis constitutionem, alterâ Pii V comprehensâ, publicavit et promulgavit.

Pauli V decretum.

§ 7. Postea recolendae memoriae Paulus Papa V similiter praedecessor noster, ad tollenda scandala et dissensiones, quae in Ecclesiâ catholicâ oriebantur occasione editionis librorum et operum de auxiliis tractantium, in generali congregatione sanctae Romanae et universalis inquisitionis, sub die I decembris anni Domini MDCXI coram ipso habitâ, decrevit, ut scriberetur nunciis apostolicis, quod notificarent et ordinarent superioribus religionum et universitatibus studiorum et Ordinariis eorum nunciaturae, ne sinerent imprimi in materiâ de auxiliis, etiam sub praetextu commentandi S. Thomam, aut alio modo; et, qui vellent de hac materiâ scribere et imprimere, prius mitterent tractatus et compositiones ad dictam sanctam universalem inquisitionem; et, in exequutionem mentis dicti Pauli praedecessoris, eiusdem decreti tenor omnibus praedictis per nuncios respective fuit legitime intimatus; successiveque, ne contra praedictum decretum aliquid attentari contingeret, sed scandala et dissensiones om-

Et Urbani VIII. nino cessarent, nos in aliâ generali congregatione dictae sanctae Romanae et universalis inquisitionis, feria v, die XXII maii, anno Domini MDCXXV, per aliud decretum nostrum, ipsum Pauli praedecessoris decretum confirmavimus et innovavimus [1], ac omnibus et singulis cuiusvis religionis, ordinis, congregationis, instituti et societatis, etiam de necessitate exprimendae, regularibus, et aliis quibuscumque, tam ecclesiasticis quam secularibus personis, cuiuscumque status, conditionis, gradus, ordinis et dignitatis, tam ecclesiasticae quam secularis, ne imposterum auderent imprimere vel quoquo modo in lucem edere libros, tractatus vel compositiones ex professo vel incidenter, aut praetextu commentandi D. Thomam vel quemlibet alium doctorem, aut aliâ quavis occasione, praetextu vel modo, de materiâ auxiliorum divinorum tractantes sine expressâ et speciali licentiâ a nobis in congregatione S. Officii praedictâ obtinendâ, donec aliud in hac materiâ a Sede Apostolicâ foret ordinatum, districte praecepimus et mandavimus; et, ut huiusmodi nostrum decretum inviolabiliter observetur, voluimus et declaravimus contravenientes poenas privationis dignitatum et officiorum suorum, vocis activae et passivae, facultatis concionandi, publice legendi, docendi et interpretandi ipso facto, absque aliâ declaratione, incurrere, et nihilominus aliis etiam poenis nostro et successorum nostrorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis subiacere, librosque, quos ex tunc deinceps contra dicti nostri decreti tenorem edi continget, absque aliâ declaratione, tamquam expresse prohibitos haberi, et impressores, praeter amissionem librorum, pecuniariis, aliisque corporalibus poenis iuxta criminis gravitatem teneri.

§ 8. Novissime tandem accepto per nos,

1 Pauli V et Urbani VIII decreta desunt (R.T.).

in oppido (civitate nuncupato) Lovaniensi, quosdam assertos Cornelii Iansenii, olim episcopi Iprensis, exequutores ex testamento in lucem edi curasse librum, cui titulus, *Augustinus*, ex professo continentem et tractantem materiam de auxiliis, nullâ penitus petitâ vel obtentâ a dictâ Congregatione licentiâ illum imprimendi, eiusque operis occasione patres Societatis Iesu nonnullas in civitate Antuerpiensi de eâdem materiâ tractantes theses, pariter absque licentiâ eiusdem Congregationis, imprimi curasse, opinionesque Iansenii in praedicto libro contentas oppugnasse, rursusque nonnullas alias orationes, scripturas, epistolas, thesesque in calce infrascripti decreti nostri tunc registratas, tam pro dicti libri Iansenii quàm thesium a patribus Iesuitis editarum defensione, impressas fuisse, non solum contra praedictorum decretorum prohibitionem, sed etiam in grave scandalum et offensionem Ecclesiae catholicae:

Aliud Urbani VIII decretum, quo prohibetur Iansenii liber, et theses Iesuitarum.

§ 9. Nos, ut malis huiusmodi imminentibus quanto citius occurreretur, et ne imposterum ullus auderet dictis decretis contraire, per aliud decretum[1] in aliâ plenâ et generali congregatione eiusdem sanctae Romanae et universalis inquisitionis coram nobis die I augusti proxime praeteriti habitâ, inhaerendo prioribus decretis a Paulo praedecessore et a nobis ut supra editis, pro tunc, dictum librum Iansenii, cui titulus *Augustinus*, Lovanii impressum, necnon theses a patribus Societatis Iesu Antuerpiae in lucem editas, aliasque scripturas in calce posterioris nostri decreti huiusmodi registratas, iam vigore anteriorum supradictorum decretorum prohibitas, de novo prohibuimus, ac pro prohibitis omnino haberi voluimus; mandavimusque, sub poenâ excommunicationis ipso facto incurrendae, ne quis cuiuscumque status, gradus, conditionis et qualita-

1 Etiam istud exulat a *Bullario* (R. T.).

lis, etiam speciali et specialissimâ notâ dignae, librum et theses praedictas, aliasque scripturas, ut supra, absque dictae Sedis licentiâ in dictâ congregatione S. Officii obtinendâ, retinere et legere posset; mandavimus insuper omnibus et singulis cuiusvis religionis, ordinis et dignitatis, abbatiali, episcopali, archiepiscopali et patriarchali dignitate suffultis, collegiis et universitatibus, sub praedictis, ut supra,

Contravenientpoenae.

excommunicationis ipso facto incurrendae, interdicti ecclesiastici respective, aliisque arbitrio nostro poenis infligendis, etiam corporalibus, ne imposterum auderent imprimere nec quoquomodo in lucem edere libros, tractatus, compositiones, ex professo vel incidenter, etiam sub praetextu commentandi D. Thomam, seu in philosophicis agendi de concursu causae primae cum secundâ, et praesertim defendendi aut impugnandi librum dicti Iansenii, cui titulus *Augustinus*, vel theses patrum Societatis Iesu, aliasque scripturas in calce dicti posterioris nostri decreti, ut praefertur, registratas et prohibitas, aut aliâ quavis occasione vel modo de materiâ auxiliorum divinorum, seu de gratiâ et libero arbitrio tractantes, sine expressâ licentiâ a nobis in dictâ congregatione S. Officii obtinendâ donec aliud in hac materiâ a Sede Apostolicâ praedictâ foret ordinatum;

Et ipsarum reservatio.

§ 10. Absolutionem vero a praedictâ excommunicatione, necnon interdicti suspensionem et relaxationem, nobis et dictae congregationi reservavimus, non obstantibus quibuscumque privilegiis, etiam sanctae cruciatae, iubilaei, etiam generalis, et facultatibus missionariorum, ac aliis a dictâ Sede emanatis, seu emanandis, quibus omnibus in hac parte derogavimus; voluimusque ea omnia suum plenarium sortiri effectum, omnesque contrafacientes, ut supra, ligare, nec quemquam excusari posse, etiam sub praetextu, quod anteriora decreta Pauli praedecessoris et nostra, aliàs ut praefertur edita, non forent in provinciis intimata, vel usu recepta; irritum quoque et inane decrevimus quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari; contrariis quibuscumque non obstantibus; et, ne praemissorum ignorantia posset ab aliquo praetendi, voluimus ut posterius nostrum decretum huiusmodi, seu illius exemplum, ad valvas basilicarum S. Ioannis Lateranensis et Principis Apostolorum de Urbe et in acie Campi Florae affixum, omnes ita arctaret et afficeret, ac si unicuique personaliter intimatum foret.

Nota librorum prohibitorum.

§ 11. Nota vero librorum et scripturarum prohibitarum, in calce posterioris decreti nostri huiusmodi registratarum, haec est: Liber cui titulus *Augustinus,* impressus Lovanii typis Iacobi Zegeri anno MDCXL, et Parisiis MDCXLI. Theses teologicae de gratiâ, libero arbitrio et praedestinatione, Antuerpiae apud Ioannem Meursium anno MDCXLI. *Cornelii Iansenii, Iprensis episcopi,* etc., laudatio funeralis dicta a reverendo fratre Ioanne a Lapide, etc., Lovanii, typis Bernardini Marii etc. *Epistola* idiomate hispano eminentissimo y reverendissimo señor cardinal de la Cueva de la congregation de la Sacra Inquisicion, por el padre Pedro Bivero de la Compañia de Jesus, praedicador del señor cardenal infante, data in Bruxelles XXVI enero MDCXLI. *Memoriale* idiomate hispano cardinali infanti Hispaniae, incipiens: *Serenissimo Señor,* et finiens: *Como es V. Cathol. Real. A.* Libellus, cui titulus *Humilis et supplex querimonia Iacobi Zegers typographi Lovaniensis adversus libellum R. P. S. I. regiae cappellae Bruxellis concionatoris et theses PP. Societatis*, Lovanii apud Iacobum Zegers, anno MDCXLI, primae, secundae et tertiae editionis. *Memoriale*

ad eminentissimum cardinalem de la Cueva circa querimoniam frivolam Iansenianam, etc., contra theses theologicae et libellum supplicem, etc., eiusdem de eodem tela ingesta et regesta. *Theses theologicae apologeticae et miscellaneae adversus doctrinam Cornelii*, etc., sub praetextu querimoniae typographi Lovaniensis, editione II, etc., Antuerpiae apud Ioannem Meursium, anno MDCXLI. Libellus cui titulus *Augustini Hypponensis*, etc., *Augustini Iprensis, de Deo omnes salvare volente*, etc., *homologia*, etc., Lovanii apud Iacobum Zegers, anno MDCXLI. *Epistola Liberti Fromundi et Henrici Caleni*, Lovanii XVI iunii MDCXLI, R. P. Societatis Iesu Lovaniens., incipiens *Theses vestras. Epistola* professorum S. Thomae collegii Societatis Iesu, Lovanii Liberto Fromundo et Henrico Caleno, incipiens: *Gratias agimus*, etc. *Epistola*, cui titulus, *Petrus Biverus doctoribus Iansenianis*, etc., incipiens *Ad rem amici*, etc. *Somnium Hypponense*, sive de controversiis, etc., relatore Phyletimo sacrae theologiae baccalaureo formato, Parisiis, anno MDCXLI. Insuper omnes alii libri, opuscula, epistolae, orationes, theses, etc., aliaque omnia tam contra quam pro Cornelio Iansenio ac patribus Iesuitis.

Nova Iansenii libri damnatio.

§ 12. Cum autem ex diligenti et maturâ eiusdem libri, cui titulus *Augustinus*, lectione postmodum compertum fuerit, in eodem libro multas ex propositionibus a praedecessoribus nostris olim ut praefertur damnatas contineri, et magno cum catholicorum scandalo et auctoritatis dictae Sedis contemptu contra praefatas damnationes et prohibitiones defendi, nos, huic malo in scandalum totius reipublicae christianae et fidei catholicae perniciem vertenti opportunum remedium adhibere volentes, constitutionis Gregorii, necnon Pauli praedecessorum praedictorum nostrorum, necnon decretorum huiusmodi totos et integros tenores ac datas etiam veriores praesentibus pro totaliter expressis et insertis habentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ nostrâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, hac perpetuo valiturâ constitutione, eiusdem Pii et Gregorii praedecessorum huiusmodi constitutiones praedictas, omniaque et singula in eis contenta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, librumque praedictum, cui titulus est *Augustinus*, articulos, opiniones et sententias in dictis constitutionibus reprobatas atque damnatas, ut a nobis compertum est, continentem et renovantem, aliaque omnia opera praesentibus nostris litteris subinserta, quae aliis sub posteriori decreto nostro praedicto registratis per praesentes addimus atque adiungimus, eâdem auctoritate per praesentes omnino prohibemus, ac pro vetitis et prohibitis haberi volumus et mandamus; iubentes insuper, sub omnibus poenis et censuris in praedictâ constitutione Pii praedecessoris contentis (a quibus nullus Romano Pontifice inferior, excepto mortis articulo, absolvere contrafacientes possit), ne quis, cuiuscumque conditionis et qualitatis sit, etiam speciali et specialissimâ notâ et expressione dignus, de praedictis ut supra damnatis, et in praedicto libro contentis, aliisque ut infra subinsertis articulis, opinionibus, sententiis, libellis, orationibus, scripturis, epistolis, thesibus quoquo pacto loqui, scribere et disputare audeat, librumque et alia praedicta penes se retinere vel legere praesumat (remanente nihilominus in reliquis in suo robore posteriori decreto a nobis in sacrâ supremae et universalis inquisitionis congregatione ut praefertur edito); decernentesque sic et non aliàs in praemissis omnibus et singulis per quoscumque interpretes, doctores, academias, universitates et studia

generalia, aliasque personas, iudices ordinarios, delegatos, mixtos, etiam nuncios nostros et Sedis praedictae, sublatâ eis et eorum cuilibet qualibet aliter iudicandi et interpretandi ac glossandi et decidendi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; irritumque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentatum forsan est hactenus, vel imposterum contigerit attentari. Non obstantibus omnibus, quae in dicto nostro posteriori decreto voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Alia opera prohibita.

§ 13. Opera vero, addita aliis in calce posterioris nostri decreti ut praefertur registratis et prohibitis, sunt sequentia, videlicet: *Liberti Fromundi sacrae theologiae doctoris, etc., brevi anatomia hominis,* Lovanii apud Iacobum Zegers, etc., anno MDCXLI. *Conventus Africanus, sive disceptatio iudicialis apud tribunal praesulis Augustini,* etc., enarratore Artemidoro Oneirocritico, a Rouen, chez Nicolas de Montaigne, anno MDCXLI. *Mémorial au roy,* incipiens *Jean Jansenius chanoine,* etc., et finiens *contra illa duo decreta Summorum Pontificum,* etc. Item, *Attestatio notarialis,* etc., incipiens: *Ego infrascriptus,* et finiens, *Petrus Mintart notarius.* Approbatio, sub nomine nonnullorum theologorum ex variis religionibus, tam Ordinum monachalium, quam Mendicantium, necnon archiepiscopi Philippensis, aliorumve theologorum clericorum secularium, doctrinae Cornelii Iansenii in dicto libro *Augustinus* contentae, incipiens: « Quid censendum sit de doctrinâ in opere reverendissimi domini Cornelii Iansenii episcopi Iprensis felicis memoriae nuncupato *Augustinus* contentâ, patebit ex subsequentibus attestationibus doctissimorum virorum in Belgio et alibi existentium » etc., et finiens, « Et me publico et apostolico ac dictae universitatis notario et scriba iurato, quod attestor, Petrus Mintart notarius ».

Praesentium publicatio.

§ 14. Ut autem praesentes nostrae litterae, omniaque et singula in eisdem litteris ut supra contenta, ad omnium notitiam deducantur, nec illarum ignorantia ab aliquo allegari possit, volumus easdem praesentes nostras litteras, seu earum transumptum, etiam impressum (cui, manu notarii publici subscripto, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munito, plenam ubique locorum et tam in iudicio quam extra illud fidem adhiberi decernimus), in basilicae Principis apostolorum de Urbe, et in cancellariae apostolicae valvis, atque in acie campi Florae per aliquos ex cursoribus palatii apostolici publicari et affigi, earumque copiam inibi affixam dimitti, publicationemque, affixionem, et copiae affixae dimissionem huiusmodi in omnibus et quoad omnia sufficere, et pro solemni et legitimâ haberi, nec aliam publicationem in regnis, provinciis, civitatibus, oppidis et locis requiri, aut expectari debere, omnesque et singulos perinde arctare et afficere, ac si unicuique nominatim ac personaliter intimatae atque praesentatae fuissent.

Sanctio poenalis.

§ 15. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, approbationis, adiunctionis, prohibitionis, iussionis, decreti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXLI, pridie nonas martii, pontificatus nostri anno XVIII.

Dat. die 6 martii 1641, pontif. anno XVIII.

DCCVIII.

Iubilaeum universale ad divinam opem implorandam[1].

Urbanus Papa VIII,

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Proœmium. Publicis christifidelium precibus optatam reipublicae christianae tranquillitatem pluries Deo precati sumus, assiduisque officiis et paternis hortationibus pacem inter orthodoxos principes conciliare studuimus; sed veremur ne populorum iniquitates et peccata vultum Dei absconderint a nobis, ne exaudiat; cumulantur enim tum cum maxime[2] excitati bellorum turbines, quibus sedandis consilia humana sunt inferiora, nisi ope caelesti adiuventur. Ad Dominum igitur, qui conterit bella, denuo clamandum censemus, confisi fore ut praestabilis super humanam malitiam divina bonitas id quod enixe petimus, multiplicatis intercessionibus, tandem misericorditer largiatur. Hoc autem ut fructuosius fiat et maiori cum spiritus ardore peragatur, ex veteri Ecclesiae Romanae omnium matris et magistrae more, eiusdem Ecclesiae thesauros, quorum dispensatores a Domino constituti sumus, proferre et erogare decrevimus.

Indictio iubilaei. § 1. Itaque, ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, omnes et singulos utriusque sexus christifideles, tam in almâ Urbe nostrâ, quam extra ubilibet locorum constitutos, apostolicâ auctoritate paterne requirimus, monemus, et in Domino adhortamur ad infrascripta devote peragendum et adimplendum, et ad Deum Salvatorem nostrum orandum, ut per viscera misericordiae suae fidem catholicam protegere, ab hostium conatibus et insidiis defendere, haeresim extirpare, principibus christianis pacem et veram tranquillitatem donare, ac praecipue presentibus Ecclesiae necessitatibus subvenire dignetur.

Indulgentia proposita § 2. Nos enim, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus, meritis minime suffragantibus, contulit, universis et singulis christifidelibus in almâ Urbe praedictâ degentibus, qui S. Ioannis Lateranensis, Principis Apostolorum, S. Mariae Maioris eusdem Urbis ecclesias, seu basilicas, sive nationalem, quoad ipsius ecclesiae nationales, aut parochialem, ecclesias, vel ecclesiarum huiusmodi alteram, spatio trium mensium a die datae praesentium computandorum, semel saltem visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote, ut supra, Deum oraverint, ac feriâ sextâ unius hebdomadae intra dictos tres menses decurrendae ieiunaverint, et peccata sua confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum saltem in dominicâ die immediate sequenti reverenter sumpserint; ceteris vero extra Urbem praedictam ubique degentibus, qui ecclesias, ab Ordinariis locorum, vel eorum vicariis seu ofcialibus, aut de eorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos qui inibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hae nostrae litterae pervenerint, designandas, vel ecclesiarum huiusmodi alteram, spatio trium similiter mensium a publicatione designationis per Ordinarios vel eorum vicarios seu officiales vel alios ut praefertur faciendae computandorum, saltem semel visitaverint, ibique ut supra oraverint, ac feriâ sextâ unius hebdomadae intra eosdem tres menses decurrendae similiter ieiunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac, saltem in die dominicâ immediate sequenti, sanctissimâ communione refecti fuerint, ple-

Quae hic praescribuntur peragentibus.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Vide an alicuius emendationis opus sit (R.T.).

nissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, sicut in anno iubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem concedi consuevit, tenore praesentium, concedimus et elargimur.

Navigantes, iterantes,

§ 2. Navigantes vero et iter agentes, ut, cum primum ad sua se se domicilia receperint, suprascriptis peractis, et visitatâ ecclesiâ cathedrali, vel maiore, aut parochiali loci eiusdem domicilii, eamdem indulgentiam consequi possint et valeant,

Regulares, legitimeque impediti, quid agere debeant ad iubilaeum consequendum:

§ 3. Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque, tam laicis quam ecclesiasticis, secularibus vel regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa confessarius, ex iam approbatis a locorum Ordinariis ante praesentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus.

Peculiares facultates confessariis tributae.

§ 4. Insuper omnibus et singulis christifidelibus utriusque sexus, tam laicis quam ecclesiasticis, secularibus et regularibus, cuiuscumque ordinis, congregationis et instituti, tam in Urbe praedictâ, quam extra eam ubique locorum ut praefertur degentibus, qui ecclesias praedictas, seu earum alteram, ter continuis seu interpolatis diebus intra dictorum trium mensium spatium visitaverint, et inibi, ut supra, oraverint, necnon feriâ quartâ et sextâ ac sabbato alicuius hebdomadae intra dictum temporis spatium decurrendae ieiunaverint, licentiam concedimus et facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum confessarium, tam secularem, quam cuiusvis ordinis regularem, ex[1] ut praemittitur approbatis a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quavis causâ latis seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive nobis et Sedi Apostolicae, etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, et aliàs per quascumque nostras aut Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae, et hac vice tantum non (tamen a crimine haeresis, absolvere) et liberare valeat[2], et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentiâ salutari, aliisque eiusdem confessarii arbitrio iniungendis.

Praesentes litterae a locorum Ordinariis publicandae.

§ 5. Quapropter, tenore praesentium, in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus atque mandamus omnibus et quibuscumque venerabilibus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum ubique existentibus, eorumque vicariis et officialibus, vel, iis deficientibus, illis qui curam animarum exercent, ut, cum praesentium litterarum transumpta aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ullâ morâ, retardatione, vel impedimento per suas ecclesias et dioeceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicent, et publicari faciant, ecclesiamque seu ecclesias visitandas designent.

Casus a prae-

§ 6. Non intendimus autem per prae-

1 Male ed. Main. *et* pro *ex* legit (R. T.).

2 Male rursus eadem ed. habet *valeant* (R.T).

dictis facultatibus excepti.

sentes super aliquâ irregularitate, publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquomodo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae, neque etiam easdem praesentes iis, qui a nobis et Apostolicâ Sede, vel ab aliquo praelato, seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi infra tempus dictorum trium mensium satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles indulgentiarum et facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, cuique suffragari queant, necnon regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque ordinum et congregationum sive institutorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem ordinibus, congregationibus et institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, ac formam eorum traditam pro servatâ habentes, hac vice specialiter, nominatim et expresse, ad effectum praesentium, derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Ut autem praesentes nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant,

Transumptis danda fides.

§ 8. Volumus, ut earumdem praesentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, ubique locorum et gentium eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII martii MDCXLI, pontificatus nostri anno XVIII.

Dat. die 18 martii 1641, pontif. anno XVIII.

DCCIX.

Quod laici seu conversi Ordinis Minimorum suffragentur in admissione novitiorum ad professionem [1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres laici seu conversi Ordinis Minimorum sancti Francisci de Paula, quod licet ipsi, etiam ab ipso dicti Ordinis primordio, in pacificâ semper possessione fuerint nonnullis functionibus et actibus capitularibus interessendi, praesertim vero in capitulis, quae pro novitiorum acceptatione et ad professionem regularem admissione fiunt, votum sive suffragium, ad instar aliorum Ordinis huiusmodi vocalium et sacerdotum, ferendi;

Refertur statutum a capitulo generali Massiliensi, n. XXXIV.

§ 2. De anno tamen MDCXXXV, in capitulo generali eiusdem Ordinis in civitate Mas-

1 De istorum fratrum religione lege in Constit. LXII (*al.* 54) ipsiusmet Urbani VIII tom. XIII, pag. 156, *Ut ea;* et in Const. LXIX (*al.* 61), *Iniuncti nobis,* ibidem pag. 177.

siliensi celebrato, superiores et alii vocales sacerdotes praedicti eosdem laicos seu conversos suis huiusmodi iure et possessione privare tentarunt, et desuper, inter alia per eos in eodem capitulo generali condita constitutiones et statuta, sequens decretum eorumdem constitutionum et statutorum numero XXXIV ediderunt, videlicet: « Novitiorum acceptatio ad professionem fiat per secreta suffragia, secus suo priventur officio superiores; in paritate autem vocum stetur informatori; ad quam acceptationem clerici non habeant votum, nisi sint in sacris ordinibus constituti; laici vero nequaquam, sicut neque in aliis rebus spiritualibus ».

Hic Pontifex alia confirmavit statuta dicti capituli, non tamen circa dismembrationem conventus Orbitelli et laicorum votum in acceptatione novitiorum.

§ 3 *et 4.* Postmodum vero, petitâ nomine correctoris generalis Ordinis huiusmodi a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus negotiis regularium praepositis eorumdem constitutionum et statutorum (praesertim quoad eam partem, qua disponitur, quod laici seu conversi huiusmodi in acceptatione novitiorum votum non habeant) confirmatione, licet nos de eorumdem cardinalium consilio constitutiones et statuta huiusmodi (exceptis tamen decimo statuto circa dismembrationem conventus Orbitelli, ac trigesimoquarto circa laicorum seu conversorum votum in acceptatione novitiorum, quae omnino tolli et aboleri voluimus, ita ut circa conventum praedictum ac laicorum votum in acceptatione novitiorum nihil omnino imposterum esset vel esse censeretur innovatum, sed, circa haec, omnia remanere in statu pristino) apostolicâ auctoritate confirmaverimus, aliaque fecerimus, ut in nostris in simili formâ Brevis desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, uberius continetur: nihilominus tamen sacerdotes et alii superiores locales Ordinis huiusmodi anno superiori eosdem laicos seu conversos in suis huiusmodi iure et possessione de novo turbare tentarunt. Unde, habito ab ipsis exponentibus ad eosdem cardinales recursu, praefati cardinales, inhaerendo decreto aliàs ut praefertur desuper ab eis edito, audito prius procuratore generali Ordinis huiusmodi, dilecto filio nostro Antonio tituli Ss. Nerei et Achillei presbytero cardinali Sanctacrucio nuncupato, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectori, commiserunt, ut pro suo arbitrio et prudentiâ in praemissis statueret et decerneret, quod pro debitâ eorumdem exponentium satisfactione et profitentium quiete in Domino conspexisset salubrius expedire.

Laici iterum super dicto voto turbati recurrerunt ad sacram Congregationem quae commisit negotium E.mo D. cardinali protectori.

§ 5. Qui Antonius cardinalis, in vim commissionis huiusmodi re mature consideratâ, et audito eodem correctore generali, dixit et declaravit licuisse et licere dictis fratribus laicis seu conversis pro acceptatione et admissione novitiorum ad professionem suffragium ferre, ac unâ cum sacerdotibus et superioribus conventuum, ubi dictas acceptationes et admissiones fieri continget, votum praestare; eosque propterea in eorum quasi possessione fore et esse manutenendos, et aliàs prout in eiusdem Antonii cardinalis decreto desuper emanato plenius continetur.

Cardinalis protector declarat ut in summario.

§ 6. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefati laici seu conversi praemissa, pro illorum validitate et subsistentiâ firmioribus, apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri summopere desiderent: nos, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat con-

Confirmatur decretum cardinalis protector, et supplentur defectus.

sequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum seu declarationem huiusmodi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Poenae contrafacientibus et clausulae praeservativae.

§ 7. Mandantes propterea omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet in futurum spectabit, in virtute sanctae obedientiae, ac sub vocis activae et passivae necnon suorum officiorum privationis, perpetuaeque ad illa et alia imposterum obtinenda inhabilitatis, aliisque arbitrii nostri poenis, eo ipso per contrafacientes absque ullâ declaratione incurrendis, ut decretum seu declarationem huiusmodi inviolabiliter observent, ac eosdem exponentes omnium et singulorum in eisdem decreto seu declaratione contentorum commodo et effectu pacifice frui et gaudere sinant et faciant; ac decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque exponentibus in omnibus et per omnia plenissime suffragari,

Clausula *sublatâ* et decretum irritans.

§ 8. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, dictaeque Sedis nuncios, ac quosvis alios, quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac praedictis, et quibusvis aliis dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis eiusdem Ordinis superioribus, fratribus et personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fides adhibenda.

§ 10. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII martii MDCXLI, pontificatus nostri anno XVIII.

Dat. die 22 martii 1641, pontif. anno XVIII.

DCCX.

Declaratio nullitatis decretorum et gestorum per nuncium Hispaniarum tamquam Sedis Apostolicae iurisdi-

ctioni et libertati ecclesiasticae adversantium [1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium ab ipsa materia sumptum.

Decet nos, qui in Apostolicâ Sede a Domino collocati, et universalis[2] Ecclesiae regimini praepositi sumus, curare sedulo, ne eiusdem Sedis auctoritas ac iura et immunitas libertasque et iurisdictio ecclesiastica facto ministrorum apostolicorum ullatenus imminuantur, et si quid ab eis, absque sufficienti facultate, gestum actumque sit, per quod, licet ipso iure nullum, praemissa quoquomodo laesa videantur, ne eo tamquam valido quisquam, ignorantiae vel alio praetextu, uti praesumat, opportunae[3] declarationis ministerio providere.

Nonnulla decreta ab Hispaniarum nuncio emanata in praeiudicium ecclesiasticae iurisdictionis.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius Caesar Fachenettus archiepiscopus Damiatensis, noster et Apostolicae Sedis ad charissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum regem catholicum et Hispaniarum regna nuncius, nullâ a nobis sufficienti facultate suffultus, immo nobis inconsultis et plane insciis, nonnulla decreta, variis impedimentis tribunali eius nunciaturae praestitis et vexationibus sibi factis quasi coactus, fecerit, ac clausulas et verba quaedam in expeditionibus causarum, negociorum et gratiarum, quae ab eo eiusque tribunali vigore suarum ordinariarum facultatum fiunt, apposuerit seu apponi curaverit, vel apponenda esse statuerit, beneplacitumque regium et laicale in actibus ecclesiasticis praeservaverit, statutorumque et ordinationum suarum approbationem a nobis et Sede Apostolicâ infra certum tempus obtinere promiserit, ex quibus nostrae et Sedis praedictae auctoritati iuribusque, et immunitati, libertatique et iurisdictioni ecclesiasticae, ac praedictae nunciaturae apostolicae officio praeiudicium non modicum illatum fuisse vel esse aut fore dici, praetendi seu censeri possit:

Pontifex irritat.

§ 2. Idcirco, etiamsi indubium sit praemissa per eumdem nuncium, sufficiente ad id a nobis facultate minime suffultum, facta, decreta et statuta ipso iure fuisse et esse nulla, attamen (ne eorum approbatio ex taciturnitate et conniventiâ nostrâ, temporisque cursu quantumlibet longaevo, ac quomodolibet, induci vel praesumi valeat, liquidoque constet, illa praeter mentem, voluntatem et intentionem nostram ab eodem nuncio emanasse), motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eorumdem nuncii decretorum, statutorum, ordinationum quarumcumque eidem Sedi aliisque praedictis quomodolibet praeiudicialium, omniumque et singulorum inde hactenus aut[1] imposterum quandocumque sequutorum et sequendorum, aliorumque hîc forsan de necessitate exprimendorum vel inserendorum tenores, etiam maiores et veriores, pro plene expressis et insertis habentes, omnia et singula per eumdem nuncium, absque sufficienti facultate apostolicâ, circa negociorum, causarum et gratiarum quarumlibet ab eo suaeque nunciaturae tribunali iuxta ordinarias facultates expeditionem, vel aliàs quomodolibet Sedi Apostolicae, iurisdictionique, immunitati vel libertati ecclesiasticae quomodolibet praeiudicialia facta, decreta, constituta, ordinata et innovata, etiam intuitu et contemplatione aut in favorem eiusdem regis catholici, eiusque officialium quorumcumque, ac regnorum Hispaniarum, universitatum, nationum et quorumcumque alio-

1 Ex regest. in Secret. Brev.
2 Edit. Main. legit *universis* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *opportune* (R. T.).

1 Particulam *aut* nos addimus (R. T.).

rum, quantumlibet sublimium et supremorum, cuiuscumque conditionis, status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis etiam ecclesiasticae existentium, etiam speciali et individuâ mentione dignorum, ac aliàs quomodolibet qualificatorum, etiam per modum declarationis et reformationis, ac quacumque ex causâ seu praetextu quantumvis iusto, favorabili et pio, etiam cum clausulâ *salvo et reservato nostro et Sedis Apostolicae beneplacito*, vel fortasse etiam cum intentione datâ vel promissione factâ illud a nobis et Sede praedictâ impetrandi, etiam cum praetensâ illorum exequutione et observantiâ, ac aliis inde sequutis quibuscumque, fuisse et esse ipso iure nulla et invalida, nulliusque roboris vel momenti, neque ullum omnino ex eis nostrae et dictae Sedis auctoritati, iuribusque et immunitati, libertati et iurisdictioni ecclesiasticae, eidemque nunciaturae praeiudicium illatum fuisse vel esse, nec cuiquam inde ius aliquod, tam in petitorio quam in possessorio, et aliàs quomodolibet acquisitum, minusve illa et eorum quodlibet ex nostrâ taciturnitate et conniventiâ, et quocumque temporis cursu, et observantiâ quantumlibet longaevâ et longissimâ, per nos unquam approbata, confirmata et admissa dici, praetendi, praesumi, intelligi, induci vel censeri unquam potuisse nec posse, sed ea omnia, tamquam iniussu nostro, nobisque inconsultis et insciis, ac praeter et contra mentem, voluntatem et intentionem nostram ab eodem nuncio facta, pro infectis et ab eorum initio nullis et irritis semper et ubique haberi debere, perinde ac si illa nunquam emanassent, tenore praesentium declaramus, et ad abundantiorem cautelam ea omnia et singula cum ab inde sequutis quibuscumque reprobamus, revocamus, irritamus, cassamus et annullamus, ac pro reprobatis, revocatis, irritis, cassatis et annullatis haberi perpetuo volumus, approbationemque nostram ac beneplacitum apostolicum fuisse a nobis negatum pariter declaramus, prout illud et illam per praesentes denegamus.

§ 3. Praesentes quoque litteras, ac omnia et singula in eis contenta, etiam ex eo quod quicumque in praemissis seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis nullatenus consenserint, et ad ea vocati, citati vel auditi non fuerint, minusque causae, propter quas eaedem praesentes emanarunt, deductae, verificatae, seu aliàs sufficienter aut etiam ullo modo iustificatae non fuerint, nullo umquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae aut alio quovis quantumlibet magno, inexcogitato et substantiali defectu, aut ex quovis alio capite a iure vel facto aut statuto vel consuetudine resultante, sive praescriptionis etiam quadraginta annorum et immemorabilis, ac enormis, enormissimae et totalis laesionis, aut quocumque alio colore vel praetextu, etiam in corpore iuris clauso, seu ex quacumque causâ et occasione, etiam quantumvis iustâ, rationabili et privilegiatâ, etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostrâ huiusmodi et aliis superius expressis seu relatis nihil ulli appareret seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu etiam motu proprio et aliàs quomodolibet concedi, aut sic impetrato vel concesso quempiam uti, seu se adiuvare in iudicio vel extra illud minime posse, sed easdem

Clausulas apponit.

presentes semper validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari;

Et ita iudicari in omnibus decernit.

§ 4. Sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, clericosque praesidentes, ac cameram et quosvis Sedis et camerae praedictarum ministros et officiales, necnon S. R. E. cardinales, etiam vicecancellarios, camerarios, ac etiam de latere legatos, eiusdemque Sedis nuncios, ac quascumque congregationes, etiam specialem expressionem requirentes, etiam quorumcumque S. R. E. cardinalium et praelatorum, et quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, nunc et pro tempore existentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, semper et ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, similiter decernimus.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, tam generalibus quam specialibus, etiam in conciliis universalibus editis, et, quatenus opus sit, regulâ nostrâ de non tollendo iure quaesito, et felicis recordationis Pii Papae IV etiam praedecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse camerae apostolicae concernentibus infra certum tunc expressum tempus in eâdem camerâ praesentandis et registrandis, ita ut praesentes nullo umquam tempore in eâdem camerâ praesentari seu registrari necesse sit, necnon quibusvis conniventiis, tolerantiis, taciturnitatibus, usibus, consuetudinibus, etiam longissimis, ac statutis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, privilegiis quoque, indultis, concessionibus, licentiis et litteris apostolicis, quibuscumque personis, etiam, ut praemittitur, qualificatis, ac provinciis, regnis, nationibus, civitatibus, universitatibus, ecclesiis, ordinibus, etiam militaribus, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, congregationibus, institutis, Societati Iesu, aliisque locis et personis quibuslibet, etiam speciali notâ et expressione dignis, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis et decretis, etiam irritantibus, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries et iteratis vicibus confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti essent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis, formamque in illis traditam pro servatâ habentes, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI aprilis MDCXLI, pontificatus nostri anno XVIII.

Dat. die 6 aprilis 1641, pontif. anno XVIII.

DCCXI.

Decretum publici et secreti consilii populi Romani de anno MDCXXII *emana-*

tum, quo praescribitur, quod notarii curiae capitolinae esse debeant notarii capitum regionum Urbis, extenditur ad protonotarium eiusdem curiae et notarios conservatorum et camerarii Ripae [1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Preces protonotarii curiae capitolinae pro extensione, de qua in rubrica.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Franceschinus curiae capitolinae protonotarius, quod aliàs, postquam de anno MDCXXII per secretum et publicum populi Romani consilium decretum fuerat, quod notarii collegii capitolini de cetero forent esseque deberent notarii capitum regionum almae Urbis nostrae, quodque capita regionum huiusmodi pro tempore existentia nullatenus possent eligere nec deputare in eorum regionum notarios alios quam ex dicto collegio capitolino, et, in eventum in quem aliquis ex dictis capitibus regionum alium quam ex dicto collegio capitolino deputasset, deputatio praedicta nulla et invalida esset, et dilecti filii eiusdem almae Urbis conservatores pro tempore existentes aliquem ex dicto collegio in notarium capitum regionum huiusmodi ex officio deputare deberent, subinde, per subsequens idem secretum et publicum consilium, de eodem anno decretum declaratumque fuit, quod per concessionem dicto capitolino collegio ut supra factam non intendebatur ullatenus protonotario dictae curiae, nec eorumdem conservatorum ac camerarii Ripae notariis praeiudicatum fuisse, imo ipsos etiam in notarios capitum regionum et non alios eligi posse; propter quod, citato ad eiusdem protonotarii instantiam dicto collegio capitolino ad videndum reponi a quocumque decreto praeiudiciali, iidem conservatores sub die II augusti MDCXXXIX reposuerunt a dicto decreto quoad protonotarium tantum, imo illum in supradictâ concessione comprehensum esse declararunt, citato autem postmodum ex parte eiusdem collegii capitolini dicto protonotario ad videndum mandari expediri litteras apostolicas ceteris non obstantibus, iidem conservatores in ante decretis ad eiusdem protonotarii favorem sub die II septembris MDCXXXIX perstiterunt.

Causae faciendae extensionis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, idem collegium per quasdam nostras in simili formâ Brevis sub die XXIX novembris MDCXXXIX emanatas litteras[1] praefatum decretum anni MDCXXII confirmari obtinuerint, nullâ factâ decreti eiusdem secreti et publici consilii ad eorumdem protonotarii et notariorum dictorum conservatorum et camerarii Ripae favorem facti expressione, ac etiam non obstantibus aliis decretis, quoad eumdem protonotarium dumtaxat, parte citatâ emanatis, et, licet ex deductis litterae nostrae huiusmodi subreptitie extortae, non narratâ facti veritate, videantur, nihilominus tamen dicti collegii notarii illis utantur, praetendentes se esse notarios capitum regionum huiusmodi privative quoad omnes alios, ac certa emolumenta sibi consignari faciant: nobis propterea dictus exponens humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Extensio.

§ 3. Nos igitur, eumdem exponentem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie ab-

1 Ex Regest. in Secret. Brev. — Decretum quoad notarios, eiusque confirmationem lege supra sub num. DCLXXV pag. 37.

1 Quas vide in loc. cit. in nota ad rubr. (R.T).

solventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praefatas nostras litteras eidem notariorum curiae capitolinae collegio, servatâ tamen formâ secundi decreti consilii publici et secreti huiusmodi, ita ut tam ipse Franciscus modernus et pro tempore existens protonotarius huiusmodi, quam eorumdem conservatorum et camerarii Ripae notarii in notarios capitum regionum dictae Urbis eligi possint, suffragari ac valere in omnibus et per omnia, perinde ac si de praefato decreto secreti et publici consilii huiusmodi, ad eorumdem protonotarii et notariorum conservatorum et camerarii Ripae huiusmodi favorem[1] ut praefertur facto, aliisque praefatis mentio facta fuisset,

Clausulae. § 4. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus et declaramus.

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Urbis et curiae praedictarum, ipsiusque collegii, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, reformationibus, stylis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Vocem *favorem* addend. esse censuimus (R. T.).

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIX aprilis MDCXLI, pontificatus nostri anno XVIII.

Dat. die 29 aprilis 1641, pontif. anno XVIII.

DCCXII.

Collegium Urbanum regimini cardinali S. Honuphrii et sacrae Congregationis de Propaganda Fide additur[1].

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Romanus Pontifex, communis pater et pastor, circa collegiorum aliorumque piorum locorum quorumlibet, praesertim in Urbe, ad orthodoxam fidem propagandam institutorum, et per S. R. E. cardinales sibi sanguine coniunctos, propriis eorum opibus, liberali manu ampliatorum, salubrem directionem et felicem progressum ex demandato sibi apostolicae servitutis officio sollicite intentus, ea, quae desuper a se aliàs facta fuisse comperit[2], novumque, aliis iustis ita suadentibus causis, alterat et immutat, aliasque sui officii partes favorabiliter interponit, prout, personarum, rerum et temporum qualitate debite consideratâ, etiam pro ipsorum collegiorum et piorum locorum feliciori et salubriori directione et profectu id conspicit in Domino salubriter expedire.

Refert fundationem collegii apostolici a Ioanne Baptista Vives factam; § 1. Aliàs siquidem, cum nobis innotuisset, quondam magistrum Ioannem Baptistam Vives, dum viveret, presbyterum Valentinum citerioris Hispaniae in utrâque signaturâ nostrâ referendarium, praelatum domesticum et continuum commensalem nostrum, ac quondam Isabellae Clarae Eugeniae infantis Hispaniarum ac Belgicarum provinciarum principissae et

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Male edit. Main. legit *competit* (R. T.).

gubernatricis apud nos et Sedem Apostolicam ordinarium residentem legatum, zelo domus Dei, animarumque salutis, ac propagationis et tuitionis sanctae fidei catholicae, aliisque piis rationibus et ex devotione ductum, palatium quoddam in plateâ SS. Trinitatis Montis Pincii nuncupatâ de Urbe, sub regione Columna[1], intra sua notissima latera plateamque praedictam ac vias publicas situm, aliàs *Delli Ferratini* nuncupatum, quod tunc inhabitabat, unâ cum suis membris, areâ[2], cortili, stabulis, remissis, usibus, commoditatibus, adiacentiis et pertinentiis universis, ad effectum in illo illiusque situ collegium seu seminarium unum apostolicum sacerdotum seu clericorum secularium, qui saltem ad sacros ordines maiores, seu eorum ad minus aliquem, infra annum a die eorum in illo receptionis computandum, omnino promoveri deberent et tenerentur, ex omni gente et natione desumendorum, et per nos Romanosque Pontifices successores nostros pro tempore existentes ad fidem praedictam in toto orbe terrarum universisque illius partibus propagandam dilatandamque[3], perpetuis futuris temporibus, et quousque electorum numerus completus unusque pastor et unum Christi ovile facta fuerint, duraturum, sub regulis, legibus, statutis, constitutionibus et ordinationibus nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus benevisis edendis[4] et stabiliendis, erigendi, instituendi et creandi, et pro illius dote seu dotis nomine, alumnorumque in dictum collegium seu seminarium pro tempore introducendorum substentatione[5], viginti tria fidei, et triginta S. Bonaventurae, ac quinquaginta salis respective nuncupata loca montium non vacabilium de Urbe, unâ cum omnibus et singulis eorum fructibus ac proventibus insimul ad quingenta et sexaginta quinque, vel circiter, scuta monetae romanae ad rationem decem iuliorum pro singulo scuto huiusmodi annuatim ascendentia[1], ac censum annuum aliorum centum quadraginta scutorum similium (aliàs ad commodum quondam Diomedis Mussi Cremonensis pro sorte principali duorum millium scutorum similis monetae super bonis quondam Ioannis Francisci Ugolini pro acta dilecti filii Rinaldi Buratti, curiae causarum camerae nostrae apostolicae notarii, sub die XXIX aprilis anni MDCXXIV ad rationem septem pro centenario et anno constitutum, ac postmodum ad favorem dicti Ioannis Baptistae pro acta quondam Laurentii Bonincontri, curiae capitolii notarii, sub die VII augusti eiusdem anni venditum et cessum, ac ad praesens per dilectos filios natos et haeredes dicti quondam Ioannis Francisci solvi solitum), et denique reliqua omnia sua bona, mobilia et immobilia, praesentia et futura, pecuniarum summas, actiones et credita, iuraque et alia quorumvis montium loca, quae tempore sui obitus haberet et possideret, seu ad eum quomodolibet spectare et pertinere dignoscerentur, in hac nostrâ Urbe et illius districtu dumtaxat existentia (exceptis tamen tribus millibus scutis similis monetae romanae ad eamdem rationem iuliorum decem pro singulo scuto huiusmodi ex promptioribus suis bonis mobilibus deponendis[2], per eum aliàs in animae suae refrigerium hospitali et ecclesiae B. Mariae de Monte Serrato nuncupatae etiam de Urbe donatione causâ mortis

1 In tom. XIII, pag. 575 est *Columnae* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *aureâ* pro *areâ* (R. T.).
3 Pessime prorsus edit. Main. habet *dilatam namque* pro *dilatandamque*; videtur heic deesse vox *mittendorum* (R. T.).
4 Perperam ed. Main. habet *adeundis* (R. T.).
5 Male edit. Main. legit *substentationem* (R. T.).

1 Tum hîc, tum l. paral. leg. *ascendentibus* R. T).
2 In loc. parall. cit. legitur *depromendis*; infra pag. 116 *a* legitur *desumendis* (R. T.).

sub die primâ mensis decembris anni MDCXXV per acta dilecti filii Iacobi Moret clerici coniugati Alborensis dioecesis in archivio Romanae curiae descripti notarii legatis, necnon, quoad vixerit, dicti palatii, cum praedictis membris, adiacentiis et pertinentiis, usu et habitatione, ac praedictorum et aliorum quorumcumque locorum montium, censusque praedicti, et reliquorum omnium, tam mobilium quam immobilium, praesentium et futurorum, quovis nomine nuncupatorum, bonorum suorum usufructu, et de scutis centum auri in auro ad beneplacitum suum testamento disponendi facultate sibi reservatis, expensisque funeralium et exequiarum suarum iuxta status sui exigentiam et qualitatem demptis) nobis et successoribus nostris praedictis canonice intrantibus (cum conditione tamen, quod, si collegium seu seminarium huiusmodi in dicto palatio suisque membris et pertinentiis cum applicatione dictorum bonorum pro illius dote et alumnorum in eo introducendorum substentatione assignatorum vitâ nostrâ durante non fundavissemus, erexissemus vel instituissemus, infrascripta donatio successori nostro immediate sub eâdem conditione, et eo etiam in his deficiente, aliis Romanis Pontificibus successoribus nostris ut praefertur canonice intrantibus in infinitum, donec et quousque intentio et pia voluntas dicti Ioannis Baptistae modo praemisso suum plene sortita esset effectum, et non aliàs, nec alio modo, facta esse censeretur) donatione perpetuâ spontaneâ et irrevocabili, quae dicitur fieri inter vivos, per acta quondam Chrysantis Roscioli Fulginatensis similiter curiae causarum camerae apostolicae notarii sub die primâ mensis iunii MDCXXVI dedisse, donasse, cessisse et transtulisse; et, pro observatione statutorum Urbis circa insinuationes similium donationum faciendas editorum, sponte, omnique meliori modo quo poterat et debebat, dilectum filium substitutum dilecti filii commissarii generalis camerae nostrae praedictae ad specialiter et expresse donationem, cessionem et translationem praedictas coram quovis ordinario vel alio Romanae Curiae iudice et coram quibus opus esset suo nomine insinuandas, significandas et notificandas procuratorem suum fecisse et constituisse; nobisque praeterea, ut tenorem dicti instrumenti, donationemque, cessionem et translationem huiusmodi, pro illarum maiori subsistentiâ et perpetuâ roboris firmitate, de apostolicae potestatis plenitudine confirmare et approbare, omnesque, tam formales et substantiales, quam alios quosvis, tam iuris quam facti defectus, si qui quomodolibet in eisdem intervenissent, de eiusdem potestatis plenitudine supplere et tollere vellemus et dignaremur, instanter supplicavisse; postmodum vero dilectum filium Ioannem Altovitum, supradicti commissarii generalis tunc substitutum, facultate procuratoriâ huiusmodi utentem, coram tunc existente dictae curiae capitolii primo collaterali, Romanaeque Curiae ordinario, et ad interponendum decretâ in contractibus voluntariae iurisdictionis a nobis specialiter deputato iudice, donationem, cessionem et translationem praedictas originaliter exhibuisse, insinuasse, significavisse, illasque ad plenam et veram dicti iudicis notitiam iuxta statutorum praedictorum formam et tenorem deduxisse; et tandem illas per dictum iudicem pro tribunali sedentem, causâ cognitâ, admitti et pro insinuatis haberi, et in actis publicis dilecti filii Ioannis Baptistae de Octavianis dictae curiae capitolinae notarii iuxta formam dictorum statutorum registrari, auctoritatemque et decretum per eumdem iudicem desuper quomodolibet necessaria et opportuna interponi sub die VI eiusdem mensis iunii obtinuisse:

A se postea erectum, Urbanum appellatum, privilegiisque auctum;

§ 2. Nos, qui catholicae religionis incrementum, haeresumque extirpationem, non solum sinceris desideramus affectibus, sed ad universarum gentium et animarum salutem procurandam ac fidem catholicam in universum mundum propagandam tuendamque debitores nos esse fatemur, ac propterea laudabili desiderio et piae voluntati dicti Ioannis Baptistae conditionique in dicto donationis instrumento appositae satisfacere cupientes, motu proprio, et ex certâ scientiâ et deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, donationem, cessionem et translationem huiusmodi, omniaque, in instrumento desuper ut praefertur celebrato contenta, acceptata illaque rata et grata habentes, eâdem apostolicâ auctoritate perpetuo approbavimus et confirmavimus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiecimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti aliosque dictos substantiales defectus, si qui desuper forsan intervenerint, supplevimus; et insuper, ad maiorem omnipotentis Dei gloriam et fidei catholicae incrementum, unum in palatio praedicto suisque membris et adiacentiis collegium pontificium seu seminarium apostolicum sub invocatione sanctorum Petri et Pauli apostolorum, Pastorale Urbanum nuncupatum, pro propagandâ ac tuendâ catholicâ et apostolicâ fide, in quo sacerdotes seu clerici dumtaxat seculares, qui ad sacros et maiores ordines seu saltem ad eorum aliquem infra annum ad minus a die eorum in huiusmodi collegio seu seminario receptionis computandum promoveri omnino debeant et teneantur, ex omni natione et gente recipi, ac bonis moribus verâque pietate et sacrâ doctrinâ et aliis catholico homine dignis virtutibus, ad effectum dictam fidem catholicam apostolicamque in partibus infidelium, in quibus aliqui orthodoxae fidei cultores remanserunt, tuendi et conservandi, necnon eamdem fidem in eisdemmet partibus, quando recepta fuerit, totoque terrarum orbe propagandi et dilatandi[1], instrui, et, pro dictae fidei tuitione, incremento, dilatatione[2], propagatione, vitae periculum et martyrium si opus fuerit subire omnino debeant, perpetuis futuris temporibus et quousque electorum numerus completus unusque pastor et unum Christi ovile facta fuerint duraturum, auctoritate praedictâ etiam perpetuo ereximus et instituimus; illique sic erecto et instituto, pro eius dote, et omnimodâ[3] illius oeconomorum, rectoris, magistrorum, praepositorum et alumnorum in eo pro tempore existentium substentatione, viginti tria praedicta fidei, et alia triginta S. Bonaventurae, ac quinquaginta salis respective nuncupata loca montium praedicta, unâ cum eorum fructibus et proventibus ad quingenta sexaginta quinque vel circiter scuta monetae romanae ad rationem praedictam pro singulo scuto huiumodi annuatim, ut acceperamus, ascendentia[4], et praeterea censum annuum dictorum centum quadraginta scutorum similium, ut praefertur, sortis principalis duorum millium scutorum monetae similis super bonis dicti quondam Ioannis Francisci Ugolini, ad rationem septem pro centenario et anno, dicto Ioanni Baptistae debitum, et per dilectos filios natos et haeredes dicti quondam Ioannis Francisci nunc solvi solitum, et deinde reliqua omnia dicti Ioannis Baptistae bona mobilia et immobilia praesentia et futura, iuraque, actiones et pecuniarum summas, ac credita dictorum[5] et quorumvis aliorum montium loca et

1 Male edit. Main. legit *propagandam et dilatandam* (R. T.).

2 Perperam edit. Main. legit *dilatione* (R.T).

3 Aptius in loc. parall. legitur *commoda* (R.T).

4 Videretur legendum *ascendentibus* (R. T.).

5 Aptius in loco parall. est *credita, dictoremque* (R. T.).

iura, quae dictus Ioannes Baptista tempore sui obitus haberet et possideret, seu ad eum quomodolibet spectare dignoscerentur, in Urbe praedictâ et in illius districtu dumtaxat consistentia (tribus tamen millibus scutis monetae romanae, praedicto hospitali et ecclesiae B. Mariae de Monte Serrato de Urbe, ex promptioribus suis mobilibus bonis desumendis ut praefertur, per eum in refrigerium animae suae donatis, demptis et exceptis, necnon palatii praedicti cum omnibus suis membris et pertinentiis, quoad dictus Ioannes Baptista vixisset, usu et habitatione, dictorumque et aliorum quorumcumque locorum montium ac census praedictorum, reliquorumque omnium et aliorum, tam mobilium quam immobilium, tum praesentium et futurorum, quovis nomine nuncupatorum, bonorum suorum usufructu, ac de scutis centum auri in auro ad beneplacitum suum testamento disponendi facultate sibi reservatis, expensisque funeralium et exequiarum suarum demptis similiter[1]) perpetuo assignavimus, concessimus, appropriavimus et incorporavimus.

Eiusque regimen tribus canonicis patriarchalium ecclesiarum commissum.

§ 3. Et, ut dicti collegii seu seminarii de propagandâ ac tuendâ fide conservationi bonoque regimini et gubernio consuleremus, tres canonicos actu praebendatos, ex tribus ecclesiis patriarchalibus Urbis illarumque capitulis, videlicet ex Lateranensi unum, ex dicti Principis Apostolorum alterum, ac ex S. Mariae Maioris nuncupatae reliquum, singulos nempe ex singulis patriarchalibus ecclesiis huiusmodi, quoad personaliter tantum[1] apud easdem patriarchales ecclesias residerent et in illis actu praebendati forent, et non amplius, nostro et successorum nostrorum Romanorum Pontificum pro tempore existentium arbitrio eligendos et declarandos (prout tunc Iulium Zampolinum Lateranensem, ac magistrum Marcum Aurelium Maraldum Caesenatensem, in utrâque signaturâ nostrâ referendarium, Principis Apostolorum, et Pompeium de Angelis Romanum S. Mariae Maioris praedictae respective patriarchalium ecclesiarum canonicos actu praebendatos et personaliter apud eas residentes[1]) in administratores et directores, gubernatores et oeconomos dicti collegii seu seminarii (ita quod iis, seu eorum altero, vel duobus ex eisdem deficientibus, seu canonicatus et praebendas in dictis patriarchalibus ecclesiis ex quavis causâ obtinere cessantibus, statim alius ex capitulo dictae patriarchalis ecclesiae, in qua ultimo loco defuisset, canonicus, etiam actu praebendatus, in eius locum sub eâdem limitatione per nos et successores nostros dumtaxat subrogaretur) pariter perpetuo constituimus et deputavimus; illisque sic constitutis et deputatis rectores et praeceptores, magistros, officiales, oeconomos et alias personas in dicto collegio seu seminario deputandi, illosque amovendi, et alios in eorum loco sufficiendi, ac statuta, ordinationes et decreta quaecumque, licita tamen et honesta, sacrisque canonibus, apostolicisque constitutionibus minime adversantia vel repugnantia, faciendi et edendi; ac illa, quoties pro rerum et temporum qualitate seu aliàs expedire videretur[2], immutandi, corrigendi, moderandi, reformandi, interpretandi, ac alia ex integro condendi, ita ut, ubi edita, immutata, correcta, moderata, reformata et condita forent, eo ipso apostolicâ auctoritate confirmata et approbata viderentur, plenam et liberam facultatem et omnimodam auctoritatem perpetuo concessimus et elargiti fuimus; ac insuper collegium seu seminarium huiusmodi, illiusque oeconomos, rectores, magistros, praeceptores et alumnos

1 Aptius in loco parall. legitur *tamen* (R. T.).

1 Fors. deest *elegimus et declaravimus* (R.T).
2 Male edit. Main. legit *viderentur* (R. T.).

pro tempore existentes, illorumque domesticos, officiales, ac ministros, ac illius collegii seu seminarii bona mobilia et immobilia praesentia et futura, cuiuscumque qualitatis et quantitatis existentia, ab omni iurisdictione, dominio, superioritate et potestate pro tempore existentium dilectorum filiorum vicarii, senatoris, conservatorum et reformatorum, ac rectoris studii generalis dictae Urbis, ac Ordinariorum locorum, aliorumque iudicum et officialium quorumcumque, tam in ipsâ Urbe quam extra eam et ubicumque constitutorum, exemimus et liberavimus; ipsisque collegio seu seminario, rectori, scholaribus, praeceptoribus, magistris, oeconomis, officialibus, magistris et personis, ut quibuscumque privilegiis et exemptionibus, libertatibus, facultatibus, gratiis et indultis, quibus studium generale dictae Urbis, et alia[1] Germaniae, Angliae[2] et Graecae nationum, illorumque rectores, scholares, praeceptores, magistri, oeconomi, officiales, ministri et personae quovis modo utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed aeque principaliter et pariformiter in omnibus et per omnia uti, potiri et gaudere valeant, pariter perpetuo de speciali gratiâ indulsimus; eidemque collegio dilectum filium nostrum Martium S. Angeli in Foro Piscium S. R. E. diaconum cardinalem Ginnettum nuncupatum per chirographum nostrum in protectorem et iudicem, etiam privative quoad quoscumque alios, deputavimus; successiveque, ad protegendum et maiori cum decore hoc tam pium tamque commendabile eiusdem Ioannis Baptistae Vives opus conservandum et perpetuandum,

Datumque cardinalem protectorem, ac iudicem.

1 Male eadem editio habet *aliae* (R. T.).

2 Aptius in loco parall. est *Germanicae, Anglicae* (R. T.).

utque ipsum palatium crebrius frequentaretur, et fideles quilibet hoc medio, magnum ipsius Ioanni Baptistae Vives pietatem admirantes, ad praedictum augendum, ac alia pietatis et charitatis opera etiam ex integro fundanda iugiter allicerentur, in idem palatium Congregationem S. R. E. cardinalium de Propagandâ Fide, qui illic eorum congregationem facerent, introduximus et instituimus; eisque collegium seu seminarium praedictum plurimum in Domino commendavimus. Hincque, ac etiam ex singulari et admodum propenso eius erga Deum ac pietatis et misericordiae opera affectu[1] permotus, dilectus filius noster Antonius tunc tituli S. Honuphrii, ad praesens vero S. Petri ad Vincula S. R. E. presbyter cardinalis S.Honuphrii nuncupatus, noster secundum carnem frater germanus, maior poenitentiarius et Sedis Apostolicae bibliothecarius, unusque ex cardinalibus congregationis praedictae, in dicto palatio seu iuxta illud ecclesiam proprio aere construi curavit, et postea nos, eius votis benigne annuentes, in praedicto collegio, seu seminario, primo unum pro duodecim ex Georgianorum et Persarum, ac Nestorianorum, necnon Iacobitarum et Melchitarum, ac Cophtarum, duobus videlicet pro qualibet oriundis, et subsequutive alium alumnatum aliorum tredecim alumnorum, septem pro Æthiopicae seu Abissinae, sex vero pro Bracmanae Indiarum orientalium nationum respective alumnis, sub certis modo et formâ tunc expressis respective ereximus et instituimus; eisque sic erectis et institutis, pro alumnorum huiusmodi substentatione, aliorumque onerum supportatione, reddditus annuos ad annua scuta mille et septingenta monetae romanae ascendentes in tot locis montium non vacabilium de Urbe, per dictum Antonium cardinalem assi-

Erectamque in eo ecclesiam a cardinali S. Honuprii, institutosque nonnullos alumnatus.

1 Male edit. Main. habet *affectum* (R. T.).

gnatos et tunc expressos, etiam perpetuo concessimus et assignavimus; ius nominandi alumnos praedictos eidem Antonio cardinali et certis aliis personis tunc expressis similiter perpetuo reservavimus; et praeterea dicto Antonio cardinali, quoad vixerit, et eo defuncto praedictae congregationi de Propaganda Fide amborum alumnatuum praedictorum omnimodam protectionem, regimen ac gubernationem, plenam superintendentiam, ac facultatem deputandi rectorem dictorum duorum alumnatuum per eius patentes rectorem pro tempore dicti collegii, cuius curae immediate subessent eorum alumni, quique praedictae congregationi, seu ab eo[1] deputando, singulo trimestri rationem dati et recepti reddere deberet, eâdem auctoritate perpetuo itidem tribuimus et impertiti fuimus; aliaque decrevimus et statuimus, prout in diversis nostris super collegii seu seminarii et alumnatuum huiusmodi erectionibus sub kalendis augusti anno IV, et X kalendas aprilis anno XV, ac XVI kalendas iulii anno XVI pontificatus nostri respective expeditis litteris[2], ac etiam in chirographo praedicto, cuius et quarum totos et integros tenores, etiam veriores, ac datas[3], praesentibus haberi volumus pro expressis, uberius respective continetur.

Causas quoque recenset eiusdem collegii gubernium immutandi.

§ 4. Cum autem, sicut accepimus, idem collegium seu seminarium de Propaganda Fide ad praesens, sumptibus et impensâ eiusdem Antonii cardinalis in pietatis et misericordiae operum exercitio continuatis coëmptâ totâ domorum eidem collegio undecumque contiguarum seu cohaerentium insulâ, dirutâque earum maiori parte, in qua collegium valde ab eodem Antonio cardinali ampliatur et magis insigne efficitur, splendidâ et insigni, copiosiorique scholarium numero[4] capaci a fundamentis constructione reddatur, ideoque collegium seu seminarium huiusmodi, quod antea paucis constabat alumnis, ob auctum illorum ex erectione duorum alumnatuum praedictorum, intuitu eiusdem Antonii cardinalis per nos ut praefertur factâ, numerum, maiori administratione et gubernio, et aliquâ speciali circa qualitatem illius rectoris pro tempore deputandi provisione et declaratione opus habeat, utilitatique et fructuoso regimini collegii seu seminarii huiusmodi plurimum conducere existimetur, ut idem collegium sive seminarium, eique successive additi alumnatus praedicti, ad eorum collegiales et alumnos ac ministros in pace et quiete confovendum, ab uno tantum protectore, rectore, gubernatore et superintendente regantur, gubernentur et administrentur, idque a nemine melius et fructuosius praestari posse noscatur, quam a dicto Antonio cardinale ac venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus congregationis de Propaganda Fide huiusmodi:

Removet praefatos tres canonicos.

§ 5. Motu itaque, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, ex voto dilecti filii nostri Iulii tituli sanstae Susannae S. R. E. presbyteri cardinalis Sacchetti nuncupati, ac dilectorum etiam filiorum quorumdam Romanae Curiae praelatorum a nobis desuper ad id specialiter deputatorum, omnimodam atque totalem facultatem et auctoritatem, per priores nostras litteras tribus canonicis ecclesiarum patriarchalium praedictarum circa administrationem, directionem et gubernium collegii seu seminarii praedicti, illiusque rectoris, praeceptorum, magistrorum, officialium, oeconomorum et aliorum officialium, et circa confectionem statutorum et ordinationum

1 Legendum foret *eâ* (R. T.).

2 Quas vide respective in tom. XIII, pag. 574, et tom. XIV, pag. 580 et 734 (R. T.).

3 Male edit. Main. legit *datae* (R. T.).

1 Mirâ prorsus perversione edit. Main. legit *nuncupato* pro *numero* (R. T.).

huiusmodi, ac aliàs quomodolibet per nos ut praefertur concessas, a modernis et ad praesens deputatis canonicis dictarum ecclesiarum patriarchalium per praesentes perpetuo avocamus et auferimus, ac canonicos patriarchalium ecclesiarum huiusmodi in administratores, directores, gubernatores et oeconomos collegii seu seminarii, illiusque rectoris, praeceptorum, magistrorum, officialium, oeconomorum et aliarum personarum, ac bonorum et iurium huiusmodi de cetero assumi prohibemus, facultatemque et auctoritatem eligendi, deputandi ac amovendi alumnos seu collegiales collegii seu seminarii praedicti, cum bonis dicti Ioannis Baptistae Vives, ut praefertur, fundatos et dotatos[1], nobis et Romanis Pontificibus successoribus nostris pro tempore existentibus etiam perpetuo reservamus.

Totumque gubernium collegii Congregationi de Propaganda Fide tribuit.

§ 6. Ipsius vero collegii seu seminarii, illiusque rectoris, praeceptorum, magistrorum, officialium, oeconomorum, alumnorum seu collegialium, et aliarum personarum, ac bonorum, reddituum, iurium et actionum quarumcumque omnimodam administrationem, directionem, superintendentiam, regimen et gubernium dicto Antonio cardinali, quoad vixerit (per eum communicato, ut speramus, consilio cum congregatione dictorum cardinalium, ita tamen ut negotiis gravioribus, gubernium et regimen collegii seu seminarii huiusmodi concernentibus, dictus Antonius cardinalis et ipsa congregatio respective nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes consulere, illorumque participes facere omnino teneantur), dictâ auctoritate privative tam quoad canonicos praedictos, quam quoscumque alios, etiam quavis dignitate sive ecclesiasticâ sive laicali praeditos[2], et quamtumlibet privilegiatos, et speciali notâ dignos, qui illos et illa quomodolibet praetendere possent, pariter perpetuo committimus et mandamus, iurisdictionemque et illius plenum exercitium quoad causas et lites praedicti collegii in eodem chirographo contentas iudici praedictae congregationis de Propaganda Fide, vel alteri eidem Antonio cardinali donec vixerit beneviso per ipsum cardinalem deputando, cum facultatibus in eodem chirographo expressis committimus; ipsique Antonio cardinali, quoad vixerit, quaecumque statuta et ordinationes, prosperum regimen et gubernium collegii seu seminarii illiusque ministrorum et personarum ac bonorum huiusmodi quomodolibet concernentia, ac aliàs utilia et necessaria, cum simili consilio congregationis cardinalium praedictorum condendi et promulgandi, et tam Antonio cardinali praedicto, quoad vixerit, cum simili, ut speramus, communicatione, quam, eo defuncto, ipsi congregationi cardinalium, quoties rerum et temporum qualitas exiget, ac aliàs expediens videbitur, statuta et ordinationes huiusmodi alterandi, corrigendi, modificandi et declarandi, seu alia ex integro condendi, quae, statim atque condita et edita fuerint, omnes quos quomodolibet concernent ad eorum observationem sub poenis in eis infligendis arctent et adstringant non secus ac si apostolicâ auctoritate motuque pari specifice confirmata fuissent, plenam et liberam auctoritatem et facultatem concedimus et impertimur. Insuper in rectorem collegii seu seminarii huiusmodi semper unum presbyterum secularem vel regularem, iudicio dicti Antonii cardinalis, ut praefertur, donec vixerit, et, dicto Antonio cardinali defuncto, congregationis cardinalium huiusmodi, habilem et idoneum, qui ad libitum et nutum[1] liberum Antonii cardinalis et respective congregationis hu-

1 Legerem *fundati et dotati* (R. T.).

2 Perperam edit. Main. legit *praedictos* (R.T.).

1 Perbelle ed. M. fert *mutum* pro *nutum* (R.T).

iusmodi duret et amoveri possit, deputandum et eligendum fore et esse, in alumnos vero seu collegiales tam collegii seu seminarii quam utriusque alumnatuum huiusmodi personas talis aetatis, ut intra annum a die eorum receptionis ad sacros ordines seu saltem ad[1] eorum aliquem promoveri possint, nisi aliàs dicto Antonio cardinali et congregationi praedictae ac aliis ius nominandi et eligendi habentibus ut supra expedire videbitur, circumscriptâ quoad hoc litterarum apostolicarum erectionis alumnatuum huiusmodi dispositione, etiam eligi et nominari debere statuimus et ordinamus.

Clausulas apponit.

§ 7. Decernentes praesentes[2] ullo umquam tempore, sive ex eo quod causae propter quas illae emanarunt verificatae et approbatae, ac canonici praedicti et alii quicumque in premissis interesse habentes, seu habere praetendentes, ad id vocati non fuerint, sive aliàs ex quibuscumque causis, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae vel quocumque alio defectu notari, impugnari, retractari, seu etiam revocari, suspendi, restringi, limitari, aut in ius vel controversiam revocari, seu ad terminos iuris reduci non posse, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum curiae camerae apostolicae auditores, ac S. R. E. cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliàs iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Deputat exequutores.

§ 8. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Ostiensi et Portuensi episcopis ac dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditori per apostolica scripta motu pari mandamus, quatenus ipsi, vel[1] duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Antonii ac aliorum cardinalium congregationis de Propagandâ Fide huiusmodi fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque circa illa efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes ac in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, firmiter et inviolabiliter observari, ac Antonium et alios cardinales congregationis huiusmodi illis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, ac censuras et poenas ipsas, legitimis super his habendis servatis[2] processibus, et iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii secularis auxilio.

Derogat contrariis.

§ 9. Non obstantibus priori nostrâ voluntate prioribusque litteris nostris praedictis, ac nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis, quae in singulis litteris ac chirographo nostro praedictis voluimus non obstare, contrariis quibuscumque; seu si quibus communiter aut divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem.

Clausulas poenales addit.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae avocationis,

1 Praeposit. *ad* ex superioribus addimus (R.T.).
2 Subintellige *litteras* (R. T.).

1 Perperam edit. Main. legit *nec* pro *vel* (R.T.).
2 Vocem *servatis* ex more solito addimus (R.T).

ablationis, prohibitionis, reservationis, communicationis, mandati, concessionis, impartitionis, statuti, ordinationis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXLI, XVII kalendas iunii, pontificatus nostri anno XVIII.

Dat. die 16 maii 1641, pontif. anno XVIII.

DCCXIII.

Commissio Ordinario Coloniensi personas ecclesiasticas compellendi ad solutionem vectigalium grani, farinae et vini ad quinquennium tantum[1].

Venerabili fratri Ferdinando archiepiscopo Coloniensi, sacri romani imperii principi electori, seu dilecto filio officiali Coloniensi,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater, seu dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Catholicae religionis zelus, ac sincerae fidei et devotionis affectus, quo[2] dilecti filii communitas et homines civitatis Coloniensis nos et Romanam prosequuntur Ecclesiam, promerentur, ut eorum commodis et utilitati, quantum cum Domino possumus, libenter consulamus.

Communitas Coloniensis pro contributione super grano, farina, etc. extendendâ ad ecclesiasticos exponit causas.

§ 1. Cum itaque, sicut nobis nuper exponi fecerunt communitas et homines praedicti, ob assiduas expensas, quas ipsos, pro conservatione religionis catholicae, et dictae civitatis eiusque territorii ab haereticorum invasionibus praeservatione, plurium annorum spatio facere oportuit, eadem civitas adeo opibus exhausta sit, ut sumptus pro conservandâ deinceps orthodoxâ religione in eâdem civitate, eâque ab haereticorum conatibus tuendâ necessarios imposterum sustinere non possit, ideoque exponentes praedicti etiam personas ecclesiasticas tam seculares quam regulares civitatis praedictae, quae, ut asserunt, plusquam unam ex tribus partibus bonorum stabilium in dictâ civitate possident, ad solutionem gabellarum super grano, farinâ et vino in civitate huiusmodi impositarum, nostrâ et huius Sanctae Sedis auctoritate, cogi et compelli desiderent:

Commissio Coloniensi Ordinario prout in rubricâ.

§ 2. Nos, considerantes personarum ecclesiasticarum non minus quam laicorum interesse religionem catholicam in dictâ civitate sartam tectamque conservari, et civitatem huiusmodi adversus haereticorum invasiones praemuniri, ipsosque exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae, frater archiepiscope, seu discretioni tuae, fili officialis, per praesentes committimus et mandamus, ut, constito tibi, quod laicorum facultates pro subeundis deinceps expensis praedictis non suppetant, et dummodo cleri praedictae civitatis Coloniensis expressus ad hoc assensus accedat, personas ecclesiasticas civitatis praedictae tam seculares quam cuiusvis ordinis, congregationis et instituti etiam speciali notâ et expressione dignas (exceptis tamen Mendicantibus bona stabilia non possidentibus et ex eleemosynis viventibus) regulares ad contribuendum in gabellis impositis super grano, farinâ et

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Male edit. Main. habet *quod* pro *quo* (R.T.).

vino in dictâ civitate consumendis, vel ab eâ extrahendis, ad quinquennium proximum dumtaxat auctoritate nostrâ cogas et compellas, ratamque earumdem personarum ecclesiasticarum per personas ecclesiasticas deputatas vel deputandas a te exigi facias, absque eo quod laici se in exactione huiusmodi ullo modo intromittant, et ratam per ipsas personas ecclesiasticas pro tempore solutam communitati et hominibus praedictis, seu illorum deputatis, in praemissos et non alios usus convertendam consignari cures.

Obstantium derogatio

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quarumcumque ecclesiarum, monasteriorum, domorum et locorum regularium, ac ordinum et congregationum, quorum fuerint, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quavis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xx maii MDCXLI, pontificatus nostri anno XVIII.

Dat. die 20 maii 1641, pontif. anno XVIII.

DCCXIV.

Constitutio super praeservatione iurium Sedis Apostolicae, et inferiorum ecclesiarum, personarumque ecclesiasticarum a quibuscumque praeiudicialibus[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex, in sacrâ beati Petri Sede a Domino constitutus, non valens curam suae pastoralis sollicitudinis in gregem sibi commissum personaliter in qualibet mundi parte exercere, legatos etiam de latere ac nuntios aliosque ministros apostolicos ad diversas provincias et regna, prout cognoscit in Domino expedire, consuevit destinare, ut, vices suas supplendo, facultatesque sibi concessas non excedendo, errata corrigant, et commissis sibi populis iustitiae et gratiae incrementa ministrent, iuraque Sedis Apostolicae, iurisdictionem, immunitatem et libertatem ecclesiasticam tueantur, ac de gravioribus Summum Pontificem reddant certiorem, remediaque ac mandata opportuna apostolica expectent et exequantur.

Causae huius Constitutionis.

§ 1. Cum autem, ut accepimus, a nonnullis praetendatur, quosdam ex legatis,

1 Consonat prohibitio Sixti V alienationis civitatum, castrorum, aliorumque locorum et bonorum, etiam iurisdictionalium, ad eamdem Apostolicam Sedem spectantium, de qua in notâ ad rubricam Const. DLXXXV (*al.* 551) Urbani VIII, tom. XIV, pag. 616.

sive natis, sive aliis etiam de latere, etiam S. R. E. cardinalibus, nunciisque ac aliis ministris apostolicis quovis nomine nuncupatis, ac etiam ex rectoribus seu gubernatoribus provinciarum, civitatum et locorum ditionis temporalis sanctae Romanae Ecclesiae per Romanos Pontifices praedecessores nostros ac etiam per nos missis, ceterisque officialibus camerae apostolicae et Romanae curiae, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, etiam vicecancellariis et camerariis, ac feudatariis, quantumlibet qualificatis et individuâ mentione dignis, ac etiam baronibus, aliisque iurisdictionem quomodolibet exercentibus, aliqua eidem Sedi aut iurisdictioni vel immunitati seu libertati ecclesiasticae ecclesiisque et personis ecclesiasticis praeiudicialia, praeter aut contra facultates sibi concessas, nedum fecisse, declarasse, concessisse ac decrevisse, seu aliàs quomodolibet disposuisse, sed etiam praedicta et quaecumque alia eis praeiudicialia, a quibuscumque aliis sive ecclesiasticis sive laicis quomodolibet qualificatis sufficientem facultatem apostolicam non habentibus commissa et facta, oneraque super ecclesiis ac earum bonis et iuribus earumque fructibus absque sufficienti facultate apostolicâ imposita, transgressionesque et excessu, contra sacrorum canonum, constitutionum apostolicarum, et conciliorum universalium dispositionem, contra Sedem Apostolicam, iurisdictionem, immunitatem aut libertatem ecclesiasticam, seu ecclesias vel personas ecclesiasticas, earumque bona et iura quaecumque, quomodolibet commissos et perpetratos tolerasse et approbasse, vel quomodolibet permisisse, seu eisdem praeiudicialibus consensisse; immo ex ipsorum legatorum, nuntiorum et ministrorum apostolicorum, ac etiam respective gubernatorum provinciarum, civitatum et locorum ditionis temporalis eiusdem Sedis Apostolicae, et quorumcumque aliorum ipsius officialium, seu cuiuslibet eorum, assertâ scientiâ, taciturnitate, tolerantiâ vel consensu, ipsorumque praeiudicialium observantiâ, inferri posse, tam in praedictis quam in ceteris quibuscumque praeiudicialibus, nedum ad praesumptam scientiam, tolerantiam, consensum seu approbationem Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, et cuiuslibet eorum, ac nostrum, sed etiam ad praesumendum super eis et eorum quolibet fuisse concessum beneplacitum apostolicum (etiamsi praedecessores nostri praedicti multoties eâ viâ quâ licebat se opposuerint, et nos quoque contradixerimus); concessiones quoque et gratias quascumque, ac investituras etiam civitatum, terrarum, castrorum, aliorumque locorum et bonorum etiam iurisdictionalium, ad eamdem Apostolicam Sedem seu ad ecclesias inferiores respective spectantium, ab aliquibus ex eisdem praedecessoribus nostris vel a praelatis seu rectoribus ecclesiarum inferiorum praedictarum quomodocumque et quandocumque ad certas vitas aut generationes seu lineas, vel ad certum tempus iam elapsum, illorumque ac illarum pignorationes, seu in pignus dationes ac alienationes cum pacto redimendi, factas, ex praedictâ assertâ scientiâ et tolerantiâ Sedis Apostolicae nedum longius protrahi, sed etiam perpetuari; aliaque indebita et iniusta praetendantur in praedictae Sedis Apostolicae, iurisdictionis, immunitatis seu libertatis ecclesiasticae, aliarumque ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum maximum detrimentum, et populorum grave scandalum, animarumque ipsorum praetendentium, transgredientium vel occupantium seu usurpantium, ac in censuris eo ipso incursis insordescentium perniciem:

Praeservationi iurium Sedis Apostolicae con.

§ 2. Propterea nos, sicut ex onere pastorali tenemur, indemnitati Sedis Apo-

solit hic Pontifex.

stolicae, iurisdictionisque et immunitatis ac libertatis ecclesiasticae, ecclesiarumque et personarum ecclesiasticarum, quantum nobis ex alto conceditur, prout iidem praedecessores nostri omnibus praeiudiciis obviam ire exoptarunt, consulere volentes, attendentesque quod praedicti legati, nuntii et cardinales, etiam vicecancellarii et camerarii, aliique omnes et singuli praedicti, sine speciali Papae mandato, nulla eidem Sedi et ecclesiis aliisque praedictis praeiudicialia umquam tacite vel expresse facere potuerunt vel possunt, quodque, ob locorum distantiam ac negotiorum molem quibus Sedes Apostolica premitur, huiusmodi praeiudicia[1] non fuerunt Summo Pontifici pro tempore existenti, minusque eius successoribus, nota, saltem cum suis circumstantiis praeiudicium inferentibus et aggravantibus, quodque confirmationes, approbationes et beneplacita Papae, praesertim ubi actum fuit vel agitur de praeiudicio perpetuo, semper consueverunt in scriptis expediri, praecipue per litteras apostolicas sive sub plumbo sive in formâ Brevis sub annulo Piscatoris, prout etiam pontificatu nostro expediuntur; ideo, si in registris apostolicis, quae fideliter custodiuntur et asservantur, praedictorum quorumcumque praeiudicialium approbationes, confirmationes vel beneplacita apostolica non reperiuntur descripta seu registrata, vel non exhibentur originalia litterarum apostolicarum, aut transumpta, iuxta formam constitutionis nostrae desuper aliàs editae[2] sub datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub die I iunii MDCXXXV, pontificatus nostri anno XII, inde deducitur, neque Romanos Pontifices praedecessores nostros, nec nos umquam praeiudicialia approbasse vel confirmasse, beneplacitaque apostolica super praeiudicialibus numquam concessisse; ac denique quod Romani Pontifices praedecessores nostri, pro damnandis, impugnandis et evitandis omnibus et singulis praeiudicialibus, illisque et praetensis tolerantiis, conniventiis, consensibus, possessionibus, intrusionibus, occupationibus, usurpationibus, observantiis et praescriptionibus quibuscumque impediendis, interrumpendis, penitusque avertendis et excludendis, hactenus consueverunt quolibet anno in die Coenae Domini facere processus generales, bullas eiusdem Coenae nuncupatas, et publicare contra quoscumque, prout etiam nos fecimus et publicavimus; idcirco etiam praedicta omnia et singula eidem Sedi Apostolicae, iurisdictioni vel immunitati aut libertati ecclesiasticae seu ecclesiis vel personis ecclesiasticis, earumve bonis, iuribusque ac fructibus quomodolibet praeiudicialia, per praedictos et alios quoscumque contra aut praeter facultates eis concessas facta, eo ipso fuerint et sint nulla et invalida:

Omnia praeiudicialia Sedi Apostolicae Romanaeque Ecclesiae, etc. decreta, statuta, indulta, etc. irrita, et revocat.

§ 3. Nihilominus, abundantiori cautelâ uti volentes, omniumque et singulorum quomodolibet praeiudicialium quandocumque et a quibusvis ac ex quacumque causâ et quovis modo factorum et gestorum, ac inde sequutorum quorumcumque, ceterorumque hîc de necessitate forsan exprimendorum ac inserendorum tenores, etiam maiores et veriores, pro plene expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, motu proprio, certâque scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, motique ex praedictis causis, aut illarum alterâ, seu ex aliis iustis et rationalibus animum nostrum moventibus, ad quarum omnium et singularum verificationem Ecclesiam Romanam praefatam Sedemque Apostolicam et quemcumque alium numquam teneri volumus, ultra quascumque revocationes hactenus factas, hac nostrâ perpetuâ constitutione declaramus, omnia

1 Forsan legendum *praeiudicialia* (R. T.).

2 Quam vide in tom. XIV, pag. 478 (R. T.).

et singula acta, decreta, statuta, indulta, concessiones, ordinationes, declarationes, concordias et pacta, etiam nomine eiusdem Sedis Apostolicae inita, venditionesque et alienationes officiorum aliorumque eiusdem Sedis iurium, et quascumque alias dispositiones, quocumque nomine nuncupata, eidem Sedi Apostolicae Romanaeque Ecclesiae, seu quibuscumque aliis ecclesiis et locis piis, ac personis ecclesiasticis, seu iurisdictioni vel immunitati aut libertati ecclesiasticae quomodolibet praeiudicialia et praeiudiciales, a quibuscumque legatis, etiam de latere, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, nunciis, seu aliis ministris apostolicis, cameraeque apostolicae et Romanae curiae officialibus et ministris, etiam cardinalibus, vicecancellariis et camerariis, et respective rectoribus et gubernatoribus, feudatariis, baronibus et ceteris iurisdictionem quomodolibet exercentibus, aliisque praefatis, quantumlibet qualificatis et individuâ expressione dignis, quandocumque, qualitercumque et quomodocumque, praeter vel contra facultates eis concessas, facta et gesta, factasque et gestas, aut aliàs quovis modo ab eis emanata et emanatas hactenus, etiam per modum edicti, declarationis, constitutionis, pragmaticae, reformationis, ac prohibitionis, etiam generalis, ac aliàs quomodolibet, etiam cum clausulâ, *salvo vel reservato Sedis Apostolicae beneplacito*, vel fortasse etiam cum intentione datâ vel promissione etiam factâ illud ab hac Sanctâ Sede, seu a Romano Pontifice, aut etiam a nobis impetrandi, etiam cum praetensâ illarum exequutione et observantiâ quantumlibet longissimâ, ac aliis inde quomodolibet sequutis quibuscumque, etiam in favorem, seu intuitu, vel contemplatione imperatoris, regum, aliorumque principum etiam supremorum, etiam laicorum, nationum, rerumpublicarum, provinciarum, regnorum, aliorumque dominorum et officialium quorumcumque, vel civitatum, universitatum, etiam studiorum generalium, collegiorum, religionumve, seu militiarum, ecclesiarum et monasteriorum quorumcumque ordinum, vel aliorum quorumvis, etiam speciali notâ dignorum, ex quacumque ratione, occasione, vel causâ quantumlibet piâ, publicâ, favorabili, seu privilegiatâ, etiam transactionis, vel concordiae, seu belli, treguae, vel pacis, etiam universalis, et ad maius malum, vel scandalum, ut asseritur, evitandum, seu ex aliis rationibus et causis, etiam omnibus insimul concurrentibus, ac aliàs individuam expressionem requirentibus;

Item tolerantias, taciturnitates et conniventias, etc.

§ 4. Necnon quascumque tolerantias, taciturnitates, conniventias, permissiones, consensus, declarationes, exequutiones, approbationes, vel confirmationes, expresse vel tacite, dicto vel facto, ac aliàs quomodolibet, praeter aut contra suas facultates ab iisdem legatis, nunciis ac ministris apostolicis, et respective rectoribus et gubernatoribus, ut asseritur, factas, seu habitas, vel respective praestitas, in quibuscumque actibus eidem Sedi Apostolicae, seu iurisdictioni, immunitati seu libertati ecclesiasticae, aut ecclesiis vel personis ecclesiasticis, quomodolibet praeiudicialibus, per quoscumque alios, etiam laicos, quantumlibet, ut praemittitur, qualificatos, quavis auctoritate et potestate, etiam imperiali, regali, aut quacumque aliâ individuam expressionem requirente fungentes, etiam sub praetextu quod bullae seu constitutiones apostolicae non fuerint publicatae, vel usu receptae, aut contrario usu, etiam decennali, et quantumlibet longissimo, ut praetenditur, abrogatae, vel sub praetextu constitutionum, litterarum seu dispositionum apostolicarum, de quarum existentiâ per canonica documenta apostolica non constat, seu

revocatae aut non sufficientes sunt, ac etiam in permittendo editionem seu impressionem librorum eidem Sedi aliisque praeiudicialium, seu continentium opiniones damnatas, vel in admittendo seu exequendo minus legitimam earumdem constitutionum, litterarum, seu dispositionum apostolicarum interpretationem, vel faciendo aut approbando ea, quibus disciplina ecclesiastica quomodolibet enervatur seu laeditur, factis et gestis;

Impedimenta legatis apostolicis illata, etc.

§ 5. Molestias quoque, vexationes et impedimenta quaecumque legatis, nunciis, vel aliis ministris et officialibus apostolicis per quoscumque etiam laicos, cuiusvis status, gradus, conditionis, qualitatis, dignitatis ecclesiasticae, ut praemittitur, existentes, quomodolibet factas et illatas, factaque et illata, tam eorum ingressum in provincias sibi commissas denegando, quam ne suas facultates libere in illis exercerent impediendo, ac eos ab illis expellendo;

Contributiones, gabellas, etc.

§ 6. Necnon quascumque contributiones, collectas, gabellas, militum hospitationes, decimas, vel alias fructuum partes, aliaque onera et gravamina quaecumque super ecclesiis, monasteriis et locis piis, praesertim vacantibus, vel personis ecclesiasticis, earumque vel eorum bonis seu fructibus, etiam praetextu vel causâ facultatis bona stabilia acquirendi, seu retinendi, ac aliàs quomodolibet, per laicos praefatos et quoscumque alios quomodolibet qualificatos absque sufficienti facultate apostolicâ impositas et imposita, exactasque et exacta, etiam a sponte dantibus vel contribuentibus;

Molestationes personarum ecclesiasticarum.

§ 7. Item molestationes, perturbationes, acta, carcerationes, exequutiones et attentata quaecumque a quibusvis laicis, etiam officialibus, quomodolibet qualificatis, contra personas ecclesiasticas, vel ecclesias, seu cuiuslibet earum bona, sive iura, vel fructus, tam civiliter quam criminaliter, et aliàs quomodolibet quantumcumque hactenus facta, gesta et commissa, etiam de facto exequutioni, etiam pluribus vicibus, et quocumque temporis cursu, etiam longaevo et longissimo, ac, ut praetenditur, immemorabili, etiam cum famâ asserti privilegii, quomodolibet demandata;

Transgressiones sacrorum canonum,

§ 8. Necnon quascumque transgressiones et excessus contra dispositiones sacrorum canonum, constitutionum apostolicarum, et conciliorum universalium, praesertim Lateranensis sub Alexandro III, generalis nuncupati, et[1] sub Innocentio III, Viennensis sub Clemente V, Lateranensis ultimi sub Leone X felicis recordationis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, seu Tridentini, a quibuscumque et ex quibusvis causis quomodolibet et quandocumque factas[2] in praeiudicium Sedis Apostolicae, sive iurisdictionis, vel immunitatis, aut libertatis ecclesiasticae, seu ecclesiarum, vel personarum ecclesiasticarum, earumque bonorum seu fructuum, etiam effectum, ut praemittitur, de facto sortitos[3], et inde sequuta quaecumque;

Prorogationes gratiarum.

§ 9. Item quascumque prorogationes, extensiones, protractiones, seu perpetuationes quarumcumque gratiarum, concessionum et investiturarum a Sede Apostolicâ vel a praelatis seu rectoribus ecclesiarum inferiorum quandocumque hactenus factarum ad certas vitas aut generationes seu lineas iam finitas vel extinctas, sive ad certum tempus iam elapsum, pignorationumque et venditionum cum pacto redimendi, permutationum, aliorumque contractuum, ac dispositionum

1 Comma et coniunctionem *et* nos addimus ad tollendam confusionem; Lateranense III habitum fuit sub Alexandro III, et Lateran. IV sub Innoc. III (R. T.).

2 Aptius lege *facta* nempe *transgressiones et excessus* (R. T.).

3 Aptius lege *sortita* nempe *transgressiones et excessus* (R. T.).

quarumcumque de civitatibus, terris, dominiis, castris, locis et bonis etiam feudalibus vel iurisdictionalibus ac iuribus eiusdem Sedis Apostolicae vel ecclesiarum inferiorum a quibuscumque quantumlibet ut praemittitur qualificatis quandocumque praetensa [1], etiam exequutioni demandatas, et quocumque temporis cursu continuatas; necnon reliqua omnia quotcumque et qualiacumque eidem Sedi Apostolicae, vel iurisdictioni, immunitati aut libertati ecclesiasticae, seu ecclesiis vel personis ecclesiasticis, earumve iuribus, bonis et fructibus quomodolibet praeiudicialia, per quoscumque sufficienti et legitimâ facultate apostolicâ non munitos facta, gesta et respective perpetrata, cum omnibus et singulis quomodocumque inde secutis et quocumque tempore longissimo executioni demandatis ac observatis, fuisse et esse ipso iure nullas et invalidas, ac nulla et invalida, nulliusque roboris vel momenti, indebitaque et illicita [2] ac de facto praesumptas et praesumpta, nullumque praeiudicium eisdem intulisse, nec inferre unquam posse, illasque et illa ex quocumque temporis cursu, nec etiam ex quacumque praetensâ observantiâ quantumlibet diuturnâ, longaevâ, longissimâ, seu immemorabili, etiam cum famâ praetensi privilegii apostolici, ac etiam iunctâ quavis scientiâ, conniventiâ, tolerantiâ, taciturnitate, facultate et permissione, etiam ex actibus positivis non legitimis resultante, praelatorum ecclesiarum inferiorum, legatorum, nunciorum et aliorum quorumcumque ministrorum apostolicorum, ac etiam respective quorumvis rectorum et gubernatorum, aliorumque praedictorum, etiam feudatariorum, etiam Sedis Apostolicae, ac baronum, ceterorumque iurisdictionem quomodolibet exercentium, ac forsan Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum et nostrâ, nequaquam fuisse hactenus, nec in posterum fore approbata, convalidata, neque respective prorogata, extensa, protracta, vel perpetuata, minusque inde aliquam approbationem vel praesumptionem alicuius beneplaciti apostolici, neque aliquam bonam fidem, possessionem, vel quasi, aut praescriptionem, in aliquo etiam impediente, imponente, exigente, attentante, vel respective occupante, usurpante, vel transgrediente, aut quomodolibet continuante, nec in quocumque alio, potuisse nec unquam posse resultare vel induci respective in Sedis Apostolicae iurisdictionis, immunitatis, aut libertatis ecclesiasticae, seu ecclesiarum, vel personarum ecclesiasticarum, earumve iurium, ac bonorum et fructuum praeiudicium, talemque praesumi fuisse semper mentem et intentionem Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum praedictorum ac respective nostram fuisse et esse quovis modo praedicta et quaecumque alia praeiudicialia nunquam approbandi, seu confirmandi, nisi de praetensâ approbatione vel confirmatione apostolicâ constiterit ex praedictis regestis apostolicis, vel aliàs iuxta formam praedictae alterius constitutionis nostrae; quinimo omnia et singula praeiudicialia fuisse a sacris canonibus, constitutionibus apostolicis et conciliis, etiam universalibus, praesertimque a praedictâ Bullâ in Coenâ Domini legi solitâ respective reprobata ac damnata, prout etiam ad abundantiorem cautelam tenore praesentium reprobamus et damnamus, beneplacitaque apostolica per praedecessores nostros et per nos hactenus denegata fuisse declaramus, sicut etiam harum vigore denegamus, et, quatenus foret opus, omnia et singula praeiudicialia praedicta, omniaque alia, si qua [1] sint, irritamus et annullamus ac

1 Vide an legendum *praetensas* (R. T.).

2 Legerem *indebiteque et illicite* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *quae* (R. T.).

respective revocamus cum inde secutis quibuscumque, praesertim intrusionibus, occupationibus, usurpationibus et observantiis, ac usibus et consuetudinibus quantumvis longissimis et immemorabilibus, etiam cum assertâ famâ privilegii apostolici, quas et quae illicitas et illicita, irrationabilesque et irrationabilia declaramus, ac pro reprobatis, illicitis, irrationabilibus, irritis et annullatis perpetuo haberi volumus, decernimusque et damnamus; ita quod in posterum illa et illae non possint unquam in iudicio nec extra iudicium a quoquam quomodolibet allegari, deduci, probari, nec ab aliquo admitti ad quemcumque effectum, et, quatenus opus foret, adversus illos et illa ac alia quaecumque quomodolibet praeiudicialia harum serie eamdem Sedem Apostolicam, Romanamque Ecclesiam, et ecclesias inferiores, ac personas ecclesiasticas quascumque plenarie et plenissime, ex iustis causis nobis benevisis, ac si talia nunquam extitissent, in integrum et pristinum in quo antea erant statum restituimus, reponimusque ac reintegramus; praeiudicialiaque huiusmodi, ne imposterum perpetuis futuris temporibus fiant, etiam interdicimus et prohibemus.

Damnat quosdam abusus circa provisiones ecclesiarum cathedralium ex incuriâ officialium Sedis Apostolicae.

§ 10. Insuper, cum etiam nobis innotuerit, quod aliquando in provisionibus ecclesiarum cathedralium, metropolitanarum, primatialium et patriarchalium, aliisque gratiis et dispositionibus apostolicis, fuit, ob incuriam quorumdam Sedis Apostolicae seu Romanae curiae officialium, inadvertenter in praeiudicium liberae provisionis earum narrata vel etiam forsan de facto admissa praesentatio, nominatio vel supplicatio alterius quantumlibet, ut praemittitur, qualificati, absque eo quod de eius iure praesentandi, nominandi vel supplicandi constitisset, et aliquando praedicta seu alia eidem Sedi Apostolicae narrativa praeiudicialis fortasse in praetenso ecclesiarum ultimo statu fundata extitit, etiamsi de contrario statu, aut aliàs de liberâ provisione, etiam per litteras erectionis aut alio modo appareret seu constare posset; aliquando etiam in provisionibus ecclesiarum pro cultu divino et ipsarum ecclesiarum felici gunio apponuntur diversa decreta, quae per obitum provisorum, vel aliàs, asseruntur expirasse, cum nihilominus perdurare debeant, donec fuerint adimpleta;

Item circa facultates et gratias regibus, principibus, etc, concessas.

§ 11. Quandoque etiam in concedendis facultatibus, indultis seu aliis gratiis, per Sedem Apostolicâm etiam regibus et principibus, rebuspublicis, seu dominiis, ac feudatariis quomodolibet qualificatis, ac speciali expressione dignis concedi solitis, in quibus iuxta antiquum stylum erant prius habendae litterae declarationis et promissionis per privilegiatos scribendae Papae concedenti, quibus ipsi petentes facultates et privilegia se e converso obligare debent pro observatione et conservatione quarumcumque immunitatum, libertatum et iurium Sedis Apostolicae, ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum, ac bonorum ecclesiasticorum quorumcumque, et tamen illis litteris non receptis fuerunt concessae facultates, indulta et gratiae apostolicae praefatae, etiam absque aliquo onere illas intra aliquod tempus scribendi, et eidem Sedi praesentandi, immo etiam aliquando officiales camerae apostolicae, sive notitiam iurium et scripturarum camerae non habentes, seu memoriâ non retinentes, vel aliàs, expediverunt, sive expediri a Romanis Pontificibus seu etiam a nobis fecerunt vel permiserunt[1], vigore conventionum, concordatorum, transactionum et compactorum cum Sede Apostolicâ initorum, quasdam gratias, facultates, seu concessiones et privilegia, uti debitas ac debita, cum

1 Forsan legendum *promiserunt* (R. T.).

tamen conventiones, concordiae et pacta, per obitum personarum, vel aliàs quomodolibet, etiam ex lapsu temporum, saltem in eâ parte cessassent, seu expirassent, quae omnia, eorumque singula etiam praetenduntur in magnum ipsius sanctae Sedis redundare detrimentum:

Praefatas narrativas seu assertiones erroneas declarat.

§ 12. Idcirco, motu, scientiâ, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus, praesentium litterarum tenore, praefatas narrativas, enunciativas, seu assertiones quomodolibet eidem Sedi praeiudiciales factas, seu admissas, ac respective easdem facultatum, indultorum et gratiarum apostolicarum concessiones ac litterarum expeditiones factas non expectatis nec receptis litteris ipsorum privilegiandorum, concessiones quoque in vim conventionum et pactorum quomodolibet expiratorum, fuisse et esse erroneas, erroneeque respective expeditas, nullumque propterea, cum non sit aequum, ut error veritati praevaleat, intulisse nec inferre potuisse neque in futurum posse praeiudicium Sedi Apostolicae, ac statui ecclesiarum, statumque ultimum ipsarum ecclesiarum, et respective civitatum, terrarum, dominiorum, castrorum et locorum iurisdictionalium praedictorum, et quarumcumque facultatum, gratiarum, concessionum, aliorumque iurium Sedis Apostolicae et ecclesiarum inferiorum non fuisse nec unquam esse attendendum, ubi de antecedenti contrario statu vel initio constat modo et formâ praemissis, pariter declaramus et decernimus, et respective omnia praeiudicialia tollimus et irritamus, ac decreta in provisionibus praedictarum ecclesiarum apposita non expirasse, nec expirare, sed, donec adimpleta fuerint, vigere, et in sequentibus censeri repetita etiam declaramus, sicque imposterum perpetuo observari volumus. Et, quatenus unquam contingeret, tam super praesentium litterarum, quam super quarumcumque concessionum, facultatum indultorum, gratiarum, ac dispositionum apostolicarum in favorem imperatoris, regum, principum, rerumpublicarum, dominiorum, nationum, provinciarum, seu regnorum per Romanos Pontifices praedecessores nostros et per nos concessarum, seu aliàs a Sede Apostolicâ emanatarum, interpretatione vel declaratione haesitari vel dubitari, tunc omnibus et singulis, cuiuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, ac dignitatis etiam ecclesiasticae existentibus, etiam quomodolibet ut praemittitur qualificatis, etiam regularibus cuiuscumque ordinis, instituti, congregationis ac societatis, de quibus individua expressio facienda foret, quamlibet interpretationem ac declarationem, sub maioris excommunicationis latae sententiae ac nullitatis omnium gerendorum poenis, eo ipso, etiam nullâ factâ declaratione, incurrendis, prohibemus et interdicimus, et quamcumque declarationem quomodolibet necessariam seu opportunam desuper quandocumque faciendam dumtaxat nobis ac Romanis Pontificibus successoribus nostris canonice intrantibus perpetuo reservamus, et ante factas declarationes huiusmodi volumus praesentes nostras litteras, et quascumque gratias, concessiones, ac dispositiones apostolicas praedictas intelligendas esse ad litteram, prout iacent.

Clausulas huius constitutionis praeservativas apponit.

§ 13. Praesentes quoque litteras, ac omnia et singula in eis contenta, etiam ex eo quod quicumque in praemissis seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis nullatenus consenserint, et ad ea vocati, citati vel auditi non fuerint, minusque causae, propter quas eaedem praesentes emanarint, deductae, verificatae, seu aliàs sufficienter aut etiam nullo modo iustificatae fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis,

aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quovis quantumlibet magno, inexcogitato et substantiali defectu, aut ex quovis alio capite, a iure vel facto, aut statuto, vel consuetudine resultante, sive praescriptionis etiam quadraginta annorum et immemorabilis, ac enormis, enormissimae et totalis laesionis, aut quocumque alio colore vel praetextu, etiam in corpore iuris clauso, seu ex quacumque causâ et occasione, etiam quantumvis iustâ, rationabili et privilegiatâ, etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostrâ huiusmodi et aliis superius expressis seu relatis nihil ullibi appareret seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad vias et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu etiam motu proprio et aliâs quomodolibet concedi, aut sic impetrato vel concesso quempiam uti seu se iuvare in iudicio vel extra illud minime posse, sed easdem praesentes semper validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari,

Clausula *sublatâ*, etc.

§ 14. Sicque, et non aliter, in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, clericosque praesidentes, ac cameram, et quosvis Sedis et camerae praedictarum ministros et officiales, necnon S. R. E. cardinales, etiam vicecancellarios, camerarios, ac etiam de latere legatos, eiusdemque Sedis nuntios, ac quascumque congregationes, etiam specialem expressionem requirentes, etiam quorumcumque S. R. E. cardinalium et prelatorum, et quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, nunc et pro tempore existentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, declarandi et interpretandi facultate et auctoritate, semper et ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, similiter decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 15. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, tam generalibus quam specialibus, etiam in conciliis universalibus editis, et, quatenus opus sit, regulâ nostrâ de non tollendo iure quaesito, et felicis recordationis Pii Papae IV etiam praedecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse camerae apostolicae concernentibus infra certum tunc expressum tempus in eâdem camerâ praesentandis et registrandis (ita ut praesentes nullo unquam tempore in eâdem camerâ praesentari seu registrari necesse sit), necnon quibusvis conniventiis, tolerantiis, consensibus, taciturnitatibus, permissionibus, usibus, consuetudinibus, etiam longissimis et immemorabilibus, etiam cum assertâ famâ privilegii apostolici, ac statutis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, privilegiis quoque, indultis, concessionibus, licentiis et litteris apostolicis, quibuscumque personis, etiam, ut praemittitur, qualificatis, ac provinciis, regnis, civitatibus, universitatibus, ecclesiis, ordinibus etiam militaribus, etiam sancti Ioanni Hierosolymitani, congregationibus, institutis, etiam Societatis Iesu, aliisque locis et personis quibuslibet, etiam speciali notâ et expressione dignis, etiam motu, scientiâ, deliberatione ac potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, sub quibuscumque

tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis et decretis, etiam irritantibus, et aliis[1] quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries et iteratis vicibus confirmatis, approbatis et et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti essent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis, formamque in illis traditam pro servatâ habentes, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque. Non intendimus autem per praesentes tollere declarationes, et causarum terminationes, ac alia, quae etiam respectu iurisdictionalium, tam allodialium, quam feudalium, praesertim in ditione temporali Sedis Apostolicae consistentium, factae seu facta fuerunt hucusque, vel in futurum fient iudicialiter, vel etiam extraiudicialiter, causâ tamen cognitâ in Romanâ curiâ, per rotam vel cameram, aut etiam per specialiter deputatam seu deputatum a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris vel a nobis seu a successoribus nostris congregationem aut iudicem, nec etiam tollere centenariam praescriptionem concurrentibus de iure requisitis, nec immemorabilem, nisi in casibus, in quibus per sacros canones, seu concilia universalia, vel constitutiones, ordinationes, aut dispositiones apostolicas illa reprobatur, seu illi derogatur, aut aliàs de iure illa non suffragatur, firmâ tamen et illibatâ remanente Bullâ Coenae Domini, tam per nos et Romanos Pontifices praedecessores nostros publicatâ, quam in posterum a nobis et successoribus nostris publicandâ, quoad omnia et singula quae in eâ continentur.

§ 16. Volumus autem, et apostolicâ auctoritate decernimus, ut eaedem praesentes ad valvas basilicae Principis Apostolorum, cancellariae apostolicae, ac in acie Campi Florae de Urbe per aliquem ex cursoribus nostris publicentur et affigantur, quae, sic publicatae et affixae, omnes et singulos, quos concernunt, arctent et afficiant, perinde ac si illorum unicuique personaliter intimatae et notificatae fuissent. Publicari mandat.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII iulii MDCXLI[1], pontificatus nostri anno XVIII.

Dat. die 7 iulii 1641, pontif. anno XVIII.

Die XIV *augusti, anno ut supra, pontificatus* XIX, *supradictae litterae apostolicae publicatae et affixae fuerunt ad valvas basilicae Principis Apostolorum, cancellariae apostolicae, et in acie Campi Florae Urbis per me Dominicum Varesium SS. D. N. Papae cursorem, etc.*

Pro magistro cursorum
DOMINICUS MANGILIUS cursor.

DCCXV.

Quod notarii, etiam in archivio Romanae curiae descripti, vacabilia notariatuum officia non habentes, nulla transumpta litterarum apostolicarum facere pos-

1 Ex more solito legerem *aliàs* (R. T.).

1 Uti patebit ex declararatione quae sequitur in constit. DCCXVI datâ XVI augusti huius anni, constitutio ista fuit primum data die V iunii, et publicata die XXV eiusdem mensis; sed dein correcta, ut videtur, sub hac die VII iulii, et publicata ut postea legitur die XIV augusti (R.T.).

sint; habentes vero, nonnisi de datarii licentiâ, sub poenis hîc expressis.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Motiva huius Constitutionis.

Cum, sicut nobis innotuit, nonnulli notarii publici, etiam in archivio Romanae curiae descripti, vacabilia tamen notariatuum officia non habentes, litterarum apostolicarum, tam sub plumbo, quam in formâ Brevis, necnon supplicationum a nobis vel ab officiali ad id deputato signatarum transumpta, in *vidimus*, vel aliâ formâ, etiam quandoque ex simplicibus earumdem litterarum et supplicationum copiis, litterisque ac supplicationibus huiusmodi nondum registratis, extrahant, faciant et publicent, in maximum illorum qui officia notariatuum vacabilia et[1] titulo oneroso possident, aliorumque cancellariae et secretariae apostolicarum officialium praeiudicium et detrimentum: hinc est quod nos, abusus huiusmodi e medio tollere, et, ne inde occasio falsitatis praebeatur, pro pastorali nostrâ sollicitudine providere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine,

Mandat prout in rubricâ.

§ 2. Quod deinceps perpetuis futuris temporibus quicumque notarii, etiam in archivio Romanae curiae descripti, vacabilia notariatuum officia non habentes, nulla omnino quarumcumque litterarum apostolicarum, tam sub plumbo, quam in formâ Brevis, necnon supplicationum a nobis et Romanis Pontificibus successoribus nostris vel ab officiali ad id a nobis et illis respective pro tempore deputato signatarum transumpta; obtinentes vero vacabilia notariatuum etiam curiae causarum camerae apostolicae non autem Capitolii officia, transumpta litterarum et supplicationum huiusmodi nonnisi postquam illae per officiales ad hoc constitutos registratae fuerint, sub quingentorum scutorum monetae, ac falsi, privationisque praedictorum officiorum eo ipso incurrendis poenis, facere possint, nisi de nostri et pro tempore existentis Romani Pontificis datarii licentiâ in scriptis obtinendâ, tenore praesentium statuimus, mandamus et ordinamus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes, praesentes litteras, etiam ex eo quod notarii praedicti, vel alii quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, seu ad ea vocati et auditi non fuerint, de subreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut quocumque alio, quantumvis magno et substantiali defectu, aut aliàs ex quocumque alio capite, causâ, occasione, praetextu et colore, etiam in corpore iuris clauso, etiam tali, qui ad effectum validitatis praesentium necessario exprimi deberet, notari, impugnari, invalidari, in ius vel controversiam revocari, aut adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, vel gratiae remedium impetrari, vel etiam motu simili concedi, aut sic impetrato vel concesso quempiam in iudicio vel extra illud se iuvare nunquam posse, sed semper easdem praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, quos illae concernunt, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi, facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

1 Forsan legendum *ex* pro *et* (R. T.).

Executores deputat.

§ 4. Quocirca dilecto filio nunc et pro tempore existenti causarum curiae camerae apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, quatenus statim atque praesentes nostrae litterae praedictae praesentatae illi fuerint, illas solemniter publicet et publicari faciat, ac in eis contenta quaecumque, per se, vel alium, seu alios, debitae executioni demandet, seu demandari procuret; contradictores quoslibet et rebelles, ac praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus piae memoriae Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus foret, nostrâ de non tollendo iure quaesito, ac quibusvis aliis nostris et cancellariae apostolicae regulis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 6. Ut autem praesentes et in eis contenta quaecumque ad omnium notitiam deducantur, et ne aliquis de his ignorantiam praetendere possit, volumus pariter et mandamus, quod eaedem praesentes per aliquem seu aliquos ex cursoribus nostris ad ecclesiae Lateranensis, ac basilicae Principis Apostolorum de Urbe, necnon cancellariae apostolicae valvas, ac in acie Campi Florae affigantur et publicentur; quae sic publicatae et affixae omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant et arctent, ac si unicuique illorum personaliter intimatae et notificatae fuissent; quodque illorum transumptis, etiam impressis, sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX iulii MDCXLI, pontificatus nostri anno XVIII.

Dat. die 20 iulii 1641, pontif. anno XVIII.

DCCXVI.

Declaratio super correctione constitutionis editae super praeservatione iurium Sedis Apostolicae, iurisdictionisque, immunitatis et libertatis ecclesiasticae[1].

1 Ex regest. in Secret. Brev. — Constitutionem, de qua hîc fit mentio, lege supra num. DCCXIV, pag. 122.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

In Constitutione, de qua in rubricâ, per impressoris errorem nonnulla fuerant omissa.

§ 1. Cum nuper nos, ad praeservandum iura Sedis Apostolicae, iurisdictionisque, immunitatis et libertatis ecclesiasticae, ac ecclesiarum inferiorum, personarumque ecclesiasticarum a quibuscumque praeiudiciis, constitutionem perpetuam ediderimus, sub datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die[1] v iunii proxime praeteriti, illamque imprimi et publicari fecerimus die XXV praedicti mensis iunii, pontificatus nostri anno XVIII: postea compertum est aliqua per errorem impressoris aut fuisse omissa vel addita.

Eam corrigi et iterum imprimi iussit Pontifex.

§ 2. Quapropter eamdem constitutionem corrigi iussimus, et pro cautelâ abundantiori novam minutam dictae constitutionis ut praefertur correctae subscripsimus sub eâdem datâ[2] et super minutâ huiusmodi litteras nostras in eâdem formâ Brevis sub annulo Piscatoris expediri imprimique, et deinde iterum affigi et publicari per unum ex nostris cursoribus sub die XIV praesentis mensis augusti fecimus.

Sic correctam servari praecipit.

§ 3. Idcirco, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium declaramus, huiusmodi constitutionem correctam, noviter impressam, affixam et publicatam, affecisse et afficere quoscumque; eamdemque constitutionem correctam, non autem priorem, fore imposterum perpetuis futuris temporibus attendendam, ac si illa primo edita impressa et publicata non fuisset.

Clausulas addit.

§ 4. Decernentes praesentes litteras, etiamsi nullibi publicentur, nihilominus valere, ac omnes et quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et quosvis alios quacumque auctoritate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, ex tunc a die praedictae datae, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac omnibus illis, quae in dictâ constitutione voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI augusti MDCXLI, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 16 augusti 1641, pontif. anno XIX.

1 Circa sequentes datas vide notam supra positam, pag. 131 *b*.

2 Hinc data retinenda foret V *iunii* (R. T.).

DCCXVII.

Commissio Ludovico Piccardo, ut visitet statum Castrensem[1].

Dilecto filio Ludovico Piccardo,
Eugubinae seu alterius civitatis vel dioecesis,
Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Commissio, de qua in rubrica.

§ 1. Cupientes, iustis ex causis animum nostrum moventibus, ducatum et Statum Castri, in provinciâ nostrâ Patrimonii B. Petri nuncupatâ consistentem, cuius nos et Apostolica Sedes supremi et directi in temporalibus domini sumus, visitari, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut civitatem[2] Castrensem, eiusque arcem et alia fortalitia, ac terram Montis Alti, et alia quaecumque loca ducatus et Status Castri huiusmodi, auctoritate nostrâ visites, et, quatenus aliquam vel aliquas innovationes

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Male ed. Main. legit *civitates* (R. T.).

circa munitionis et armorum provisionem extraordinariam in illis reperias, tunc omnibus et singulis gubernatoribus, ministris et officialibus, nomine dilecti filii nobilis viri Odoardi Farnesii nostri et dictae Sedis feudatarii in Statu et ducatu huiusmodi gubernatoribus et administrantibus, praecipias, illosque, ac milites et quoscumque alios, tam indigenas quam forenses, et quemlibet eorum peremptorie moneas, sub capitis, rebellionis, criminis laesae maiestatis, confiscationis bonorum, ac excommunicationis maioris eo ipso absque aliâ declaratione incurrendis poenis, ut infra tres horas (quarum primam pro primo, secundam pro secundo, et tertiam pro tertio ac ultimo et peremptorio termino assignabis), incontinenti, quacumque dilatione, excusatione et tergiversatione remotis, incipiant ipso facto diruere et demoliri munitiones noviter factas, si quae sint; et quascumque alias innovationes tolli et amoveri, militesque et quoscumque alios officiales bellicos dimitti et exauctorari, necnon arma, commeatum et alias quasvis provisiones bellicas, inibi retineri non solitas, extra Statum et ducatum praedictum exportari, aliaque omnia et singula quomodolibet innovata revocari et in pristinum statum restitui faciant; eisdemque militibus, et aliis, etiam forensibus, inibi moram trahentibus, sub eisdem poenis eo ipso incurrendis, mandes et praecipias, ut statim arma deponant, et, infra terminum illis a te assignandum, inde recedant, ac ad proprias patrias et domos respective redeant et cum effectu se conferant.

Facultates visitatori tributae.

§ 2. Nos enim, quo praemissa facilius exequaris, tibi praeceptum et monitionem huiusmodi, etiam per solam affixionem ad valvas portarum, sive civitatis, sive alicuius terrae aut loci ducatus et Status huiusmodi, seu etiam alicuius ecclesiae cathedralis, vel collegiatae, aut parochialis in eodem ducatu et Statu, vel civitatibus et locis ipsi ducatui et Statui vicinis existentis faciendi, ita quod praeceptum et monitio huiusmodi sic affixum seu affixa omnes et singulos praedictos, ac quoscumque alios, cuiuscumque qualitatis et conditionis, gradus, status et dignitatis, etiam ecclesiasticae, et speciali et individuâ mentione dignos, afficiant et arctent, perinde ac si eis et eorum cuilibet personaliter intimata fuissent, necnon cognoscendi et procedendi, etiam summarie, de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, ac manu regiâ et more militari, contra quoscumque praedictos, omnesque alios in exequutione praesentium nominandos, omni et quacumque appellatione, recusatione, reclamatione, nullitatum dictione, in integrum restitutione, recursu, dilatione, ceterisque iuris et facti remediis ordinariis et extraordinariis penitus et omnino reiectis et remotis, ac insuper contra quoscumque de omnibus expensis, damnis et interesse processandi, plenam et amplam facultatem et potestatem earumdem tenore praesentium concedimus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis et aliis decretis, etiam consistorialibus, quomodolibet, etiam in infeudatione civitatis Parmae per felicis recordationis Paulum Papam III aliosque praedecessores nostros, ut asseritur, concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis; etiamsi in illis caveatur, contra ducem Parmae pro tempore existentem, nisi ex machinatione in personam propriam Romani Pontificis, procedi non posse; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem,

sub annulo Piscatoris, die XVI augusti MDCXLI, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 16 augusti 1641, pontif. anno XIX.

Sequitur commissio eidem Ludovico visitandi terram Montis Alti.

Dilecto filio Ludovico Piccardo, Eugubinae seu alterius civitatis vel dioecesis, Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Cupientes, iustis ex causis animum nostrum moventibus, terram Montis Alti in ducatu et Statu Castri provinciae nostrae Patrimonii B. Petri nuncupatae, cuius Status et ducatus nos et Apostolica Sedes supremi et directi in temporalibus domini sumus, visitari, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut terram praedictam auctoritate nostrâ visites, etc. *Reliqua ut in praecedenti.*

Datum, etc., *ut supra*[1].

DCCXVIII.

Mandatum gubernatoribus et officialibus ducatus Castri, ut, statim ac praesentes litteras viderint, recipiant Ludovicum Piccardum cum septem saltem sociis in civitate Castrensi, eiusque arce et fortalitiis, ut videant et describant milites et arma[2].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Mandatum, de quo in rubricâ.

§ 1. Iustis ex causis animum nostrum moventibus adducti, motu proprio, ac ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnibus et singulis gubernatoribus, ministris et officialibus, tam iustitiae quam armorum, Status et ducatus Castri in provinciâ nostrâ Patrimonii beati Petri nuncupatâ consistentis, nomine dilecti filii nobilis viri Odoardi Farnesii nostri et Sedis Apostolicae in praedicto Statu et ducatu feudatarii gubernatoribus et administrantibus, harum serie, sub excommunicationis maioris, rebellionis, criminis laesae maiestatis et confiscationis bonorum eo ipso absque aliâ declaratione incurrendis poenis, committimus, praecipimus et mandamus, ut[1], statim visis praesentibus litteris, ipsi et eorum quilibet debeant et debeat recipere et admittere dilectum filium Ludovicum Piccardum Eugubinae seu alterius civitatis vel dioecesis, cum suâ comitivâ saltem septem virorum, in civitate Castrensi eiusdem Status et ducatus Castri, eiusque arce, fortalitiis, palatiis, aliisque partibus et membris, ut videant, recognoscant et describant quot et quales milites in eâ et eis retineantur et sint, ac quae munitiones, sive commeatus, tormenta bellica et arma, ac victualia in eis de praesenti reperiantur, et quid circa praemissa eorumque loca munienda fuerit in eis, seu aliquo eorum innovatum.

Obstantium derogatio.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis et aliis decretis, etiam consistorialibus, quomodolibet, etiam in infeudatione civitatis Parmae per felicis recordationis Paulum Papam III[2], aliosque praedecessores nostros, ut asseritur, concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis, etiamsi in illis caveatur, contra ducem Parmae pro tempore existentem, nisi ex machinatione in personam propriam Romani Pontificis, procedi non posse; quibus om-

1 Eâdem die eiusdem exempli litterae expeditae quoque fuerunt pro visitandâ urbe Castrensi.
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Particulam *ut* nos addimus (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *II* (R.T.).

nibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI augusti MDCXLI, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 16 augusti 1641, pontif. anno XIX.

DCCXIX.

Prohibitio ne religiosi Praemonstratenses Hispaniae gestent habitum noviter assumptum, nec dimittant praenomen fratris.

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Exordium. Pastoralis officii nobis divinitus iniuncti assidua sollicitudo nos admonet, ut ad ea libenter intendamus, per quae sacrarum religionum status salubriter dirigatur, ac in suâ integritate et puritate conservetur.

Habitum mutarunt. § 1. Cum itaque, sicut nobis nuper innotuit, in Hispaniarum regnis religiosi Ordinis Praemonstratensis, absque Sedis Apostolicae vel aliâ legitimâ licentiâ, antiquum eiusdem Ordinis habitum regularem immutarint: idcirco nos, his aliisque incommodis, quibus ipse Ordo exinde affici posset, provisionis nostrae ministerio obviam ire cupientes,

Sacra Congregatio hanc causam diligenter vidit et examinavit, et decrevit non licuisse. § 2. De venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, quibus hoc negotium cognoscendum commisimus, et qui scripturas et processum a bonae memoriae Laurentio episcopo Senogalliensi tunc in eisdem regnis nostro et Sedis Apostolicae nuncio transmissa desuper, necnon alia iura et scripturas oretenus et in scriptis, tam pro parte procuratoris generalis eorumdem religiosorum in Romanâ curiâ residentis, mutationem ipsam habitus sustineri petentis, quam pro parte Philippi Bernal, dilectorum filiorum, eiusdem Ordinis religiosi mutationem praedictam impugnantis, adducta viderunt et diligenter examinarunt, non licuisse religiosis praedictis antiquum sui Ordinis habitum huiusmodi immutare, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus.

Exequutorem deputat. § 3. Proindeque venerabili fratri Caesari archiepiscopo Damiatensi, moderno in eisdem regnis nostro et Sanctae Sedis nuncio per easdem praesentes committimus et mandamus, ut statim atque illarum vigore fuerit requisitus, abbati generali seu praesidenti eorumdem religiosorum Ordinis huiusmodi in praefatis regnis auctoritate nostrâ praecipiat, et insuper edictum in locis solitis suae nunciaturae, et ad valvas monasteriorum seu conventuum dicti Ordinis affigendum promulget, ut, infra mensem a die intimationis praecepti et affixionis edicti huiusmodi computandum, tam ipse abbas generalis seu praesidens, quam ceteri omnes et singuli eiusdem Ordinis dictorum regnorum religiosi professi debeant et quilibet eorum debeat reassumere antiquum habitum ipsius Ordinis, idest tunicam albam cum caputio magno capiti imponendo, scapularium item regulare album, et cappam cum multiplicis[1] similiter albam supra caputium, iuxta formam quae eidem Caesari nuncio per litteras impressam transmittitur,

Terminum assignat ad habitum deponendum.

Fratris praenomen reassumere debent. § 4. Fratris insuper praenomen reassumere, et pileo nigro extra conventum uti, prout solebant antequam habitus praedicti mutationem facerent, atque hanc habitus formam continuo retinere; quam sine expressâ eorumdem cardinalium seu Sanctae Sedis licentiâ nullatenus immutare

1 Vide an recta sit lectio (B. T.).

valeant, sub excommunicationis latae sententiae necnon privationis vocis activae et passivae poenis, eisdem cardinalibus reservatis, in actu contraventionis ipso facto incurrendis: ad quarum poenarum declarationem ab eodem Caesare nuncio contra inobservantes et praemissis non parentes absque aliâ dilatione omnino deveniri,

Clausulam *sublatâ* addit.

§ 5. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, ac Sedis praedictae nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi vel interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, auctoritate ac tenore praedictis decernimus.

Contraria aufert.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effctum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Exemplis credi imperat.

§ 7. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX augusti MDCLXI, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 19 augusti 1641, pontif. anno XIX.

DCCXX.

Quod commissarii generales Indiarum Ordinis fratrum Minorum regularis observantiae sancti Francisci non possint dispensare in constitutionibus generalibus Ordinis [1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

Cum, sicut dilectus filius Gaspar Sanchez, fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum lector iubilatus, et in Romanâ Curiâ procurator generalis, nobis nuper exponi fecit, licet in capitulo generali dicti Ordinis novissime in almâ Urbe nostrâ celebrato declaratum fuerit, omnem et quamlibet potestatem, quae in ministro generali reperitur ad dispensandum in statutis generalibus, totam ipsi provenire a capitulo generali, undè quoties ab eodem capitulo generali decreto irritante prohibetur ne in aliquo statuto concedatur absolute dispensatio, aut conditiones ad dispensandum requisitas non observat, eiusdem dispensatio ipso facto irrita evadit; nihilominus, praemissis non obstantibus, commissarii generales Indiarum Ordinis huiusmodi in suis definitoriis, sub praetensâ ministri generalis potestate, in constitutionibus generalibus quandoque absque totius definitorii consensu dispensent, ex quo maxima regularis observantiae relaxatio oritur, frequentesque abusus in eodem Ordine introducuntur: nobis propterea dictus Gaspar procurator generalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 2. Nos igitur, eumdem Gasparem procuratorem generalem huiusmodi specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspen-

1 Ne iam indicata otiose repetam vide in Constit. *Aliàs a nobis*, tom. XIV, pag. 294.

sionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati,

Prohibitio prout in rubricâ.

§ 3. Commissariis generalibus Indiarum huiusmodi, ne de cetero in et super eiusdem Ordinis constitutionibus generalibus, cuiuscumque facultatis praeterquam a capitulo generali sibi ad id attributae obtentu, dispensent, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et provinciarum Indiarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII augusti MDCXLI, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 27 augusti 1641, pontif. anno XIX.

DCCXXI.

Pro bono regimine fratrum Reformatorum Strictioris Observantiae Italiae, quod instituant professoria et lectionem theologiae moralis ac mysticae[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Militantis Ecclesiae regimini divinâ dispositione praesidentes, ad ea, per quae cunctorum christifidelium, praesertim religiosorum Deo sub reformatione ad arctiorem regularis disciplinae observantiam introductâ vacantium, spirituali directioni, necnon felici progressui consulitur, libenter intendimus, eaque statuimus et ordinamus, quae, rerum, temporum et personarum qualitatibus debite pensatis, ipsorum religiosorum statui conducere in Domino conspicimus. Ad uberes itaque et suaves fructus, quos dilecti filii fratres Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Reformati nuncupati provinciarum Italiae in praedictâ Ecclesiâ afferunt, mentis nostrae aciem convertentes, quo laudabile eorum institutum maioribus in dies proficiat in viâ Domini incrementis,

De professoriis instituendis.

§ 1. Motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, harum tenore, perpetuo statuimus et ordinamus, ut in unâquaque eorumdem Reformatorum Italiae provinciâ unum vel duo professoria instituantur, in quibus fratres clerici eiusdem Ordinis, quamprimum probationis seu novitiatus annum compleverint et professionem emiserint regularem, collocentur, in professoriisque huiusmodi unus magister pro quolibet deputetur, qui praedictos fratres clericos in vitâ spirituali, et orandi modo, ac religiosae perfectionis viâ instruat, qui quidem clerici anno, ut minimum, in professoriis huiusmodi com-

1 De huiusmodi fratribus Reformatis plene notatum est ad Const. *Salvatoris*, ut supra, pag. 54.

morari debeant, et interim nullam scientiam edoceri possint, exceptâ grammaticâ, si eius rudes fuerint.

Et lectione theologiae moralis; § 2. Praeterea in duobus aut tribus cuiusque provinciae conventibus theologiae moralis lectio fiat, cui omnes fratres, sacerdotes et clerici bis qualibet hebdomadâ intersint.

Et regulae. § 3. In singulis vero conventibus orandi modus doceatur, et Ordinis praedicti regula semel saltem in quaque hebdomadâ praelegatur, huicque praelectioni tam fratres sacerdotes et clerici quam laici interesse teneantur.

Legata non recipienda. § 4. Ad haec fratres Reformati huiusmodi nullum omnino legatum perpetuum cum aliquo aut sine ullo onere, etiam ecclesiis vel sacristiis ipsorum, etiam pro vino ad missarum celebrationem, aut oleo pro lampadibus, vel quacumque re pro altaribus factum recipiant, ipsorumque procuratores aut syndici haeredes legantium ad praestanda eiusmodi legata iudicialiter convenire non possint.

Ornamenta ecclesiarum qualia esse debeant. § 5. Insuper fratres praedicti ad quascumque processiones, praeterquam ad processionem in festo Corporis Christi, aut aliquam aliam generalissimam, non conveniant, defunctorumque corpora, exceptis iis quae in eorum ecclesiis sepeliuntur, ad sepulturam minime comitentur. Altarium ornamentis deinceps aurum vel inauratio non adhibeatur. Imaginumque seu picturarum eorumdem altarium coronides e nuce aut alio eiusdem coloris ligno fiant, nec candelabra aenea recipiantur aut emantur amplius, sed tantummodo lignea e nuce.

De novitiis recipiendis. § 6. Novitii in provinciis praedictis infra annum cum interventu ministri ac duorum definitorum provincialium et duorum guardianorum recipi possint, iuxta decretum felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri hac super re editum. Demum fratres praedicti, exceptis in infirmariâ illis qui indiguerint, particulas ex panno lineo etiam in itinere, sub quocumque praetextu, nequaquam deferant, particulas vero ex panno laneo illi deferre possint, qui eis loco tunicae uti voluerint.

Praesentium observantia superioribus committitur. § 7. Quocirca dilectis filiis ministris provincialibus ac guardianis, aliisque superioribus quibuscumque dictarum provinciarum, nunc et pro tempore existentibus, in virtute sanctae obedientiae, ac sub poenâ privationis suorum officiorum eo ipso absque aliâ declaratione incurrendâ, committimus et mandamus, ut praesentes nostras litteras, ac omnia et singula in eis contenta, a fratribus sibi subditis inviolabiliter observari curent et faciant; ceteris vero earumdem provinciarum fratribus, etiam in virtute sanctae obedientiae, ac sub privationis vocis activae et passivae aliisque arbitrii nostri poenis eo ipso ut praefertur incurrendis, praecipimus, ut praemissa omnia et singula, prout ad unumquemque eorum spectaverit, exacte et inconcusse observent et adimpleant.

Contrariis derogat. § 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis universalibus editis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordini et provinciis, illorumque superioribus, fratribus et personis quibuslibet, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi, pro sufficienti illorum[1] derogatione, de illis eorumque totis teno-

1 Vocem *illorum* addimus (R. T.).

ribus specialis, specifica et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 9. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I octobris MDCCXLI, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 1 octobris 1641, pontif. anno XIX.

DCCXXII.

Quod fratres cuiuscumque gradus et dignitatis commorantes in conventu Aracaelitano sint sub obedientiâ et directione commissarii generalis Ordinis.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Inter multiplices pastoralis officii nostri curas, quibus iugiter premimur, in illam particulariter incumbimus, ut personae, quae sub suavi religionis iugo divinis obsequiis se manciparunt, prospere gubernentur, et, si qua[1] earum directioni quoquo modo impedimentum afferre cognoscimus, ea removere studemus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

1 Edit. Main. legit *quae* (R. T.).

Motiva huius Constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, ex multiplicitate superiorum Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, et quia nonnulli praetendunt se a superioritate commissarii generalis eiusdem Ordinis exemptos esse vigore cuiusdam statuti in capitulo generali dicti Ordinis Toleti anno MDCXXXIII celebrato facti et a nobis confirmati, regularis observantia non modicum detrimentum patiatur:

Mandat prout in rubrica.

§ 2. Hinc est quod nos, in praemissis opportune providere volentes, dictique statuti tenorem praesentibus pro expresso habentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, statutum praedictum, tenore praesentium, abolemus, revocamus et annullamus, viribusque et effectu vacuamus, et quod omnes et singuli eiusdem Ordinis fratres, cuiuscumque gradus et dignitatis, ac etiam ultramontanae familiae existentes pro tempore qui[1] in cismontanâ familiâ commorabuntur, sint et esse debeant sub obedientiâ et directione commissarii generalis Ordinis huiusmodi pro tempore existentis, prout erant priusquam statutum praedictum fieret, earumdem[2] tenore praesentium statuimus et mandamus, volumus et ordinamus; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus statuto praedicto et litteris illius confirmatoriis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac aliis dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel

1 Male edit. Main. legit *quae* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *eorumdem* (R. T.).

quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem Ordini, illiusque superioribus, fratribus et personis quibuslibet in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis;

§ 4. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII novembris MDCXLI, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 18 novembris 1641, pontif. anno XIX.

DCCXXIII.

Quod fratres congregationis Iesuatorum S. Hieronymi, ab Ordinariis approbati, sacramentales utriusque sexus fidelium confessiones libere et licite audire valeant, illisque, iniunctis iniungendis, absolutionem salutarem impendere.

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Exordium. Christifidelium quorumlibet, praesertim regularem vitam profitentium, votis, quae eorum instituti decus et animarum salutem concernunt, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Motiva. § 1. Aliàs siquidem (postquam felicis recordationis Paulus Papa V praedecessor noster fratribus congregationis Iesuatorum sancti Hieronimi, sub regulâ sancti Augustini, indulserat, ut ad omnes, etiam sacros et presbyteratus ordines promoveri possent, voluerat autem, ut fratres huiusmodi ad sacerdotium promoti neque ullius secularis personae neque alterius Ordinis regularis ullo tempore, etiam de cuiuscumque episcopi vel superioris regularis licentiâ, confessiones audire possent, sed tantum illius sacerdotibus, qui ad confessiones audiendas idonei reperti et ab Ordinariis locorum approbati fuissent, liceret aliorum ipsius congregationis religiosorum de sui superioris licentiâ confessiones audire), postmodum recolendae memoriae Gregorius Papa XV etiam praedecessor noster omnibus et singulis eiusdem congregationis fratribus, qui ab Ordinariis locorum approbati forent, ut in parochialibus ecclesiis domorum regularium ipsius congregationis dumtaxat parochianorum earumdem ecclesiarum sacramentales confessiones audire, ac illis, iniunctis iniungendis, absolutionem impendere salutarem libere et licite valerent, concessit, et aliàs prout in Pauli et Gregorii praedecessorum praedictorum litteris, in simili formâ Brevis desuper expeditis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Concedit prout in rubricâ. § 2. Cum autem, sicut dilectus filius Antonius Legnanus Laudensis, procurator generalis eiusdem congregationis, nobis nuper exponi fecit, trigintaquinque anni iam elapsi sint, ex[1] quo fratres praedicti ad suscipiendum presbyteratus ordinem per eumdem Paulum praedecessorem admissi fuerunt, et ab inde citra litteris et doctrinis ecclesiasticis graviter dent operam: nobis propterea dictus procurator generalis eiusdem congregationis nomine humiliter supplicari fecit, ut concessionem Gregorii praedecessoris praedicti ad quorumvis christifidelium confessiones extendere et ampliare de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 3. Nos igitur, fratres ac procuratorem generalem praedictos specialibus favori-

1 Male ed. Main. legit *eo* pro *ex* (R. T.).

bus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ad homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnibus et singulis eiusdem congregationis fratribus, ut, praevio examine et approbatione Ordinarii, in propriis ecclesiis dictae congregationis, etiam non parochialibus, sacramentales secularium, etiamsi non sint eorum parochiani, confessiones audire, illisque, iniunctis iniungendis, absolutionem impendere salutarem libere et licite possint et valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et dictae congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenore et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX novembris MDCXLI, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 20 novembris 1641, pontif. anno XIX.

DCCXXIV.

Methodus exigendi spolia archiepiscoporum et episcoporum ac fructuum ecclesiarum vacantium in insulâ Sardiniae praescribitur[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Pius Papa V spolia ecclesiis pro earum reparatione et ornamento addixit.

§ 1. Aliàs, sicut asseritur, felicis recordationis Pius Papa V praedecessor noster, supplicationibus clarae memoriae Philippi II Hispaniarum regis catholici inclinatus, spolia archiepiscoporum et episcoporum in insulâ Sardiniae metropolitanas et cathedrales ecclesias obtinentium, in dictâ insulâ et extra eam non tamen in Italiâ decedentium, ac fructus, redditus et proventus earumdem ecclesiarum, illarum vacatione durante, ab archiepiscopis et episcopis, quos in ecclesiis huiusmodi vacantibus[2] succedere contingeret, perpetuo abdicavit, illaque dictis ecclesiis pro illarum fabricâ, structurâ, reparatione et conservatione, ac ornamentorum et paramentorum emptione et manutentione, etiam perpetuo applicavit, ac singulis capitulis singularum ecclesiarum praedictarum, illarumque personis per dictum Philippum regem et eius successores eligendis, ut spolia et fructus huiusmodi percipere, exigere et recuperare possent et valerent, illaque in restaurationem, reparationem et manutentionem, emptionem et conservationem praedictas convertere, ecclesiasque ipsas restaurare, recuperare et conservare, ornamentaque et paramenta praedicta manutenere deberent, concessit

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Particulam *seu* hic delemus (R. T.).

et indulsit, prout in litteris dicti Pii praedecessoris desuper expeditis dicitur uberius contineri.

Cum vero multum pecuniae pro ministrorum mercede insumatur;

§ 2. Cum autem, sicut pro parte charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici, qui etiam insulae praedictae rex existit, nobis nuper expositum fuit, personae ad praemissa electae iudicem computorum, ac prorex dictae insulae pro tempore existens duos oeconomos, et ipse iudex computorum alios ministros, videlicet computatores, notarios et cursorem, nominare, illisque ac sibimet ipsi mercedem seu salarium assignare consueverint, idque in tantâ quandoque summâ, ut spolia et fructus praedicta fere absorbeat, parumque remaneat, quod in utilitatem ipsarum ecclesiarum, ut praefertur, converti possit: nobis propterea idem Philippus rex humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Urbanus, assignatâ oeconomo a prorege deputando mercede,

§ 3. Nos igitur, earumdem ecclesiarum indemnitati, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, et quatenus doceatur per legitima documenta de praedictis eiusdem Pii V praedecessoris litteris, et non aliàs, ac salvâ remanente proregi eiusdem regni Sardiniae pro tempore existenti facultate nominandi unum dumtaxat oeconomum fide et facultatibus idoneum ex personis narratis in eisdem litteris, cum salario ad rationem quatuor vel quinque pro quolibet centenario quantitatis exactae, praetensum usum nominandi iudices computatorum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo tollimus et abolemus.

Episcopis successoribus facultatem dat computa a dicto oeconomo recipiendi,

§ 4. Necnon archiepiscopis et episcopis in dictis ecclesiis pro tempore vacantibus successoribus, ut ipsi, cum assistentiâ duorum de ecclesiarum suarum respective capitulis gratis ac unius computatoris capitulariter eligendorum, cui quidem computatori, prout etiam notario capitulari de computis rogando, assignetur una dicta ordinaria, recipere possint ab oeconomo ut praefertur deputando rationem exactorum, et cogere debitores ad solutionem ratae quae persolvenda remaneret, eisdem auctoritate et tenore concedimus et indulgemus.

Clausulas addit.

§ 5. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Derogat obstantibus.

§ 6. Non obstantibus dicti Pii praedecessoris, quatenus adsint, litteris, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictarum ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII decembris MDCXLI, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 7 decembris 1641, pontif. anno XIX.

DCCXXV.

Prohibet quibusvis personis in catalogo universitatis studii generalis Bononiensis non descriptis ne doceant scientias, quae in eâdem universitate legi solent [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Uberes fructus, quos in vineâ Domini universitas studii generalis in civitate nostrâ Bononiensi ab antiquissimis temporibus instituta[1], et studiorum mater merito nuncupata, produxit et in dies producit, ac summam erga hanc sanctam Sedem fidem et devotionem, qua ipsa civitas semper enituit, attente considerantes, dignum reputamus, et rationi consentaneum, ut dictae universitatis conservationi, unde non modica in ipsam civitatem dignitas et utilitas redundat, propensis studiis intendamus.

Mandat prout in rubrica. § 1. Supplicationibus itaque dilectorum filiorum regiminis dictae civitatis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis personis, tam secularibus quam ecclesiasticis, etiam regularibus, cuiuscumque status, gradus, conditionis, dignitatis et praeeminentiae, ac cuiusvis universitatis, ordinis, congregationis, collegii, confraternitatis, societatis, etiam Iesu, et instituti, quantumlibet qualificatis et privilegiatis, ac speciali notâ et individua mentione dignis, ne quocumque praetextu vel ingenio, aut quaesito colore, vel quorumcumque privilegiorum, concessionum, indultorum et gratiarum, tam in genere quam in specie, a felicis recordationis Pio V, vel aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, et Sede praedictâ, etiam motu proprio, et consistorialiter, ac sub quacumque verborum formâ, et ex quacumque causâ, quantumvis piâ, publicâ et favorabili, ac aliàs quomodolibet etiam quandocumque concessorum obtentu seu vigore, in civitate praedictâ[2], eiusque comitatu, territorio et legatione, quamcumque ex scientiis, artibus et facultatibus, quae in publico eiusdem universitatis gymnasio docentur et perleguntur, seu doceri et perlegi solent, publice vel secreto docere seu legere et profiteri audeant seu praesumant, nisi personae huiusmodi in publico eiusdem universitatis catalogo, seu albo, *rotulis* vulgo nuncupatis, descriptae sint, sub excommunicationis maioris eo ipso absque aliâ declaratione incurrendae, ac indignationis nostrae, aliisque arbitrii nostri poenis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus.

Clausulae. § 4. Sicque, et non aliter, in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum. § 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quorumvis locorum, ordinum, collegiorum, confraternitatum, societatum, etiam Iesu, aliorumque institutorum regularium, et generaliter quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis locis, ac ordinibus, congregationibus, collegiis, confraternitatibus, societatibus, etiam Iesu, et institutis, ac eorum superioribus et personis quibuslibet, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et efficacissimis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus

1 Male edit. Main. legit *institutam* (R. T.).

2 Male edit. Main. habet *civitatem praedictam* (R. T.).

omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x decembris MDCXLI, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 10 decembris 1641, pontif. anno XIX.

DCCXXVI.

Applicatio nonnullorum reddituum collegii Bononiensis, Montis Alti nuncupati triremibus, Sedis Apostolicae, cum reductione scholarium ad triginta[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Saepe convenit, iuxta varietatem eventuum, etiam dispositiones ab initio bene constitutas mutare.

Sixtus Papa V triremes pro defensione Status ecclesiastici paravit.

§ 1. Cum igitur felicis recordationis Sixtus Papa V praedecessor noster, inter multa quae pro servitio Sedis Apostolicae suorumque subditorum, nunc nostrorum, ordinaverat, nedum triremes contra turcas et piratas in oris maritimis maris nostri, tunc sui, Mediterranei, ditioni temporali Sedis Apostolicae adiacentibus, perpetuo retinendas ordinaverit, et pro illarum manutentione tam idem Sixtus quam et fortasse alii Romani Pontifices, etiam praedecessores nostri, quosdam annuos redditus ex introitibus camerae apostolicae assignaverint, qui tamen redditus magnam hucusque passi sunt diminutionem, sed etiam, ut iuventus Montis Alti, unde idem Sixtus praedecessor originem duxerat, ac aliarum quarumdam civitatum, terrarum et oppidorum provinciae Marchiae Anconitanae religiose educaretur et litterarum studiis instrueretur, sicut, dum in minoribus existens cardinalatus honore fungebatur, in praedicto Monte Alto gymnasium publicum instituerat, ita etiam, dum postmodum ad summi apostolatus apicem fuit assumptus, pro ipsâ iuventute, ne ob rei familiaris angustiam et inopiam ad altiora litterarum studia progrediendi commoditate destitueretur, nolens occasionem[1] tunc suorum nunc nostrorum subditorum commoditates et profectus procurandi et augendi praetermittere, in civitate Bononiensi, quae omnium liberalium artium doctrinarumque studiis semper florere consuevit, collegium pro quinquaginta scholaribus erexerit, quorum octo per ipsius collegii protectorem pro tempore existentem undecumque sibi placuerit, et alii octo per Montis Alti, et tres per Firmi, et alii tres per Asculi, necnon alii tres per Camerini, et duo per Ripae civitatum communitates, aliique duo per Offidae, et alii duo per Montis Elpari, necnon alii duo per Montis Florae, et alii duo per S. Victoriae, et alii duo per Porchiae, seu Porculae, necnon alii duo per Montis Novem, et alii duo per Patrignoni, et alii duo per Grottatum ad mare, et alii duo per Castignani, aliique duo per Forchiae, aliàs Furcis, et alii duo per[2] Montis Monachi, et reliquus per Cusignani terrarum seu oppidorum dictae provinciae communitates ex suis civitatibus et terris seu oppidis praefatis respective, vel, si tot ibidem idonei et apti non reperirentur, aliunde

Et Bononiae collegium Montis Alti pro iuvenum instructione erexit.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Perperam ed. Main. legit *occasionum* (R.T.).
2 Praep. *per* nos addimus (R. T.).

eorum arbitrio (non tamen extra dictam provinciam Marchiae) eligi et nominari deberent; et pro praefatorum scholarium collegii ac ministrorum substentatione quaedam monasteria, prioratum, ecclesias et beneficia, tam in dioecesi Bononiensi, quam alibi consistentia, quorum fructus valorem annuum ducatorum tres millium sexcentorum auri de camerâ non excedere expressum fuit, univerit et applicaverit, eidemque collegio et collegialibus, ac eius per eorum[1] ministris, laboratoribus, colonis et arrendatoribus exemptiones et privilegia diversa concesserit, aliaque disposuerit, prout uberius in suis litteris apostolicis sub plumbo, sub datum Romae, anno Incarnationis Dominicae MDLXXXVIII, XV kalendas decembris, pontificatus sui anno IV, expeditis continetur[2] - [3]:

Eique beneficia nonnulla ecclesiastica addixit.

§ 2. Verum, quia annis praeteritis ad notitiam[4], quod scholares in eodem collegio iuxta numerum et qualitates ab eodem Sixto praedecessore nostro praescriptas, et praesertim ex civitatibus, oppidis et locis per eumdem Sixtum praedecessorem designatis, non educabantur, immo etiam aliqui exteri nec etiam Sedi Apostolicae subditi eligebantur et in eodem collegio alebantur, quodque aliqua scandala quandoque inter ipsos scholares ac etiam alios fuerant exorta; idcirco, pro opportuno remedio adhibendo, nuper idem collegium visitari fecimus; cumque ex visitatione ad nos transmissâ compertum sit, voluntatem eiusdem Sixti, quoad numerum et qualitates scholarium, praecipue ex locis praedictis, nec etiam ex praefatâ provinciâ Marchiae, fuisse adimpletam,

Sed cum postea nonnulli in illud abusus irrepserint,

1 Quid pro *per eorum* legi debeat Œdipus aliquis coniiciet; forsan *rectori*, vel *bonorum*, vel *praediorum*, vel *pro tempore*; vide eiusdem Sixti V constitut. *Inter ceteras*, § 10, tom. IX, pag. 52 *a* (R. T.).

2 Habentur in tom. IX nostrae edit. pag. 45 (R.T)

3 Syntaxis manet inabsoluta (R. T.).

4 Supple *nostram pervenit* (R. T.).

etiam, ut creditur, ob deficientiam in praedictis locis a Sixto praedecessore designatis tot scholarium qualificatorum, qui in eodem collegio educari voluerint; et propterea, seu aliàs, redditus praedicti collegii fuisse hactenus valde auctos:

§ 3. Idcirco nos, volentes omnibus et singulis abusibus, qui in praedicto collegio tam quoad electionem scholarium, quam quoad alia quaecumque hactenus quomodolibet irrepserunt, convenientem adhibere medelam, et eodem contextu manutentioni dictorum triremium subvenire, et considerantes, quod, si idem Sixtus praedecessor cogitare potuisset tam ipsos abusus postea introductos in electione scholarium et in ipso collegio quam reddituum ipsius collegii augmentum et reddituum pro triremibus assignatorum diminutionem, utique more boni pastoris[1] familias remedium opportunum ut infra adhibuisset:

Urbanus ad eos tollendos, consulendumque triremium conservationi,

§ 4. Nos igitur, tam praefatarum litterarum erectionis eiusdem collegii, quam assignationis pro manutentione praedictarum[2] triremium, ac instrumentorum ac scripturarum desuper quomodolibet factarum, ac inde sequutorum quorumcumque, necnon actorum seu processus eiusdem visitationis, aliorumque hîc forsan de necessitate exprimendorum vel inserendorum tenores, etiam maiores et veriores, pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, motu proprio, certâque scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, etiam adhibito voto nonnullorum Romanae Curiae praelatorum, quibus acta visitationis discutienda et hoc negocium examinandum commisimus, hac nostrâ perpetuâ constitutione statuimus et ordinamus, quod de cetero eodem collegio triginta tantum scholares recipiantur, alantur et manute-

Triginta tantum scholares in eodem collegio ali iubet

1 Si legatur *patris* pro *pastoris*, utique aptius erit (R. T.).

2 Edit. Main. legit *per dictarum* (R. T.).

neantur, quodque nominatio et electio ipsorum triginta scholarium spectet ad infrascriptos, scilicet ad protectorem pro tempore existentem quinque scholarium ex praedictâ tamen provinciâ Marchiae Anconitanae oriundorum, ac Sedi Apostolicae in temporalibus immediate subditorum, aliorum vero quatuor scholarium electio et nominatio spectet ad Montis Alti, aliorum trium ad Firmi, ac aliorum trium ad Asculi, et aliorum duorum ad Camerini, ac unius ad Ripaetransonae civitatum, ad singularum vero aliarum terrarum seu oppidorum praedictorum communitates unius scholaris pro quolibet ipsarum terrarum seu oppidorum in eisdem litteris Sixti praedecessoris expressorum, et scholares sint ex locis designatis praedictis, et quatenus ibi non reperiantur idonei et apti, qui in dicto collegio educari velint, tunc saltem ex eâdem provinciâ Marchiae oriundi omnino eligantur, aliàs electio et nominatio nulla sit eo ipso, et contravenientes teneantur eidem collegio expensas et damna reficere.

Eorumque nominationem nonnullis adiicit.

§ 5. Cumque hactenus, sive ob inobservantiam praedictarum litterarum eretionis, sive aliàs, idem collegium ex superabundantibus redditibus multas acquisitiones locorum montium ac bonorum stabilium in civitate et dioecesi Bononiensi fecerit, et ex praedictâ scholarium diminutione, eisdem civitatibus, terris et locis, seu oppidis, ac provinciae proportionatâ, scilicet ex reductione numeri quinquaginta scholarium ad triginta huiusmodi, impensae victus et aliae erunt in posterum fere pro duabus ex quinque partibus diminutae, et personae eidem collegio et scholaribus inservientes, ac etiam impensae aliàs solitae, erunt etiam minuendae, et propterea, etiamsi ex libris quadraginta duobus millibus monetae bononiensis circiter annui redditus, quem ad praesens collegium habet, medietas dicatur suffi-

Superabundantes vero reditus triremibus tribuit.

ciens pro eiusdem collegii sic ut praemittitur reformati substentatione et conservatione, nihilominus tenore praesentium ab eodem collegio separamus loca montium et bona stabilia a collegio empta et alia, quae constituant dumtaxat annuum redditum librarum octodecim millium quatuor centum, desumendum tam ex dictis omnibus locis montium ac bonis stabilibus a collegio ex reddituum abundantiâ hactenus in civitate et dioecesi Bononiensi emptis et acquisitis, si sufficiunt, sin minus, etiam ex bonis alicuius praedictorum monasteriorum, prioratus, seu ecclesiarum seu beneficiorum unitorum, arbitrio infrascripti exequutoris; quem redditum annuum octodecim millium quatuor centum librarum dictae monetae, ac loca montium et bona stabilia a collegio hactenus empta ac pro residuo bona praedicta per eumdem exequutorem assignanda, perpetuo dismembramus, et applicamus eisdem triremibus, et pro illarum substentatione et manutentione, illisque unimus, annectimus, et incorporamus, firmâ in ceteris remanente earumdem litterarum Sixti praedecessoris dispositione, quas confirmamus, et si opus fuerit innovamus, ac observari mandamus.

§ 6. Quocirca committimus et mandamus venerabili fratri Caesari episcopo Civitatis Castelli vicelegato Bononiensi, quatenus praedictam dismembrationem locorum montium, bonorum stabilium emptorum, et aliorum praedictorum, quae sufficiant pro praedicto annuo redditu octodecim millium quatuor centum librarum praedictarum constituendo, et respective applicationem, unionem, annexionem et incorporationem illorum cum aliis annuis redditibus pro earumdem triremium substentatione et manutentione assignatis, et quaecumque alia in praesentibus litteris per nos disposita et ordinata, debitae exequtioni mandet et exequatur omnibus

Vicelegato Bononiensi exequtionem committit.

iuris et facti remediis opportunis, nomineque Sedis Apostolicae, in dictam causam manutentionis triremium, possessionem illorum, per se, vel alium, seu alios ab ipso deputandos, assequatur et capiat. Nos enim eidem vicelegato omnem facultatem opportunam et necessariam, etiam procedendi contra quoscumque, illosque cogendi etiam exequutive ac manu regiâ, concedimus et impertimur.

Clausulae addit.

§ 7. Decernentes praesentes litteras, ac omnia et singula in eis contenta, etiam ex eo quod protector et collegiales dicti collegii, ac communitates et universitates et homines civitatum, terrarum et locorum praedictorum, et quicumque alii in praemissis, seu eorum aliquo, interesse habentes, vel habere quomodolibet pretendentes, eis nullatenus consenserint, et ad hoc vocati aut auditi non fuerint, minusque causae, propter quas praesentes emanarint, deductae, verificatae, seu aliàs sufficienter, aut etiam nullatenus iustificatae fuerint, nullo unquam tempore subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae et alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato et substantiali, aut quocumque alio colore, et etiam in corpore iuris clauso, seu occasione vel causâ, etiam quantumvis iustâ, rationabili et privilegiatâ, etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari seu quomodolibet concedi, aut impetrato vel concesso quempiam uti, neque ipsas praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi[1], sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari, sicque et non aliàs in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, ac alios quavis auctoritate et potestate fungentes, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantibus derogat.

§ 8. Non obstantibus piae memoriae Bonifacii Papae VIII de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, ac erectione dicti collegii, litteris apostolicis desuper emanatis, et Pii Papae IV, etiam praedecessorum nostrorum, de gratiis interesse dictae camerae quomodolibet concernentibus infra certum tempus in eâdem camerâ intimandis et registrandis, ac, quatenus opus sit, nostrâ de non tollendo iure quaesito, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon collegii, civitatum, terrarum, oppidorum et locorum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem collegio, illiusque protectori, collegialibus et ministris, ac communitatibus, universitatibus et hominibus civitatum, oppidorum, terrarum et locorum praedictorum, et quibusvis aliis, sub qui-

1 Deest verbum *posse* (R. T.).

buscumque verborum formis et tenoribus, et cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, concessis, et pluries etiam iteratis vicibus confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter insertis ac expressis habentes, harum serie specialiter et expresse ac latissime derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x decembris MDCXLI, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 10 decembris 1641, pontif. anno XIX.

DCCXXVII.

Commissio vicecollectori iurium camerae apostolicae in Portugalliae et Algarbiorum regnis circa custodiam, detentionem et translationem quorumdam officialium Sedis Apostolicae [1].

Dilecto filio Hieronymo Battaglino, iurium et spoliorum camerae nostrae apostolicae in Portugalliae et Algarbiorum regnis debitorum vicecollectori,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Refert ministros Sedis Apostolicae a potestate laicali fuisse detentos.

Cum non sine gravi animi nostri molestiâ nobis innotuerit in istis regnis Portugalliae et Algarbiorum fuisse, praetextu assertorum excessuum, seu delictorum gravium, carceratos aut aliàs detentos auctoritate laicali venerabilem fratrem archiepiscopum Bracharensem, ac inquisitorem maiorem in ipsis regnis, commissariumque sanctae cruciatae, qui sunt nostri et Sedis Apostolicae officiales, aliasque personas ecclesiasticas, inter quas aliquae in dignitate ecclesiasticâ etiam episcopali sunt constitutae, quarum causarum cognitio, iuxta sacros canones sacraque concilia universalia, ad nos spectat:

Vicecollectori spoliorum committit, ut eos in custodiam recipiat et tradat;

§ 1. Idcirco, ut archiepiscopus, ac inquisitor, commissarius et personae ecclesiasticae praedictae nomine nostro et Sedis Apostolicae retineantur pro pastorali sollicitudine nostrâ providere volentes, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut apud omnes et singulos, quos opus erit, instes, seduloque cures, ut archiepiscopus, ac inquisitor, commissarius, aliaeque personae ecclesiasticae praedictae tibi tradantur seu consignentur, eosque nostro et Sedis Apostolicae nomine recipias et detineas, seu detineri facias, ac illos personae seu personis minime suspectis, sed quibus confidere possis, committas, ab eisque de illis tuto et fideliter nomine praedicto custodiendis et tenendis iuramentum recipias, illosque de loco ad locum, prout tibi videbitur et expedire iudicaveris, transferas, seu transferri facias; ita tamen, ut eorum custodia, detentio et translatio huiusmodi sumptibus et expensis ac periculo et expensis et risico illorum, quorum iussu et auctoritate carceribus mancipati seu aliàs detenti fuerunt, omnino fiat et fieri debeat.

Necessariasque ad hoc facultates ei tribuit.

§ 3. Nos enim tibi praemissa, aliaque omnia et singula quae in illis et circa ea necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna, etiamsi talia forent quae specificam et expressam requirerent mentionem, faciendi, dicendi, gerendi et exequendi plenam et amplam facultatem, apostolicâ

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Derogat obstantibus.

§ 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis, ac in conciliis universalibus, provincialibusque et synodalibus editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac dictorum regnorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI decembris MDCXLI, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 16 decembris 1641, pontif. anno XIX.

DCCXXVIII.

Facultas vicecollectori in Portugalliâ absolvendi illos, quorum iussu, operâ et consilio nonnullae personae ecclesiasticae carceribus mancipatae fuerant [1].

Dilecto filio Hieronymo Battaglino, iurium et spoliorum camerae apostolicae in Portugalliae et Algarbiorum regnis debitorum vicecollectori,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,

salutem et apostolicam benedictionem.

Refert ministros Sedis Apostolicae a laicis carceri fuisse mancipatos.

§ 1. Cum non sine gravi animi nostri molestiâ nobis innotuit in istis regnis Portugalliae et Algarbiorum fuisse, praetextu assertorum excessuum seu delictorum gravium, carceratos, aut aliàs detentos auctoritate laicali venerabilem fratrem archiepiscopum Bracharensem, ac inquisitorem maiorem in ipsis regnis, commissariumque sanctae cruciatae, qui sunt nostri et Apostolicae Sedis officiales, aliasque personas ecclesiasticas, inter quas aliquae in dignitate ecclesiasticâ, etiam episcopali, sunt constitutae, quarum causarum cognitio iuxta sacros canones sacraque concilia universalia ad nos spectat:

Vicecollectori spoliorum facultatem tribuit eos qui partem habuerunt in illa carceratione, a censuris absolvendi.

§ 2. Hinc est quod nos, illorum, quorum iussu et facto archiepiscopus ac inquisitor et commissarius aliaeque personae ecclesiasticae praedictae carceribus mancipati fuerunt seu detinentur, animarum saluti pro paternâ nostrâ charitate consulere volentes, tibi omnes et singulos, quorum iussu, auctoritate, facto, consilio, auxilio, ope et operâ dicti archiepiscopus, inquisitor et commissarius, aliaeque personae ecclesiasticae praedictae capti, carcerati et detenti fuerunt et sunt, si absolutionem a te humiliter petierint, ac si et postquam ipsi archiepiscopus, inquisitor, commissarius, aliaeque personae ecclesiasticae praedictae et eorum quilibet tibi realiter et cum effectu traditi seu consignati fuerint, ab excommunicationis, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quas propterea incurrerunt, auctoritate nostrâ in formâ Ecclesiae consuetâ absolvendi et liberandi plenam et amplam facultatem, eâdem auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Contraria tollit.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac dictorum regnorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI decembris MDCXLI, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 16 decembris 1641, pontif. anno XIX.

DCCXXIX.

Declaratio et moderatio facultatum eminentissimorum et reverendissimorum DD. cardinalium archipresbyterorum, ac protectorum et titularium ecclesiarum et locorum piorum Urbis.

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

Quamvis Romani Pontifices praedecessores nostri, eorum motu proprio, certâque scientiâ ac maturâ deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, concesserint S. R. E. cardinalibus archipresbyteris ecclesiarum seu basilicarum S. Ioannis in Laterano, S. Petri, et S. Mariae Maioris de Urbe facultatem per se ipsos suosque vicarios et iudices cognoscendi et terminandi omnes et singulas causas ac lites, tam active quam passive motas et movendas, inter ipsas basilicas, earumque capitula, canonicos, beneficiatos, clericos, cappellanos, aliosque eis inservientes ex unâ, ne a servitio basilicarum huiusmodi retrahantur[1], et quoscumque alios ex alterâ partibus, privative quoad vicarium aliosque iudices Urbis, etiamsi ageretur de obligationibus cameralibus, et aliàs, prout in eorum litteris et motibus propriis uberius continetur:

Causae huius Constitutionis.

§ 1. Nihilominus, ut acceperamus, praetextu praedictarum facultatum ac privilegiorum in eis contentorum, ipsisque basilicis ac illis inservientibus concessorum, quidam abusus etiam tempore praedecessorum nostrorum irrepserant, in aliorum tribunalium et collitigantium praeiudicium. Idcirco congregatio praelatorum aliàs a nobis super inhibitionibus et *non gravetur* cursum iustitiae impedientibus deputatorum, ad tollendos et evitandos eosdem aliosque abusus, decrevit, quod iidem cardinales praedictarum basilicarum archipresbyteri, eorumque vicarii, non concederent inhibitiones generales, sed particulares tantummodo, citatâ parte, et iuxta terminos earumdem facultatum et privilegiorum dumtaxat, et aliàs concessae non servarentur, libereque eis non obstantibus fieri posset exequutio, quodque emphyteutae, inquilini, coloni, afflictuarii et conductores non gauderent privilegiis praedictis, nisi quando ageretur de interesse ecclesiae, et ecclesia esset in causâ. Cumque postmodum experientiâ rerum magistrâ compertum fuerit, nobisque etiam pluries occasione signaturae gratiae innotuerit, ex observantiâ facultatum et privilegiorum praedictorum alia Urbis tribunalia impediri, ac collitigantibus detrimentum fieri, quando non agitur de bonis, iuribus, seu redditibus ipsarum basilicarum, vel quando canonici, beneficiati, clerici, capellani, aut alii eisdem basilicis inservientes sunt actores:

Declaratio ac moderatio facultatum dominorum archipresbyterorum ac protectorum ecclesiarum Urbis.

§ 2. Propterea, volentes iustitiam aequâ lance omnibus ministrari, motu proprio, certâque scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ constitutione perpetuâ, nedum decreta praedictae

1 Edit. Main. legit *retrahentur* (R. T.).

congregationis confirmamus et approbamus, supplentes omnes et singulos defectus, etiam substantiales, si qui in eis quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici possint, sed etiam statuimus et ordinamus, quod, quando agitur de bonis, iuribus, seu exigendi redditibus[1] ipsarum basilicarum, sive praebendarum, cappellaniarum, beneficiorum, administrationum, officiorum, seu onerum in praedictis basilicis existentium, tunc active agendum sit coram eisdem cardinalibus archipresbyteris, sive eorum vicariis, vel iudicibus per eosdem cardinales deputatis, et pro tempore deputandis; quando autem agitur de aliis bonis, rebus vel iuribus quibuscumque, tunc, si canonici, beneficiati, clerici, capellani, aliique ipsis basilicis inservientes erunt rei, pariter conveniri debeant coram eisdem cardinalibus archipresbyteris, seu eorum vicariis, vel iudicibus praedictis, etiamsi convenirentur vigore obligationis cameralis, si vero fuerint actores, tunc praedictis privilegiis non gaudeant, nec possint reos ad forum cardinalium archipresbyterorum quoquomodo trahere. Ac insuper, quia ex facultatibus, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestate paribus, quacumque de causâ quantumlibet favorabili et piâ, ac aliàs quomodolibet concessis eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, monasteriorum monialium, ecclesiarum, etiam collegiatarum, collegiorum, hospitalium, confraternitatum, archiconfraternitatum, seu quorumcumque aliorum locorum piorum de Urbe, illorumque bonorum, rerum et personarum quarumcumque apud nos et Sedem Apostolicam protectoribus, sive ipsarum ecclesiarum titularibus, similia impedimenta, damna et praeiudicia nasci et emergere nedum accepimus, sed etiam comperimus; propterea praefatas ordinationes et statuta, quoad facultates dictorum cardinalium archipresbyterorum, ut praemittitur, factas et facta, in futurum etiam quoad praedictos cardinales protectores, et monasteria monialium, ecclesias, etiam collegiatas, collegia, hospitalia, confraternitates, archiconfraternitates, aliaque loca pia de Urbe praedicta, eorumque bona, res et personas quaslibet ipsis cardinalibus tam ratione protectionis quam ratione tituli ac aliàs quovis nomine nunc et pro tempore per nos et Romanos Pontifices etiam successores nostros commissas et commissa, perpetuo in omnibus et per omnia inviolabiliter observari volumus et mandamus.

§ 3. Praesentes quoque litteras, ac omnia et singula in eis contenta, etiamsi cardinales archipresbyteri et protectores, aliaeque personae praedictae, et ceteri quicumque in praemissis interesse habentes, aut habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, minusque causae, propter quas praesentes emanarunt, adductae, aut sufficienter, vel etiam nullatenus iustificatae fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis aut invaliditatis vitio, intentionis nostrae aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato et substantiali, sive etiam ex eo quod in praemissis seu eorum aliquo solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda servata et adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio capite a iure vel facto aut statuto vel consuetudine aliquâ resultante, seu etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore iuris clauso, seu occasione vel causâ, etiam quantumvis iustâ, rationabili et privilegiatâ, et tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostrâ huiusmodi et aliis superius expressis seu relatis nihil ullibi ap-

Clausulas praeservativas apponit.

1 Legerem *seu redditibus exigendis* (R. T.).

pareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis in viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato vel concesso quempiam uti, seu se iuvare in iudicio vel extra non[1] posse, neque ipsas praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos, ad quos spectat et quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari,

Clausula *sublatâ*.

§ 4. Sicque, et non aliter, in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac praedictos aliosque sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et alios quavis auctoritate et potestate fungentes, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Clausula derogatoria

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, regulâ nostrâ de iure quaesito non tollendo, et quibusvis aliis cancellariae apostolicae regulis, ac piae memoriae Pii Papae IV etiam praedecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse camerae apostolicae concernentibus infra certum tunc expressum tempus in eâ praesentandis, insinuandis et registrandis, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac etiam, quatenus opus sit, ipsarum ecclesiarum seu basilicarum, monasteriorum, collegiorum, confraternitatum, archiconfraternitatum, hospitalium et aliorum locorum piorum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, ipsis ecclesiis, seu basilicis, illarumque cardinalibus archipresbyteris, sive eorum vicariis, ac monasteriis, collegiis, confraternitatibus, archiconfraternitatibus, hospitalibus et aliis locis piis praefatis, nec non eisdem cardinalibus monasteriorum, ecclesiarum, aliorumque piorum locorum praedictorum protectoribus, et aliis personis praedictis, sub quibusvis verborum tenore et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum omnium et singulorum tenores, etiam maiores et veriores, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII decembris MDCXLI, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 23 decembris 1641, pontif. anno XIX.

---

1 Particulam *non* nos addimus (R. T.).

DCCXXX.

Fratribus Minoribus Ordinis sancti Francisci de Observantia et Reformatis regni Franciae aeque ius tribuitur laicos ad Tertiariorum habitum admittendi.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Narrativa de litteris Pauli PP. V super hac re editis.

Aliàs (per tunc existentem Tertii Ordinis sancti Francisci de Poenitentiâ Reformatorum nuncupatorum regni Franciae procuratorem generalem, felicis recordationis Paulo Papa V praedecessori nostro exposito, quod quondam Ioannes del Hierre, Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ etiam nuncupatorum dum viveret minister generalis, habitâ notitiâ, quod nonnullae summâ pietate fulgentes personae in regno Franciae existebant, quae ad imitationem sancti Ludovici et sancti Ivonis eiusdem nationis ad tertiam regulam sancti Francisci, pro secularibus a recolendae memoriae Nicolao Papa IV etiam praedecessore nostro editam, recipi desiderabant, dictus Ioannes minister generalis, piis illorum votis volens annuere, ex indulto sibi a Sede Apostolicâ concesso, per suas patentes litteras plenariam et omnimodam potestatem provinciali, omnibusque guardianis domorum fratrum dicti Tertii Ordinis sancti Francisci Reformatorum eiusdem regni Franciae concesserat, ut quascumque utriusque sexus personas ad observationem regulae dicti Nicolai praedecessoris iuxta eiusdem Ordinis statuta recipere, vestire, regere et congregare libere et licite possent et valerent, et, si eatenus aliquae a dictis fratribus factae fuissent receptiones huiusmodi personarum, tamquam validas confirmaverat et approbaverat, ac insuper provinciali et guardianis praedictis potestatem plenam concesserat, ut quibuscumque personis de suâ congregatione benemeritis, quae ipsius bonorum spiritualium omnium participes fieri desiderabant, litteras filiationis nuncupatas impendere possent, prohibueratque etiam fratribus dicti Ordinis sancti Francisci de Observantia, ne quempiam habitu Tertiariorum, absque dicti provincialis consensu, vestirent, vel eos reciperent, sed tantum liceret eidem provinciali et superioribus praedictis eosdem vestire et recipere) idem Paulus praedecessor, supplicationibus eiusdem procuratoris generalis sibi desuper porrectis inclinatus, praedictas concessiones et desuper expeditas litteras patentes dicti Ioannis ministri generalis confirmavit, ac tunc et pro tempore existentibus provinciali omnibusque guardianis domorum fratrum dicti Tertii Ordinis sancti Francisci Reformatorum eiusdem regni Franciae, ut quascumque utriusque sexus personas ad observationem regulae per dictum Nicolaum praedecessorem, ut praefertur, editae iuxta statuta praedicta recipere, et ad habitum in dictâ regulâ descriptum admittere, et personae sic admissae omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, indultis et gratiis, quibus in aliis regnis et provinciis ad habitum huiusmodi admissi de iure, usu, consuetudine, aut aliàs quomodolibet utebantur, potiebantur et gaudere poterant quomodolibet in futurum, similiter et pariformiter (quoad exemptionem, tantum iuxta praescriptum Lateranensis concilii ultimo loco celebrati) uti, potiri et gaudere libere et licite possent et valerent concessit, et aliàs prout in eiusdem Pauli praedecessoris in simili formâ Brevis die XIV martii MDCXIII desuper expeditis litteris[1], quarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis et insertis haberi volumus, uberius continetur.

1 Quas non puto esse in *Bullario* (R. T.).

Fratres de Observantiâ exponunt huiusmodi Tertiarios sibi fuisse semper subiectos.

§ 2. Cum autem, sicut nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Ignatii le Gault commissarii generalis ac ministrorum provincialium aliorumque fratrum Minorum dicti Ordinis sancti Francisci de Observantiâ eiusdem regni Franciae expositum fuit, iam inde ab exordio dicti Ordinis sancti Francisci nunquam dubitatum vel controversum fuerit, quin fratres eiusdem Ordinis sancti Francisci de Observantiâ ius, potestatem et usum dandi personis secularibus habitum dicti Tertii Ordinis a sancto Francisco instituti eorumque curam spiritualem gerendi habuerint, quinimo ipsi fratres dicti Tertii Ordinis in communi viventes iuxta regulam a piae memoriae Sixto Papa IV etiam praedecessore nostro approbatam sub curâ et regimine fratrum Minorum praedictorum semper extiterint, ac iuxta similis memoriae Clementis VIII et eiusdem Pauli V Romanorum Pontificum, etiam praedecessorum nostrorum, et nostras in simili formâ Brevis litteras universi fratres dicti Tertii Ordinis sancti Francisci in communi viventes et in regno praedicto existentes ministro necnon commissario in eodem regno generalibus eiusdem Ordinis sancti Francisci de Observantiâ subsint, Paulique praedecessoris huiusmodi litterae fratribus Minoribus praedictis neque citatis neque auditis emanaverint: nobis propterea pro eorumdem commissarii generalis ac ministrorum provincialium et fratrum praedictorum parte fuit humiliter supplicatum, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Urbanus declarat per Paulum V litteras nullius iuri fuisse derogatum.

§ 3. Nos igitur, exponentes praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, per primodictas Pauli praedecessoris praedicti litteras non fuisse nec esse sublatum fratribus Minoribus dicti Ordinis sancti Francisci, tam de Observantiâ quam Reformatis seu Recollectis eiusdem regni Franciae, ius et facultatem, quibus hucusque usi sunt, tradendi et exhibendi personis in seculo viventibus habitum tertiariorum huiusmodi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus, et, quatenus opus foret, iisdem fratribus Minoribus ius et facultatem huiusmodi confirmamus.

Clausulas addit.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Derogat obstantibus.

§ 5. Non obstantibus praedictis Pauli praedecessoris praedicti litteris, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXV ianuarii MDCXLII, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 25 ianuarii 1642, pontif. anno XIX.

DCCXXXI.

Prohibitio ne in ecclesiis civitatis et dioecesis Hispalensis sumatur tabaccum.

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Exordium. Cum ecclesiae divino cultui dicatae domus sint orationis, easque propterea omnis sanctitudo deceat, merito nos, quibus cunctarum per orbem universum ecclesiarum cura a Deo commissa est, advigilare convenit, ut ab eisdem ecclesiis quicumque actus profani et indecentes procul arceantur. Itaque, cum, sicuti pro parte dilectorum filiorum decani et capituli ecclesiae metropolitanae Hispalensis nobis nuper expositum fuit, pravus in illis partibus sumendi ore vel naribus tabaccum vulgo nuncupatum usus adeo invaluerit, ut utriusque sexus personae, ac etiam sacerdotes et clerici, tam seculares quam regulares, clericalis honestatis immemores, illud passim in civitatis et dioecesis Hispalensis ecclesiis, ac, quod referre pudet, etiam sacrosanctum missae sacrificium celebrando sumere, linteaque sacra foedis, quae tabaccum huiusmodi proiicit, excrementis conspurcare, ecclesiasque praedictas tetro odore inficere, magno cum proborum scandalo rerumque sacrarum irreverentiâ, non reformident:

Usum tabacci in ecclesiis prohibet Pontifex sub excommunicationis latae sententiae poena. § 1. Hinc est quod nos, ut abusus tam scandalosus ab ecclesiis huiusmodi prorsus eliminetur pro pastorali nostrâ sollicitudine providere, ac decanum et capitulum praefatos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ad homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus ipsorum decani et capituli nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis utriusque sexus personis, tam secularibus quam ecclesiasticis, etiam cuiusvis ordinis, instituti, ac militiarum, etiam hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, regularibus, quomodolibet qualificatis et quantumlibet privilegiatis et exemptis, etiam speciali notâ et expressione dignis, ne de cetero in quibuscumque civitatis et dioecesis praedictarum ecclesiis earumque atriis et ambitu tabaccum, sive solidum, vel in frustâ concisum, aut in pulverem redactum, ore vel naribus aut fumo per tubulos et aliàs quomodolibet sumere audeant vel praesumant, sub excommunicationis latae sententiae eo ipso absque aliquâ declaratione per contrafacientes incurrendae poenâ, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus.

Exequutores deputat. § 2. Quocirca venerabili fratri archiepiscopo Damiatensi moderno et pro tempore existenti nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio per praesentes committimus et mandamus, quatenus, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, solemniter publicans, faciat illas et in eis contenta huiusmodi ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari; contradictores quoslibet et rebelles, ac prohibitioni huiusmodi non parentes, per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariis derogat. § 3. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in

iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus., necnon ecclesiarum praedictarum, ac quorumvis ordinum, congregationum et institutorum regularium, ac militiarum, etiam hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus vel alicui coniunctim vel divisim sit ab eâdem Sede indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides danda transumptis.

§ 4. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX ianuarii MDCXLII, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 30 ianuarii 1642, pontif. anno XIX.

DCCXXXII.

Declaratio circa exactionem taxae collegio subdiaconorum Sedis Apostolicae assignatae ratione provisionum ecclesiarum palliis insignitarum.

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Sixtus V quid voluit circa taxam, de qua in rubricâ, ad tollendos abusus.

§ 1. Dudum felicis recordationis Sixtus Papa V praedecessor noster, ex certis tunc rationabilibus causis adductus, et abusibus et scandalis, quae circa exactionem taxae emolumentorum ratione ecclesiarum palliis insignitarum collegio subdiaconorum apostolicorum de numero participantium debitorum irrepserant, cum interdum emolumenta ipsa iidem subdiaconi etiam per retentionem palliorum perciperent, opportunum remedium adhibere volens, sub datum videlicet nonis decembris, pontificatus sui anno II, motu suo proprio, per eum habitâ consideratione, quod Romani Pontifices taxas et emolumenta huiusmodi, tamquam primitias fructuum inferioris ecclesiae vacantis pro stipendiis officialium Sedis Apostolicae et conservatione universalis Ecclesiae militantis assignaverant, tunc et pro tempore existentibus subdiaconis praedictis, quod, de quarumcumque ecclesiarum patriarchalium et metropolitanarum, vel aliàs de iure, consuetudine aut privilegio palliis huiusmodi insignitarum, etiam titularium, etiam in partibus infidelium existentium, fructibus, in litteris super earum provisionibus imposterum conficiendis expressis et taxatis, quinque florenos auri pro quolibet centenario inter[1] ipsos subdiaconos de numero participantium tantum iuxta eorum constitutiones seu consuetudines dividendos et distribuendos, ceteraque iura et emolumenta percipere et exigere libere et licite possent, plenam et liberam licentiam et facultatem apostolicâ auctoritate perpetuo concessit, ac tunc et pro tempore existentibus plumbi collectoribus, seu plumbatoribus apostolicis, sub ducentorum ducatorum, ipsis subdiaconis pro unâ, et pro alterâ medietatibus

1 Vocem *inter* nos addimus (B. T.).

piis locis arbitrio suo applicandorum, poenâ commisit et mandavit, ne postea litteras quascumque super huiusmodi ecclesiis expeditas vel expediendas plumbarent, aut plumbatas partibus restituerent, nec restitui permitterent, nisi prius de summâ singulorum quinque florenorum pro quolibet centenario huiusmodi eisdem subdiaconis foret integre satisfactum, et de satisfactione constaret per chirographum receptoris dictorum subdiaconorum, sive eorum decani vel prodecani manu signatum, vel per appositionem manus eiusdem in litteris praefatis loco congruo, ad instar ceterorum officialium similes taxas habentium et exigentium.

§ 2. Voluit autem dictus Sixtus praedecessor, et districtius prohibendo mandavit, ne ipsi subdiaconi, ultra dictam taxam, pro substentatione ac dote dictorum officialium percipi solitam, ceteraque iura et emolumenta consueta praedicta, quicquam aliud pro ipso pallio neque ratione confectionis, benedictionis sive traditionis eiusdem exigere aut accipere (sub quingentorum ducatorum, ipsis ecclesiis a quibus accepissent pro unâ, et pro alterâ medietatibus locis piis arbitrio pro tempore existentis Romani Pontificis applicandorum, poenâ) auderent seu praesumerent, et aliàs, prout in cedulâ motus proprii eiusdem Sixti praedecessoris, sub datum nonis decembris, pontificatus sui anno II, et in litteris apostolicis desuper per piae memoriae Gregorium XIV etiam praedecessorem nostrum, cum ipse Sixtus antequam eius litterae desuper conficerentur, sicut Domino placuit, rebus fuerit humanis exemptus, confectis[1] plenius continetur.

Nihilominus novi abusus circa taxae praefatae exactionem sunt orti.

§ 3. Cum autem, sicut nobis nuper innotuit, etiam post litteras huiusmodi antiqui perduraverint, vel novi abusus circa exactionem taxae praefatae subdiaconorum, et forsan peiores prioribus, irrepserint, et propterea officii nostri partes esse existimemus huiusmodi abusibus, ne ulterius etiam cum non modico fidelium scandalo serpant, opportunum remedium adhibere, motu proprio, non ad alicuius nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ merâque deliberatione nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ex voto etiam congregationis quorumdam praelatorum per nos desuper ad id in specie deputatorum, easdem cedulam Sixti et litteras Gregorii praedecessorum praedictorum hac nostrâ constitutione perpetuâ, ut infra, declaramus, et ab omnibus deinceps inconcusse observari mandamus, videlicet:

Quibus remedium adhibet Pontifex hac suâ constitutione.

§ 4. Quod subdiaconi praefati, nunc et pro tempore existentes, non solum sub eisdem poenis inflictis et comminatis, sed etiam sub excommunicationis maioris latae sententiae, et privationis subdiaconatuum et aliorum per eos obtentorum officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum quorumlibet, ipso facto absque aliâ declaratione et citatione incurrendis, et aliis arbitrio Romani Pontificis pro tempore infligendis poenis, taxam ad rationem quinque florenorum pro quolibet centenario eis ut praefertur assignatam in tot ducatis auri de camerâ, prout alii officiales cancellariae et camerae apostolicarum participantes earum ratas respective recipiunt et exigunt, et non quidem pro ipso pallio, seu occasione pallii, vel ratione confectionis, benedictionis, propositionis, sive traditionis eiusdem pallii, sed dumtaxat, ut praefertur, in actu expeditionis litterarum apostolicarum super provisionibus ecclesiarum palliis insignitarum, licet ante vel post traditionem ipsius pallii expediantur; et, quoad[1] eas quae in partibus infidelium consistunt et nullos redditus habent, nihil omnino; quo vero ad eas,

1 Nec Sixti nec Gregorii litt. cit. adsunt (R.T).

1 Male edit. Main. legit *quod* pro *quoad* (R. T.).

quae in dictis infidelium partibus consistunt et aliquos redditus habent, ad ratam quantitatis reddituum; et, quoad eas quarum taxae per speciale mandatum Romani Pontificis pro tempore existentis perpetuo vel ad tempus ad minorem summam reducuntur, iuxta reductionem; et, quoad numeros qui ad centum non ascendunt, ad taxam numerorum huiusmodi respective dumtaxat, et nihil ulterius, etiam a sponte dantibus et offerentibus exigant et recipiant, aut exigere et recipere praesumant: et ad hunc effectum, pro perpetuâ et inconcussâ praesentium et contentorum in eis observatione, commissionem et mandatum plumbi collectoribus, sive plumbatoribus, necnon prohibitionem dictis subdiaconis per dictas cedulam Sixti et litteras Gregorii praedecessorum ut supra factam, poenasque in eis contentas, ad quarum exactionem manu regiâ et viâ exequutivâ, nullâ praeviâ citatione, procedi posse volumus, per easdem praesentes innovamus.

Clausula praeservativa.

§ 5. Decernentes easdem praesentes de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu, notari vel impugnari, aut ad viam et terminos iuris reduci, seu adversus illas quodcumque iuris, gratiae vel facti remedium impetrari nunquam posse;

Clausula *sublata.*

§ 6. Sicque et non aliàs per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit aitentari.

Derogat contrariis.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ regulâ de non tollendo iure quaesito, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac collegii subdiaconorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam antiquissimis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, necnon aliis quae idem Sixtus et Gregorius praedecessores praefati voluerunt non obstare; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, latissime ac plenissime, ad effectum praemissorum, specialiter et expresse harum serie derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII februarii MDCXLII, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 7 februarii 1642, pontif. anno XIX.

DCCXXXIII.

Confirmantur nonnulla antiqua decreta et statuta a notariis auditoris camerae pro bono gubernio tribunalis dicti auditoris camerae et substitutorum renovatà [1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Notarii quaedam antiqua statuta renovant et iure iurando firmant.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii notarii tribunalis curiae causarum camerae apostolicae generalis audi-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

toris, quod ipsi, pro felici dicti tribunalis suorumque iuvenum et substitutorum gubernio, atque etiam pro bono publico, cum interventu et praesentiâ ipsius camerae apostolicae generalis auditoris, nonnulla decreta et statuta antiqua renovarunt, ampliarunt et inter se medio iuramento stabiliverunt tenoris subsequentis, videlicet:

Die iovis V *mensis decembris* MDCXLI.

Referuntur huiusmodi statuta.

Fuit habita congregatio in palatio illustrissimi et reverendissimi domini Octaviani Raggii auditoris camerae et coram dominatione suâ illustrissimâ ac perillustri et reverendo domino Antonio Francisco Ruperto eius auditore, heri pro hodie intimata, in qua interfuerunt infrascripti domini, Sanctes Floridus decanus, Augustinus Thuclus, Gaspar Columna, Adrianus Gallus, Franciscus Iacobus Belgius, Dominicus Burattus, Alexius Chrysostomus, Sebastianus Pasquetus, Antonius Raynaldus; et in eâdem congregatione fuit propositum per dominum Sanctem Floridum decanum, quod in collegio notariorum apostolicae camerae ab antiquissimo tempore fuit pluries decretum, quod sine licentiâ congregationis notariorum substituti et alii iuvenes recedentes ab aliquo officio non recipiantur ad servitia alterius notarii, nisi servatis certis conditionibus in dictis decretis expressis et contentis, quae quidem decreta habentur in priori libro rubeo, folio XXXII, et fol. CC, et in libro secundo rubeo sub foliis I et XLI. Verum, quia dicta decreta, vel propter iniuriam notariorum, vel aliis de causis, non observantur ad unguem, et multum expedit, tam pro publicâ utilitate, quam pro bono regimine dicti collegii, ut illa et illorum ampliationes et extensiones serventur: idcirco instetit dominationi suae illustrissimae pro innovatione et confirmatione dictorum decretorum et illorum extensione, innovatione et ampliatione. Qua propositione auditâ, dictus illustrissimus dominus auditor camerae mandavit legi dicta decreta, ac illarum innovationes et extensiones, prout altâ et intelligibili voce lectae fuerunt; quibus perlectis et bene consideratis, fuerunt per dominationem suam illustrissimam dicta decreta cum omnibus suis ampliationibus innovata et confirmata, annuentibus et consentientibus omnibus supradictis notariis, sub poenis in illis contentis, et aliis dominationi suae illustrissimae et aliis auditoribus camerae pro tempore existentibus benevisis; ac propterea mandavit praedictos notarios praesentes dictae congregationi iurare super observatione dictorum decretorum, et illorum ampliatione et extensione, et dictum iuramentum in manibus dominationis suae illustrissimae praestari perpetuo, tactis, etc., iurarunt et praestiterunt[1], etc.; quoad absentes vero mandavit eidem domino decano quod intra triduum recipere debeat simile iuramentum de observandis dictis decretis; et dicti iuramenti instrumentum confici, et haec omnia in libro decretorum tribunalis registrari mandavit. Praesentibus in palatio supradicto posito[2] in plateâ Capranicae et coram dominatione suâ illustrissimâ infrascriptis testibus: illustrissimo et excellentissimo domino Iacobo Angelutio, filio quondam Simonis Desduesia, Spoletanae dioecesis, et illustrissimo et excellentissimo domino Iuliano Laureto filio quondam Francisci Sabino, etc.

Tenor vero supradictorum decretorum est infrascriptus:

Decretum, quod sine licentiâ nostrae congregationis substituti et alii iuvenes non recipiantur.

Collegium notariorum auditoris camerae, auditis non sine maximâ molestiâ in diversis suis congregationibus, variisque querelis propositis in substitutos et iuvenes quosdam in nostris officiis inservientes, et cognitis ab experto ipsarum que-

1 Edit. Main. habet *praestaverunt* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *positum* (R. T.).

relarum eventibus, qui fuerint, et quale praeiudicium intulerint, et de praesenti respective inferant nedum antecessoribus nostris, sed et aliis, nobisque et universo tribunali nostro; et cognito etiam, quod malorum omnium radix ex[1] multorum irreverentiâ et inobedientiâ erga dominos, nonnullorumque aliorum ex nimiâ lucri cupiditate, aliorumque modicâ negligentiâ et malâ vivendi pravâ consuetudine, aut ex eorum malis moribus et licentiosâ vitâ ortum habuit; volensque, quoniam unusquisque rerum suarum est moderator et arbiter, praecavere ne in similia vel forsan maiora iidem et alii pro tempore existentes in nostris officiis prolabantur, et in tam grandi familiâ, quae fere numerum centum et quinquaginta personarum superat, remedia adhibere opportuna; qualia experientia ipsa tamquam rerum magistra docuit, ipsamque familiam Deo adiuvante reformare, aliaque bene et recte instituere ad suam et communem omnium aliorum utilitatem; ex praedictis igitur et aliis iustis et rationabilibus causis, re prius in pluribus congregationibus mature discussâ, innovavit decretum eiusdem collegii antiquum[2] de substitutis disponens, de quo in praecedenti libro rubeo appellato, folio CC habetur, et illius ampliationem in eodem libro fol. XXXII a nostris antecessoribus provide factam; et illis salvis decrevit, quod, occurrente in futurum aliquando recessu alicuius ex substitutis et aliis iuvenibus ex aliquo officiorum nostrorum, servari debeat sine difficultate et contradictione aliquâ nedum dispositio dicti statuti, et illius confirmationis sive ampliationis praedictae; verum etiam, antequam recipiatur in aliquo officio, proponi a notario debeat a quo recessit, tamquam de illius vitâ et moribus informato, in plenâ ipsius collegii congregatione, si ille ad tribunal redire voluerit, causa[1] talis recessus, ut congregatio ipsa illum cognoscat et declaret etiam bene vel male meritum de ipso tribunali, et an in eo de novo sit ille admittendus, vel non; et sine congregatione praedictâ et licentiâ integrae congregationis recipi ab aliis non possit; et ita perpetuo statuit, decrevit et observare promisit et iuravit, sub poenis in antiquis statutis expressis, et contra illos privationis mensariatus et conclavistatus aliorumque officiorum ipsius collegii, usquequo paruerint.

1 Male edit. Main. legit *et* pro *ex* (R. T.).

2 Improbe edit. Main. legit *antequam* pro *antiquum* (R. T.).

Datum in plenâ congregatione habitâ in domo domini Ovidii Erasmi, nostri connotarii, ac moderni mensarii et decani, die III aprilis MDLXXXVII.

Ovidius Erasmus, mensarius et decanus; Ioannes Iacobus de Fabiis, notarius; Franciscus Masinus, notarius; Marcus Antonius Brutus, notarius; Scipio Grimaldus, notarius; Ioannes Carpanus, notarius; Hieronymus Fabirus, notarius; Ioannes Franciscus Ugolinus, notarius; Mauritius Buccarinus, notarius; Guidus Argenti, notarius.

Tenor vero decreti antiqui disponens de substitutis, de quo in libro rubeo appellato sub fol: CC., *talis est, videlicet:*

Aliquis notarius de copistis et substitutis alterius se non impediat illos avertendo a servitiis eius cum quo stant, et alliciendo ad servitia sua, nec recipiendo illos ad se, si non decesserint a notario, ad cuius servitia fuerunt prius, cum bonâ licentiâ, vel saltem steterint[2] per unum annum extra tribunal. Et si contigat aliquem notarium contravenire praesenti statuto in substituto, privetur turno ordinariarum commissionum; si in copista, De substitutis.

1 Legerem *causa* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *steterit* (R. T.).

privetur turno appellationis ordinariarum per sex menses; et nihilominus teneatur dimittere talem copistam vel substitutum ab eius officio; et, si requisitus non expulerit, privetur et ex tunc privatus existat omnibus turnis per annum; et mensarii pro tempore distribuentes talibus commissionem aliquam, suo salario privati existant; et crescat poena tam ipsius mensarii quam dicti notarii contrafacientis pro contumaciâ, quam fieri contingat, arbitrio sociorum.

Die XV *octobris* MDCXLI.

Fuit habita congregatio in domo domini Sanctis Floridi decani, heri pro hodie intimata, in qua interfuerunt omnes, praeter dominos Fontiam et Gallum ab Urbe absentes, et in eâ fuit collegialiter resolutum, decretum et statutum ut infra, videlicet:

Quoniam experientiâ compertum est quod nonnulli iuvenes et substituti tribunalis nostri, parum aut nihil curantes monitiones et praecepta dominorum cum quibus degunt et morantur, etiam illi, qui permanent, ut dicitur, ad rogitus, sine victu, salario et domicilio, aut aliàs quomodolibet, in longum protrahunt extensiones instrumentorum per eos eorum nomine et in eorum respective officiis rogatorum, et quotidie excrescit illorum irreverentia et inobedientia erga eosdem dominos, quod plerumque accidit et oritur ex eorum malis moribus, malâ vivendi consuetudine, et licentiosâ nimis vitâ, et saepe etiam ex nimiâ facilitate nonnullorum dominorum officiorum in recipiendis in eorum officiis dictis substitutis et iuvenibus recedentibus ab aliquo officio contra formam et dispositionem tam antiquorum quam modernorum statutorum tribunalis; volens propterea collegium notariorum apostolicae camerae opportuna praemissis adhiberi remedia, ipsosque substitutos et iuvenes reformare ad suam et omnium utilitatem, maxime vero publicam, negotio huiusmodi in diversis congregationibus mature discusso, licet iam in admissionem cuiuslibet notarii fuerit iuratum per quemlibet statuta, consuetudines et decreta collegii inviolabiliter observari, nihilominus, ne dicta statuta obsoleta[1] esse videantur, hoc praesenti perpetuo valituro decreto innovarunt omnia antiqua statuta et decreta collegii de substitutis, iuvenibus et copistis disponentia quae habentur in libro priori rubeo sub foliis XXXII et CC, et in posteriori libro sub folio I, iam pridem a nostris antecessoribus consulte facta, et hîc ad maiorem corroborationem denuo inserta, tenoris, etc.

Quae quidem decreta et statuta perpetuo observari decreverunt, et cum iuramento promiserunt, sub poenis in illis contentis, et ulterius ducatorum viginti-quinque auri de camerâ per contravenientes solvendorum et aliis destribuendorum[2], et sic se subscripserunt in fidem, etc.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefati notarii decreta et statuta huiusmodi pro illorum firmiori subsistentiâ et observatione apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri summopere desiderent: Petitur apostolica confirmatio.

§ 3. Nos, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decreta et statuta Conceditur.

1 Edit. Main. legit *absoluta* pro *obsoleta* (R.T).
2 Ed. Main. legit *distribuenda* (R. T.).

praeinserta, cum omnibus et singulis in eis contentis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae. § 4. Decernentes illa necnon praesentes litteras valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet in futurum spectabit, inviolabiliter observari, ipsisque notariis plenissime in omnibus et per omnia suffragari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ipsumque etiam camerae praedictae auditorem generalem, et quosvis alios quavis auctoritate fungentes, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, quibusvis aliis collegii eorumdem notariorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV februarii MDCXLII, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 15 februarii 1642, pontif. anno XIX.

DCCXXXIV.

Decreta nonnulla edita in definitorio provinciae S. Francisci Galliae fratrum Ordinis sancti Francisci Recollectorum extenduntur ad omnes dicti regni provincias [1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Aliàs hi fratres iura patrum suae provinciae relatâ hic methodo dirigi petierunt.

§ 1. Aliàs, pro parte dilectorum filiorum fratrum definitorii provincialis Ordinis Minorum sancti Francisci Recollectorum nuncupatorum provinciae S. Francisci in Galliâ nobis exposito, quod in dicto definitorio ordinatum fuerat, ut iura patrum dictae provinciae regularentur modo sequenti, videlicet:

I. Gaudebunt ubique etiam in capitulo et congregationibus quibuscumque praecedentiâ et titulis patrum provinciae iuxta statuta generalia et provinciae;

II. Erunt perpetui discreti ad quaecumque capitula provincialia convocandi, in quibus habebunt votum activum et passivum, sicut ceteri vocales in omnibus si adesse voluerint;

III. Exprovincialis, finito triennio sui provincialatus, ad omnes definitorii congregationes et congregationem intermediam vocabitur et accedet, ibidemque sicut ceteri definitores suffragabitur usque ad sequentis ministri creationem inclusive, elapso vero hoc exprovincialis triennio nullum ius ad ingrediendum definitorium, sicut nec ceteri patres provinciae, obtinebit;

IV. Omnibus privilegiis, quibus definitorii patres iuxta statuta provinciae gaudent, et quandocumque gaudebunt, solo ingressu excepto, plenarie potientur, aliisque quibus antea potiebantur:

Quod ab Urbano fuit praescriptum. § 2. Ipsique exponentes praemissa per nos confirmari cupiebant: nos, de vene-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

rabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, ordinationes praedictas apostolicâ auctoritate confirmavimus, et aliàs, prout in nostris in simili formâ Brevis litteris de anno MDCXXXIV expeditis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Eamdem methodum ad ceteras regni Galliae provinciam extendi petunt.

§ 3. Cum autem, sicut iidem fratres Recollecti dicti regni nobis nuper exponi fecerunt, subinde ordinationes huiusmodi, sic per nos confirmatae, nedum in praedictâ S. Francisci provinciâ observatae, sed etiam in duabus congregationibus aliàs seu nuper Parisiis et Nivernis per patres Recollectos provinciarum regni Franciae celebratis per statutum receptae, exequutionique demandatae, et sic dissensiones et querimoniae eatenus exortae in praefatis fratrum Recollectorum dicti Ordinis provinciis eiusdem regni circa dicta patrum provinciarum privilegia consopitae, terminataeque, necnon pax et uniformitas iisdem provinciis reddita fuerint: nobis propterea denuo nedum pro parte praedictorum provinciae eiusdem S. Francisci, sed etiam omnium aliorum praefatorum patrum Recollectorum dicti regni humiliter supplicatum fuit, ut, pro bono pacis et uniformitatis inter ipsos, praefatas nostras litteras ad omnes et singulas eorumdem fratrum Recollectorum provincias dicti regni extendere, et aliâs ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Praestat Pontifex.

§ 4. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praefatas nostras litteras, cum omnibus et singulis in eis contentis, ad omnes et singulas fratrum Recollectorum dicti Ordinis provincias in eodem Franciae regno, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, extendimus.

Aliud vero statutum, ex quo controversiae datur occasio.

§ 5. Et insuper, cum, sicut nobis innotuit, occasione cuiusdam statuti, inter alia in ultimo generali dicti Ordinis capitulo de anno MDCXXXIX celebrato editi, et per quasdam alias nostras in eâdem formâ Brevis litteras de eodem anno emanatas confirmati patribus Recollectis dicti Ordinis eiusdem regni desuper inauditis, quo nedum exprovinciali, sed etiam patri provinciae digniori ingressus in definitorium conceditur, quamplures de novo lites et controversiae in praefatis fratrum Recollectorum dicti regni provinciis exortae sint, nullaque in eisdem provinciis obtinendae pacis et tranquillitatis spes affulgeat, immo maxima relicta sit occasio de maioribus quam antea dissensionibus dubitandi:

Cassat et irritat.

§ 6. Nos, praemissis pro nostrâ pastorali sollicitudine occurrere volentes, praefatum statutum seu dicti capituli generalis indultum, quod videlicet exprovincialis et pater provinciae dignior definitorium ingredi possint, quoad praefatas fratrum Recollectorum dicti Ordinis provincias eiusdem regni, auctoritate et tenore praedictis revocamus, cassamus et annullamus, ac pro revocato, casso et nullo haberi volumus et declaramus.

Clausulas addit.

§ 7. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritu m

et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac praedicto et quibusvis aliis Ordinis et provinciarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, dictis Ordini et provinciis, illorumque superioribus, fratribus et personis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat

§ 8. Volumus autem, ut praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique habeatur, quae praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX februarii MDCXLII, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 20 februarii 1642, pontif. anno XIX.

DCCXXXV.

Quod, concordato et invitato parocho, cadavera defunctorum possint sepulturae tradi per regulares Ordinum Mendicantium provinciae Russiae absque alio parochi consensu [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Regularium petitio.

§ 1. Cum, sicut dilecti filii fratres Ordinum Mendicantium provinciae Russiae nobis nuper exponi fecerunt, ipsi cupiant per nos declarari, an regulares absque ullâ aliâ licentiâ parochi possint recto tramite e domo propriâ [1] defunctorum cadavera illorum asportare, et in propriis eorumdem regularium ecclesiis sepelire, cum ab ipsis defunctis sive illorum haeredibus et consanguineis sepultura sibi in ecclesiis regularium electa fuit, concordato prius et invitato parocho per eosdem de suis emolumentis pro more locorum:

Declaratio, de qua in rubrica.

§ 2. Nos, eosdem fratres Mendicantes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, posse in casu proposito, concordato et invitato parocho, cadaver defuncti sepulturae tradi per regulares absque alio consensu parochi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus,

Clausulae.

§ 3. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

1 Edit. Main. legit *proprio* (R. T.).

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII februarii MDCXLII, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 22 februarii 1642, pontif. anno XIX.

DCCXXXVI.

Facultas thesaurario generali camerae apostolicae deputandi exactores iurium et spoliorum camerae praedictae debitorum in Cataloniâ et comitatibus Ceritaniae et Rossilionis ob bellorum motus [1].

Dilecto filio magistro Ioanni Baptistae Lomellino, in utràque signaturâ nostrâ referendario ac nostro et camerae apostolicae thesaurario generali,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Causae concedendae facultatis.

§ 1. Cum, sicut accepimus, a multo citra tempore ob bellorum motus in principatu Cataloniae et comitatibus Rossilionis et Ceritaniae vigentes, illi iurium et spoliorum camerae apostolicae debitorum subcollectores, quos dilectus filius noster et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncius, ac iurium et spoliorum, eidem camerae in dictis regnis debitorum, collector generalis deputaverat in singulis civitatibus et dioecesibus principatus et comitatuum huiusmodi, sint de facto impediti quominus cum eodem nuncio tractare, illique de exactis respondere, ac rationes collectionis et administrationis eorum reddere possint, prout antea faciebant, in maximum dictae camerae detrimentum:

Facultas, de qua in rubrica.

§ 2. Idcirco nos, eiusdem camerae indemnitati in praemissis, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut, in civitatibus et dioecesibus principatus et comitatuum praedictorum, tot, quot tibi videbitur, personas (quae durante impedimento praedicto iura et spolia ac ecclesiarum nunc et pro tempore vacantium fructus dictae camerae hactenus et pro tempore debita et debitos colligant et percipiant, necnon a commissariis et subcollectoribus iurium, spoliorum et fructuum huiusmodi per dictum nuncium deputatis rationes suae administrationis, ab ultimâ per eos redditâ et solidatâ cum dicto nuncio ratione, exigant, et quascumque pecuniarum summas, in quibus commissarii et subcollectores praedicti debitores reperti fuerint, ab eis ad te thesaurariumque generalem camerae apostolicae pro tempore existentem quamprimum transmitti, vel tibi solvi, ad effectum illas ad nos et Sedem Apostolicam tutiori qua fieri poterit viâ transmittendi, faciant), auctoritate nostrâ cum facultatibus ad praemissa necessariis et quomodolibet opportunis, et quas illis durante eorum impedimento tribuendas duxeris concedendas [1], deputes. Nos enim tibi desuper plenam et amplam, earumdem tenore praesentium, facultatem concedimus et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, et, quatenus opus sit, principatus et comitatuum huiusmodi, illorumque civitatum, locorum

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Vel vox *tribuendas* vel *concedendas* redundare videtur (R. T.).

et ecclesiarum quarumcumque, aliorumque regnorum, provinciarum, civitatum et locorum quorumcumque, et quibusvis aliis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stylis et usibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII februarii MDCXLII, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 28 februarii 1642, pontif. anno XIX.

DCCXXXVII.

Facultas patriarchae Constantinopolitano, et archiepiscopo Damiatensi, nunciis Hispaniarum, exercendi suum munus etiam extra regna Hispaniarum, quatenus ex ipsis regnis expellantur, vel discedere cogantur [1].

Venerabili fratri Ioanni Iacobo, patriarchae Constantinopolitano, nostro et Apostolicae Sedis ad charissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum regem catholicum et Hispaniarum regna cum potestate legati de latere nuncio,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Causae concedendae facultatis.

§ 1. Cum nos nuper te nostrum et Apostolicae Sedis cum potestate legati de latere nuncium ad charissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum regem catholicum et Hispaniarum regna miserimus, ubi resedit et nunc residet venerabilis frater Caesar archiepiscopus Damiatensis eamdem nunciaturam exercens, idcirco, volentes casibus contingibilibus providere, quatenus indebite, scilicet inimico homine zizaniâ disseminante, accideret, quod Deus avertat, fraternitatem tuam non recipi, et praedictum Caesarem, aut etiam, post tuam[1] receptionem, utrumque vestrum a praedictis regnis expelli, aut aliàs te, quominus commissum tibi munus et facultates tibi a nobis concessas libere exerceas, quomodolibet impediri, considerantesque quam graviter ex praemissis, si fierent, nostra et dictae Sedis auctoritas laederetur, quantumque debitae nobis et eidem Sedi obedientiae et reverentiae detraheretur, et[2] pastoralis officii nostri esse duximus, in praedictis casibus, licet plane incertis, et quos vix suspicamur, de illis providere remediis, per quae nostra et dictae Sedis dignitas et auctoritas sarta tecta conservetur, et tam ipse Caesar quam tu muneribus vobis commissis fungi valeatis, et quilibet vestrum valeat, unus alterum adiuvando, et alter alteri supplendo, ac violentias alteri vestrum inferendas vindicando, iurisque remediis opportunis propulsando.

Facultas, de qua in rubrica.

§ 2. Motu itaque proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tam eidem Caesari, cuius facultates, aliàs per nos sibi concessas, in quolibet praedictorum eventuum ad infrascriptum effectum dumtaxat durare volumus, quam etiam fraternitati tuae, et cuilibet vestrum in solidum, per praesentes committimus et mandamus, ut etiam extra regna praedicta, et ubivis locorum, et in quacumque alienâ provinciâ, civitate, dioecesi et iuris-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

1 Male edit. Main. legit *suam* (R.T.).
2 Particula *et* delenda (R. T.).

dictione, ubi eumdem Caesarem ac te pro tempore, etiam iter agendo seu transeundo, existere seu morari contigerit, etiam non requisito ordinario, episcopo, dioecesano, metropolitano, primate, et quocumque alio, cuiuscumque ordinis, status, gradus, conditionis, qualitatis et dignitatis, etiam ecclesiasticae, ac speciali notâ et individuâ expressione digno, nullaque petitâ nec obtentâ ab iis nec a quibusvis aliis licentiâ, nedùm omnes et singulas facultates eidem Caesari et tibi per nos concessas in subditos tuae et illius iurisdictioni ratione muneris nuncii huiusmodi non secus ac si in dictis regnis et locis solitae nunciorum Sedis Apostolicae ad eadem regna residentiae existeretis libere exerceas, et dictus Caesar exerceat, sed etiam in quosvis alios, etiam extra praedicta regna commorantes, quorum facto, ope, consilio, auxilio, operâ, iussu et auctoritate tibi ingressus in dicta regna denegari, aut te ut par est non recipi, vel, postquam ingressus et receptus fueris, aut aliàs, in muneris nuncii huiusmodi et facultatum praedictarum libero exercitio quomodolibet impediri, aut te ac praedictum Caesarem seu alterum vestrum a praedictis regnis eiici seu expelli, seu etiam ad inde discedendum cogi contigerit, quicumque et quoscumque[1] sint, ac quantumvis privilegiati, exempti, qualificati, specialique et individuâ expressione digni existant, omnibus et singulis remediis, tam coniunctim quam divisim, ac etiam ex officio, seu per inquisitionem, etiam summarie, simpliciter, et de plano, sine figurâ et strepitu iudicii, solâ facti veritate inspectâ, ac omni et quacumque appellatione remotâ, procedas, et respective procedat, sententiasque, censuras et poenas ecclesiasticas ad tui et dicti Caesaris defensionem, ac violentiarum et iniuriarum, quas vobis et cuilibet vestrum forsan inferri contigerit, ut praefertur, propulsationem et vindictam, non solum extraiudicialiter, sed etiam iudicialiter procedendo, infligas et fulmines, ipseque Caesar infligat et fulminet, inflictasque et fulminatas etiam a iure et consuetudinibus apostolicis contra similia audentes et perpetrantes uterque vestrum declaret et denunciet, aggravetque et reaggravet, aliaque in praemissis quomodolibet necessaria et opportuna faciat, dicat, gerat, decernat, exequatur, et exequutioni demandari curet, toties quoties opus erit, vel cuilibet vestrum videbitur, etiamsi mandatum magis speciale et individuam mentionem requirerent, necnon quaecumque interdicta ecclesiastica, tam personalia, quam localia, seu mixta, in unâ seu pluribus civitatibus et terris, seu locis, ac etiam in omnibus et singulis regnis praedictis, et in ipsâ capellâ regiâ regnorum huiusmodi, cessationemque a divinis decernat et ponat: nos enim ad praemissorum effectum plenam, amplam et sufficientem facultatem utrique vestrum desuper tribuimus et impertimur, cum facultate deputandi ubique alium seu alios cum simili vel limitatâ facultate, prout cuilibet vestrum videbitur, ad faciendum, gerendum et exequendum omnia et singula praedicta, ac alia quae vobis et vestrum cuilibet videbuntur et quae erunt quomodolibet necessaria et opportuna, illumque et illos mittendi ad civitates, terras et loca quaecumque vobis benevisa, tam intra quam extra praedicta regna consistentia, etiam cum facultatibus citandi praedictos, omnesque alios, etiam per edictum publicum in valvis ecclesiae maioris illius civitatis, terrae vel loci, ubi vos vel alterum vestrum etiam per transitum morari contigerit,[1] constito summa-

1 Patet legendum *qualescumque* pro *quoscumque* (R. T.).

1 Heic deest vox *affixum*, vel *affigendum*, (R.T).

rie, quantum vobis seu cuilibet vestrum sufficere videbitur, de non tuto accessu, illisque toties quoties opus fuerit inhibendi, etiam sub censuris et poenis, etiam pecuniariis, per quemlibet vestrum vel vestros deputatos vestro vel eorum arbitrio infligendis, applicandis et moderandis, ac quaecumque alia quomodolibet necessaria et opportuna gerendi, decernendi, mandandi et exequendi.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis, ac in conciliis universalibus provincialibusque et synodalibus editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon dictorum regnorum, ac ecclesiarum, monasteriorum, ordinum, congregationum, institutorum et militiarum quorumlibet, ac quarumvis civitatum, terrarum et locorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, legibus, usibus, naturis, ac ordinationibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, dictis regnis, illorumque incolis, et quibusvis aliis nunciis[1] et personis, tam coniunctim quam divisim, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in specie vel in genere, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, etiam concistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum, etiam pluries et iteratis vicibus, concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis et insertis, et formam[1] huiusmodi pro servatâ habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si eisdem regnis, illorumque incolis, et quibusvis aliis locis et personis communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod ad parendum alicui cogi et compelli, aut quod citari, seu in iudicium coram iudicibus de eorum consensu non deputatis vel extra regna huiusmodi et loca suae habitationis avocari, vel quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; et qualibet aliâ eiusdem Sedis indulgentiâ generali vel speciali, per quam praesentibus non expressam vel totaliter non insertam[2] effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua eiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII februarii MDCXLII, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 28 februarii 1642, pontif. anno XIX.

1 Puto *locis* legendum esse pro *nunciis* (R.T).

DCCXXXVIII.

Constitutio circa formam et habitum sacrarum imaginum[3].

1 Male edit. Main. legit *forma* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *expressa... inserta* (R T).

3 De veneratione sanctarum imaginum habes Gregorii XIII Constit. LI *Sanctissimum*, tom. VIII, pag. 133, § 15. Circa formam autem et habitum sacrarum imaginum lege sacrosanctae Tridentinae Synodi decretum,

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Sacrosancta Tridentina Synodus optime agnoscens non leve scandalum afferre posse, si quid inordinatum, aut praepostere accomodatum, vel profanum in ecclesiis appareat, statuit nemini licere ullo in loco, vel ecclesiâ, etiam quomodolibet exemptâ, ullam insolitam imaginem ponere, vel ponendam curare, nisi ab episcopo approbata fuerit.

Hanc Constitutionem edidit Pontifex contra varios abusus circa formas et habitum sacrarum imaginum.

§ 1. Cum autem, sicut accepimus, ex praedicti decreti inobservantiâ varii abusus irrepserint; idcirco nos, abusus huiusmodi tollere pro debito pastorali officii nostri volentes, re etiam cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus sacris ritibus praepositis communicatâ, et mature consideratâ et discussâ, inhaerendo dictae dispositioni sacrosantae Tridentinae Synodi, motu proprio et ex certâ scientiâ nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ne quis, cuiuscumque gradus, qualitatis, ordinis, status, vel conditionis, ac dignitatis et praeeminentiae, etiam ecclesiasticae, etiam individuâ ac speciali expressione dignae existat, imagines Domini nostri Iesu Christi et deiparae Virginis Mariae, ac angelorum, apostolorum, evangelistarum, aliorumque sanctorum et sanctarum quorumcumque sculpere aut pingere, vel sculpi aut pingi facere, aut antehac sculptas aut pictas et aliàs quomodolibet effictas tenere, seu publico aspectui exponere, aut vestire cum alio habito et formâ, quam in catholicâ et apostolicâ Ecclesiâ ab antiquo tempore consuevit, nec etiam cum habitu peculiari alicuius Ordinis regularis, tenore praesentium prohibemus: ac, ut imagines aliter pictae vel sculptae ab ecclesiis et aliis locis quibuslibet amoveantur et deleantur, vel reducantur et reformentur ad habitum et formam in Ecclesiâ catholicâ et apostolicâ ab antiquo tempore consuetam, ut veneratio et cultus sic dictis imaginibus augeatur, et quae oculis fidelium subiiciuntur non inordinata nec insolita appareant, sed devotionem pariant et pietatem; et ne exponantur in ecclesiis quibuslibet, ac quomodolibet qualificatis, ac earum frontispiciis et atriis imagines profanae, vel alias indecentiam et inhonestatem praeseferentes, cum domum Dei deceat sanctitudo, praecipimus. Quocirca quibuscumque venerabilibus fratribus patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis et aliis locorum ordinariis, ac nostris et Apostolicae Sedis nunciis et legatis etiam de latere, sub obtestatione divini iudicii mandamus, ut praedicta inviolabiliter et exacte observent. Mandantes insuper omnibus capitulis ecclesiarum, etiam cathedralium et maiorum, ac universitatibus, etiam studiorum, monasteriis, ac collegiis et personis quibuscumque, etiam ecclesiasticis, secularibus et regularibus, cuiuscumque ordinis, etiam Cisterciensis, instituti, congregationis et societatis, etiam Iesu, etiam militaribus, etiam hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, aliarumque militiarum, et ceteris quibuscumque, quomodolibet qualificatis, ac eâdem individuâ expressione et speciali notâ dignis, ac monialibus, etiam regularium gubernio subiectis, ac etiam Sedi Apostolicae immediate suppositis, ut in eorum ecclesiis et locis omnia et singula praemissa observent et observari faciant.

Deputat exequutores.

§ 2. Quatenus vero ipsi, praesertim regulares ac moniales, praesentibus litteris ac omnibus in eis contentis parere neglexerint, possint et debeant episcopi et locorum ordinarii et metropolitani, primates et patriarchae, nuncii et legati apostolici de latere missi, tamquam in hoc a Sede Apostolicâ specialiter delegati, contra omnes et singulos praedictos et quoscumque alios quomodolibet inobedientes et transgressores procedere, et,

quacumque appellatione, recursu, reclamatione, aliisque iuris et facti remediis ordinariis et extraordinariis penitus et omnino remotis, ad omnimodam observantiam illos, praeviâ unicâ monitione, censuris ecclesiasticis et aliis eorum arbitrio, et, praesertim quoad loci superiores, etiam privationis officii et vocis activae et passivae poenis compellere.

Clausulas praeservativas apponit.

§ 3. Praesentes quoque litteras et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quocumque alio etiam quantumvis substantiali defectu notari, impugnari vel redargui posse, sed illas semper validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat et spectabit in futurum, inviolabiliter observari,

Clausulæ *sublatâ*, etc.

§ 4. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, nunc et pro tempore existentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi seu interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri et interpretari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contraria removet.

§ 5. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dictis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis in favorem etiam personarum, atque ordinum quorumcumque, etiam Cisterciensis, ac tam Mendicantium, quam non Mendicantium, militiarum, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, congregationum, societatum, etiam Iesu, ac cuiusvis alterius instituti etiam necessario et individue exprimendi monasteriorum, conventuum, capitulorum, ecclesiarum et aliorum quorumcumque tam secularium quam regularium locorum, necnon illorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis et privilegiis, etiam in corpore iuris clausis, aut ex causâ et titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam mari magno, seu bullâ aureâ, aut aliàs nuncupatis, conservatorum deputationibus, eorumque atque aliis inhibitionibus, quibus episcopi et alii ordinarii et superiores praedicti deferre minime teneantur, et quibusvis aliis, sub quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis seu extensionis, concessis et iteratis vicibus approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis corumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicari mandat.

§ 6. Et, ne praemissorum ignorantia possit ab aliquo praetendi, volumus et apostolicâ auctoritate decernimus, ut praesentes litterae, seu illarum exemplum, ad valvas basilicae Principis Apostolorum Urbis ac in acie campi Florae affixae omnes perinde arctent atque afficiant, ac si unicuique personaliter intimatae fuissent;

Transumptis credi iubet.

§ 7. Quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV martii MDCXLII, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 15 martii 1642, pontif. anno XIX.

DCCXXXIX.

Mandatum Ordinariis Galliae, ut deputent conventus in singulis provinciis pro reformatione fratrum Reformatorum sancti Francisci[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Magnus fratrum numerus reformationem cupientium.

§ 1. Cum, sicut dilecti filii patres et fratres Ordinum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum provinciarum regni Franciae reformationem postulantes nobis nuper exponi fecerunt, in singulis eorumdem fratrum de Observantiâ provinciis dicti regni copiosus fratrum reformari cupientium numerus reperiatur, qui tamen hactenus voti compotes fieri nequiverunt, impediti etiam a propriis suis superioribus non reformatis, nedum virorum a quibus reformationi sic addicti in reformatione huiusmodi[2], sed etiam conventuum in quibus illi recipi et erudiri possint penuriâ laborantibus[3], nobis propterea iidem exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Mandatum de quo in rubricâ.

§ 2. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnibus et singulis venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis in dicto regno constitutis, ac dilectis filiis eorum officialibus, in virtute sanctae obedientiae, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, praecipimus et mandamus, ut, quoties pro parte eorumdem exponentium fuerint requisiti, in singulis dictorum fratrum de Observantiâ eiusdem regni provinciis, in quibus adhuc custodiae reformatae erectae non fuerint, unam, seu duas, vel plures domos, prout numerus fratrum qui reformationem acceptare velint requiret, assignent, et ad id praedictos fratres de Observantiâ eorumque ministros provinciales et alios superiores, etiam per censuras ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, cogant et compellant, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; ac insuper, quod praedicti fratres, in singulis provinciis de Observantiâ reformari cupientes, ab uno ex praedictis archiepiscopis vel episcopis ab ipsis fratribus eligendo congregati, custodem, guardianos et novitiorum magistros ex aliis provinciis vel custodiis reformatorum seu recollectorum dicti regni pro primo triennio ad minus (a quibus deinceps gubernentur, erudiantur et instruantur, et finito anno deliberationis, per constitutionem Clementis praedecessoris desuper de anno MDCI editam, quae incipit *Pro iniuncti*[1], ordinato, ad

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Oporteret addere verbum *adiuvari* vel simile (R. T.).

3 Legerem *laborantes* (R. T.).

1 Sub hac data et sub hoc die non habetur, sed vide tom. X, pag. 299 et 301 (R. T.).

reformationem huiusmodi recipiantur) sibi eligere et assumere libere et licite possint et debeant, ita tamen, ut in praefatis domibus seu conventibus sibi assignandis veram et realem reformationem (iuxta praedictam dicti Clementis praedecessoris constitutionem, secundum quam in omnibus deinceps vivant, et aliis reformatis seu recollectis dicti regni se conforment, cantu Gregoriano et aliis divini officii caeremoniis, quae sunt iuxta eiusdem sancti Francisci regulam, necnon similis recordationis Nicolai III et Clementis V Romanorum Pontificum pariter praedecessorum nostrorum declarationes, exceptis[1]) introducere teneantur; ac demum, quod omnibus et singulis aliis immunitatibus, favoribus privilegiis et gratiis reformationi verae et reali necessariis et quibus ceterae provinciae et custodiae reformatorum seu recollectorum Ordinis et regni huiusmodi fruuntur et gaudent, frui et gaudere similiter libere et licite possint et valeant, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus.

Clausulae. § 3. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis ad quos pro tempore spectabit inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis, provinciarum et custodiarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, tam eisdem, quam aliis quibuscumque ordinibus, eorumque superioribus et personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, aut aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides. § 5. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII martii MDCXLII, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 22 martii 1642, pontif. anno XIX.

1 Nempe, ut patet, *receptis* vel *admissis* (R.T.).

DCCXL.

Prohibitio extrahendi libros e bibliothecis conventuum Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum congregationis Hispaniae[1].

1 Vide, quae de his fratribus habes in const. DIX (al. 476) *Inter ceteras*, tom. XIV, pag. 472; et in const. DXLIX (*al.* 514) *Aliàs a felicis*, ibid., pag. 544.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Conservationi et manutentioni librorum bibliothecarum domorum regularium fratrum Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum congregationis Hispaniae, quantum cum Domino possumus, consulere, ipsiusque congregationis procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

Prohibet prout in rubricâ.

§ 1. Ne de cetero quivis eiusdem congregationis religiosus, quavis auctoritate fungens, libros, quinterna, folia impressa, sive manuscriptâ, bibliothecis domorum regularium huiusmodi hactenus quomodolibet donata, comparata, sive assignata, seu imposterum donanda, comparanda vel assignanda, e dictis bibliothecis, ut secularibus vel regularibus aliarum religionum mutuo dentur, extrahere, vel illa sic extracta quoquo modo personis praefatis acommodare, vel mutuare, donare, vel dare sub quovis quaesito colore praetextu vel ingenio audeat seu praesumat, sub excommunicationis maioris poenâ, etiam a quovis seculari vel alterius religionis seu congregationis regulari, qui praedictos libros, quinterna, folia impressa, vel manuscripta ex eisdem bibliothecis, vel illarum aliquâ, extraxerit, utenda acceperit, vel sibi retinuerit, eo ipso absque aliâ declaratione incurrendâ, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ipsius congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 3. Volumus autem, ut praesentis prohibitionis copia in valvis singularum dictae congregationis bibliothecarum, vel illarum aliquo alio perspicuo loco, ubi ab omnibus commode cerni legique possit, continuo affixa remaneat, quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXV martii MDCXLII, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 25 martii 1642, pontif. anno XIX.

DCCXLI.

Pro capitulo et canonicis Maioricensibus, quod contra ipsos ab inquisitoribus Maioricensibus procedi non possit, nisi in causis fidei.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

Cum, sicut dilecti filii capitulum et canonici ecclesiae Maioricensis nobis nuper exponi fecerunt, inquisitores officii inquisitionis Maioricensis iactent se posse contra dictae ecclesiae canonicos in quavis civili criminalique causâ, etiam fidei materiam nullatenus concernente, sive ab eâ minime dependente, procedere, ac de facto contra unum ex dictis canonicis ad quaedam praecepta et censuras in causâ civili potius quam criminali devenerint,

proptereaque ipsi capitulum et canonici determinari cupiant, an contra ipsos a praefatis inquisitoribus, ut praetendunt, extra causam fidei procedi possit:

Mandat prout in rubrica.

§ 2. Nos, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium in universâ Republicâ Christianâ adversus haereticam pravitatem generalium inquisitorum a Sede Apostolicâ specialiter deputatorum, qui negotium huiusmodi (visis citationibus factis et intimatis quondam Aloysio de la Infantas agenti inquisitionis Hispaniarum, sive Maioricensis, necnon repetitis plurium mensium dilationibus illi concessis, ut iura inquisitionis Hispaniarum sive Maioricensis deduceret) mature discusserunt nobisque retulerunt, consilio, inquisitores Maioricenses huiusmodi non posse procedere contra canonicos dictae ecclesiae, nisi pro causis fidei, vel dependentibus ab eis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, determinamus et declaramus; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Clausulas addit.

Exequutores deputat.

§ 3. Quocirca venerabili fratri episcopo Maioricensi, ac dilectis filiis decano et thesaurario ecclesiae Maioricensis, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte ipsorum capituli et canonicorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, et illis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ praesentes nostras litteras debitae exequutioni demandari et observari, ipsosque capitulum et canonicos contentorum in eisdem nostris litteris aliorumque praemissorum commodo et effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper ab ipsis inquisitoribus Maioricensibus, et quibusvis aliis quavis auctoritate fungentibus, quovis praetextu quomodolibet indebite molestari, contradictores quoscumque et praemissis non parentes per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et, quatenus opus sit, ecclesiae et officii inquisitionis Maioricensis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die ultimâ martii MDCXLII, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 31 martii 1642, pontif. anno XIX.

DCCXLII.

Quod fratres conventus Sanctissimi Crucifixi loci Promontorii Ianuensis Ordinis Eremitarum sancti Augustini congregationis Ianuensis vicario generali eiusdem congregationis remaneant subiecti [1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ægidius Consonius, Mediolanensis, procurator generalis fratrum Ordinis Eremitarum sancti Augustini, quod de mense februarii proxime praeteriti a venerabili bus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus negotiis regularium praepositis, [2] inter vicarium generalem et fratres dicti Ordinis congregationis Ianuensis ex unâ et fratres conventus Sanctissimi Crucifixi loci Promontorii etiam Ianuensis partibus ex alterâ, emanavit decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum congregationis regularium.

§ 2. In controversiâ nuper exortâ inter vicarium generalem et fratres Ordinis sancti Augustini congregationis Ianuensis ex unâ et fratres conventus Sanctissimi Crucifixi loci Promontorii etiam Ianuensis partibus ex alterâ, super observantiâ capitulorum quae de anno MDCX a bonae memoriae cardinali Saulio totius Ordinis sancti Augustini tunc temporis protectore vivae vocis oraculo desuper habito confirmata fuerunt, necnon super observantiâ concordiae quae de anno MDCXXVII inter vicarium generalem dictae congregationis et fratres ipsius conventus Sanctissimi Crucifixi pro bono regimine et gubernio eiusdem conventus, cum praesentiâ et assistentiâ patris generalis totius Ordinis praefati, similiter inita fuit, rebusque aliis, etc., sacra congregatio cardinalium negotiis regularium praeposita, auditis partibus, et negotio ad relationem eminentissimi Caesarini semel atque iterum mature discusso, censuit praefatum conventum et fratres Sanctissimi Crucifixi, prout ceteri eiusdem congregationis conventus, vicario generali subiectos remanere, eosdemque in habitu, disciplinâ et observantiâ regulari cum aliis fratribus praedictae congregationis in omnibus et per omnia se conformari debere, praemissis, ceterisque contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae, die XIV februarii MDCXLII.

Fr. ANTONIUS card. S. Honuphrii.

Loco † sigilli.

Confirmari petitur.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Ægidius procurator generalis huiusmodi decretum praeinsertum, quo firmius subsistat, apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri summopere desideret: nos, eumdem Ægidium procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

Confirmatio decreti, prout in rubricâ.

§ 4. Decretum praeinsertum, cum omnibus et singulis in eo contentis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes illud ac praesentes litteras valida, firma et efficacia existere et fore,

1 Vide, quae de his fratribus indicata sunt in Constitut. CCXXII (*al.* 202) *Romanus Pontifex*, tom. XIII, pag. 504.

2 Desunt verba *super lite*, aut similia (R. T.).

suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, quos illa concernunt et concernent in futurum, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, ipsi Ordini et congregationi, illorumque quibusvis superioribus, fratribus et personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum praemissorum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III aprilis MDCXLII, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 3 aprilis 1642, pontif. anno XIX.

DCCXLIII.

Confirmatio Brevis Gregorii XIII cum aliis clausulis ad favorem provinciarum Discalceatorum sancti Francisci in regnis Hispaniarum.

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Motiva.

Aliàs felicis recordationis Gregorius Papa XIII praedecessor noster pro bono regimine et felici directione fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci Discalceatorum nuncupatorum in regnis Hispaniarum per quasdam suas in simili formâ Brevis litteris inter alia ordinavit, ut fratres Discalceati praedicti iurisdictioni et correctioni ministri generalis fratrum Minorum eiusdem Ordinis de Observantiâ nuncupatorum dumtaxat subsint, isque in suâ absentiâ eorumdem fratrum Discalceatorum gubernium alicui ex iisdem fratribus Discalceatis committere debeat, et aliàs prout in dictis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Quod in absentia ministri generalis Discalceati a solis Discalceatis moderentur.

§ 1. Cum autem, sicut accepimus, dilectus filius Ioannes Merinero, modernus Ordinis praedicti minister generalis, occasione sui e regnis praedictis in Italiam discessus, gubernium fratrum Discalceatorum dicti Ordinis in iisdem regnis cuidam fratri ex Observantibus, non autem ex Discalceatis dicti Ordinis, commiserit, licet apud eum pro parte eorumdem Discalceatorum institum [1] fuisset, ut alicui ex ipsis Discalceatis eorum regimen demandaret; hinc est quod nos, perturbationibus, quae inde nasci possent, pro pastorali nostrâ sollicitudine obviam ire, dictorumque fratrum Discalceatorum indemnitati et prospero regimini in praemissis consulere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praedictas dicti Gregorii praedecessoris litteras tenore praesentium approbamus et confirmamus, necnon ut omnes et singulae eorumdem fratrum Discalceatorum in regnis Hispaniarum

1 Male edit. Main. legit *institutum* (R. T.).

praedictae provinciae, durante eiusdem Ioannis ministri generalis ab iisdem regnis absentiâ, ab earumdem provinciarum ministris provincialibus, a quibus ad definitoria ipsarum provinciarum appellari possit, regantur et gubernentur; ille vero ex dictis fratribus Observantibus, cui dictus Ioannes minister fratrum Discalceatorum praedictorum gubernium, ut praefertur, commisit, nihil plane iurisdictionis et auctoritatis in illos habeat vel exerceat, dictique fratres Discalceati obedire ei nullatenus teneantur, utque ita et non aliter in praemissis perpetuo observetur[1], quando et quoties pro tempore existentem ministrum generalem eiusdem Ordinis a regnis praedictis abesse contigerit, tenore praesentium volumus, statuimus et ordinamus.

Decretum irritans.

§ 2. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dictis fratribus Discalceatis plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quocirca dilecto filio nunc et pro tempore existenti nostro et Sedis Apostolicae in regnis praedictis nuncio per easdem praesentes committimus et mandamus, ut, quando opus fuerit, et quoties pro parte fratrum Discalceatorum huiusmodi desuper fuerit requisitus, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque solemniter publicans, illisque efficacis defensionis praesidio in praemissis assistens, faciat illa ab omnibus, ad quos spectat et spectabit in futurum, inviolabiliter observari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus piae memoriae Bonifacii Papae VIII etiam praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet, concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 4. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII aprilis MDCXLII, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 8 aprilis 1642, pontif. anno XIX.

DCCXLIV.

Deputatio collectoris spoliorum ad reverendam cameram apostolicam spectan-

1 Male edit. Main. legit *observentur* (R. T.).

tium in principatu Cataloniae, ac comitatibus Rossilionis et Ceritaniae[1].

Urbanus Papa VIII,

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. De tua prudentiâ, fidelitate et diligentiâ necnon probitate firmam spem in Domino concipimus, quod ea, quae tibi committenda duxerimus, solerti et fideli studio exequêris.

Nuncio apostolico impedito quominus reddítus ad cameram apostolicam spectantes exigat; § 1. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius noster et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncius, et generalis fructuum, reddituum, proventuum, annatarum, spoliorum, censuum et aliorum introituum camerae apostolicae debitorum in regnis praedictis collector, in oppido Madriti residens officium collectoris huiusmodi in principatu Cataloniae et comitatibus Rossilionis et Ceritaniae, ob vigentes illic ad praesens bellorum motus impeditumque commercium, exercere non possit, nec computa et rationes subcollectorum ab eo ac aliàs deputatorum revidere potuerit, nec possit, unde grave eidem camerae provenit detrimentum:

Urbanus alium deputat collectorem. § 2. Hinc est quod nos, eiusdem camerae indemnitati in praemissis pro debito pastoralis officii nostri consulere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, te in principatu et comitatibus praedictis generalem fructuum, reddituum, proventuum, annatarum, spoliorum, censuum et aliorum introituum camerae praedictae debitorum collectorem et receptorem ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum tenore praesentium facimus, constituimus et deputamus, cum facultate omnes et singulos alios in principatu et comitibus praedictis hactenus deputatos subcollectores ac dictae camerae in praemissis officiales et ministros revocandi, prout nos, tenore praesentium, omnes et singulas concessiones, eis super officiis collectoriae ac subcollectoriarum huiusmodi hactenus factas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, revocamus, et ab eorum officiis amovemus, ac tibi, per te, vel alium, seu alios, clericos dumtaxat, fide et facultatibus idoneos, nostro et dictae Sedis nomine a quibuscumque capitulis, collegiis ac conventibus ecclesiarum et monasteriorum quorumlibet, aliisque personis ecclesiasticis quomodolibet qualificatis, etiam individuâ mentione dignis, secularibus et quorumvis ordinum regularibus, exemptis et non exemptis, etiam haereticae pravitatis inquisitoribus, necnon laicis quibuscumque, etiam ducibus, marchionibus, comitibus, principibus, aliisque sublimioribus nobilibus, communitatibus et universitatibus communitatum, castrorum, villarum, terrarum et aliorum locorum quorumcumque, in principatu et comitatibus praedictis consistentium, omnia et singula pecuniarum summas, fructus, redditus, proventus, iura, res, census annuos et bona alia cuiuscumque generis et speciei, etiamsi confiscata fuerint, nobis et dictae camerae, ac S. R. E. in dictis principatu et comitatibus, eorumque civitatibus et locis quibuscumque quacumque ratione vel causâ hactenus debita et imposterum debenda, seu ad nos, vel cameram, ac Romanam Ecclesiam praedictas titulo annatarum et spoliorum pro ratâ temporis ecclesiarum sede vacante nunc et imposterum pertinentia, aut aliàs quomodolibet spectantia, quaecumque, quotcumque et qualiacumque fuerint, communibus et minutis servitiis dumtaxat exceptis, petendi, recipiendi et recuperandi, ac solventes de receptis et solutis quietandi liberandi et absolvendi, rationes quoque et computa a quibuscumque subcollecto-

Cum facultate alios substituendi,

Aliisque facultatibus necessariis et opportunis.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

ribus et receptoribus, aliisque officialibus et ministris officii collectoriae ac Ecclesiae et Camerae huiusmodi in principatu, comitatibus, civitatibus et locis praedictis seù aliquibus earum hactenus quacumque auctoritate deputatis et dicto beneplacito nostro durante deputandis, et aliis personis in quarum utilitatem negotia Ecclesiae Romanae et camerae earumdem concernunt, audiendi et examinandi, seu exigendi, ipsosque ad te, si necesse fuerit, cuiuscumque gradus, ordinis et praeeminentiae fuerint, etiamsi pontificali, aut quavis aliâ polleant dignitate, auctoritate nostrâ per censuras ecclesiasticas per te nominatim infligendas vocandi, et per bonorum suorum sequestrationem et arrestationem personarum, aliaque iuris et facti remedia, omni et quacumque appellatione postpositâ, cogendi et compellendi, ac contradictores quoslibet et rebelles, ac tibi in praemissis non parentes, per easdem censuras, etiam, ut praefertur, infligendas, sequestrationem et arrestationem et alia remedia praedicta, etiam appellatione ut praefertur postpositâ, compescendi, necnon excommunicationis et alias sententias, censuras et poenas ecclesiasticas similiter ut praefertur infligendas in eos et alios iura Eccclesiae et Camerae Apostolicae praedictae debita non solventes, per te, vel personam huiusmodi, aut alium, seu alios, tuo dictaeque camerae nomine, latas et promulgatas, si eorum contumacia id exegerit, quoties opus fuerit, et iteratis vicibus aggravandi, necnon contra quoscumque tibi[1] et tuis officialibus iniuriantes, suos[2] officiales impedientes, aut negocia dictae camerae, directe vel indirecte, publice vel occulte, perturbantes, eâdem auctoritate procedendi, et, si necesse fuerit, ipsos ad comparendum coram nostro et S. R. E. camerario infra competentem terminum per te illis praefigendum citandi, et brachii secularis auxilium invocandi, sententias quoque excommunicationis, suspensionis et interdicti contra inobedientes, contumaces et rebelles, tam per praedecessores tuos inibi subcollectores, et eorum substitutos, quam per personas huiusmodi a te pro tempore deputatas et deputandas, latas et ferendas, cum ad obedientiam debitam venerint, tollendi et suspendendi, ipsosque, iniunctis tamen eis pro modo culpae poenitentiâ salutari seu aliis quae iniungenda tibi benevisa fuerint, in formâ Ecclesiae consuetâ, satisfacto prius de his, in quibus dictae camerae tenebantur, aut praestitâ et receptâ de satisfaciendo idoneâ cautione vel obligatione, dictâ auctoritate absolvendi, et cum eis super irregularitate, si quam, missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrando, vel illis se immiscendo, contraxerunt, eâdem auctoritate, illis prius ad tempus de quo tibi seu personae praedictae videbitur ab executione suorum ordinum suspensis, dispensandi, necnon unam vel plures personas ecclesiasticas cum simili vel limitatâ facultate, ac cum solitis honoribus, oneribus, ac ad nostrum et tuum nutum amovibiles, ubi tu commode adesse non poteris, necnon etiam advocatos, procuratores fiscales et notarios ad id opportunos deputandi, et alia in praemissis omnibus et singulis necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi et exequendi, necnon spolia, bona, redditus, obventiones et fructus episcopatuum, archiepiscopatuum et aliarum quarumcumque ecclesiarum vacantium, cum interventu tamen procuratoris fiscalis generalis a nostro et S. R. E. camerario pro tempore in illis partibus deputati, componendi, transigendi, locandi et arrendandi, litteras quoque monitoriales generales contra occultantes seu scientes et non revelantes bona, res,

1 Edit. Main. legit *sibi* (R. T.).

2 Videretur legendum *tuos* (R. T.).

iura, actiones et alia quaecumque bona ad Ecclesiam et Cameram praedictas quomodolibet spectantia decernendi, ac tam super praedictis, et aliis quibusvis rebus occultis indebite acquisitis a quibusvis personis sive familiaribus, domesticis, consanguineis, affinibus episcoporum, archiepiscoporum, ac religiosorum extra claustra decedentium, quam etiam super fructibus quorumcumque beneficiorum ac rerum ecclesiasticarum indebite perceptis ex causâ simoniae, confidentiae, irregularitatis et cuiusvis alterius causae, ac super aliis rebus, quae ab occupatoribus restituendae vel adimplendae forent, si detecta et occulta non essent, componendi et transigendi, absolutionem et dispensationem et quamvis aliam canonicam provisionem partibus in utroque foro suffragantes concedendi, necnon delatoribus et revelatoribus quartam, tertiam, vel aliam partem tibi benevisam omnium rerum praedictarum assignandi, relaxandi, consignandi, et quae bona sint pontificalia, ne a capitulis indebite de facto occupentur, decidendi; insuper quascumque criminales, civiles, matrimoniales et beneficiales meras et mixtas causas ecclesiasticas et profanas, et aliàs ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, in praedictis principatu et comitatibus, praeterquam in primâ instantia, nisi per appellationem ab irreparabili gravamine seu sententiâ vim diffinitivae habente, tam per viam recursus et simplicis quaerelae, quam etiam quarumcumque appellationum a quibuscumque iudicibus ordinariis ac etiam a Sede Apostolicâ delegatis interpositarum et dictâ collectoris et iudicis huiusmodi deputatione durante interponendarum vigore, et aliàs pro tempore quomodolibet devolutas, motas et movendas, cum omnibus eorum incidentibus, emergentibus et dependentibus, connexis et annexis, etiam summarie, simpliciter, et de plano, et sine strepitu et figurâ iudicii, solâ veritate inspectâ, terminisque substantialibus unico contextu servatis, vel etiam, illorum loco, praefixo termino arbitrio tuo, cognoscendi, audiendi, et fine debito, prout iuris fuerit, terminandi, et, ad hunc ceterorumque contingentium effectum, quoscumque, etiam per edictum publicum, constito prius summarie et extraiudicialiter de non tuto accessu, citandi et monendi, eisque, ac etiam quibusvis iudicibus, ceterisque personis, quatenus et quoties opus fuerit, etiam per simile edictum, ac etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis, necnon pecuniariis, tuo vel delegatorum tuorum arbitrio, moderandis et applicandis, inhibendi, inobedientes quoslibet censuras et poenas ipsas incurrisse declarandi, illosque etiam iteratis vicibus aggravandi, auxiliumque brachii secularis, si opus erit, invocandi, seu causas ipsas aliae et aliis personis idoneis in ecclesiasticâ dignitate constitutis, modo et formâ praemissis, ac cum simili vel limitatâ potestate, praeterquam in eâdem primâ instantiâ, ut supra, pariter audiendas et terminandas delegandi, plenam et liberam facultatem, potestatem et auctoritatem concedimus et impertimur.

Leges nonnullas addit per collectorem servandas.

§ 3. Volumus autem, quod, de fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus, annatis, spoliis, omnibusque aliis bonis quibuscumque ad Ecclesiam Romanam et cameram praedictas quomodolibet etiam iure annatarum per obitum quorumcumque etiam S. R. E. cardinalium vel aliàs spectantibus, ipsi camerae persolvendi ultra biennii dilationem dare nequeas, et quod in singulis civitatibus et dioecesibus intra collectoriam tuam huiusmodi consistentibus, etiamsi sint amplae et diffusae, ultra unum subcollectorem non deputes, et omnium subcollectorum, quos te deputare contigerit, nomina et cognomina, cum illos deputaveris,

nobis seu camerario nostro praedicto clare et distincte transmittas, quodque saltem singulis bienniis de receptis et gestis per huiusmodi collectoriae officiales rationes et computa reddere, necnon quidquid se[1] de praemissis recipere contigerit per litteras cambii, vel alium modum, nobis aut dicto camerario nostro, seu personae a depositario generali nostro electae et a camerâ approbatae, quantocitius poteris mittere non postponas.

Controversiarum, quas ratione spoliorum oriri contigerit, iudicem designat.

§ 4. Et insuper, ut exequutio spoliorum aut fructuum, reddituum et proventuum huiusmodi celerius et facilius fiat, quod de cetero omnes et singulae lites, causae et controversiae, tam super quibuscumque ipsorum spoliorum ac fructuum, reddituum, proventuum, obventionum, responsionum et debitorum, etiam ratione dictarum annatarum et aliarum quarumcumque praetensionum ad Ecclesiam praedictam spectantium, quam etiam super exemptionibus, immunitatibus et praerogativis, ac libertatibus et aliis negociis personas subcollectorum concernentibus et quomodolibet tangentibus, nunc et pro tempore pendentes, a nullo alio quam a te in praedictis principatu et comitatibus, seu aliis super dictis spoliis ac fructibus, redditibus et proventibus pro tempore deputatis collectoribus, subcollectoribus, aut particularibus delegatis, cognosci, nec alteri nisi per commissionem manu nostrâ signatam vel per nostras litteras committi aut delegari possint, aut citato moderno et pro tempore existente dictae camerae apostolicae commissario generali, quodque commissiones, inhibitiones et mandata, quae aliàs quam ex commissionibus ut praefertur manu nostrâ signatis eodem commissario citato emanaverint, quoad earum causarum introductionem, litis pendentiam, seu tuorum ministrorum per te ad id deputandorum iurisdictionis et processuum impedimentum et retardationem, nullius sint roboris vel momenti, quodque a sententiis per te, aut tuos ministros praedictos, tam super praedictis negociis spoliorum, fructuum, reddituum, proventuum, obventionum, responsionum et debitorum, etiam ratione dictarum annatarum et aliarum quarumcumque praetensionum ad Ecclesiam praedictam spectantium, quam etiam super immunitatibus, exemptionibus, praerogativis et libertatibus, ac aliis negociis personas subcollectorum concernentibus et quomodolibet tangentibus pro tempore latis, nullatenus possit aut debeat[1] appellari, seu earum exequutio differri, aut suspendi, nisi facto prius per condemnatos rerum, de quibus condemati fuerint, in tuis vel praedictorum tuorum[2] manibus actuali deposito, dictâ auctoritate per praesentes statuimus et ordinamus. Dantes et concedentes tibi privative quoad omnes et quoscumque alios plenam, liberam et omnimodam, amplissimamque facultatem, potestatem et auctoritatem in dictis causis spoliorum et aliorum praedictorum, ut supra, in eisdem principatu et comitatibus, ac illa vel officium tuum quomodolibet concernentibus et ad ea spectantibus, etiam summarie, simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figurâ iudicii, etiam absque ullâ terminorum etiam substantialium observatione, et aliàs[3] solâ facti veritate inspectâ, et manu regiâ, omnique et quacumque appellatione prorsus cessante et remotâ, procedendi, tam civiliter quam criminaliter ac mixtim, et in omnibus decidendi, prout iuris communis, seu particularium nostrorum praedecessorum ac nostrarum constitutionum fuerit, aut ius ipsum exegerit.

1 Legendum potius foret *te* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *possint et debeant* (R.T).
2 Male ed. Main. legit *suis... suorum* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *alia* (R. T.).

Ei obediri mandat.

§ 5. Praecipientes quoque et districtius inhibentes Apostolicae Sedis auctoritate omnibus et singulis principatus et comitatuum, ac civitatum, oppidorum et locorum eorumdem gubernatoribus, consiliis, rectoribus, correctoribus, regentibus, locumtenentibus et aliis officialibus, etiam alcaliis, ac aliis quomodolibet nuncupatis, necnon cancellariis, audientiis, tribunalibus, ac notariis, ceterisque iudicibus et personis ecclesiasticis et secularibus quamcumque iurisdictionem per se vel collegialiter et in communi aut aliàs quomodolibet exercentes, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existentibus, ac etiam episcopali, archiepiscopali, cardinalatus, regiâ, ac quavis aliâ dignitate et auctoritate fungentibus et functuris, sub excommunicationis et aliis arbitrio nostro infligendis poenis, ne in vim quorumcumque et qualiumcumque privilegiorum, exemptionum et indultorum, tam apostolicâ quam quacumque aliâ auctoritate pro tempore concessorum et in futurum concedendorum, vel quovis alio praetextu aut quaesito colore, causâque et occasione undecumque quaesitâ, per se, vel alium, seu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, sese in spoliis praedictis, vel quoscumque[1] illorum, ac rebus et causis ad ea quomodolibet spectantibus, et eo nomine venientibus, necnon pecuniis et pecuniarum summis ad cameram praedictam quomodolibet obvenientibus, earumque exactione et recuperatione, immiscere ac ingerere, aut te vel ministros tuos quoscumque in officio collectoriae huiusmodi, eiusque libero exercitio, iurisdictione, necnon litium et causarum praedictarum cognitione, ac sententiarum et mandatorum tuorum aliorumque desuper a te vel tuis commissariis et ministris ordinandorum et decernendorum exemptione[1], aut quibuscumque aliis ipsum tuum officium quomodolibet concernentibus, contra praesentium tenorem molestare, perturbare, inquietare, vel impedire, aut ut molesteris, vel impediaris, seu tui molestentur, aut impediantur per aliquem procurare, necnon notariis et officialibus cuiuscumque curiae, cancellariae, consilii, audientiae, tribunalis, gubernii, collegii, universitatis, civitatis et loci dictorum principatus et comitatuum, ne processus aliquos, seu mandata, monitoria, inhibitiones, provisiones, ac quascumque et qualescumque alias scripturas, per quas et quae ac quarum vigore seu praetextu tuum huiusmodi exercitium ac iurisdictio, et facultas tibi per nos desuper concessa, in toto vel in parte, et quocumque modo, suspendi vel impediri possint, tibi vel a te subdelegandis et deputandis commissariis aliisque ministris tuis praesentare vel exhibere quoquo modo audeant vel praesumant.

1 Oporteret legere *quocumque* vel *quibuscumque* (R. T.).

Clausulas addit.

§ 6. Ac decernentes sic per quoscumque iudices, commissarios ordinarios et delegatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat obstantibus.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Concilii Tridentini reformationibus, ac ecclesiarum, monasteriorum et ordinum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, in-

1 Legendum videtur *exequutione* (R. T.).

dultis et litteris apostolicis, ecclesiis, monasteriis et ordinibus praedictis, eorumque superioribus, praelatis et personis, ac quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoris, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis et decretis, etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Iuramentum ab eo praestari iubet.

§ 8. Volumus autem, quod in manibus dilecti filii nostri et S. R. E. cardinalis camerarii de ipso officio fideliter exercendo ac fidelitatis debitae solitum praestes iuramentum, ipsique subcollectores a te deputandi illud in manibus tuis, antequam officium huiusmodi exerceant, praestare, ac idoneam cautionem de fideliter administrando, exigendo et consignando dare teneantur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV maii MDCXLII, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 15 maii 1642, pontif. anno XIX.

DCCXLV.

De non recipiendis pecuniis pro missis celebrandis in provinciâ reformatâ fratrum Minorum de Observantiâ Vallis Mazzarae in Sicilia.

Urbanus Papa VIII,

ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§ 1. Cum, sicut accepimus, in provinciâ reformatâ Vallis de Mazzarâ nuncupatâ fratrum Minorum Ordinis sancti Francisci de Observantiâ semper servatum fuerit, ut nullae pro celebrandis missis pecuniae recipiantur, sed missae gratis pro benefactoribus iuxta intentionem superioris applicentur, nonnulli vero laudabilem usum et observantiam huiusmodi immutare et invertere nitantur:

Prohibitio, de qua in rubricâ.

§ 2. Nos, omnem turpis quaestus materiam ab illis qui perfectam paupertatem profitentur, in re praesertim adeo sacrâ, e medio tollere pro pastorali nostrâ sollicitudine volentes, ne de cetero perpetuis futuris temporibus in provinciâ praedictâ ullae omnino pecuniae pro missis celebrandis exigantur, nec etiam sponte oblatae recipiantur, sed missae gratis, ut consuevit, celebrentur, sub vocis activae, ac, quoad superiores, etiam suorum officiorum privationis poenâ eo ipso absque aliâ declaratione incurrendâ, auctoritate apostolicâ, praesentium tenore, interdicimus et prohibemus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ordinis et provinciae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse de-

rogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII maii MDCXLII, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 28 maii 1642, pontif. anno XIX.

DCCXLVI.

Confirmantur privilegia universitati Hebraeorum, Turcarum, Graecorum et aliorum mercatorum in civitate Anconitanâ commorantium concessa[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Preces universitatis pro confirmatione privilegiorum.

Cum, sicut universitas Hebraeorum, Turcarum et Graecorum, aliorumque mercatorum nationis orientalis in civitate nostrâ Anconitanâ commorantium nobis nuper exponi fecerunt, ipsi varia privilegia sibi a diversis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessa et respective confirmata, pro illorum firmiori subsistentiâ et validitate, apostolicae confirmationis robore communiri summopere desiderent:

Confirmatio.

§ 2. Nos, eamdem universitatem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, privilegia praedicta, dummodo tamen in usu ac licita sint et honesta, et non sint revocata, nec sub[2] aliquibus revocationibus comprehensa, sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis, ac constitutionibus apostolicis, debitaeque nobis et Apostolicae Sedi fidelitati et obedientiae non adversentur, ac contra libertatem ecclesiasticam non tendant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes illa necnon praesentes lttteras semper et perpetuo valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et in futurum pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die II iunii MDCXLII, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 2 iunii 1642, pontif. anno XIX.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Edit. Main. legit *super* (R. T.).

DCCXLVII.

Declaratio nullitatis capitulationum inter capitulum Coloniense cum Maximiliano Henrico ex ducibus Bavariae factarum occasione coadiutoriae ecclesiae Coloniensis[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Maximilianus Bavarus coadiutor deputatus archiepiscopi Coloniensis.

§ 1. Cum nos hodie dilectum filium Maximilianum Henricum ex ducibus Bavariae, canonicum Coloniensem, in vigesimoprimo suae aetatis anno, et ex dispensatione apostolicâ in sacro subdiaconatus ordine constitutum, fidemque catholicam iuxta articulos pridie a Sede Apostolicâ propositos expresse professum, et cum quo, tunc decimumseptimum suae aetatis annum dumtaxat agente, ut ad quascum-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

que episcopales et archiepiscopales[1] dignitates, quantumvis cathedralium et metropolitanarum ecclesiarum, eligi et postulari posset, auctoritate apostolicâ dispensavimus, venerabili fratri Ferdinando archiepiscopo Coloniensi sacri romani imperii principi electori coadiutorem perpetuum et irrevocabilem in regimine et administratione ecclesiae Coloniensis cum futurâ in eâ successione, attento consensu dilectorum filiorum capituli dictae ecclesiae (ad quos electio personae idoneae in archiepiscopum Coloniensem, dum ipsa ecclesia pro tempore vacat, per Romanum Pontificem pro tempore existentem ad electionem huiusmodi praeficiendae, iuxta concordata dudum inter Sedem Apostolicam et inclitam nationem Germanicam inita, spectat et pertinet) desuper praestito, et per nos, ex voto etiam congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium rebus concistorialibus praepositorum, quibus negocium huiusmodi ante examinandum commisimus, et de consilio etiam venerabilium fratrum nostrorum aliorum eiusdem S. R. E. cardinalium admisso, auctoritate apostolicâ, expresso etiam dicti Ferdinandi archiepiscopi et electoris ad hoc accedente consensu, constituere et deputare de similibus voto et consilio intendamus, prout in nostris desuper sub plumbo expediendis litteris latius explicabitur;

Nonnullas capitulationes sine beneplacito apostolico subscribit.

§ 2. Sicut autem nobis innotuit, occasione constitutionis et deputationis eiusdem Maximiliani Henrici in coadiutorem huiusmodi, seu consensus dicti capituli ad id ut praefertur praestiti, quaedam capitulationes inter ipsos capitulares seu cum eodem Maximiliano Henrico factae et ab eo subscriptae et iuratae fuerint:

Eas irritat Pontifex.

§ 3. Hinc est quod nos, sine quorum auctoritate nihil omnino in similibus negociis pacisci fas est, ne ex capitulationibus huiusmodi, licet ob licentiae apostolicae defectum ipso iure nullis et invalidis, aliquod cuiquam ius acquisitum, aut dictae ecclesiae, illiusque praesuli, seu coadiutori et capitulo qualecumque gravamen illatum, iurisdictionique et libertati ecclesiasticae quoquo modo praeiudicatum fuisse, esse et fore unquam praetendi, dici vel censeri, et ne unquam quovis temporis cursu aut ex quacumque aliâ quantumlibet iuridicâ causâ praedictas capitulationes fuisse per nos et Sedem Apostolicam approbatas allegari et beneplacitum apostolicum desuper accessisse unquam praesumi possit, pro pastorali nostrâ sollicitudine providere volentes, ac earumdem capitulationum tenores, etiam veriores, praesentibus pro plene expressis et de verbo ad verbum insertis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ex voto etiam praedictae congregationis, omnes et singulas capitulationes praedictas nullas, ac prorsus invalidas, nulliusque roboris et momenti fuisse, esse et semper fore, adeo ut nullum omnino sortiri possint aut debeant effectum, aeque ac si initae, factae, aut iuratae vel conceptae nunquam fuissent, tenore praesentium declaramus, illasque pro non factis nec interpositis haberi volumus, approbationemque nostram et beneplacitum apostolicum quoad ipsas capitulationes denegamus, et propterea consensum, a capitulo praedicto seu maiori illius parte deputationi coadiutoris huiusmodi cum futurâ successione, ut praefertur praestitum, praedicto Maximiliano suffragari in omnibus et per omnia, perinde ac si libere et non conditionaliter ac non interpositis capitulationibus huiusmodi fuisset adhibitus,

Clausulas apponit.

§ 4. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et de-

1 Male ed. Main. legit *episcopalis... archiepiscopalis* (R. T.).

legatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, Sedisque praefatae nuncios, et quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, nunc et pro tempore existentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi seu interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Obstantibus derogat.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis, et in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac, quatenus foret opus, etiam regulâ nostrâ de non tollendo iure quaesito, necnon dictae ecclesiae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu alia quaevis expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI iunii MDCXLII, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 16 iunii 1642, pontif. anno XIX.

DCCXLVIII.

Committitur auditori camerae, ut procedat contra violatores immunitatis ecclesiasticae in ducatu Parmensi[1].

Dilecto filio, causarum curiae camerae apostolicae auditori generali,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Conservationi libertatis et immunitatis ecclesiasticae in ducatu Parmae et Placentiae, cuius Odoardus Farnesius olim dux erat, pro pastorali nostrâ sollicitudine consultum esse, et illorum audaciam, qui libertatem et immunitatem huiusmodi in ducatu praedicto, aliisque locis, praecipue confinantibus, quoquomodo violare ausi fuerunt, opportunis iuris et facti remediis reprimi volentes:

Commissio de qua in rubrica.

§ 1. Motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut contra omnes et singulos libertatis et immunitatis ecclesiasticae in ducatu praedicto aliisque locis praefatis violatores, si qui hactenus extiterint et in futurum erunt, cuiuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, praeeminentiae et dignitatis, etiam ecclesiasticae, etiam specialem expressionem requirentis sint vel fuerint, tam coniunctim quam divisim, ad istantiam procuratoris seu promotoris fiscalis, ac quorumcumque adhaerentium, et aliorum, quam ex officio, ac aliàs quomodolibet, et prout tibi videbitur, etiam iuxta tuas ordinarias facultates, usque ad sententiam et sententias definitivas et totalem eius et earum exequutionem inclusive, simpliciter, summarie et de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, solâ facti veritate inspectâ, ipsisque violatoribus, tam coniunctim

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

quam divisim et separatim, etiam per edictum publicum, constito etiam summarie et extraiudicialiter, ac quantum tibi sufficere videbitur, de non tuto accessu, citatis, etiamsi vigore citationis seu citationum huiusmodi aliquis extra suam dioecesim vel provinciam et ultra duas et plures dietas in iudicium trahatur et evocetur, procedas, ac quoscumque in praemissis culpabiles repertos excommunicationis maioris vinculo innodes, eosque in excommunicationem huiusmodi, aliasque censuras et poenas ecclesiasticas a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis, et praesertim bullâ die Coenae Domini legi solitâ[1], contra similia perpetrantes comminatas, inflictas et fulminatas incidisse declares, ipsosque sic excommunicatos declararatos publices, nuncies et a ceteris episcopi fidelibus arctius evitari praecipias, poenasque huiusmodi, prout iustitiâ exegerit, aggraves et reaggraves, omni et quacumque appellatione, reclamatione, recursu, dilatione et quarumcumque praetensarum nullitatum, etiam ex tribus, ac praetensae iniustitiae dictione et allegatione, aliisque iuris remediis ordinariis et extraordinariis penitus et omnino remotis. Nos enim tibi desuper necessariam et quomodolibet opportunam facultatem et potestatem per easdem praesentes tribuimus et impertimur

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis etiam conciliaribus constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stylis, usibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod extra loca suae originis aut suas dioeceses et provincias in iudicium trahi, vel quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII iunii MDCXLII, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 27 iunii 1642, pontif. anno XIX.

1 Male ed. Main. legit *solitas* (R. T.).

DCCXLIX.

Commissio nuncio Sabaudiae circa dimissionem cardinalatus Mauritii cardinalis a Sabaudiâ nuncupati[1].

Venerabili fratri Gaspari episcopo Montis Flasconensis, nostro et Apostolicae Sedis apud dilectum filium nobilem puerum Carolum Emanuelem Sabaudiae ducem nuncio,

Urbanus Papa VIII.

1 Ex regest. in Secret. Brev.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Mauritius cardinalis a Sabaudia causas deducit renunciandi cardinalitiam dignitatem.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius noster Mauritius S. R. E. cardinalis a Sabaudiâ nuncupatus, ex concessione et dispensatione apostolicâ inter cardinales dioecesanos connumeratus, licet in aliquo ex sacris ordinibus minime constitutus, quod, etiamsi ipse in vocatione ecclesiasticâ et statu cardinalitio libenter permansisset et aegre ferat illum mutare, tamen ex causis uberius eius nomine nobis expositis, et praecipue pro bono pacis, praesertim pro administratione muneris tutelae dilecti filii nobilis pueri Caroli Emanuelis ducis Sabaudiae eius ex fratre nepotis ineundae,[1] cum dilectâ in Christo filiâ nobili muliere Christinâ ducissâ Sabaudiae viduâ, eiusdem ducis matre, sibi convenire existimat ab ecclesiasticâ vocatione ad laicalia vota transire. Quia vero probe novit moris esse dignitatem et officium cardinalatus in manibus Romani Pontificis et in concistorio dimittere, idque, ob sui ab Urbe absentiam et locorum distantiam, ac aliis ex causis, praestare, condecentemque dignitatis existimationem demonstrare, ac debitum erga nos et Sedem Apostolicam obsequium exhibere prompte nequeat, ne praemissorum finis, interpositâ morâ, suo forsan frustretur effectu, nobis propterea praefatus Mauritius cardinalis humiliter supplicari fecit, ut sibi[2] dimissionem et cessionem puram, liberam et simplicem dignitatis et officii sui cardinalatus, ac tituli S. Mariae in Viâ Latâ aliàs sibi assignati, in manibus fraternitatis tuae faciendi, tibique nomine nostro et Sedis Apostolicae illam recipiendi et admittendi, ac iuramenta quaecumque per eumdem Mauritium ratione dictorum cardinalatus ac tituli prestita sibi relaxandi licentiam et facultatem impertiri dignaremur.

Nuncio apostolico committitur receptio huiusmodi renunciationis.

§ 2. Nos igitur, eiusdem Mauritii cardinalis huiusmodi supplicationibus inclinati, ac praesenti rerum statui consulere et morem solitum pro hac vice relaxare volentes, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, antequam praefatus Mauritius matrimonium contrahat, tu eamdem cardinalatus dignitatis et officii, titulique praefati, cum omnibus et singulis eorum praeeminentiis, honoribus, privilegiis, insignibus, ac iuribus quibuscumque, dimissionem et cessionem ab eodem Mauritio cardinale, pure tamen, libere et simpliciter, coram notario et testibus in manibus fraternitatis tuae faciendam, iuxta formulam introclusam ab infrascripto secretario nostro subscriptam, nostro et Sanctae Sedis praefatae nomine recipias et admittas, iuramentaque, ab eodem Mauritio ratione praefati cardinalatus et tituli ei praestita[1], relaxes.

Cui necessariae ad hoc tribuuntur facultates.

§ 3. Nos enim ad id fraternitati tuae omnem facultatem et potestatem quomodolibet necessariam et opportunam concedimus, decernentes dimissionem et cessionem receptionemque et admissionem huiusmodi ut praefertur faciendam[2] validas et efficaces fore, ac si illae in concistorio et in manibus nostris factae ac aliàs more solito per nos admissae fuissent.

Iniuncto onere Mauritio cardinali procuratorem ad id Romae constituendi.

§ 4. Volumus autem, quod, pro servando, quantum fieri potest, more praefato, et pro condecente tantae dignitati[3] existimatione, debitique nobis et Sedi praefatae obsequii praestatione, praedictus Mauritius, etiam in verbo principis, in eâdem cardinalatus ac tituli dimissione et cessione, debeat se obligare ad constituendum procuratorem specialem et sufficien-

1 Forsan aliquid deest quod significet *matrimonium ab ipso contrahendum cum*, etc. (R.T).
2 Pessime ed. Main. legit *si* pro *sibi* (R. T.).

1 Legerem *praestita, ei* (R. T.).
2 Legerem *faciendas* (R. T.).
3 Aptius, ut supra, lege *dignitatis* (R. T.).

tem ac irrevocabilem, qui, infra quatuor menses ex tunc decurrendos, omnino hîc Romae in concistorio nostro ac in manibus nostris, inhaerendo praefatae cardinalatus et tituli aliorumque praemissorum dimissioni et cessioni iam factae, illam ritu solito et cum consuetis caeremoniis approbet et ratificet.

Clausulae.

§ 5. Praesentes quoque litteras et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore de subreptionis, aut obreptionis, vel nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel quovis alio etiam quantumvis substantiali defectu notari, impugnari, redargui, aut in ius vel controversiam revocari posse, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Obstantium derogatio.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis, et in universalibus provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, decretis quoque, etiam concistorialibus; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX iunii MDCXLII, pontificatus anno XIX.

Dat. die 30 iunii 1642, pontif. anno XIX.

DCCL.

Quod commissarii provinciales Indiarum ad capitula generalia Ordinis fratrum Minorum convenientes suis custodibus in labore et praemio aequales habeantur [1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Causae huius Constitutionis.

§ 1. Aliàs, postquam capitulo generali fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum in almâ Urbe nostrâ de anno MDCXXXIX celebrato inter alia statutum fuit, restituendum esse ministris provincialibus provinciarum Indiarum dicti Ordinis antiquum ius quod habebant mittendi commissarios ad capitulum generale, in eo suffragium suo nomine laturos, habito subinde eapropter ad nos desuper recursu, per quasdam nostras in simili formâ Brevis litteras, de eodem anno emanatas, ministris provincialibus provinciarum earumdem tunc et pro tempore existentibus, quod ad capitulum generale dicti Ordinis mittere possent commissarios dicti Ordinis professores, qui suo nomine suffragium ferrent, apostolicâ auctoritate indulsimus, eâ tamen lege, ut tam commissarii qui mitterentur, quam etiam custodes, forent earumdem provinciarum respective filii vel in eis per sexennium completum antea incorporati [2].

Mandat prout in rubrica.

§ 2. Cum autem aequum et rationi consentaneum esse censeamus, ut, quemadmodum praefati commissarii provinciarum Indiarum huiusmodi aequales suis custodibus labores cum tot et tantis navigationum ac viarum periculis subeunt, ita eiusdem [3] commissariis praemium et

1 Ex Regest. in Secret. Brev. — De huiusmodi fratribus Indianis vide ad Const. DCXXIV, *Circumspecta*, pag. 1 huius tomi.

2 Vide supra pag. 1 et seq. huius tomi (R. T.).

3 Legendum foret *eisdem* (R. T.).

remuneratio paria sint: idcirco nos, commissariorum huiusmodi decori, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, quod commissarii provinciarum Indiarum huiusmodi, qui ad capitulum generale dicti Ordinis de eodem anno MDCXXXIX celebratum ut praefertur, venerunt, et in eo suffragium tulerunt, necnon illi commissarii earumdem provinciarum, qui deinceps perpetuis futuris temporibus ad futura dicti Ordinis pro tempore capitula generalia mittentur, postquam ad suas reversi fuerint provincias, definitorum praeteritorum honore et praecedentiâ gaudeant immediate post suos custodes, tenore praesentium statuimus, concedimus et ordinamus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes praesentes litteras nullo[1] unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio seu intentionis nostrae vel alio quovis defectu notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, aut quomodolibet in ius vel controversiam revocari posse, sed semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ordinis et provinciarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem ordini et provinciis, illorumque superioribus, fratribus et personis, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum praemissorum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 5. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII iulii MDCXLII, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 12 iulii 1642, pontif. anno XIX.

DCCLI.

Confirmatio decreti Clementis Papae VIII prohibentis fieri uniones beneficiorum dispositioni Sedis Apostolicae reservatorum vel affectorum, cum declaratione

1 Male ed. Main. legit *ullo*, vel postea legendum foret *non posse* (R. T.).

quod decretum huiusmodi comprehendit etiam S. R. E. cardinales et alios indulta conferendi reservata habentes, quodque illi non potuerunt nec possunt conferre beneficia duplici reservatione reservata vel affecta [1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Refert praeiudicia iuribus Sanctae Sedi illata ex inobservantiâ decreti Clementis VIII.

Quamvis felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster, accepto quod aliqui Ordinarii beneficia ecclesiastica in suis mensibus vacantia, et aliàs dispositioni apostolicae non reservata, personis sibi benevisis conferebant, illa vero quae reservata erant seminariis puerorum saepe uniebant, ad evitandum hoc Sedis Apostolicae praeiudicium, per eius decretum prohibuerit, ne uniones beneficiorum ecclesiasticorum dispositioni Sedis Apostolicae tempore quo uniuntur reservatorum vel affectorum fieri possent, etiam vigore decretorum S. Concilii Tridentini, in favorem seminariorum puerorum ad praescriptum eiusdem Concilii erectorum sive erigendorum; nihilominus postea, praetextu indultorum apostolicorum conferendi beneficia reservata vel affecta per Romanos Pontifices praedecessores nostros ac etiam per nos aliquibus personis praesertim S. R. E. cardinalibus concessorum, exequutio praedicti decreti Clementis praedecessoris de facto impedita fuit, et impeditur; quoniam cardinales indulta conferendi et disponendi de reservatis vel affectis habentes asserunt se non esse in praedicto decreto comprehensos, tamquam in eo expressim non nominatos; et ulterius tam ipsi cardinales quam alii, qui ex praedictis indultis apostolicis habent facultatem conferendi reservata seu affecta, ac de eis disponendi, nedum praetendunt indulta huiusmodi continere facultatem disponendi de eisdem beneficiis, etiam per modum unionis et extinctionis in praeiudicium perpetuum Sedis Apostolicae quae illorum provisione perpetuo privata remaneret, sed etiam ex ipsis indultis esse sublatam et extinctam reservationem et affectionem quamcumque, ideo etiam auctoritate ordinariâ potuisse et posse per eos fieri eorumdem beneficiorum, uti non reservatorum nec affectorum, unionem, decretaque Concilii eis concedere facultatem uniendi etiam reservata eisdem seminariis: quinimo, etiamsi in pontificatu recolendae memoriae Pauli V etiam praedecessoris nostri hactenus ex voto duorum Rotae auditorum fuerit in datariâ observatum et observetur beneficia duplici reservatione personali reservata vel affecta non comprehendi in praedictis indultis, tamen etiam praetendunt hanc reservationis duplicitatem non impedire eorum provisionem vigore praedictorum indultorum faciendam, eisdemque beneficiorum unionibus non obstare: et propterea diversimode etiam exequutio litterarum apostolicarum provisionis eorumdem beneficiorum indebitis praetensionibus huiusmodi impedita fuit et impeditur de facto in diversis tribunalibus et congregationibus, praesertim Rotae et congregationis Concilii Tridentini, in quibus reperiuntur factae resolutiones etiam inter se discordantes.

Decretum Clementis VIII, prohibens fieri uniones, confirmat, et observari mandat.

§ 1. Volentes igitur praedicta impedimenta tollere et nostro oraculo praetensas dubitationes dilucidare, motu proprio, certâque scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuâ constitutione praedictum decretum Clementis praedecessoris praedicti, super exequutione

1 Beneficiorum omnes uniones effectum non sortitae sunt revocatae huius Pontificis Const. IX, *Sanctissimus,* tom. XIII, pag. 57. Beneficiorum seu ecclesiarum unionem petentes debent exprimere verum valorem annuum, etiam beneficii, cui aliud unitur, alioquin unio non valet, ex Gregorii XV Const. XXXVII, § 2, tom. XII, pag. 605.

seu interpretatione eiusdem Concilii emanatum, confirmamus, inviolabiliterque de cetero observari mandamus per quoscumque patriarchas, metropolitanos, archiepiscopos, episcopos, ac S. R. E. cardinales; declaramusque praedictum decretum etiam eosdem cardinales comprehendisse et comprehendere, ac[1] praedictos cardinales, et quoscumque alios praedicta indulta apostolica conferendi praedicta beneficia reservata seu affecta et de eisdem disponendi habentes, non potuisse hactenus post praedictum decretum Clementis praedecessoris nec imposterum posse in vim illorum, nec vigore eiusdem Concilii, aut aliàs etiam auctoritate eorum ordinariâ, praetextu quod ex praedictis indultis extinctae et sublatae sint reservationes et affectiones, eadem beneficia quomodolibet tempore unionis reservata vel affecta unire etiam seminariis praedictis puerorum, nec de eis per viam cuiuscumque unionis, suppressionis vel applicationis disponere; nec etiam, in vim praedictorum indultorum reservata et affecta conferendi ac de eis disponendi, potuisse nec posse conferre beneficia duplici reservatione personali reservata vel affecta.

Clausula praeservativa, et *sublatâ*.

§ 2. Praesentes quoque litteras de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, nostraeque intentionis defectu, etiam ex eo quod seminaria et quicumque[2], et cuiuscumque status, conditionis, gradus, qualitatis ac dignitatis, etiam ecclesiasticae, desuper interesse habentes, vel habere praetendentes, ad haec vocati non fuerint, vel praemissis non consenserint, notari, impugnari, redargui aut in ius vel controversiam revocari non posse; sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam sacri palatii apostolici causarum auditores, ac S. R. E. cardinales, eorumque congregationes, et quoscumque alios speciali expressione indigentes, iudicari, definiri et interpretari debere, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi seu interpretandi facultate et auctoritate, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Clausula derogatoria

§ 3. Non obstantibus praemissis omnibus et singulis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis generalibus editis, regulis cancellariae, et, quatenus opus foret, etiam illâ de non tollendo iure quaesito, ceterisque contrariis quibuscumque; quorum omnium et singulorum tenores, earumdemque litium et causarum etiam hactenus pendentium statum et merita, ipsorumque beneficiorum nuncupationes, situationes et qualitates, partiumque colligantium, necnon iudicum nomina et cognomina, tribunaliumque et congregationum praeminentias et facultates, ceteraque hîc forsan exprimenda et inserenda, pro expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV iulii MDCXLII, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 15 iulii 1642, pontif. anno XIX.

DCCLII.

Constitutio circa utensilia sacristiae pontificiae post obitum S. R. E. cardinalium debita[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Æquum est ut nos, qui omnium christifidelium commodis pro paternâ nostrâ

1 Coniunct. *ac* nos addimus (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *quibuscumque* (R.T.).

1 Clemens VII prius constituerat, quod omnia ornamenta, quibus episcopi, presbyteri et diaconi cardinales in cappellâ pontificiâ utebantur, post eorum obitum dictae cappellae consignari deberent: cuius Constitutionis hîc fit mentio.

charitate iugiter invigilamus, sacristiae nostrae pontificiae ac camerae apostolicae iura non negligamus.

Causae huius Constitutionis.

§ 1. Quamvis enim etiam iuxta constitutionem felicis recordationis Clementis Papae VII praedecessoris nostri desuper editam observatum fuerit, quod omnia et singula mitrae, pluvialia, planetae et alia altaris ornamenta et vestimenta, ac vasa aurea et argentea, praesertim sacra et benedicta, cuiuscumque qualitatis et pretii fuerint, quibus S. R. E. episcopi, presbyteri et diaconi cardinales in cappellâ pontificiâ, in missarum, tam per Romanos Pontifices, quam in eorum praesentiâ etiam per dictos cardinales, celebratione, ac in processionibus et aliis caeremoniis pontificalibus usi fuerunt, post illorum obitum fuerint et sint applicata et realiter consignari debeant dictae cappellae et illius sacristiae, praefataque applicatio et consignatio impediri non debeat praetextu quarumcumque facultatum testandi etiam sub quacumque formâ et verborum tenore pro tempore concessarum, et aliàs prout in eâdem Clementis praedecessoris constitutione uberius continetur; nihilominus, quia tam Romani Pontifices praedecessores nostri concesserunt, quam etiam nos eorum exempla sequuti concessimus sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus facultatem disponendi de ornamentis et vestimentis ac vasis et aliis rebus praedictis, illaque relinquendi ecclesiis seu cappellis vel locis piis aut personis, praesertim ecclesiasticis, sibi benevisis, in grave sacristiae praefatae praeiudicium ac etiam camerae apostolicae detrimentum, quam de suo eidem sacristiae de ornamentis ceterisque rebus huiusmodi eapropter providere oportet:

Innovat et ampliat Constitutionem Clementis VII circa utensilia sacristiae pontificiae post obitum S. R. E. cardinalium debita.

§ 2. Hinc est quod nos, earumdem sacristiae et camerae indemnitati in praemissis consulere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, etiam ipsam constitutionem Clementis praedictam huiusmodi innovantes et ampliantes, quod de cetero perpetuis futuris temporibus praefata omnia et singula mitrae, pluvialia, tunicellae, aliaque ornamenta et vestimenta ac calices, patenae, vasa etiam aurea et argentea, aliaeque res et utensilia quomodolibet nuncupata, praesertim benedicta, seu consecrata, quibus S. R. E. cardinales nunc et pro tempore existentes, etiam praefatam aut quamcumque aliam similem vel dissimilem facultatem apostolicam de illis disponendi ac ad haeredes etiam ab intestato transmittendi, ut praemittitur, habentes, non solum in cappellâ pontificiâ, seu processionibus, caeremoniis et aliis functionibus pontificiis praefatis, sed etiam in eorum cappellis privatis hactenus vel in futurum pro tempore quomodolibet usi fuerint, vel quae detulerint, ad sacristiam praefatam ipso iure spectent et pertineant, et ad illam deferri illique realiter consignari debeant statim post obitum ipsorum cardinalium, exceptâ unâ tunicellâ pro quolibet cardinale diacono, et unâ planetâ pro quolibet cardinale presbytero, ac uno pluviali pro quolibet cardinale episcopo, ac exceptis candelabris ac malluviis et gutturnis, *bacili* et *boccali* vulgo nuncupatis, etiam aureis vel argenteis, hac perpetuo valiturâ constitutione nostrâ statuimus et ordinamus, et quascumque facultates praefatas testandi ac ab intestato transmittendi et disponendi de vestimentis, ornamentis, vasis et aliis rebus ac utensilibus praefatis, etiam in favorem quarumvis ecclesiarum seu cappellarum et locorum piorum ac personarum etiam speciali notâ et individuâ expressione dignarum, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, ac aliàs quomodolibet per praefatos praedecessores nostros ac nos ipsos cardinali-

bus praefatis quibuscumque concessas, quae hactenus effectum sortitae non fuerunt, ad praesentis nostrae constitutionis tenorem reducimus, et, quatenus fuerit opus, in iis quae praesentibus adversantur, revocamus, abolemus, cassamus, annullamus et irritamus, ac reductas, revocatas, abolitas, cassas, annullatas et irritas fore et esse, et imposterum per quamcumque derogationem per nos vel successores nostros faciendam non censeri praesenti nostrae constitutioni in aliquo detractum, nec dictae sacristiae praeiudicatum, nisi specialiter et expresse huic constitutioni, referendo eius datam, ac aliàs sufficienter derogatum fuerit;

Clausulas praeservativas apponit.

§ 3. Praesentes quoque litteras, et in eis contenta quaecumque, licet desuper interesse habentes seu habere praetendentes illis non consenserint, et ad ea vocati et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarunt, deductae, verificatae, seu aliàs sufficienter[1] aut etiam nullatenus iustificatae fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae aut alio quovis defectu etiam substantiali aut ex quovis alio capite, etiam in corpore iuris clauso, seu occasione vel causâ, etiam quantumvis iustâ, rationabili et privilegiatâ, notari, impugnari, invalidari et retractari posse, sed ipsas praesentes litteras semper validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac sacristiae praefatae plenissime suffragari,

Clausula *sublatâ*.

§ 4. Sicque, et non aliter, in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae camerarium et alios cardinales, etiam de latere legatos, necnon dictae camerae praesidentes et clericos et alios officiales, nunc et pro tempore existentes, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi seu interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus quibusvis testandi, ac ad haeredes ab intestato transmittendi, ac aliàs quomodolibet de bonis et rebus praefatis disponendi, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac etiam per nos ipsos cardinalibus praedictis, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, etiam concistorialiter concessis facultatibus, ac felicis recordationis Pii Papae IV etiam praedecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse camerae apostolicae concernentibus in eâdem camerâ praesentandis et registrandis (ita ut praesentes litteras nunquam in eiusdem camerae libris registrari necesse sit), et quibuslibet aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, ac decretis, etiam concistorialibus, et, quatenus opus sit, de non tollendo iure quaesito aliisque cancellariae apostolicae regulis quibuscumque, etiam in favorem praefatorum cardinalium etiam per nos editis, necnon collegii cardinalium praedictorum, et quarumvis ecclesiarum et locorum piorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam antiquissimis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis collegio praedicto, ecclesiis et locis piis quibuslibet, et quibuscumque personis, cuiuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis et dignitatis, etiam ecclesiasticae, etiam individuâ expressione dignis, aut aliàs quomodolibet qualificatis, in contrarium praemissorum quomodolibet

1 Male edit. Main. legit *sufficientes* (R. T.).

concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX iulii MDCXLII, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 19 iulii 1642, pontif. anno XIX.

DCCLIII.

Confirmatio privilegiorum et declaratio statutorum pro gubernio fratrum Minorum Discalceatorum nuncupatorum Hispaniarum et Indiarum[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. § 1. Aliàs (postquam, sublatis per recolendae memoriae Gregorium Papam XV praedecessorem nostrum patribus provinciarum, in definitorio generali fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum de anno MDCXXXIX in almâ Urbe nostrâ celebrato, de consensu dilecti filii nostri Francisci S. Laurentii in Damaso diaconi cardinalis Barberini nuncupati, sanctae Romanae Ecclesiae vicecancellarii, nostri secundum carnem ex fratre germano nepotis, dictique Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, statutum fuisset,

Decretum ut duo patres provinciae in provinciis Minorum admitterentur.

§ 2. Ut duo tantum patres provinciae in singularum provinciarum ultramontanae familiae definitoria introducerentur, unus scilicet, qui in provinciâ reliquis dignior esset, ille nimirum, qui inter patres provinciae primum locum sibi vindicaret, qui quidem in definitorio semper assisteret; alter vero, qui immediate ministri provincialis officium absolvisset, ut sequenti etiam immediate triennio dumtaxat eam obtineret dignitatem, et in definitorio assisteret, eâ tamen lege, ut, si iste ex qualibet causâ deficeret, in eius locum subrogatus eo ipse esset qui ante ipsum minister provincialis immediate extitisset, triennio autem huiusmodi transacto, alius, qui ministri provincialis officio etiam immediate functus fuisset, subsequeretur, et sic deinceps, de triennio in triennium dumtaxat, servaretur, ita quod nunquam hi duo patres in dictarum provinciarum definitoriis desiderarentur; quodque, si contingeret, ut qui huiusmodi assistens alio titulo de eodem definitorio esset dignior et perpetuus in definitorio existeret[1], sibique ius[2] in illud ingrediendi competeret, tunc in eius locum ipso facto subrogatus esset ille pater provinciae, qui eidem dignitate proximus fuisset) subinde nos institutionem seu restitutionem praefatorum duorum patrum provinciae pro definitoriis provinciarum praedictarum in dicto generali definitorio factam, et postmodum omnia et singula statuta in capitulo generali dicti Ordinis de eodem

Confirmatur fuit a Pontifice.

1 Constitutionem hanc quae in edit. Maio. infra reperitur inserta in alterâ sub datum XXII decembris MDCXLII, huc suo loco et ordine ponimus (R. T.).

1 Comma istud sic lege: *ut si, qui esset huiusmodi dignior et perpetuus in definitorio assistens, alio titulo de eodem definitorio existeret*, sicuti patet ex loco parall., tom. XIV, pag. 747 (R. T.).

2 Pessime edit. Main. legit *eius* pro *ius* (R. T.).

anno celebrato edita, sine tamen praeiudicio observantiae regularis ac statutorum apostolicâ auctoritate confirmatorum ac ordinationum et Brevium apostolicorum pro fratribus Discalceatis dicti Ordinis Hispaniarum et Indiarum factorum et emanatorum, confirmavimus [1].

Hoc statutum non comprehendit Discalceatos.

§ 3. Ac demum, cum nobis innotuisset, quod institutio seu restitutio praefatorum duorum patrum provinciae, quoad eosdem fratres Discalceatos Hispaniarum et Indiarum dicti Ordinis, nedum eorum statutis ac litteris apostolicis pro ipsis emanatis adversabatur, sed etiam causa perturbationum fuisset; idcirco nos, motu proprio, ac ex certâ scientiâ meràque deliberatione nostris, praefatos fratres Discalceatos Hispaniarum et Indiarum, ac eorum provincias et custodias praesentes et futuras, quoad introductionem duorum patrum provinciae in singula provinciarum suarum definitoria, sub praefato definitorio generali huiusmodi edito, ac certis nostris litteris incipientibus *Onerosa,* etc, aut quibusvis aliis dicti Ordinis statutis aut decretis, litterisque apostolicis, circa eamdem materiam emanatis (quae et quas quoad hoc revocavimus, cassavimus et annullavimus), nullatenus comprehendi, nec esse comprehensos declaravimus [2].

Quod non introducantur patres provinciae inter Discalceatos.

§ 4. Et insuper statuimus et ordinamus ut in provinciarum Hispaniarum et Indiarum eorumdem fratrum Discalceatorum capitula, congregationes et definitoria nullus omnino pater provinciae quovis sub praetextu introduceretur, sed in illis dumtaxat minister provincialis, aut vicarius provincialis et definitores actuales, custodes autem iuxta usum et morem provinciarum et custodiarum admitterentur; quodque, si in alicuius ex dictis provinciis definitorium praefati duo provinciae patres introducti fuissent, illi ipso facto amoverentur, et electio per eos facta, sub privationis suorum officiorum aliisque arbitrii nostri poenis omnibus et singulis superioribus qui dictos duos patres provinciae et definitoriorum huiusmodi admisissent [1], nulla et irrita extiteret, ipsique fratres Discalceati Hispaniarum et Indiarum huiusmodi, sub eisdem poenis per contrafacientes eo ipso incurrendis, iuxta statuta et ordinationes provinciarum huiusmodi viverent et regerentur [2], ac aliàs prout in diversis nostris in simili formâ Brevis litteris desuper expeditis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Quod Discalceati per sua propria statuta gubernentur.

§ 5. Cum autem, sicut nuper accepimus, dilecti filii minister et procurator generalis dicti Ordinis praemissis sese opposuerint, praetextu, quod aliquae ex provinciis eorumdem fratrum Discalceatorum Hispaniarum et Indiarum huiusmodi quaedam generalia seu particularia ordinationes et statuta seu privilegia habeant, iuxta quae diversimode, et aliàs quam in praefatis nostris litteris statutum dispositumque fuit, gubernantur: idcirco nos, pro maiori et uniformiori eorumdem fratrum Discalceatorum Hispaniarum et Indiarum huiusmodi perfectione et puritate in praemissis opportune providere volentes, motu, scientiâ ac deliberatione similibus, deque apostolicae potestatis plenitudine, quod praefatae nostrae litterae pro eisdem fratribus Discalceatis Hispaniarum et Indiarum emanatae, ut praefertur, sive illorum aliquae provinciae habeant aliqua statuta et ordinationes seu privilegia generalia aut particularia, sive non habeant, omnino et inviolabiliter observentur, observarique debeant in omnibus eorumdem fratrum Discalceatorum

1 Vide loc. cit. tom. XIV, pag. 746, et supra pag. 25 huius tomi (R. T.).

2 Huiusmodi bullam declaratoriam puto deesse (R. T.).

1 Deest vox *intimatis*, aut similis (R. T.).

2 Etiam tertias has litteras puto deesse (R. T.).

provinciis et custodiis nunc et pro tempore existentibus in partibus Hispaniarum et Indiarum huiusmodi, quodque praefatae provinciae et custodiae dictorum fratrum Discalceatorum nunc et pro tempore existentes in eisdem Hispaniarum et Indiarum partibus per sua propria statuta, ordinationes et leges gubernentur, absque eo quod generalibus totius Ordinis statutis et consuetudinibus subiaceant, eâ tamen lege, ut ad receptionem praedictorum duorum patrum provinciae nullum sive generale sive particulare et proprium statutum possit ipsis fratrum Discalceatorum provinciis et custodiis Hispaniarum et Indiarum huiusmodi suffragari, sed semper litterae nostrae praedictae inviolabiliter et inconcusse ac generaliter observentur, tenore praesentium decernimus, statuimus et ordinamus.

Sub poena nullitatis.

§ 6. Si vero forte contingat in eisdem provinciis et custodiis fratrum Discalceatorum praedictorum Hispaniarum et Indiarum huiusmodi aliqua capitula, congregationes seu actiones, in quibus praefati duo patres provinciae, vel eorum aliquis intersint, et reperiantur, celebrari, eo ipso omnia et singula, quae inibi decreta et constituta fuerint, irrita et nulla, nulliterque et invalide gesta et facta fuisse et esse ac fore declaramus.

Quod Discalceati possint mittere procuratorem ad Romanam curiam.

§ 7. Dantes eisdem fratrum Discalceatorum provinciis et custodiis Hispaniarum et Indiarum huiusmodi facultatem mittendi ex eisdem fratribus Discalceatis suos proprios procuratores ad Romanam curiam, quotiescumque sese obtulerit occasio, pro negotiis earumdem provinciarum et custodiarum Hispaniarum et Indiarum huiusmodi pertractandis. Volumus autem, ut, salvis supradictis, dicti fratres Discalceati Hispaniarum et Indiarum huiusmodi in reliquis subiecti remaneant iurisdictioni, visitationi et correctioni ministri eorumdem fratrum de Observantiâ generalis, pro tempore existentis, ita quod ipse minister generalis, per seipsum, vel alium, seu alios, ex ipsis Discalceatis dicti Ordinis tantum, possit eosdem fratres Discalceatos corrigere, visitare, et in eos iurisdictionem exercere; quodque, si minister generalis praedictus abfuerit non deputatis ab eo huiusmodi fratribus Discalceatis ad supradictum effectum, tunc omnes et singulae provinciae ac[1] custodiae praedictae per ministros ac custodes suos gubernentur iuxta quasdam alias nostras in simili formâ Brevis die VIII aprilis proxime praeteriti expeditas litteras[2], quarum etiam tenores praesentibus pro expressis haberi volumus.

Subiiciuntur ministro generali.

§ 8. Mandantes propterea omnibus et singulis dicti Ordinis superioribus, fratribus et personis, ceterisque, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis maioris, a qua nonnisi a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi possint, aliisque arbitrii nostri, necnon officiorum suorum privationis, perpetuaeque inhabilitatis ad illa et alia imposterum obtinenda poenis, ut eosdem fratres Discalceatos Hispaniarum et Indiarum huiusmodi praemissorum omnium commodo et effectu frui et gaudere sinant et faciant.

Decretum irritans.

§ 9. Decernentesque praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quopiam defectu, etiam quantumvis substantiali vel formali, nullatenus unquam notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, aut in ius vel controversiam adduci vel revocari posse; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac

1 Coniunct. *ac* nos addimus (R. T.).

2 Quas vide supra pag. 178 (R. T.).

S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et Sedis Apostolicae nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi vel interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Deputatio exequutoris.

§ 10. Quocirca dilecto filio, nostro et Sedis Apostolicae nunc et pro tempore in Hispaniarum regno existenti nuncio, per easdem praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem fratrum Discalceatorum provinciarum et custodiarum Hispaniarum et Indiarum huiusmodi fuerit requisitus, solemniter publicans, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostrâ praefatas et praesentes nostras litteras huiusmodi debitae et omnimodae exequutioni demandari; non permittens eos contra earumdem praedictarum et praesentium litterarum tenorem quomodolibet molestari, perturbari aut inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas huiusmodi incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 11. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII etiam praedecessori de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, necnon praefatis ministri et procuratoris generalium dicti Ordinis oppositionibus, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ipsius Ordinis, ac provinciarum et custodiarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordini ac provinciarum et custodiarum huiusmodi superioribus, fratribus et personis, ipsisque provinciis et custodiis, sub quibusvis verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus pariter, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX iulii MDCLXII, pontificatus nostri anno XIX.

Dat. die 30 iulii 1642, pontif. anno XIX.

DCCLIV.

Significat regi christianissimo spectare ad Sedem Apostolicam privative quoad alios quoscumque cognitionem et decisionem controversiarum inter abbatissam generalem Ordinis Fontis Ebraldi et monachos eiusdem Ordinis vertentium super observatione regulae et communicatione statutorum dicti Ordinis [1].

Charissimo in Christo filio nostro Ludovico, Francorum regi christianissimo, Urbanus Papa VIII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Quanto illustriora sunt maiestatis tuae eiusque praedecessorum clarae memoriae regum Franciae christianissimorum eximiae devotionis et pietatis in tuendis huius Sanctae Sedis ecclesiasticorumque tribunalium iuribus merita, tanto maiori admiratione et animi molestiâ affecti fuimus, ubi intelleximus factam maiestatis tuae auctoritate [2] venerabilium fratrum archiepiscopi Bituricensis ac Lexoviensis et Meldensis episcoporum deputationem ad cognoscendas decidendasque controversias inter dilectam in Christo filiam Ioannam Baptistam de Bourbon, sororem tuam naturalem, Ordinis Fontis Ebraldi abbatissam generalem ex unâ, et dilectos filios monachos eiusdem Ordinis ex alterâ partibus super interpretatione et usu regulae, communicatione statutorum dicti Ordinis, aliisque ad nostram et Sedis praedictae cognitionem immediate spectantibus vertentes, earumdemque controversiarum deputationis huiusmodi vigore per archiepiscopum et episcopos praedictos decisionem a maiestate tuâ arresto die VIII octobris proxime praeteriti emanato confirmatam fuisse; quae licet sedandarum [1] inter personas regulares litium gratiâ, non autem laedendae iurisdictionis ecclesiasticae animo te fecisse plane credamus (quis enim aliud de singulari pietate tuâ suspicetur?); attamen pro debito officii nostri maiestati tuae significandum duximus, cognitionem, decisionemque controversiarum praedictarum, utpote quae circa res mere spirituales, declarationemque, interpretationem et observantiam regulae et statutorum dicti Ordinis a Sede praedictâ confirmatorum vertuntur, neutiquam ad tribunalia laica et iudices seculares, sed ad nos et eamdem Sedem privative quoad omnes alios spectare et pertinere, de qua re cum maiestate tuâ fusius aget venerabilis frater Hieronymus archiepiscopus Seleuciensis nuncius noster, cuius verbis ut fidem habeas rogamus, et maiestati tuae iterum benedictionem nostram peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII augusti MDCXLII, pontificatus nostri anno XX [2].

Dat. die 13 augusti 1642, pontif. an. XX.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Male edit. Main. legit *auctoritatem* (R. T.).

DCCLV.

Sequitur Breve Ioannae Baptistae de Bourbon, abbatissae generalis Ordinis Fontis Ebraldi, in idem argumentum [3].

Dilectae in Christo filiae Ioannae Baptistae de Bourbon, abbatissae generali Ordinis Fontis Ebraldi, Urbanus Papa VIII.

Dilecta in Christo filia, salutem et apostolicam benedictionem.

Etsi plurimum in Domino commendemus singularem erga nos et hanc sanctam Sedem observantiam quam ostendi-

1 Edit. Main. legit *sedendarum* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit an. XIX (R. T.).

3 Ex Regest. in Secret. Brev.

sti dum apud venerabilem fratrem Hieronymum archiepiscopum Seleuciensem, ad charissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum regem christianissimum nostrum et dictae Sedis nuncium, te purgasti super eo quod, pro decidendis controversiis inter te et dilectos filios monachos Ordinis Fontis Ebraldi circa interpretationem et usum regulae ac communicationem statutorum eiusdem Ordinis aliaque ad nostram et Sedis praedictae cognitionem immediate spectantia vertentibus, recursum ad tribunalia secularia habuisti; attamen pro paternâ, quam de tuâ salute gerimus, curâ monemus te, ut, cum in excommunicationis aliasque censuras et poenas ecclesiasticas a sacris canonibus apostolicis contra habentes similes recursus inflictas et promulgatas incideris, quia nedum assensum praebuisti, sed etiam procurasti ut controversiae huiusmodi eiusdem Ludovici regis auctoritate cognoscerentur et decliderentur, propterea conscientiae tuae securitati consulas, omnibus ad tui favorem eâ in re per iudices a dicto Ludovico rege deputatos absque legitimâ facultate decisis renunciando, curandoque ut controversiae praedictae nostrâ et dictae Sedis auctoritate definiantur: quod te sedulo facturam[1] nobis plane persuademus, cum illo clarissimorum regum genere nata sis, quo orti summo semper devotionis et pietatis affectu Romanam Ecclesiam et Sedem Apostolicam sunt prosequuti, et benedictionem apostolicam tibi iterum peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII augusti MDCXLII, pontificatus nostri anno XX[2].

Dat. die, annoque eisdem.

1 Male edit. Main. legit *facturum* (R. T.).
2 Male eadem edit. legit XIX (R. T.).

DCCLVI.

Declarat cognitionem causarum super praetensâ fabricatione monetae adulterinae ac tonsione monetae aureae et argenteae in insulis Siciliae ultra pharum et Melitanâ, contra personas hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, spectare ad magnum magistrum, consilium et conventum dicti hospitalis[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Aliàs nos, ut adulterinam monetam fabricantium ac monetas aureas et argenteas tondentium crimina punirentur, per nostram perpetuam constitutionem nedum cedulam motus proprii felicis recordationis Pii Papae V praedecessoris nostri desuper editam confirmavimus et innovavimus, sed etiam poenam ultimi supplicii ad personas etiam ecclesiasticas et regulares cuiuscumque ordinis et instituti, etiam militiarum, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, extendimus in Italiâ dumtaxat, cognitionemque causarum contra praefatas personas ecclesiasticas locorum Ordinariis commisimus, prout in nostris litteris sub plumbo, sub datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno MDCXXVII, idibus novembris, pontificatus nostri anno V expeditas, uberius continetur.

Refert aliàs a se declaratum causas de quibus in rubricâ, si contra ecclesiasticos agantur, ad locorum Ordinarios pertinere.

§ 2. Verum, quia, ut accepimus, praetenditur cognitionem istarum causarum contra milites et alias personas hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani in insulâ Siciliae ultra pharum esse remittendas ad ordinarios ecclesiasticos locorum, etiamsi insula Melitana[2], ubi magnus magister, consilium et conventus eiusdem ordinis resident, sit valde vicina praefatae insulae Siciliae, a quibus, uti magis informatis, ad id privilegia apostolica habentibus,

Si vero contra personas Hospitalis sancti Ioannis Hierosolymytani agantur in Sicilia et insula Melitana a magno magistro vult cognosci.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Semper edit. Main. legit *Melevitana* (R. T.).

propterea melius quam ab Ordinariis locorum praefatae causae contra personas eiusdem hospitalis cognosci debent et possunt: idcirco, volentes remedium nostrae apostolicae declarationis adhibere, tenore praesentis nostrae perpetuae constitutionis declaramus, cognitionem praedictarum causarum contra personas praedicti hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, tam hactenus motas, quam imposterum movendas, super praetensâ fabricatione monetae adulterinae ac super praetensâ tonsione monetae aureae vel argenteae, in praefatis insulis Siciliae et Melitae[1] contra personas dicti hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani spectasse et spectare ad eosdem magnum magistrum, consilium et conventum, propter vicinitatem quam insula Melitana habet cum praefatâ insulâ Siciliae ultra pharum, non vero ad praefatos Ordinarios locorum, qui ut plurimum sunt magis distantes;

Clausulas addit.

§ 3. Et ita inviolabiliter, sub excommunicationis maioris aliarumque censurarum ecclesiasticarum poenis eo ipso absque aliâ declaratione per quoscumque, cuiusvis status, conditionis, qualitatis, praeeminentiae et dignitatis, etiam ecclesiasticae, ac individuâ mentione et expressione dignae, incurrendis, observari praecipimus et mandamus. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

1 Male prorsus hîc edit. Main. legit *Melevitanae* (R. T.).

Obstantia tollit.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibuscumque regnis, locorum Ordinariis, et aliis quibusvis personis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx augusti MDCXLII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 20 augusti 1642, pontif. anno XX.

DCCLVII.

Irritatio pactionum factarum occasione coadiutoriae ecclesiae Ratisbonensis[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Coadiutor Ratisbonensis nonnulla cum capitulo paciscitur, ut eius consensum obtineat.

§ 1. Cum nos prope diem[2] venerabilem fratrem Franciscum Guilielmum episcopum Osnaburgensem, Mindensem et Verdensem fratri Alberto episcopo Ratisbonensi coadiutorem perpetuum et irrevocabilem in regimine et administratione ecclesiae Ratisbonensis cum futurâ in eâ successione, attento consensu eiusdem Al-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Similem vide supra pag. 186 (R. T.).

berti episcopi ac dilectorum filiorum capituli dictae ecclesiae Ratisbonensis praestito et per nos ex voto congregationis venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium rebus concistorialibus praepositorum quibus negocium coadiutoriae huiusmodi commisimus admisso, auctoritate apostolicâ constituere et deputare de simili voto intendamus, prout in nostris desuper sub plumbo expeditis[1] litteris latius explicabitur; sicut autem nobis innotuit, occasione constitutionis et deputationis eiusdem Francisci Guilielmi in coadiutorem huiusmodi, seu consensus dicti capituli ad id ut praefertur praestiti, quaedam capitulationes inter ipsos capitulares seu cum eodem Francisco Guilielmo factae et ab eo subscriptae et iuratae fuerint:

Pacta quaecumque irritat Urbanus.

§ 2. Hinc est quod nos, sine quorum auctoritate nihil omnino in similibus negociis pacisci fas est, ne ex capitulationibus huiusmodi, licet ob licentiae apostolicae defectum ipso iure nullis et invalidis, aliquod cuiquam ius acquisitum, aut dictae ecclesiae, illiusque praesuli, seu coadiutori et capitulo qualecumque gravamen illatum, iurisdictionique et libertati ecclesiasticae quoquo modo praeiudicatum fuisse, esse et fore unquam praetendi, dici vel censeri, et ne quovis temporis cursu aut ex quacumque aliâ quantumlibet iuridicâ causâ praedictas capitulationes fuisse per nos et Sedem Apostolicam approbatas allegari, et beneplacitum apostolicum desuper accessisse praesumi unquam possit, pro pastorali nostrâ sollicitudine providere volentes, ac earumdem capitulationum tenores, etiam veriores, praesentibus pro plene expressis et de verbo ad verbum insertis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ex voto etiam praedictae congregationis, omnes et singulas capitulationes praedictas nullas et prorsus invalidas, nulliusque roboris et momenti fuisse, esse et semper fore, adeo ut nullum omnino sortiri possint aut debeant effectum, aeque ac si conceptae, factae, initae aut iuratae nunquam fuissent, tenore praesentium declaramus, illasque pro non factis[1] haberi volumus, approbationemque nostram et beneplacitum apostolicum quoad ipsas capitulationes denegamus, et propterea consensum a capitulo praedicto deputationi coadiutoris huiusmodi cum futurâ successione, ut praefertur praestitum, praedicto Francisco Guilielmo suffragari in omnibus et per omnia, perinde ac si libere et non conditionaliter ac non interpositis capitulationibus huiusmodi fuisset adhibitus,

Sicque praecipit in quolibet subsellio iudicari.

§ 3. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, Sedisque praedictae nuncios, et quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, nunc et pro tempore existentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Derogat obstantibus.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis, et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac, quatenus foret opus, etiam regulâ nostrâ de non tollendo iure quaesito, necnon dictae ecclesiae Ratisbonensis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ

1 Potius lege *expediendis*, ut supra pag. 187 (R. T.).

1 Male ed. Main. legit *non factas* (R. T.).

roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de iis specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores praesentibus pro plene ac sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx augusti MDCXLII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 20 augusti 1642, pontif. anno XX.

DCCLVIII.

Confirmatio decreti sacrae congregationis rituum, quo decernitur protonotarios apostolicos non participantes praecedere debere canonicos ecclesiae cathedralis, quando dicti canonici collegialiter non incedunt[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Refert decretum congregationis rituum, de quo in rubrica.

§ 1. Cum, sicut accepimus, venerabiles fratres nostri S. R. E. cardinales sacris ritibus praepositi aliàs censuerint nostros et Apostolicae Sedis notarios, protonotarios apostolicos titulares seu non participantes nuncupatos, praecedere debere canonicos ecclesiae cathedralis, quando dicti canonici collegialiter non incedunt, prout in eorumdem cardinalium decreto desuper emanato, cuius tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso haberi volumus, uberius continetur:

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Illudque confirmat.

§ 2. Idcirco nos, decretum huiusmodi, uti par est, servari volentes, illud apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, eique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulas addit.

§ 3. Decernentes decretum huiusmodi necnon praesentes litteras valida, firma et efficacia existere et fore, ac ab omnibus ad quos spectat et spectabit in futurum inviolabiliter observari, dictisque notariis, protonotariis nuncupatis, plenissime suffragari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatqua contrariis.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quarumvis ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v septembris MDCXLII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 5 septembris 1642, pontif. anno XX.

DCCLIX.

Pro observatione festorum [1].

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Universa per orbem novit Ecclesia Romani Pontificis supremae incumbere sollicitudini dominicum gregem ad aeternam dirigere salutem, et apostolica sic explicare praecepta, ut fideles in viam mandatorum currere et ad beatitudinem valeant feliciter pervenire.

Causae huius Constitutionis.

§ 1. Plurimorum siquidem venerabilium fratrum nostrorum archiepiscoporum et episcoporum per varias regiones constitutorum relatione ad nos pervenit, festorum multitudinem per singulas eorum dioeceses atque provincias adeo crevisse, devotione atque consuetudine nova in dies introducente, ut multi iam dubitare videantur, quaenam ex praecepto, quaeve ex liberâ cuiusque voluntate sint servanda, pietatis fervore ob nimiam eorumdem numerositatem tepescente. Quinimo et clamor pauperum frequens ascendit ad nos eamdem multitudinem, ob quotidiani victus laboribus suis comparandi necessitatem, sibi valde damnosam conquerentium, et, quod summopere dolendum est, magno cum animi nostri moerore didicimus, tanta saepe saepius machinatum inimicum in sanctos, ut ipsâ multitudine non ad aedificationem et ad laudandum in ecclesiis Deum populi utantur, sed ad otia, vanitates et vitia frequenter abuti non formident, ita ut quae ad glorificandum divinum Numen sunt primitus[2] instituta, temporis decursu inimicus homo corruperit, et in magnam illius offensionem, gravemque iacturam converterit animarum. Quamobrem dicti venerabiles fratres archiepiscopi et episcopi nobis fecerunt humiliter supplicari, ut in praedictis de apostolicae potestatis plenitudine congruam aliquam iniremus rationem.

Eos tantum dies pro festis ex praecepto colendos esse statuit Pontifex, qui hîc recensentur.

§ 2. Nos itaque, volentes ex debito pastoralis officii providere, et sanctificationis festorum certum deinceps firmare praeceptum, antiquam Ecclesiae in hoc consuetudinem sectantes, habitis prius frequentibus per doctos, piosque viros, quos ad haec specialiter deputavimus, consultationibus, ut rei videtur gravitas postulare, motu proprio, et ex certâ scientiâ merâque deliberatione nostris, necnon de praedictae apostolicae plenitudine potestatis, hac perpetuo valiturâ constitutione, de voto etiam venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum, apostolicâ auctoritate decernimus et declaramus, infrascriptos dumtaxat dies pro festis ex praecepto colendos esse, quos nempe vel ab initio veneranda sacravit antiquitas, vel universalis Ecclesiae probavit consuetudo, vel omnium gentium unanimis pietas veneratur; dominicos scilicet dies totius anni Nativitatis D. N. Iesu Christi, Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis cum duabus sequentibus feriis, Ascensionis, Pentecostes cum duabus pariter sequentibus feriis, Sanctissimae Trinitatis, solemnitatis Corporis Christi et Inventionis Sanctae Crucis, necnon festivitatum Purificationis, Annunciationis, Assumptionis et Nativitatis Deiparae Virginis, Dedicationis S. Michaëlis archangeli, Nativitatis S. Ioannis Baptistae. Ss. Petri et Pauli, S. Andreae, S. Iacobi, S. Ioannis, S. Thomae, Ss. Philippi et Iacobi, S. Bartholomaei, S. Matthaei, Ss. Simonis et Iudae, et S. Matthiae Christi Domini apostolorum, item S. Stephani protomartyris, Ss. Innocentium, S. Laurentii martyris,

1 Festa observari iussit, festisque diebus mercatus, profanasque negociationes fieri prohibuit Pius V Const. IX, *Cum primum*, tom. VII, pagina 434.

2 Edit. Main. habet *primitius* (R. T.).

S. Sylvestri papae et confessoris, S. Iosephi etiam confessoris et S. Annae, Deiparae respective sponsi ac genitricis, solemnitatis Omnium Sanctorum atque unius ex principalioribus patronis in quocumque regno, sive provinciâ, et alterius pariter principalioris in quacumque civitate, oppido vel pago, ubi hos patronos haberi et venerari contigerit.

Ad reliquorum vero dierum observantiam christifideles non teneri.

§ 3. Ad reliquorum vero dierum observantiam, quos hactenus sive in universâ Ecclesiâ, sive in quavis natione aut regno, provinciâ, dioecesi aut loco, quomodocumque, sive ex praecepto, sive ex consuetudine, sive ex devotione christifideles tamquam festivos celebrarunt, nequaquam ex praecepto ipsos teneri, dictâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo etiam decernimus et declaramus. Ne autem dies festos a locorum ordinariis nimiâ aliquorum facultate aut populorum importunitate deinceps iterum multiplicari contingat, eosdem ordinarios in Domino monemus, ut ad ecclesiasticam ubique servandam aequalitatem de cetero perpetuis futuris temporibus ab indictione sub praecepto novorum festorum studeant abstinere. Ut vero ea, quae superius expressa sunt, ferventiori qua decet veneratione ac devotione colantur, eisdem ordinariis antiquiorum canonum observantiam ad memoriam revocamus in concedendis licentiis laborandi diebus festis; quae quidem licentiae non aliter quam ad formam praedictorum canonum, ut praemittitur, concedendae, nonnisi gratis, libere et sine ullo prorsus pretio aut pacto, directe vel indirecte, concedantur, sub poenis etiam gravioribus nostro successorumque nostrorum arbitrio infligendis. Non intendimus tamen per hanc nostram constitutionem dies feriatos circa iudicialia in aliquo immutare, quos ad hunc effectum relinquimus in eisdem statu et terminis, in quibus erant ante eiusdem promulgationem.

Mandat praesentes publicari et ad unguem observari.

§ 4. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, et sub indignationis nostrae poenâ, nunc et pro tempore existenti nostro in Urbe eiusque districtu vicario in spiritualibus generali, ac universis et singulis patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis, aliisque praelatis, ac cuiuscumque generis locorum ordinariis, etsi cardinalatus honore fulgeant, ut has praesentes litteras, omniaque et singula in eis contenta, singuli videlicet in eorum respective dioecesibus, publicent, et ab omnibus eorum subditis ad unguem observari faciant.

Contrariis quibuscumque derogat.

§ 5. Non obstantibus quibusvis apostolicis, etiam in provincialibus, synodalibus et universalibus conciliis editis et edendis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, ac singularum provinciarum, civitatum, oppidorum et locorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus longissimo tempore praescriptis ac observatis, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, decretis, declarationibus et litteris apostolicis, aliisque gratiis, tam per ipsos Romanos Pontifices praedecessores nostros ac per nos etiam motu simili etiam concistorialiter, quam per ordinarios locorum, cuiuscumque qualitatis, etiam cardinalatus honore, ut praefertur, fulgentes, legatos etiam de latere et Sedis Apostolicae nuncios, ipsis provinciis, civitatibus, oppidis et locis, aliisque quibuscumque, etiam quantumvis privilegiatis personis, etiam imperatoris, regum, reginarum, rerumpublicarum, ducum aut aliorum principum contemplatione vel intuitu, ac aliàs in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etsi aliàs pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per

clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus harum serie specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 6. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, et manu notarii publici subscriptis, ac sigillo personae alicuius in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 7. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrorum decretorum, declarationum, monitionis, intentionis, mandati, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXLII, idibus septembris, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 13 septembris 1642, pontif. anno XX.

DCCLX.

Committit episcopis Sylvanectensi et Redonensi unâ cum definitore generali fratrum Reformatorum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ erectionem custodiae pro dictis Reformatis in Gallia cum assignatione conventuum[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Causae dandae commissionis.

§ 1. Cum, sicut accepimus, visitatio provinciae Turoniae fratrum Minorum Ordinis sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum per dilectos filios Michaëlem Samson et Bonaventuram Philippon, Ordinis praedicti praedecessores[1], iuxta formam a nobis aliàs praescriptam peracta fuerit, et in visitatione huiusmodi Michaël et Bonaventura praedicti plusquam centum et viginti fratrum eiusdem Ordinis declarationes receperint, qui reformationem amplecti et in exactâ regulae[2] sancti Francisci observantiâ vivere et mori desiderant:

Commissio, de qua in rubrica.

§ 2. Hinc est quod nos, ut fratres praedicti in suo laudabili proposito confoveri, illudque exequutioni demandare valeant, pro pastorali nostrâ sollicitudine providère volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, venerabilibus fratribus Sylvanectensi ac Redonensi episcopis per praesentes committimus et mandamus, ut ipsi, vel alter eorum, cum dilecto filio Ignatio Legault Ordinis praedicti definitore generali custodiam pro fratribus reformatis et reformandis huiusmodi ad praescriptum constitutionis felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri, aliàs eâ super re editae, auctoritate nostrâ erigant, illique conventus Redonensem, ac Venetensem, necnon Dinamensem, et Guingant Kimpercorentinae Bourgneus vulgo nuncupatum, dicti Ordinis in Britanniâ existentes, et alios iam reformatos, qui tamen pro reformatis et reformandis huiusmodi sufficiant, in quibus omnes qui reformationem huiusmodi amplecti voluerint recipiantur, assignent, dictaeque custodiae custodem et alios superiores et

1 Videtur legendum *professores* (R. T.).
2 Male ut puto edit. Main. legit *regula* (R.T.).

officiales pro hac primâ vice constituant. Nos enim illis ad id necessariam et quomodolibet opportunam facultatem concedimus.

Obstantium derogatio.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et provinciae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrârium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII septembris MDCXLII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 23 septembris 1642, pontif. anno XX.

DCCLXI.

Declarat inquisitores officii inquisitionis Maioricensis non posse procedere contra parochialium ecclesiarum rectores et reliquos sacerdotes, curatos et simplices ecclesiasticos Minoricae et Maioricae insularum, nisi pro causis fidei, vel ab eis dependentibus[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Decretum aliàs ab Urbano latum favore capituli Maioricensis.

§ 1. Aliàs nos, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium in universâ republicâ christianâ adversus haereticam pravitatem generalium inquisitorum a Sede Apostolicâ specialiter deputatorum consilio, inquisitores officii inquisitionis Maioricensis non posse procedere contra canonicos ecclesiae Maioricensis nisi pro causis fidei, vel dependentibus ab eis, apostolicâ auctoritate determinavimus et declaravimus, et aliàs prout in nostris in simili formâ Brevis desuper sub die ultimâ martii proxime praeteriti expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus[1], uberius continetur.

Instantia cleri et ecclesiasticorum.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii clerus et singuli ecclesiastici seculares Maioricensis dioecesis nobis nuper exponi fecerunt, indecorum sit, ut sacerdotes et reliqui altaris ministri, loci Ordinario subiecti et ab omni seculari potestate exempti, in causis, quantumvis levibus, ad fidem minime pertinentibus et ab eâ nullatenus dependentibus, a iudicibus delegatis in tribunali dicti officii inquisitionis Maioricensis ad iudicium evocentur, ac aliàs in praemissis diversimode molestentur; nobis propterea iidem clerus et ecclesiastici humiliter supplicari fecerunt, ut sibi desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Dictum decretum ad alios ecclesiasticos extenditur.

§ 3. Nos igitur, eosdem clerum et ecclesiasticos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de eorumdem cardinalium consilio, determinationem et declarationem litterasque nostras praefatas observari etiam cum parochialium ecclesiarum rectoribus et reliquis sacerdotibus curatis et aliis simplicibus ecclesiasticis Minoricae et Maioricae insularum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, pariter determinamus.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Quas vide supra pag. 175 *b* et seq. (R. T.).

Clausulae.

§ 4. Sicque, et non aliter, in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Exequutorum deputatio.

§ 5. Quocirca venerabili fratri episcopo Maioricensi et dilectis filiis decano et thesaurario ecclesiae Maioricensis per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte ipsorum cleri et ecclesiasticorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ praesentes litteras huiusmodi debitae exequutioni demandari et inviolabiliter observari, ipsosque clerum et ecclesiasticos praefatarum Minoricae et Maioricae insularum contentorum in eisdem nostris litteris aliorumque praemissorum commodo et effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper ab ipsis inquisitoribus Maioricensibus, et quibusvis aliis quavis auctoritate fungentibus, quovis praetextu, quomodolibet indebite molestari; contradictores quoscumque, et praemissis non parentes, per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, ecclesiarum et officii inquisitionis Maioricensis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV septembris MDCXLII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 24 septembris 1642, pontif. anno XX.

DCCLXII.

Irritatio actorum omnium, quae in praeiudicio ecclesiae Papiensis sede episcopali vacante per regios ministros gesta sunt[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Ministri regii nonnulla in praeiudicium ecclesiae Papiensis et immunitatis ecclesiasticae attentant.

§ 1. Cum annis praeteritis, sede episcopali Papiensi, nobis et Apostolicae Sedi immediate subiectâ, vacante, oeconomus regius ac alii ministri regii Status Mediolani multa inconvenientia et scandala, ut nobis pro parte dilectorum filiorum capituli et canonicorum ac vicarii capitularis ecclesiae Papiensis, ut praefertur vacantis, aliarumque personarum ecclesiarum civitatis Papiensis expositum fuit, occasione praetensi oeconomatus et onerum ecclesiis et personis ecclesiasticis de facto impositorum et imponendorum, timore Dei postposito, perpetraverint, actusque etiam publicos in praeiudicium immunitatis et libertatis ecclesiasticae et etiam in scriptis fecerint, et propterea capitulum et canonici ac vicarius et personae huiusmodi ad nos super praemissis recursum habuerint:

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Urbanus rei examen nonnullis cardinalibus delegat.

§ 2. Nos, ad quos pro pastorali officii nostri debito immunitatis et libertatis ecclesiasticae tuitio et defensio pertinet, negocium huiusmodi diligenter examinandum et discutiendum venerabili fratri nostro Marcello episcopo Ostiensi Lantes, et dilectis filiis nostris Ioanni Baptistae S. Eusebii Pamphilio, ac Ioanni Baptistae S. Sylvestri in campo Martio titulorum presbyteris Palotto, necnon Francisco S. Laurentii in Damaso diacono cardinali Barberino, respective nuncupatis, S. R. E. vicecancellario, nostroque secundum carnem ex fratre germano nepoti, eiusdem S. R. E. cardinalibus, ac magistro Francisco Paulutio in utraque signaturâ nostrâ referendario commisimus.

Ipsorum decretum.

§ 3. Qui hac super re saepius congregati, eâque accurate examinatâ et discussâ, et auditis pluries partibus, tam ecclesiasticorum, quam laicorum, nedum super negocio principali, sed etiam super incidentibus et emergentibus quibuscumque, inhaerendoque declarationibus per eos aliàs in eâdem causâ factis, fecerunt decretum tenoris sequentis, videlicet:

Die XVI iulii MDCXLII.

Sacra congregatio, inhaerendo declarationibus a se aliàs in hac causâ factis, mature denuo processibus, iuribus, bannimentis, edictis et aliis scripturis exhibitis, declaravit et declarat, omnes et singulos actus gestos sede episcopali Papiensi vacante a generali oeconomo Caimo, et a ministris et officialibus regiis, seu a deputatis ab eis, et ab officialibus et ministris laicis civitatis Papiensis contra iurisdictionem temporalem et spiritualem capituli ecclesiae cathedralis eiusdem civitatis Papiensis seu generalis vicarii capitularis vel aliorum vicariorum et personarum et ministrorum etiam ecclesiasticorum fuisse et esse prorsus invalidos, irritos, nulliusque momenti, et respective huiusmodi actus gestos per dictum oeconomum generalem esse contra dispositionem sacri Concilii Tridentini, ab aliis vero supranominatis gestos continere manifestam violationem iurisdictionis, immunitatis et libertatis ecclesiasticae, ac propterea omnes dictos actus tamquam invalidos ab omnibus in iudicio et extra perpetuo haberi debere, nullumque prorsus ex illis praeiudicium eisdem iurisdictioni capituli, immunitati et libertati, ministris, personis ecclesiasticis, ac bonis supradictis respective potuisse nec posse quoquo modo resultare, et ad censuras propterea fulminatas occasione supradictorum fuisse bene processum; et ita declaravit et declarat, non obstantibus quibuscumque in contrarium, etc.; et non solum praemisso, sed etiam alio omni meliori modo:

Auditor cardinalis LANTES.

Die V augusti MDCXLII, sanctissimus Dominus noster, perlecto supradicto decreto, approbavit, et iussit desuper expediri Breve annullativum, cum clausulis tamen, ut non praeiudicetur constitutioni generali per suam Sanctitatem editae, sed iura iuribus, cautelam cautelis addendo, etc.

Pontifex confirmat.

§ 4. Ne autem ex dictis actibus aliquod iurisdictioni, immunitati, libertati, ministris, personis et bonis praedictis praeiudicium illatum fuisse, vel esse, aut fore praetendi possit, quantum cum Domino possumus, providere volentes, ac omnium et singulorum actuum, processuum, iurium, bannimentorum, edictorum et scripturarum praedictorum, ac inde sequutorum quorumcumque, etiam graviorum et atrocissimorum, aliorumque hîc forsan exprimendorum vel inserendorum tenores, etiam veriores, causas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae po-

testatis plenitudine, decretum praedictum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus etiam quamtumvis substantiales, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; et, licet quaecumque iurisdictioni, immunitati et libertati ac personis et bonis ecclesiasticis quibuslibet praeiudicialia per generalem nostram constitutionem die v iunii MDCXLI editam et publicatam nulla et irrita declaraverimus, et, quatenus foret opus, revocaverimus, et proinde actus praedicti ante eamdem constitutionem facti per illam nulli iam declarati et revocati fuerint, nihilominus, ad abundantiorem cautelam, iuraque iuribus accumulare volentes, citra ullum tamen eiusdem constitutionis praeiudicium, earumdem tenore praesentium omnes et singulos actus et excessus ut praefertur ac aliàs quomodolibet gestos et respective perpetratos, sede episcopali Papiensi vacante, tam a dicto generali oeconomo, quam ab officialibus et ministris regiis quibuscumque, seu a deputatis ab eis, vel altero eorum, et ab officialibus et ministris laicis, etiam dictae civitatis Papiensis, cuiuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, praeeminentiae et dignitatis existentibus, etiam speciali notâ et expressione dignis, contra iurisdictionem spiritualem et temporalem capituli, seu vicarii capitularis, vel aliorum vicariorum et personarum ac ministrorum ecclesiasticorum praedictorum, necnon contra personas et bona, tam mensae episcopalis, quam eorumdem ac aliorum ecclesiasticorum, ac in et super personis et bonis ac iuribus ecclesiasticis, fuisse et esse ipso iure nullos et invalidos, ac nullius plane roboris vel momenti, indebitosque et illicitos ac violentos et de facto praesumptos, nullumque praeiudicium eisdem capitulo, vicariis, ministris, personis et bonis ecclesiasticis intulisse, nec inferre, neque ullum statum fecisse, aut facere, nec aliquod omnino ius aut titulum, vel possessionem, vel quasi, tribuisse vel tribuere unquam posse in favorem praedictorum oeconomi et ministrorum, officialiumque regiorum et civitatis praedictae, ac quorumvis aliorum, cuiuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, praeeminentiae et dignitatis existentium et individuâ expressione dignorum, declaramus, ac, quatenus opus sit, eosdem actus cum omnibus et singulis inde sequutis annullamus, irritamus, cassamus, damnamus, viribusque et effectu evacuamus.

Clausulas addit.

§ 5. Decernentes praesentes litteras, ac in eis contenta quaecumque, nullo umquam tempore de sŭbreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae aut alio quantumlibet magno, inexcogitato et substantiali defectu, aut ex quovis alio capite, a iure, facto, aut statuto, vel consuetudine resultante, ac quocumque alio colore, vel praetextu, etiam in corpore iuris clauso, seu ex[1] quantumvis iustâ, rationabili et privilegiatâ, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntatę nostrâ huiusmodi et aliis superius expressis seu relatis nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, aut adversus illa restitutionis in integrum, aperitionis oris, vel aliud quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, vel etiam motu simili concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed easdem praesentes cum omnibus et singulis in eis contentis semper

1 Deest *quavis causâ*, vel simile (R. T.).

et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et quoscumque alios quavis auctoritate fungentes, nunc et pro tempore existentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari, interpretari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatque contrariis.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis, et in conciliis universalibus provincialibusque et synodalibus editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, et, quatenus opus sit, nostrâ de non tollendo iure quaesito et aliis cancellariae apostolicae regulis, necnon dictae civitatis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, oeconomo, ministris, laicis et aliis praedictis, ceterisque quibuslibet, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in contrarium praemissorum etiam motu simili et concistorialiter et aliàs quomodolibet emanatis, concessis, confirmatis et pluries innovatis, quatenus talia extarent; quibus omnibus et singulis, etiamsi[1] pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ inserti essent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis et formam in illis traditam pro servatâ habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII octobris MDCXLII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 22 octobris 1642, pontif. anno XX.

1 Edit. Main. legit *etiam* (R. T.).

DCCLXIII.

Prohibitio ne fratres laici seu conversi Ordinis fratrum Minorum Strictioris Observantiae sancti Francisci praecedant clericos professos, sub poenâ excommunicationis[2].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius procurator generalis fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum nobis nuper exponi fecit, ex quo fratres laici seu conversi eiusdem Ordinis indebite praetenderint semper et praetendant se in omnibus et singulis functionibus, tam publicis quam privatis, fratres clericos dicti Ordinis praecedere debere, gravissimae perturbationes, lites et contentiones, aliaque incommoda orta fuerint et in dies oriantur non sine maximo personarum secularium scandalo

2 De huiusmodi materiâ praecedentiae vide notata ad Constit. CDXCIII (*al.* 460) *Inter gravissimas*, tom. XIV, pag. 442; et ad Constit. DCCLIII (*al.* 730) *Aliàs*, supra pag. 197, et infra Constitut. DCCLXXX, sub datum XXII decembris huius anni, pag. 224.

et offensione; et propterea idem procurator generalis per nos in praemissis opportune provideri desideret:

Prohibet prout in rubrica.

§ 2. Hinc est quod nos, eorumdem fratrum, quos Deo in humilitatis spiritu iuxta suam vocationem servire convenit, tranquillitati consulere, et, ne ob praemissa mutuae inter eos charitatis ardor intepescat, providere pro pastorali curâ nostrâ volentes, motu proprio ac ex certâ scientiâ nostris, ne de cetero ulli dicti Ordinis fratres laici seu conversi, quovis sub praetextu, quaesito colore, vel ingenio, etiam ratione antiquioris suae ad habitum regularem dicti Ordinis receptionis, aut in eo emissae professionis, seu cuiusvis consuetudinis, fratres clericos eiusdem Ordinis in quibusvis functionibus, tam publicis quam privatis, praecedere, et ne quicumque superiores eiusdem Ordinis id deinceps quoquo modo permittere audeant vel praesumant, sub excommunicationis poenâ ipso facto per contrafacientes incurrendâ, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, statuimus, ordinamus et prohibemus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Ordini, illiusque superioribus, fratribus et personis, sub quibusvis verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus[1] specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 5. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII novembris MDCXLII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 17 novembris 1642, pontif. anno XX.

DCCLXIV.

Quod electiones prominstrorum custodum et guardianorum Ordinis fratrum Minorum de Observantiâ ac Reformatorum cismontanae familiae extra capitulum fiant per suffragia secreta et ballottationes[2].

1 Verba ista *de illis eorumque totis tenoribus* nos addimus (R. T.).

2 Quia in sequenti Constitutione nulla fit mentio de commissario ad comitia generalia mittendo, sacra congregatio episcoporum et regularium die XXVII ianuarii MDCXLV per suum decretum statuit

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Religiosos viros, qui, abnegantes semetipsos, ut facerent voluntatem Domini, suam fregerunt, sicuti peculiaribus huius sanctae Sedis favoribus et gratiis dignos existimamus, ita ad circumspectam illius providentiam pertinere dignoscimus ea sedulo statuere atque ordinare, quibus religiosi ipsi, qui[1] in eâ, quam singulari divinae benedictionis praesidio ingressi sunt, viâ digne ambulantes, amplioribus in dies coram oculis Domini proficiant incrementis.

Concedit prout in rubrica. § 1. Hinc est quod nos, dilectorum filiorum fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, pro paterno quo eos prosequimur charitatis affectu, statui et felici gubernio consulere, eisque specialem gratiam facere volentes, supplicationibus dilecti filii Fabii Papazoni commissarii generalis curiae eiusdem Ordinis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut de cetero omnes et singulae electiones, tam ministrorum, provincialium et custodum, quam guardianorum dicti Ordinis, per suffragia secreta et ballottationes fiant, et in paritate suffragiorum praesidens electionibus huiusmodi votum sive suffragium decisivum habeat;

Fiat compilatio statutorum. § 2. Praeterea, ut, postquam statuta generalia dicti Ordinis in unum volumen compilata et typis edita et revisa et approbata per Sedem Apostolicam fuerint, nulla alia ab inde in futurum statuta seu constitutiones in familiâ cismontanâ eiusdem Ordinis fieri seu condi possint, sed praedicta generalia statuta, postquam ut praefertur revisa et approbata per dictam Sedem fuerint, imposterum servari debeant;

Pro transitu ad familiam. § 2. Ad haec, ut de cetero fratribus de familiâ nuncupatis dicti Ordinis transitus ad fratres Reformatos eiusdem Ordinis non concedatur nisi in capitulis seu congregationibus provincialibus cum consensu utriusque ministri provincialis, vel ministri generalis, et, quoad[1] eos qui a fratribus Reformatis huiusmodi ad illos de familiâ transire voluerint, felicis recordationis Clementis VIII et Pauli V Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum ac nostrarum in simili formâ Brevis hac super re aliâs emanatarum litterarum forma omnino servetur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, statuimus, mandamus et ordinamus.

Concedit facultates poenitentiariae confessariis Portiunculae. § 4. Demum, ut fratres eiusdem Ordinis, ad audiendas christifidelium confessiones aliàs approbati, omnibus et singulis facultatibus poenitentiariis apostolicis in hac almâ Urbe nostrâ concessis circa admistrationem sacramenti poenitentiae, in ecclesiâ S. Mariae Angelorum nuncupatae eiusdem Ordinis prope Assisium quotannis die II augusti, qua festum solemne in dicto Ordine celebrari consuevit, dumtaxat, uti possint, eisdem auctoritate et tenore concedimus.

Decretum irritans. § 5. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis. § 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis

ipsum eligendum esse per schedulas et vota secreta, ac per pluralitatem votorum, nemine proponente, et ita semper servari mandavit in omnibus provinciis Reformatorum.

1 Voculam *qui* redundare cernitur (R. T.).

1 Edit. Main. legit *quod* pro *quoad* (R. T.).

et familiae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX novembris MDCXLII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 20 novembris 1642, pontif. anno XX.

DCCLXV.

Confirmantur nonnulla decreta Congregationis Concilii Tridentini pro ecclesiâ Gandavensi[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Proposita ab episcopo Gandavensi dubia.

§ 1. Aliàs, pro parte venerabilis fratris episcopi Gandavensis venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus sacri Concilii Tridentini interpretibus exposito, quod nonnulli ecclesiae Gandavensis ad sacros ordines non promoti, ex quodam asserto dictae ecclesiae statuto quod canonici sacrorum imperiti possint divina officia obire per alios canonicos eiusdem ecclesiae peritos a se substituendos, praetendebant sibi licere per alios canonicos sacerdotes in suo turno divina officia praefata peragere, et ex eâdem imperitiâ se ad sacros ordines suscipiendos cogi nullatenus posse, proptereaque ipse episcopus per eosdem cardinales cupiebat declarari: I. An allegatum statutum, quod canonici deservire possint per alios canonicos sacerdotes substitutos, pro canonicis non habentibus ordines sacros suffragetur, et exequi debeat, non obstante decreto sacri Concilii Tridentini praefati; II. An imperitia debeat eosdem canonicos perpetuo vel ad tempus excusare; III. An eisdem canonicis suffragetur, quod dicta ecclesia ante erectionem sedis episcopalis esset regularis a iurisdictione Ordinarii exempta; IV. An episcopus, post factas monitiones contra canonicos praedictos parere recusantes, valeat procedere ad privationem canonicatuum: subinde ab eisdem cardinalibus decretum declaratumque fuit ut infra, videlicet:

Die XX iulii MDCXLI,

Congregationis Concilii decreta.

Sacra congregatio eminentissimorum cardinalium Concilii Tridentini interpretum ad dubia supradicta respondit ut sequitur: Ad 1^{um} huiusmodi statutum non suffragari: Ad 2^{um} imperitiam non excusare: Ad 3^{um} non suffragare: Ad 4^{um} episcopum procedere debere, servatâ tamen formâ Concilii Tridentini.

Cardinalis PHAMPHILIUS;
FRANCISCUS PAULUTIUS S. C. C. secret.

Petitur pontificia confirmatio.

§ 2. Cum autem, sicut idem episcopus nobis nuper exponi fecit, decretum et declarationem huiusmodi, quo firmius subsistant, apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri summopere desideret:

Confirmantur.

§ 3. Nos, eumdem episcopum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humi-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

liliter porrectis inclinati, decretum et declarationem praeinserta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae. § 4. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, quos illae concernunt et concernent in futurum, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari,

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac praefato et quibusvis aliis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum efctum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX novembris MDCXLII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 30 novembris 1642, pontif. anno XX.

DCCLXVI.

Facultas cardinali Antonio Barberino deputandi personas ad compilandos processus contra ducem Mutinensem eiusque officiales, tamquam immunitatis ecclesiasticae iuriumque Sedis Apostolicae violatores[1].

Dilecto filio nostro Antonio S. Mariae in Vialatâ diacono cardinali Antonio Barberino nuncupato, S. R. E. camerario, nostro secundum carnem ex fratre germano nepoti,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

Facultas, de qua in rubricâ. § 1. Conservationi libertatis, immunitatis et iurisdictionis ecclesiasticae pro pastorali nostrâ sollicitudine consultum esse, ac illorum audaciam, qui libertatem, immunitatem et iurisdictionem huiusmodi quomodolibet violare, hanque sanctam Sedem quoquo modo offendere ausi fuerint, opportunis iuris et facti remediis retundi volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, circumspectioni tuae unam, seu plures personas, sive laicas, etiam non graduatas, sive ecclesiasticas, etiam in dignitate non constitutas, et aliàs tibi benevisas, quae contra quoscumcumque ministros et officiales dilecti filii nobilis viri Francisci ducis Mutinensis, ac etiam ipsum Franciscum ducem, quatenus ecclesias, monasteria et alia quaevis loca pia, ac personas ecclesiasticas, earumque et illorum res et bona quaelibet collectis, taleis, tributis, vectigalibus, contributionibus, vel quibuscumque aliis impositionibus et oneribus, aut militum hospitationibus gravare, vel immunitatem iurisdictionem et libertatem ecclesiasticam quoquo modo violare, aut quidquam adversus nos et Sedem praedictam seu in nostrum et illius damnum et praeiudicium moliri et attentare praesumerent, processus formare et fabricare, ac desuper diligentes informationes capere, et

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

quoscumque testes etiam ecclesiasticos tam seculares quam regulares, etiam quantumvis exemptos, pro informatione curiae examinare, ipsosque testes ad testificandum in praemissis iuxta sacrorum canonum decreta compellere, ac quos et quoties opus fuerit, etiam per edictum publicum, constito etiam summarie et extraiudicialiter, ac quantum tibi sufficere videbitur, de non tuto accessu, etiam ultra tres et plures dietas citare, aliaque omnia et singula in praemissis necessaria et quomodolibet opportuna facere et mandare possint et valeant, auctoritate nostrâ tam in scriptis quam etiam oretenus deputandi plenam et amplam facultatem, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII de unâ, et in concilio generali de duabus dietis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stylis et usibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 3. Volumus autem, quod omnes et singulos processus et testium depositiones, quos fabricari ac quas sumi super praemissis contigerit, sub sigillo tuo clausos et clausas ad nos quam primum caute et diligenter transmittas, ut, quod desuper statuendum fuerit, maturâ consultatione adhibitâ decernamus.

Personae delegandae non tenentur docere de sui deputatione.

§ 4. Volentes ac decernentes, quod neque tu, neque illi, quos, ut praefertur, deputaveris, praesentes nostras, aut deputationum suarum litteras seu instrumenta cuiquam exhibere, vel aliàs de facultatibus tibi et illis vigore praesentium datis et concessis docere, vel aliquâ fide in iudicio vel extra illud facere unquam teneamini, sed tuis[1] et eorum attestationibus, seu attestationi, etiam oretenus faciendis, super facultatibus et deputationibus huiusmodi plena adhibeatur et adhiberi debeat fides ubique, ac tam in iudicio, quam extra illud, etiam post completos processus, ad quemcumque[2] effectum.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI decembris MDCXLII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 6 decembris 1642, pontif. anno XX.

DCCLXVII.

Declarat à delegatis per se in causâ amotionis patris Nicolai Rodulphi a magisterio generali Ordinis Praedicatorum et electionis alterius magistri generalis procedendum esse extraiudicialiter[3].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Refert depositionem magistri generalis variasque subsequutas electiones.

§ 1. Nuper a nobis accepto, quod in capitulo generali fratrum Ordinis Praedicatorum in eorum monasterio S. Dominici civitatis Ianuensis celebrato die

1 Male edit. Main. legit *suis* (R. T.).
2 Male edit. Main. habet *quamcumque* (R. T.).
3 Ex Regest. in Secret. Brev.

XXV octobris proxime praeteriti facta fuerat depositio seu amotio dilecti filii Nicolai Rodulphi praedicti Ordinis magistri generalis et die XXVI dicti mensis electus in magistrum generalem dicti Ordinis a nonnullis vocalibus, aliisque forsan non vocalibus, dilectus filius Michaël Mazzarinus prior provincialis provinciae Romanae, et deinde die XXX eiusdem mensis octobris in monasterio loci de Cornigliano eiusdem Ordinis, a civitate Ianuensi per tria milliaria distante, ab aliis fratribus eiusdem Ordinis vocalibus, et aliis forsan non vocalibus, electus quoque fuerat in magistrum generalem praedicti Ordinis dilectus etiam filius Thomas Roccamora definitor provinciae Aragoniae Ordinis huiusmodi, quodque desuper factae fuerant diversae protestationes etiam super nullitate seu invaliditate definitorii seu capituli praedicti, et interpositae appellationes nedum ad dilectum filium nostrum Antonium S. Mariae in Vialatâ diaconum cardinalem Barberinum nuncupatum sanctae Romanae Ecclesiae camerarium Ordinis praedicti apud nos et Sedem Apostolicam protectorem, verum etiam ad nos et Sedem praedictam:

Causasque omnes inde exortas ad se fuisse avocatas.

§ 2. Nos illico, habitâ de praemissis notitiâ, ne exinde eidem Ordini aliquod maius praeiudicium resultaret, iussimus nec in conventu S. Mariae supra Minervam de Urbe eiusdem Ordinis, nec alibi occasione praemissorum aliquid innovari, donec huiusmodi controversiae, iustitiâ mediante, fuerint a nobis terminatae; ac subinde omnes et singulas controversias, litesque et causas, ac appellationes interpositas nullitatesque hinc et inde allegatas allegandasque et deducendas adversus quaecumque acta, etiam capitularia, in quocumque loco et a quibuscumque praemissorum occasione facta et gesta, illarumque cognitionem et terminationem ad nos vocavimus, cognitionique et terminationi nostrae reservavimus, praedictamque iussionem confirmavimus, exequutionemque amotionis et electionis praedictarum, ac aliorum quorumcumque actorum in capitulo et alibi factorum et inde sequutorum, ipsasque amotionem et electiones, ac quaecumque alia acta praedicta, sine tamen praeiudicio quorumcumque iurium cuicumque competentium, ac sine retardatione inquisitionis et processus causae et causarum litisque et litium pendentium contra dictum Nicolaum, suspendimus, donec a nobis controversiae causaeque et lites huiusmodi prout de iure terminatae fuerint, prout in nostris sub die IX novembris proximi praeteriti desuper expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro expresso[1] haberi volumus uberius continetur.

Nonnullisque commissas, qui sibi referrent.

§ 3. Ac subinde, volentes nos de praemissis exactam cognitionem ad nobis referendum capi, dilecto filio nostro Hieronymo tituli S. Agnetis in Agone presbytero cardinali Verospio nuncupato, ac venerabili fratri Ioanni Baptistae episcopo olim Camerinensi, ac dilectis filiis magistris Marco Aurelio Maraldo, Prospero Fagnano et Francisco Paulutio, in utrâque signaturâ nostrâ referendariis, et Petro Francisco de Rubeis fisci et camerae nostrae apostolicae advocato, seu eorum maiori parti, omnium et singularum contentionum, controversiarum, litium et causarum appellationum interpositarum, nullitatumque hinc inde allegatarum et allegandarum huiusmodi, cum omnibus et singulis earum incidentibus et emergentibus, annexis et connexis, totoque negotio principali, cognitionem et discussionem ad referendum nobis cum facultatibus ac sub modo et formâ tunc expressis commisimus, et aliàs, prout in aliis nostris etiam in formâ Brevis die X eiusdem

1 Male edit. Main. legit *expressi* (R. T.).

mensis novembris expeditis litteris uberius continetur.

Habitis itaque per delegatos aliquibus congregationibus,

§ 4. Quarum vigore praedicti deputati, seu eorum maior pars, nedum eidem Michaëli Mazzarino personaliter primodictas nostras litteras ac etiam praeceptum pro illarum observatione intimarunt, sed etiam aliquas congregationes pro praemissis discutiendis fecerunt, in quibus, ut etiam accepimus, ex parte praedictorum Nicolai et Michaëlis, ac provincialium qui illum deposuerunt et hunc elegerunt, plura fuerunt coram eisdem deputatis simul congregatis saepius et voce et scripto deducta, ac etiam ipsemet Michaël semel personaliter in unâ praedictarum congregationum comparens fuit auditus.

Adiunctisque postea nonnullis cardinalibus dictis,

§ 5. Ut autem accuratior praemissorum discussio fiat, praedictis deputatis, pro cognitione eorumdem praemissorum ad nobis referendum, dilectos filios nostros Bernardinum S. Petri ad Vincula, Spadam Iulium S. Susannae titulorum, Sacchettum ac Franciscum Mariam basilicae Duodecim Apostolorum, presbyteros cardinales, Brancatium respective nuncupatos, necnon magistrum Iulium Rospigliosum in utrâque signaturâ nostrâ referendarium per alias nostras in simili formâ Brevis die XXIX dicti mensis novembris expeditas litteras adiunximus, in quorum omnium pluribus congregationibus praedicti et alii provinciales, qui dictum Nicolaum deposuerunt, ac praedictum Michaëlem elegerunt, fuerunt auditi.

Urbanus, ut citius res componantur,

§ 6. Quia vero nostrae mentis et intentionis fuit et est controversias et contentiones huiusmodi, tamquam tendentes in maximum dicti Ordinis et regularis disciplinae detrimentum, remotis litium et iudiciorum ambagibus, quanto citius radicitus amputari et tolli: idcirco, ne circa modum cognitionis praemissorum contingat in aliquo haesitari,

A delegatis extraiudicialiter procedendum esse declarat.

§ 7. Motu proprio, ac ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium declaramus, eiusdem mentis et intentionis nostrae fuisse et esse, ut cardinales et praelati ac advocatus fisci et camerae apostolicae praedicti, in praedictis nostris litteris deputati, seu eorum maior pars, in praemissis non iudicialiter procederent, sed ut partes hinc inde extraiudicialiter, nullo iuris ordine servato, et absque ullâ telâ iudiciariâ, ac non servatâ aliquâ iudicii formâ aut iuris solemnitate, audiant, illisque sic extraiudicialiter auditis, nobis referant, satisque fore et esse, si (per extraiudicialem qualemcumque monitionem contra praeditos Nicolaum et Michaëlem, si personaliter[1] haberi poterunt, nisi minus per dimissionem copiarum ad loca eorum habitationis et affixionem in valvis monasterii Beatae Mariae supra Minervam, adversus autem alios omnes et quoscumque interesse habentes, aut quomodolibet habere putantes seu praetendentes, per proclama in eisdem valvis monasterii Beatae Mariae supra Minervam, ac in acie Campi Florae et in valvis aedium praedicti Ioannis Baptistae, episcopi olim Camerinensis, per unum ex nostris cursoribus, de ordine praedictae Congregationis, etiam ex officio semel, ut praemittitur, intimandam seu exequendam) iidemque[2] Nicolaus et Michaël, omnesque et quicumque alii quomodolibet interesse habentes, aut habere putantes, seu praetendentes, fuerint moniti ad exhibendum in actis dilecti filii Sebastiani Caesii notarii vicarii Urbis, dicendum et allegandum, tam verbo, quam scriptis, coram ipsâ congregatione, seu eius deputatis, infra peremptorium terminum trium dierum a die huiusmodi intimationis seu exequutionis respective de-

1 Legerem *personaliter, si,* etc. (R. T.).
2 Sufficit legere *iidem* (R. T.).

currendum, qui quidquid volunt et possunt super huiusmodi negocio, cum comminatione, quod, elapso praedicto triduo, nobis praedicti deputati relationem facient, et huiusmodi extraiudiciales monitiones, seu certiorationes, ut praemittitur, faciendas et exequendas perinde afficere, ac si forent praedictis et eorum singulis personaliter intimatae.

Eiusque necessarias ad id facultates concedit.

§ 8. Ac etiam pro potiori cautelâ, quatenus opus sit, eisdem deputatis, ut supra, plenam et amplam, necessariamque et quomodolibet opportunam potestatem et facultatem denuo super praedictis tenore praesentium concedimus et impertimur, ac ex nunc omnia et singula, quae earumdem vigore facta fuerint, valida fore, plenamque roboris firmitatem obtinere decernimus et declaramus, illasque approbamus et confirmamus, supplentes omnes et singulos facti et iuris defectus quantumlibet substantiales, si qui forsan desuper intervenerint.

Clausulas addit.

§ 9. Decernentes praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae, aut quocumque alio quantumvis substantiali defectu, ex quovis capite, praetextu, causâ et occasione notari et impugnari, in controversiam adduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, et quodvis aliud iuris facti vel gratiae remedium impetrari, seu etiam motu simili concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti posse; sed illas semper validas, firmas et efficaces existere et fore, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit, etc.

Tollitque contraria.

§ 10. Non obstantibus omnibus et singulis, quae in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI decembris MDCXLII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 6 decembris 1642, pontif. anno XX.

DCCLXVIII.

Cavetur, quominus doctoribus collegiatis studii Bononiensis in venditione locorum redemptorum Montis Annonae tertiae erectionis *a regimine et administratoribus gabellae praedictae praeiudicium inferatur* [1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Refert datam regimini Bononiensi facultatem quaedam montium loca vendendi.

§ 1. Aliàs dilectis filiis regimini et reformatoribus libertatis civitatis nostrae Bononiensis, quo pecuniae, quibus in praesentes necessitates utantur, illis suppeterent, concessimus ut, cum participatione dilecti filii nostri tunc existentis in praedictâ civitate et illius comitatu nostri et Apostolicae Sedis de latere legati, ea omnia et singula loca et portiones montis *Retalei* nuncupati, vel montis *de Annonâ tertiae erectionis* etiam nuncupati, apostolicâ nostrâ auctoritate aliàs erectorum, eo usque redempta seu francata, ex illis pecuniis quae superfuerant de exactis, ratione augmenti datii carnis pariter nuncupati in civitate, comitatu, districtu et legatione Bononiensi, ac insuper maiorem eorumdem locorum seu portionum alterutrius ex montibus huiusmodi quantitatem, cum eisdem privilegiis et immunitatibus contentis in litteris apostolicis

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

super erectione montium huiusmodi emanatis, eisdemque modo et formâ in omnibus et per omnia, vendere, illorumque dote in praedictas necessitates tantum uti, ita tamen ut ex eo quod superesset scuta mille Bononiensia libera remanerent in montis, cuius loca revenderentur, extinctionem et francationem, in erectione montis huiusmodi seu licentiâ illum erigendi ordinatam, convertenda: necnon etiam (quia non ita pridem aliam medietatem augmenti datii praedicti, quae camerae apostolicae solvenda erat, iuxta nostras super erectione dicti montis *del Retaglio* nuncupati expeditas litteras, eisdem regimini et reformatoribus concesseramus, eâ lege ut ipsi eidem camerae quotannis vigintiduo librarum monetae praedictae millia persolvere deberent iuxta instrumentum desuper celebratum) nos eisdem regimini et reformatoribus insuper indulsimus, quod pariter illâ pecuniarum quantitate, quae ultra dicta viginti duo librarum huiusmodi millia quotannis percipi posset ex exactione medietatis augmenti dicti datii, ad eamdem cameram apostolicam prius spectantis, ut praefertur uti, et inde tot loca alterutrius ex montibus huiusmodi, pro solvendis quorum fructibus ad rationem quinque scutorum pro quolibet loco pecuniarum quantitas praedicta sufficeret, erigere, seu iam erecta vendere libere et licite possent et valerent, et aliàs, prout in nostris in simili formâ Brevis die v octobris proxime praeteriti desuper expeditis litteris, quarum tenores proesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Doctores autem studii generalis supplicasse, ut suis privilegiis consuleretur.

§ 2. Cum autem, sicut nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii doctores collegiati universitatis studii generalis dictae civitatis, ducenti et amplius anni effluxerint ex quo datium *gabellae grossae* nuncupatum cum eius annexis in civitate praedictâ fuit auctoritate apostolicâ separatum ab aliis datiis eiusdem civitatis, et pro manutentione dicti studii applicatum, concessâ doctoribus collegiatis huiusmodi totali eius administratione, et relicto aliorum datiorum eiusdem civitatis gubernio eisdem regimini et reformatoribus; indeque factum fuerit, ut nos, quando partem reddituum dictae *gabellae grossae* pro dote montis *Annonae* praedicti assignavimus, facultatem vendendi loca montis huiusmodi illiusque administrationem non solum regimini et reformatoribus praedictis, scilicet assumptis ab eodem regimine deputatis pro administratione praedictae *gabellae grossae*, sed etiam gabellae praedictae syndicis et administratoribus per alias nostras in eâdem formâ Brevis die XXIII septembris MDCXXVIII expeditas litteras concesserimus; de hac vero concessione in praedictis nostris litteris die v octobris expeditis nulla fiat mentio: nobis propterea exponentes praedicti humiliter supplicari fecerunt, ut eorum indemnitati in praemissis per opportunae declarationis nostrae ministerium providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Consulit Urbanus.

§ 3. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, mentis et intentionis nostrae non fuisse ullum per iam dictas nostras litteras praeiudicium iuribus exponentium praedictorum inferre, ac proinde circa administrationes locorum dicti montis *Annonae*, vigore earumdem litterarum nostrarum venditorum, servandum esse omnino

id quod per dictas nostras litteras die XXIII septembris MDCXXVIII desuper ut praefertur expeditas statuimus et ordinamus, servatâ in omnibus formâ et dispositione praedictarum nostrarum dictâ die V octobris expeditarum litterarum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus.

Sicque ab omnibus iudicari praecipit.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Et contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac omnibus illis quae in dictis nostris litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis, etc.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII decembris MDCXLII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 12 decembris 1642, pontif. anno XX.

DCCLXIX.

Modus praecedendi inter fratres Minores Strictioris Observantiae sancti Francisci familiae cismontanae[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Motiva.

Aliàs, pro congregatione generali proxime praeteritâ, ut in provinciis reformatis fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quod electiones in capitulis et congregationibus capitularibus earumdem provinciarum per secreta suffragia fiant, et in suffragiorum paritate praesidens ipsius capituli seu congregationis votum decisivum habeat, ac, circa transitum eorumdem Reformatorum ad fratres de familiâ seu Observantes eiusdem Ordinis, constitutiones felicis recordationis Clementis VIII necnon Pauli V Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum et nostra desuper edita observentur, apostolicâ auctoritate statuimus, concessimus et indulsimus, et aliàs, prout in nostris desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Commissarii generalis praeces.

§ 1. Cum autem, sicut dilectus filius commissarius generalis eorumdem fratrum Reformatorum Ordinis huiusmodi nobis nuper exponi fecit, statuta generalia omnium et singularum provinciarum Reformatorum cismontanae familiae dicti Ordinis a nobis approbata et confirmata typis mandari debeant, praemissa vero concessiones et indulta, necnon ordo in eisdem statutis circa praecedentiam stabilitus, cum nonnullis constitutionibus apostolicis non concordent: nobis propterea idem commissarius generalis humiliter supplicari fecit, ut praemissa pro illorum subsistentiâ firmiori apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communire, ac aliàs opportune, ut infra, providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio indultorum Pontificiorum.

§ 2. Nos igitur, eumdem commissarium generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praefata concessiones et indulta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque in-

1 Statuta, de quibus agitur, fuerunt confirmata anno MDCXXVIII, prout sub Constit. CLXIII (*al.* 150) *Sacrosanctum*, tom. XIII, pag. 373 (vel potius Constit. CLXXII, *In supremo*, tom. XIII, pag. 393, et in Const. CLXXVI *Iniuncti nobis*, ibid., p. 409); reliqua vide ad Const. DCCLXIII, supra pag. 211 *Religiosos viros*, ac in Const. DCXLI, (*al.* 612) *Iniuncti nobis*, tom. XIV, pag. 719.

violabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et insuper quod definitores secundum ordinis antianitatem praecedant.

Ordo praecedentiae.

§ 3. Quinam autem et quomodo praecedere debeant[1], ut sciatur quis minister provincialis, qui aliàs ministri generales seu commissarii generales, qui tamen uni soli dumtaxat superiori actuali suberunt, et qui procuratores aut definitores generales, qui propriae aut alterius provinciae ministri provinciales, qui custodes regiminis in suâ aut alienâ custodiâ reformatâ, qui secretarii generales per triennium, iuxta bullam unionis, aut qui guardiani Terrae Sanctae fuerunt, necnon custos vocalis et definitores actuales durante officio, provinciales actuales extra provinciam praecedant eos qui aliàs ministri provinciales fuerunt; post eosdem ministros provinciales actuales in sacrâ thelogiâ lectores actuales, ac guardiani in eius conventibus omnes et singulos, eorum superioribus actualibus exceptis; vicarii omnes alios praeter Ordinis et provinciae patres praecedant; sedebunt tamen in refectorio iuxta et prope guardianos immediate, et absentibus ipsis guardianis in actionibus publicis etiam omnes supradictos praecedent; post ipsos autem vicarios, sacerdotes, deinde clerici, et post clericos laici dicti Ordinis, iuxta antiquitatem receptionis habitus, pariter praecedent.

§ 4. Ac, ut cuivis perturbationi, quae circa modum praecedentiae huiusmodi oriri posset, obviam eatur, mandamus omnibus et singulis dicti Ordinis superioribus Reformatis huiusmodi, sub suorum officiorum privationis ipso facto incurrendâ poenâ, ut praedictum praecedentiae modum et ordinem inter eosdem fratres Reformatos, ut praefertur, stabilitum, ab omnibus ad quos spectat et pro tempore spectabit inviolabiliter observari curent et faciant, et ipsimet observent.

1 Ordinem praecedentiae, in hac § praescriptum, intellige ut potes, lector benigne (R. T.).

Clausulae.

§ 5. Decernentes irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis, provinciarum et custodiarum reformatarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum praemissorum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII decembris MDCXLII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 22 decembris 1642, pontif. anno XX.

DCCLXXX.

Nova confirmatio specialis pro provinciis Indis privilegiorum, et declaratio statutorum pro gubernio fratrum Minorum Discalceatorum nuncupatorum Hispaniarum ac Indiarum[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Referuntur litterae aliàs emanatae.

§ 1. Aliàs, pro felici prosperoque regimine et gubernio ac uniformiori fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Discalceatorum nuncupatorum provinciarum et custodiarum Hispaniarum et Indiarum perfectione et puritate, a nobis

1 Prima confirmatio legitur sup. pag. 197 (R. T.).

emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam. Aliàs, postquam, sublatis, etc.[1].

Confirmatio praedictarum litterarum.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, in praefatis Indiarum partibus, ob ingentes distantiam et quae inter ipsos fratres Discalceatos cum Observantibus eiusdem Ordinis intercedit contractionem, expediat, ut litterae apostolicae quae eo perveniunt maxime clarae sint, clausulasque contineant efficaces, earumdemque litterarum exequutio venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis illarum partium, in quibus nullus Sedis Apostolicae nuncius existit, committatur: idcirco nos, pro nostrâ pastorali sollicitudine in praemissis opportune, ut infra, providere volentes, motu, scientiâ ac deliberatione paribus, deque apostolicae potestatis plenitudine, praeinsertas nostras litteras cum omnibus in eis contentis tenore praesentium confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Et insuper, quod dicti Ordinis fratres Discalceati huiusmodi, qui, absentibus eorum ministris generalibus, supradictas provincias et custodias Indiarum praesentes et futuras regere et visitare debebunt, earumdem provinciarum et custodiarum Indiarum aut Hispaniarum ex Discalceatis huiusmodi filii esse, et in illis habitum per eosdem Discalceatos gestari solitum suscepisse, et professionem per eos emitti consuetam expresse emisisse debeant; quodque nullus ex dicti Ordinis Observantibus (praeter illius ministrum generalem pro tempore existentem) aut qui aliàs de Observantia fuerit, etiamsi inter eosdem fratres Discalceatos, eos[1] regere, nec visitare, nec in eos ullum superioratis actum quoquomodo exercere queat: in eventum vero, in quem ministri generales praemissis aut illorum cuilibet contravenirent, praefatae provinciae et custodiae eorumdem fratrum Discalceatorum Indiarum huiusmodi, iuxta quasdam alias in simili formâ Brevis die VIII aprilis proxime praeteriti ad hunc effectum pro provinciis eorumdem fratrum Discalceatorum Hispaniarum concessas et emanatas[2], vivere et gubernare[3] possint;

Communicatio huiusmodi privilegiorum.

§ 3. Ac demum, quod dictae provinciae et custodiae eorumdem Discalceatorum Indiarum, praesentes et futurae, quarumvis litterarum, privilegiorum et gratiarum a Sede Apostolicâ provinciis fratrum Discalceatorum Hispaniarum, videlicet, S. Iosephi, S. Pauli, et S. Ioannis Baptistae concessorum et concedendorum participes sint, statuimus et ordinamus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quoquam defectu nullatenus unquam notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, in ius vel controversiam adduci vel revocari posse; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, Sedisque praedictae nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutorum deputatio.

§ 5. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis et aliis locorum

1 Reliquum nos iam retulimus supra suo loco et ordine, pag. 197 (R. T.).

1 Pronomen *eos* nos addimus (R. T.).

2 Quas vide supra pag. 178 (R. T.).

3 Aptius lege *gubernari* (R. T.).

Ordinariis in eisdem Indiarum partibus constitutis, sive dilectis filiis eorum in spiritualibus vicariis et officialibus per easdem praesentibus committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, ubi et quando opus fuerit, aut quoties pro parte eorumdem fratrum Discalceatorum provinciarum et custodiarum Indiarum, huiusmodi fuerint requisiti, seu aliquis eorum fuerit requisitus, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ praeinsertas et praesentes nostras litteras huiusmodi debitae et omnimodae exequutioni demandari; non permittentes eos contra earumdem praeinsertarum et praesentium litterarum tenorem quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus omnibus et singulis illis quae in eisdem praeinsertis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 6. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII decembris MDCXLII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 22 decembris 1642, pontif. anno XX.

DCCLXXI.

Confirmatio decreti Congregationis Concilii quod episcopus Saonensis non possit impediri a visitatione hospitalis B. Mariae de Misericordia civitatis Saonensis[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Causâ vertente inter episcopum et administratores hospitalis de Misericordia;

§ 1. Exponi nobis nuper fecit venerabilis frater modernus episcopus Saonensis, quod in causâ inter ipsum ex unâ, necnon inter dilectos filios communitatem et homines ac administratores hospitalis B. Mariae de Misericordia nuncupati civitatis Saonensis partibus ex alterâ, super visitatione dicti hospitalis vertente, dubio iussu nostro proposito, a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus Concilii Tridentini interpretibus emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet:

Sacra congregatio Concilii decrevit episcopum non posse impediri ab illius visitatione.

§ 2. Die VI decembris MDCXXXII sacra congregatio eminentissimorum cardinalium Concilii Tridentini interpretum, partibus auditis ore et scriptis, ac rationibus hinc inde deductis reiterate et mature perpensis, unanimi voto censuit episcopum non posse impediri a visitatione dicti hospitalis B. Mariae de Misericordia, nec ab assistentiâ in revisione rationis reddendae administrationis et reddituum eiusdem hospitalis.

Card. Pamphilius.

Loco † Sigilli.

Franciscus Paulutius
S. Congregationis Concilii Secr.

Quod decretum episcopus petit confirmari.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat idem episcopus decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri summopere desideret:

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Confirmatus. § 4. Nos, eumdem episcopum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae. § 5. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis quos illae concernunt inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Archiepiscopus Ianuensis exequutor deputatur. § 6. Quocirca venerabili fratri episcopo Ianuensi per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit et quoties pro parte eiusdem et pro tempore existentis episcopi Saonensis fuerit requisitus, solemniter publicans, illique in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostrâ praeinsertum decretum praesentesque nostras litteras debitae et omnimodae exequutioni demandari, et ab omnibus ad quos spectat et pro tempore spectabit, observari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria tolluntur. § 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac civitatis et hospitalis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III ianuarii MDCXLIII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 3 ianuarii 1643, pontif. anno XX.

DCCLXXII.

Indultum alumnis collegii Scotorum Parisiis suscipiendi sacros ordines absque litteris dimissorialibus et titulo[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Indultum, de quo in rubricâ. § 1. Ut alumni collegii Scoti, in civitate Parisiensi canonice erecti, eo ad litterarum studia prosequenda specialibusque suae patriae necessitatibus succurrendum alacriores sint, quo ampliores ab hac sanctâ Sede gratias et favores receperint, illorum necnon dilecti filii rectoris collegii huiusmodi supplicationibus

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, eisdem alumnis, ut eo temporis spatio, quo in collegio praedicto sese continuerint et superiorum iudicio in studiis profecerint, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, etiam sine litteris dimissorialibus, nisi habeant episcopos proprios a quibus illae obtineri potuerint cum ad collegium dirigentur, et sine beneficii ecclesiastici aut patrimonii titulo, ac etiam extra legitimarum ordinationum tempora, dummodo tamen aliàs ad id reperiantur idonei, promoveri possint et valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus.

Indulgentia alumnis nonnullis temporibus proposita.

§ 2. Necnon, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis scholaribus, qui in dictum collegium recepti fuerint, in ipso ingressu, ac deinde in exitu, si quidem confessi et contriti sacram communionem devote receperint, atque etiam, si in eodem collegio decedere eos ab humanis contigerit, in mortis articulo plenariam omnium peccatorum suorum remissionem elargimur.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in conciliis universalibus provincialibusque et synodalibus editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI ianuarii MDCXLIII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 11 ianuarii 1643, pontif. anno XX.

DCCLXXIII.

Privilegia concessa universitati et personis mercatorum fundaci et mercantiae Urbis.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

Sincerae devotionis affectus, quem dilecti filii universitas et homines artis mercatorum de fundaco et mercantiâ nuncupata huius almae Urbis nostrae erga nos et Apostolicam Sedem gerere comprobantur, nos inducit, ut eorum indemnitati libenter consulamus.

Credatur libris mercatorum sine adminiculis usque ad scutos quinquaginta monetae contra omnes personas.

§ 1. Volentes igitur universitatem et homines huiusmodi specialibus favoribus et gratiis prosequi, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ad homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eisdem universitati et hominibus et eorum singulis, ut ipsorum codicibus et libris rationum de mercibus et rebus ad artem mercatorum huiusmodi spectantibus, usque ad summam quinquaginta scutorum monetae romanae dumtaxat, contra quamlibet personam, omnibus partitis eiusdem rationis simul computatis, ubique in iudicio et extra iudicium plene credatur, et indubia fides adhibeatur, etiam sine adminiculis, dummodo dicti libri mercantiles et mercantiliter mercatorumque more et ordine scripti, confecti et retenti sint, rationabilique suspicione careant, ac ipsi mercatores scribentes sint bonae fidei et a consulibus dictae universitatis approbati;

Praeferantur mercatores pro scutis quinquaginta monetae post pistores et aromatarios omnibus aliis creditoribus etiam habentibus obligationem cameralem, et ex causa dotis.

§ 2. Praeterea, quod dicti mercatores ac eorum haeredes et successores pro pretio mercium et rerum ad eamdem artem spectantium post pistores et aromatarios eiusdem Urbis omnibus et singulis aliis cuiusvis defuncti quamvis potioribus et anterioribus creditoribus, etiam

quasvis obligationes, etiam camerales et publica instrumenta iurata et quavis hypothecâ vallata, etiam causâ dotis, et quasvis alias clausulas seu cautelas in se continentes habentibus, usque ad similem summam quinquaginta scutorum huiusmodi tantum, praeferantur et praeferri debeant, dummodo quoad dotes probetur versio in utilitatem viri et uxoris, ac filiorum in communione viventium;

Appellatio suspensiva datur in causis mercatorum solum pro summa pro qua permittitur appellare in causis pistorum et aromatariorum Urbis.

§ 3. Denum, quod in causis mercatorum huiusmodi contra quoscumque motis et movendis de mercibus et rebus ad artem praedictam spectantibus non sit locus appellationi suspensivae pro eâ summâ pecuniarum dumtaxat, pro qua in causis aromatariorum et pistorum praedictorum, vigore indultorum apostolicorum eis concessorum, non datur pariter appellatio suspensiva, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes praesentes litteras nullo unquam tempore ex quocumque capite vel causâ de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel alio quovis defectu notari vel impugnari, in ius vel controversiam revocari, aut adversus illas quodvis iuris et facti vel gratiae remedium impetrari posse, sed illas semper validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dictis mercatoribus plenissime suffragari, sicque, et non aliter, in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici ac curiae camerae apostolicae generales auditores, et quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, nunc et pro tempore existentes, iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, legibus quoque etiam imperialibus, ac praedictae artis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Contrariis derogat.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII ianuarii MDCXLIII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 12 ianuarii 1643, pontif. anno XX.

DCCLXXIV.

Indulgentia perpetua in ecclesiis fratrum Tertii Ordinis sancti Francisci pro festo Portiunculae.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

In litteris apostolicis indulgentiae Portiunculae non nominabantur ecclesiae Tertii Ordinis.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius Ioannes de Solis fratrum Tertii Ordinis sancti Francisci provinciae Andalusiae et regni Granatensis in Hispania procurator generalis suo et eorumdem fratrum nominibus nobis nuper exponi fecit, aliàs felicis recordationis Pius Papa V praedecessor noster per quasdam suas litteras incipientes, *Ea est officii nostri ratio*, fratribus Tertii Ordinis eiusdem sancti Francisci eorumque ecclesiis omnia et singula privilegia, dispensationes, indulgentias et indulta apostolica dilectis filiis fratribus Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum et eorum ecclesiis concessa et concedenda, multique alii et praesertim Paulus V et Gregorius Romani Pontifi-

ces etiam praedecessores nostri omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui praedictas eorumdem fratrum Minorum ecclesias die secundâ augusti a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi singulis annis devote visitavissent, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium suorum peccatorum indulgentiam et remissionem perpetuo duraturam misericorditer in Domino respective concesserint; quia vero dicta plenaria indulgentia perpetua nominatim et expresse fratribus dicti Tertii Ordinis per litteras eorumdem Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum concessa non reperitur, christifideles ad eorumdem Tertiariorum ecclesias die praefatâ non confluunt:

Procuratoris generalis preces.

§ 2. Nobis propterea per eumdem Ioannem procuratorem generalem huiusmodi dictis nominibus supplicatum fuit, ut in praemissis opportune, ut infra, providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, eumdem Ioannem procuratorem generalem huiusmodi specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque eccclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati,

Pontifex concedit, ut in rubrica.

§ 3. Quod omnes et singuli utriusque sexus christifideles vere poenitentes et confessi, ac sacrâ communione refecti, qui ecclesias fratrum Tertiariorum huiusmodi ubilibet existentes dictâ secundâ die augusti a primis vesperis usque ad occasum solis eiusdem diei visitaverint, et ibi oraverint, ut praefertur, pariformiter, et absque ullâ prorsus differentiâ, eamdem plenariam peccatorum suorum indulgentiam et remissionem consequantur, perinde ac si praemissa in ecclesiis praedictorum fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ peragerent, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus, concedimus et indulgemus.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae dicti Romani Pontifices praedecessores voluerunt non obstare, ac, quatenus opus sit, regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII ianuarii MDCXLIII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 13 ianuarii 1643, pontif. anno XX.

DCCLXXV.

Erectio provinciae reformatae S. Vigilii fratrum Minorum sancti Francisci Strictioris Observantiae[1].

1 De erectione custodiarum Reformatarum in provincias vide in Constit. CLXXII, *In supremo*,

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Pastoralis officii nobis divinitus iniuncti assidua sollicitudo nos admonet, ut omni curâ et vigilantiâ ad ea semper intendamus, per quae regularium personarum, quae, relicto seculo, Dei obsequio se sub arctioris disciplinae normâ dedicarunt, statui consulitur, ut secundum Ordinum suorum regularia instituta gratum Altissimo impendentes famulatum felicioribus in dies in viâ Domini proficiant incrementis.

Motiva separationis. § 1. Cum itaque, sicut exponi nobis nuper fecit dilectus filius commissarius generalis fratrum Minorum Ordinis sancti Francisci de Observantiâ et Reformatorum nuncupatorum, e re Ordinis huiusmodi apprime futurum sit, si S. Bernardini Tridentini, ac S. Antonii de Cles, necnon S. Mariae Gratiarum nuncupatae de Arco, ac S. Rocchi de Rovereto, et S. Francisci de Burgo, necnon eiusdem S. Francisci de Pergine terrarum, seu locorum, Tridentinae et Feltrensis respective dioecesis, domus regulares seu conventus fratrum Reformatorum Ordinis huiusmodi a provinciâ Venetâ, aliàs S. Antonii, eiusdem Ordinis, sub qua existunt, omnino separentur, dismembrentur, ac ex illis nova provincia sub titulo S. Vigilii erigatur et instituatur, nedum quia fratres domorum regularium seu conventuum huiusmodi sunt nationis diversae ab aliis provinciae Venetae praedictae fratribus, sed etiam ob linguarum varietatem, commissariorumque Ordinis huiusmodi in Germania pro tempore mittendorum commoditatem, qui ad munus commissarii huiusmodi eo aptiores erunt, quo magis idiomate ac moribus italis imbuti fuerint, prout sunt Tridentini, tum etiam, quia maior erit numerus illorum qui habitum regularem suscipient, quando propriam in illis partibus provinciam habuerint, magno cum animarum christifidelium Germaniae fructu et consolatione:

Erigit provinciam prout in rubrica. § 2. Nobis propterea dictus commissarius generalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, qui cultum divinum et regularem disciplinam nostris temporibus ubique augeri sinceris desideramus affectibus, piis dicti commissarii generalis votis huiusmodi, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, domos regulares seu conventus supradictas et supradictos a dictâ provinciâ Venetâ, seu S. Antonii, eiusdem Ordinis, sub qua hactenus, ut praefertur, extiterunt, omnino dismembramus et separamus, ac domos regulares seu conventus huiusmodi sic dismembratas, seu dismembratos, separatasque, seu separatos, in novam provinciam S. Vigilii nuncupandam cum omnibus et singulis praeeminentiis, praerogativis, indultis, privilegiis et gratiis, quibus aliae fratrum Reformatorum eiusdem Ordinis provinciae frui et gaudere solent, ac possunt et debent, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, erigimus et instituimus.

Decretum irritans. § 3. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac fratribus praedictis plenissime suffragari, sicque per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et provinciae Venetae seu S. Antonii hu-

tom. XIII, pag. 393 et Constit. CLXXVI ibid., pag. 409, et in Constit. DCXLI (*al.* 612) *Iniuncti nobis*, tom. XIV, pag. 719.

iusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem provinciae Venetae, seu S. Antonii, eiusdem ministro provinciali, et quibusvis aliis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum praemissorum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII ianuarii MDCXLIII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 18 ianuarii 1643, pontif. anno XX.

DCCLXXVI.

Erectio monasterii monialium Ss. Quatuor Coronatorum de Urbe pro puellis orphanis ibi educandis[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. In speculâ militantis Ecclesiae per abundantiam divinae gratiae constituti, inter ceteras apostolicae servitutis curas eam peculiari studio amplectimur, per quam monasteria devoti feminei sexus ad maiorem Dei gloriam ubique, praesertim vero hac in almâ Urbe nostrâ, a qua velut fonte in ceteras orbis christiani partes bonorum operum exempla dimanant, propagari, in iisque puellae, quae sub clausurae et observantiae regularis disciplinâ virginitatem suam Deo consecrare, illique[1] perpetuum impendere desiderant famulatum, recipi valeant, ac desuper pastoralis officii nostri partes libenter interponimus, prout rerum et personarum qualitatibus debite pensatis conspicimus in Domino salubriter expedire.

Monialium desiderium orphanas puellas educandi postea ad professionem admittendas.

§ 1. Sane pro parte dilecti filii nostri Antonii S. Mariae in Viâ Latâ diaconi cardinalis Barberini nuncupati S. R. E. camerarii, nostri secundum carnem ex fratre germano nepotis, ac archiconfraternitatis Orphanorum de Urbe praedictâ apud nos et Apostolicam Sedem protectoris, necnon dilectorum officialium dictae archiconfraternitatis nobis nuper expositum fuit, quod in monasterio monialium Ss. Quatuor Coronatorum de eâdem Urbe Ordinis sancti Augustini una priorissa et vigintiquatuor moniales expresse professae existant, quae puellas orphanas instruant, inter quas plures, spretis mundi vanitatibus, Altissimi obsequiis sub suavi religionis iugo sese mancipare in eodem monasterio desiderant; verum desiderii sui huiusmodi compotes effici nequeunt, quia numerus monialium dicti monasterii augeri non potest.

Administratores archiconfraternitatis orphanorum petunt erigi monasterium pro huiusmodi puellis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, pro construendo alio eiusdem Ordinis monasterio puellis orphanis praedictis quondam Bartholus Venturonus quatuor millia et quingenta scuta legaverit, et dilecta in Christo filia Dorothea Bonfiola Romana summam alio-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Male edit. Main. legit *illisque* (R. T.).

rum decem millium scutorum donaverit, aliaque legata pia eisdem puellis orphanis seu dictorum Ss. Quatuor Coronatorum monasterio et archiconfraternitati praedictae relicta fuerint, et propterea tam Antonius cardinalis quam officiales dictae archiconfraternitatis ac ipsa Dorothea unum monasterium monialium eiusdem Ordinis pro recipiendis in illud puellis orphanis in primodicto monasterio educatis et non aliis, praeterquam duabus per dictam Dorotheam nominandis, in certis aedibus in plateâ de Petrâ nuncupatâ Urbis praedictae ad archiconfraternitatem huiusmodi spectantibus ex nunc prout postquam ad usum monasterii redactae fuerint per nos ad instar dicti monasterii Ss. Quatuor Coronatorum erigi summopere cupiant:

Erigit Pontifex pro duodecim ex huiusmodi puellis.

§ 3. Nos, piis eorum votis huiusmodi, quantum cum Domino possumus, annuere, ac officialium et Dorotheae praedictorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorumdem Antonii cardinalis ac officialium et Dorotheae nominibus desuper nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de nonnullorum Romanae curiae praelatorum desuper a nobis deputatorum consilio, in aedibus praedictis, ex nunc, prout ex tunc, et e contra, postquam ad formam monasterii redactae, debitâque et convenienti clausurâ munitae, ac sacrâ et profanâ suppellectile luculenter[1] instructae fuerint, unum monialium dicti Ordinis sub invocatione S. Mariae de Orphanis monasterium cum ecclesiâ, campanili, campanis, coemeterio, claustro, refectorio, dormitorio, cellis, hortis, hortalitiis, ceterisque officinis, membris et commoditatibus necessariis et opportunis pro perpetuis usu et habitatione unius priorissae, quae triennalis esse debeat, et ad triennium tantum iuxta sacri Concilii dispositionem duret, ac duodecim aliarum monialium ex praedictis puellis orphanis in primodicto monasterio pro tempore educatis dumtaxat, exceptis duabus per dictam Dorotheam ut praefertur nominandis, semper et perpetuo assumendarum et recipiendarum, quae omnes habitum per moniales praedicti monasterii Ss. Quatuor Coronatorum dicti Ordinis sancti Augustini gestari solitum suscipere, et anno probationis elapso professionem per easdem emitti consuetam expresse emittere, perpetuamque clausuram, necnon ritus, mores, consuetudines, ac regularia instituta primodicti monasterii et Ordinis huiusmodi servare, et sub regulari habitu praedicto perpetuo Altissimo famulatum exhibere, divinisque laudibus insistere debeant, et aliàs in omnibus et per omnia ad instar primodicti monasterii Ss. Quatuor Coronatorum et aliorum Ordinis praedicti monialium monasteriorum, perpetuo, sine tamen alicuius praeiudicio, auctoritate nostrâ apostolicâ, tenore praesentium, erigimus et instituimus;

Dotem assignat.

§ 4. Illique sic erecto et instituto, pro eius dote, ac priorissae et duodecim monialium huiusmodi sustentatione, onerumque eis incumbentium supportatione, pecunias, ut praefertur, legatas et donatas respective in bonis stabilibus vel locis montium cameralium Urbis non vacabilibus ad favorem et commodum eiusdem monasterii investiendas, necnon omnia et singula tam mobilia quam immobilia bona, iura, census et montium loca, redditus, obventiones et emolumenta quaecumque,

1 Nescio an legendum *sufficienter* pro *luculenter* (R. T.).

in perpetuum vel ad tempus, ac simul vel successive, eidem monasterio sic erecto et instituto, illiusque priorissae et monialium pro tempore existentium seu alicuius earum intuitu, per viam testamenti, codicillorum, donationis inter vivos et causâ mortis vel cuiusvis alterius dispositionis, ac etiam in eleemosynam donanda, assignanda, relinquenda et acquirenda, ex nunc, prout ex tunc, et e contra, postquam assignata, donata, relicta et acquisita fuerint, ita quod liceat priorissae et monialibus monasterii huiusmodi pro tempore existentibus, seu administratoribus infra deputatis, illarum et eiusdem monasterii nomine corporalem, realem et actualem illorum omnium possessionem, per se, vel alium, seu alios, nomine eiusdem monasterii per praesentes erecti propriâ auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere, fructus quoque, iura, obventiones et emolumenta ex eis provenientia, necnon obventiones et eleemosynas eidem monasterio illiusque futuris priorissae et monialibus pro tempore elargitas percipere, colligere et levare, recipere, recuperare, arrendare, locare, ac iuxta regularia earum instituta administrare, in suosque communes et monasterii huiusmodi illiusque ecclesiae et sacristiae usus, utilitatem et necessitates convertere, cuiusvis licentiâ desuper minime requisitâ, etiam perpetuo applicamus et appropriamus.

Privilegia exemptionesque concedit.

§ 5. Insuper eidem monasterio per praesentes erecto, illiusque priorissae et monialibus, necnon officialibus et ministris, earumque bonis et rebus, ut omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, concessionibus, indultis, ceterisque gratiis tam spiritualibus quam temporalibus quibusvis monasteriis dicti Ordinis sancti Augustini, illarumque priorissis, monialibus, officialibus et ministris, rebus et bonis, in genere vel in specie, etiam per viam simplicis communicationis, et aliâs quomodolibet nunc et pro tempore concessis, ac quibus illa et illae de iure, usu et consuetudine, privilegio vel aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, dummodo tamen sint in usu, ac non revocata, nec sub aliquibus revocationibus comprehensa, neque sacris canonibus aut Concilii Tridentini decretis ac regularibus dicti Ordinis institutis repugnent, similiter uti, frui, potiri et gaudere libere et licite valeant, non solum ad eorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter, absque ullâ prorsus differentiâ, in omnibus et per omnia perinde ac si illa monasterio sic erecto illiusque priorissae et monialibus huiusmodi specialiter et expresse concessa essent, indulgemus;

Facultatem quoque peculiaria statuta condendi.

§ 6. Necnon priorissae et monialibus praedictis, ut statuta, ordinationes, capitula et decreta quaecumque ad earum et monasterii huiusmodi, illiusque personarum, rerum et bonorum temporalium curam, regimen, gubernium, directionem, administrationem, ac monialium praefatarum receptionem, aetatem, qualitates, victum, amictum, vestitum, instructiones et disciplinam, modumque et formam recitationis divinorum officiorum, precum, orationum et aliorum suffragiorum pertinentia[1], ac aliàs utilia et necessaria, licita tamen et honesta, sacrisque canonibus et institutis regularibus Ordinis huiusmodi, constitutionibusque apostolicis, ac dicti Concilii decretis minime contraria, et a dicto Antonio cardinale et pro tempore existente archiconfraternitatis praedictae protectore auctoritate apostolicâ deputato prius examinanda et approbanda, facere, edere, et quoties pro rerum et temporum

1 Contra syntaxis rationem edit. Main. legit *pertinentis* (R. T.).

qualitatibus ac aliàs expedire videbitur, de consensu tamen praedicti protectoris, illa immutare, corrigere, moderare et in melius reformare, aliaque ex integro per priorissam et moniales, aliasque personas praedicti monasterii per nos ut praefertur erecti firmiter et inviolabiliter sub poenis in eis infligendis observanda et implenda, condere pariter possint et valeant, concedimus.

Monasterium a cuiuscumque ordinarii iudicis iurisdictione eximit.

§ 7. Propterea idem monasterium, ac eius priorissam, moniales et personas quascumque, earumque bona praesentia et futura, cuiuscumque qualitatis et quantitatis, ac ubilibet existentia, ab omni iurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate et potestate pro tempore existentis Urbis vicarii, gubernatoris, senatoris, conservatoris, necnon causarum curiae camerae apostolicae generalis auditoris, Ordinariorum locorum, etiam tanquam Sedis[1] Apostolicae delegatorum, eorumque locatenentium, vicesgerentium, vicariorum et officialium, aliorumque quorumcumque iudicum ubilibet existentium, ac quavis tam mundanâ quam ecclesiasticâ auctoritate et dignitate etiam cardinalatus honore fungentium, necnon protectorum ac priorum generalium et provincialium ministrorumque et aliorum praelatorum et superiorum tam praedicti sancti Augustini quam aliorum quorumvis Ordinum in spiritualibus et temporalibus, necnon a decimarum et aliorum quorumcumque onerum, sive ordinariorum, sive extraordinariorum, ex quacumque causâ, etiam favore seminarii vel fabricae basilicae Principis Apostolorum de Urbe, ac pro manutentione classis triremium Sedis Apostolicae impositorum, ac deinceps imponendorum, etiam perpetuo eximimus.

Sub Sedis Apostolicae protectione recipit.

§ 8. Monasteriumque, ac eius priorissam, moniales, personas et bona huiusmodi sub eiusdem Principis Apostolorum nostràque et dictae Sedis protectione recipimus, illudque, ac illas, et illa gubernio, regimini, administrationi, correctioni, visitationi, iurisdictioni et superioritati praedicti protectoris, ac congregationis eiusdem archiconfraternitatis orphanorum similiter perpetuo subiicimus.

Protectorisque et congregationis orphanorum curae committit.

§ 9. Dictisque protectori et congregationi, ut monasterii huiusmodi, curam et regimen in spiritualibus et temporalibus suscipiant, praecipimus, ac illis facultatem eligendi confessarios a nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis in Urbe praedictâ vicario in spiritualibus generali ad audiendas confessiones approbatos, necnon cappellanos pro monasterio ut praefertur erecto eiusque priorissâ et monialibus ac earum ecclesiâ, impertimur.

Quibus nonnullas alias tribuit facultates.

§ 10. Necnon protectori praedicto, ut e dicto Ss. Quatuor Coronatorum monasterio duas vel tres moniales expresse professas moribus et aetate idoneas et ad id consentientes de suae priorissae consensu educere, illàsque pro instruendis monialibus in monasterium per praesentes erectum introducendis in disciplinâ, observantiâ et ritibus regularibus transferre, concomitantibus eas aliquot honestis matronis per eumdem protectorem eligendis, recto tramite, rhedâ clausâ, seu oris monialium huiusmodi parte velatâ, necnon, ut fundatoribus, gubernatoribus, officialibus et ministris, aliisque personis quibuscumque, quoties opus fuerit, in casibus necessariis et a dicto Concilio Tridentino permissis dumtaxat, licentiam ingrediendi dictum monasterium concedere, illudque toties quoties opus erit tam in capite quam in membris visitare, et quae in illo reformatione indigere repererit, sacrorum canonum et constitutionum apostolicarum dispositionibus et praesertim dicti Concilii decretis ac Ordinis praedicti regularibus institutis inhaerendo, reformare, et quidquid desuper sta-

1 Male edit. Main. legit *Sedi* (R.T.).

tuent[1] observari facere; demum eidem protectori, seu ab eo deputato, ut quascumque causas contra monasterium praedictum, illiusque priorissam, moniales, officiales, ministros et personas pro tempore motas, eisdem modo et formâ quibus causas motas contra dictum Ss. Quatuor Coronatorum monasterium illiusque priorissam, moniales, ministros et personas cognoscere potest, cognoscere et fine debito terminare possit et valeat, facultatem, auctoritate et tenore praedictis, impertimur.

Clausulas addit.

§ 11. Decernentes praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae, aut alio quocumque quantumvis substantiali et individuâ expressione digno defectu notari, impugnari, impediri, rescindi, in ius vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, seu etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus concesso quempiam in iudicio vel extra se tueri vel iuvari posse, sed illas et illa semper et perpetuo valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque ab omnibus et singulis censeri, et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat obstantibus.

§ 12. Non obstantibus apostolicis, ac in conciliis universalibus provincialibusque et synodalibus editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac praedicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Ordini, illiusque superioribus et personis, et quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI ianuarii MDCXLIII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 21 ianuarii 1643, pontif. anno XX.

1 Videtur legendum *statuet* (R. T.).

DCCLXXVII.

Prohibitio extrahendi libros ex bibliothecis domorum regularium totius Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini Discalceatorum nuncupatorum.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§ 1. Conservationi et manutentioni librorum bibliothecarum domorum regu-

larium totius Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini Discalceatorum nuncupatorum, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, ac dilectum filium modernum procuratorem generalem dicti Ordinis specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus dicti procuratoris generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

Prohibet prout in rubricâ.

§ 2. Ne de cetero quisquam, quavis auctoritate fungens, libros, quinterna, folia, sive impressa, sive manuscripta, tam hactenus dictis bibliothecis donata et assignata, quam imposterum per quoscumque christifideles donanda et assignanda, sub quovis praetextu, ingenio, causâ, colore, ratione, aut occasione e dictis bibliothecis, seu earum aliquâ extrahere, seu asportare, aut ut extrahantur, seu asportentur permittere, aut consentire, sub excommunicationis, ac privationis vocis activae et passivae poenis per contrafacientes eo ipso incurrendis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus.

Derogat contrariis.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac domorum et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 4. Volumus autem, quod praesentis prohibitionis copia in valvis cuiuslibet dictarum bibliothecarum, aut aliquo alio perspicuo loco, quo ab omnibus cerni possit, continuo affixa remaneat: quodque praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides, etiam impressis, adhibeatur, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI februarii MDCXLIII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 6 februarii 1643, pontif. anno XX.

DCCLXXVIII.

Mandatur in ecclesiis fratrum Discalceatorum sancti Francisci provinciae S. Gabrielis circa sepulturam defunctorum servanda esse Clementinam secundam et decreta Congregationum rituum, concilii, ac episcoporum et regularium[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Causa faciendi decreti.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Gundisalvus de Sanctis procurator et filius provinciae S. Gabrielis fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci Discalceatorum nuncupatae Hispaniarum, quod priores, vicarii, provisores, parochialium ecclesiarum rectores, et beneficiati civitatum, oppidorum, locorum, et villarum de Llerena, Fuente de Cantos, Xerez, Valentiae de Alcantara, Brocas, Serena, et Merida, consistentium intra fines praeceptoriarum, seu commendarum, aliàs magistrariorum de Alcantara et sancti Iacobi de Spatha militiarum, ratione conventuum dictae provinciae Ordinis huiusmodi fundatorum in ecclesiis, eremitoriis nuncupatis, quae prius erant iurisdictionis ipsarum militiarum, seu praeceptoriarum, vel commendarum huiusmodi,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

fratres Discalceatos eorumdem conventuum in suis ecclesiis cadavera defunctorum, sibi sepulturam inibi eligentium, sepelire minime posse, quodque ipsi priores, vicarii, aliique praefati, cum ad ecclesias eorumdem fratrum Discalceatorum occasione funerum accedunt, sese eosdem fratres Discalceatos praecedere, officiaque mortuorum super ipsorum cadaveribus obire debere praetendunt, nedum contra formam iuris et litterarum apostolicarum in simili formâ Brevis variarumque declarationum et decretorum a Congregationibus venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum, ac negocii episcoporum et regularium, sacrisque ritibus praepositorum respective emanatorum, sed etiam contra casum legis de iure sepeliendi ac sacros canones, cum per Clementinam secundam de sepulturis detur facultas fratribus dicti Ordinis sancti Francisci cadavera defunctorum sepulturarum sibi in eorum ecclesiis eligentium sepeliendi. Quoniam vero, sicut eadem expositio subiungebat, priores, vicarii, provisores, curati et beneficiati huiusmodi, pro suis mero arbitrio et voluntate, declarationes et decreta huiusmodi nullatenus observant, sed cum non levi secularium scandalo et offendiculo ipsos fratres Discalceatos, qui ob eorum paupertatem et arctioris regulae observantiam litium et quaestionum materias et occasiones diffugiunt, in praemissis gravant, necnon etiam, quando visitatum eunt suas ecclesias, praetendunt se posse etiam visitare ecclesias ipsorum fratrum Discalceatorum necnon sanctissimum Eucharistiae sacramentum, sub praetextu quod ipsae fundatae sint in ecclesiis eremitoriis[1] huiusmodi locorum, villarum, oppidorum et civitatum praefatorum, quae prius, ut praefertur, iurisdictionis ipsorum de Alcantara et sancti Iacobi de Spatha militarium Ordinum huiusmodi erant, non sine notabili gravamine et praeiudicio dicti Ordinis, et contra formam privilegiorum illi a tot summis et Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessorum; ac demum, quando praemissa peragere ab ipsis fratribus Discalceatis non permittuntur, eosdem fratres Discalceatos diversimode molestant, etiam per verbi Dei praedicationum, administrationis sacramenti poenitentiae, et eleemosynarum privationem: nobis propterea idem Gundisalvus dictae provinciae nomine humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Decretum, de quo in rubricâ.

§ 2. Nos igitur, qui religiosorum Ordinum quorumcumque felicem directionem sinceris desideramus affectibus, eorumdem fratrum Discalceatorum dictae provinciae indemnitati ac commodis, quantum cum Domino possumus, prospicere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ad homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod de cetero perpetuis futuris temporibus, licet conventus eorumdem fratrum Discalceatorum dictae provinciae S. Gabrielis fundati forent in ecclesiis, eremitoriis nuncupatis, quae prius erant iurisdictionis ipsorum de Alcantara et S. Iacobi de Spatha militarium Ordinum huiusmodi ut praefertur, praefata Clementina secunda ac eorumdem cardinalium declarationes et decreta praemissorum occasione in dictis conventibus et totâ provinciâ huiusmodi observentur,

1 Deesse videtur, ut supra, *nuncupatis* (R.T.).

observarique debeant, ipsique priores, vicarii, provisores, parochialium ecclesiarum rectores, beneficiati civitatum, oppidorum, locorum et villarum huiusmodi ecclesias eorumdem fratrum Discalceatorum dictae provinciae et sanctissimum Eucharistiae sacramentum, sub praetextu quod ecclesiae huiusmodi in dictis eremitoriis fundatae sint, ut praefertur, visitare, nec easdem ecclesias ingredi et inibi aliquem iurisdictionis actum exercere, ullatenus[1] unquam possint, nec debeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus, statuimus et ordinamus, eisdemque prioribus, vicariis, provisoribus, curatis et beneficiatis huiusmodi perpetuum desuper silentium imponimus.

Clausulae. § 3. Mandantes propterea omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit in futurum, ut eosdem fratres Discalceatos praemissorum omnium et singulorum commodo et effectu pacifice frui et gaudere sinant et faciant, nec eos desuper a quoquam, quavis auctoritate fungente, molestari, perturbari, impediri, vel inquietari ullatenus permittant; ac decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque fratribus Discalceatis plenissime in omnibus et per omnia suffragari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Sedis apostolicae nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Nuncius apostolicus exequutor deputatus. § 4. Quocirca dilecto filio moderno et pro tempore existenti nostro et eiusdem Sedis in regnis Hispaniarum nuncio per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte eorumdem fratrum Discalceatorum desuper fuerit requisitus, solemniter publicans, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostrâ easdem praesentes et in eis contenta huiusmodi firmiter observari, ac singulos, quos eaedem[1] praesentes concernunt, illis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos, vel eorum aliquem, contra praesentium earumdem tenorem quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et provinciae, ipsarumque militiarum et ecclesiarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et suffi-

1 Aptius legeretur *nullatenus* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *easdem* (R. T.).

cienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium, etc.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII februarii MDCXLIII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 7 februarii 1643, pontif. anno XX.

DCCLXXIX.

Subrogat archiepiscopum Cameracensem, ac Audomarensem et Iprensem episcopos, et quemlibet ipsorum, in locum Ordinariorum in Anglia ad effectum tantummodo auctoritate ordinariâ legitime instituendi processus super causâ et genere mortis eorum qui pro fide catholicâ in Anglia patiuntur[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Substitutio de qua in rubricâ. § 1. Piis dilecti filii procuratoris generalis congregationis Angliae Ordinis sancti Benedicti votis annuere, illumque specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eiusdem procuratoris generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium in totâ republicâ christianâ contra haereticam pravitatem inquisitorum generalium ab hac sanctâ Sede Apostolicâ specialiter deputatorum consilio, venerabiles fratres archiepiscopum Cameracensem, ac Audomarensem et Iprensem episcopos, et quemlibet ipsorum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, subrogamus in locum Ordinariorum in Anglia, ad effectum tantummodo auctoritate ordinariâ legitime instituendi processus super causâ et genere mortis eorum, qui pro fide catholicâ in Anglia patiuntur, ita ut huiusmodi processus, aliaque acta ab illis seu quolibet ipsorum legitime confecta ad dictas passiones et mortes verificandas, fiant auctoritate ordinariâ, nec aliter, nec alio modo; irritum et inane decernentes quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 2. Non obstantibus, quatenus opus sit, felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII februarii MDCXLIII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 23 februarii 1643, pontif. anno XX.

DCCLXXX.

Declaratio circa facultatem dispensandi cum regularibus super voto de non procurandâ nec acceptandâ dignitate extra religionem.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Honorum dignitatumque vana ambitio adeo quorumdam regularium mentes interdum excaecat, ut ab eo, quod abnegantes semetipsos sponte voverunt, postmodum inanis gloriae cupiditate ducti resilire conentur, cum tamem dicat Propheta: *Vovete et reddite vota vestra Deo.*

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Nonnullorum regularium ambitus exponitur.

§ 1. Quamvis igitur, ut accepimus, tam fratres Discalceati sancti Augustini et B. Mariae de Monte Carmelo etiam Discalceati Ordinum, quam Clerici regulares Ministrantes Infirmis respective nuncupati, et nonnulli aliorum Ordinum seu congregationum regulares, etiam Societatis Iesu, et alii regulares, etiam individuam expressionem requirentes, aut in ipsâ professione unâ cum tribus essentialibus votis, paupertatis scilicet, castitatis et obedientiae, aut ante vel post professionem praedictam, sive solemne sive ut dicunt simplex votum in manibus tamen superioris regularis emittant de non procurando nec acceptando aliquam dignitatem, seu praelationem, vel praelaturam extra religionem, nisi coacti vel adstricti fuerint praecepto eius, qui sibi iure praecipere potest, et aliqui addant etiam illa verba, videlicet, *sub poenâ peccati*, iuxta formam suarum constitutionum a Sede Apostolicâ confirmatarum ; nihilominus aliqui ex ipsis regularibus, etiam translati ad Ordines regularium, etiam Mendicantium, qui praedictum, aut simile votum non emittunt, retro aspicientes, emissique a se voti huiusmodi immemores, praelationes, seu praelaturas, vel dignitates ambiunt, immo etiam episcopatus maiorumque dignitatum solium conscendere moliuntur, praetendentes quod suis superioribus regularibus, praesertimque generalibus, liceat eis praecipere, ut dignitatem, praelationem, seu praelaturam, vel episcopatum, maioremve dignitatem extra religionem acceptent, aut ipsum votum relaxare, et cum ipsis desuper dispensare, licet per praecepta et dispensationes huiusmodi ipsi ab obedientiâ praecipienti seu dispensanti debitâ eximantur, ac etiamsi vota praedicta, tamquam emissa in manibus superioris regularis, dicantur solemnia, vel saltem efficaciam voti solemnis habeant, regulariumque Ordinum et congregationum ac Societatis huiusmodi constitutiones sint confirmatae auctoritate apostolicâ et cum decreto irritante, a quo propterea manus quorumcumque inferiorum ligatae existunt.

Quem retundere vult Pontifex hac suâ Constitutione.

§ 2. Quaproprer nos, ambitum hunc retundere, et praetensionem huiusmodi excludere, ac etiam omnem dubitationem super praemissorum interpretatione a nonnullis excitatam apostolicae declarationis auctoritate penitus tollere volentes, motu proprio, certâque scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac perpetuâ nostrâ constitutione declaramus super praedicto voto, etiam per translatos ad Ordinem seu congregationem regularem capacem, ante translationem emisso de non procurandâ nec acceptandâ extra quemlibet ex ipsis Ordinibus seu congregationibus regularibus aut Societate praedictâ respective aliquâ dignitate, seu praelatione, vel praelaturâ, sive aliquo episcopatu aut maiori dignitate neminem superiorem regularem, etiam generalem, aut capitulum, seu congregationem generalem, nec etiam nuncium apostolicum, aut praedictorum Ordinum seu congregationum protectorem, etiam S. R. E. cardinalem, nec etiam legatum Sedis Apostolicae, etiam de latere, nec quemlibet alium, etiam speciali et individuâ mentione dignum, sed tantummodo nos et Romanum Pontificem pro tempore existentem posse dispensare, taleque votum relaxare, aut adversus illud aliquam licentiam vel indultum concedere, aut aliquod praeceptum procurandi seu acceptandi vel aliud simile ipsis regularibus voventibus facere, cuius vigore praedicti religiosi illas et illos procurare vel acceptare possint, aut teneantur, ac aliàs quomodolibet voventes praedictos à praedicto voto liberare. Prout pariter declaramus, quascumque facultates generales dispensandi super quibus-

Romanus Pontifex dumtaxat potest dispensare aut relaxare votum, de quo in rubricâ.

cumque votis, seu illa relaxandi, aut commutandi, vel adversus illa praecipiendi, aut aliàs quomodolibet voventes habilitandi, etiam in foro conscientiae dumtaxat, sive per dictas constitutiones a Sede Apostolicâ confirmatas, sive per litteras etiam in formâ Brevis Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, aut nostras, vel successorum nostrorum, etiam motu, scientiâ, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus, etiam concistorialiter, etiam ad supplicationem seu contemplationem quorumcumque, etiam imperatoris, regum et principum, seu rerumpublicarum, ac praedictorum Ordinum, congregationum et Societatis, aut vigore cuiuscumque iubilaei, etiam universalis, vel cruciatae sanctae, aut sanctae inquisitionis, seu missionum, et aliàs quovis modo et ex quacumque causâ, quantumlibet piâ, favorabili, publicâ et privilegiatâ concessas et emanatas, concedendasque et emanandas[1], nuncque ac pro tempore competentes, ad praemissa omnia et singula nullatenus se extendere intelligantur[2], sed esse nobis et Romanis Pontificibus successoribus nostris dumtaxat reservata, prout tenore praesentium decernimus et reservamus.

Clausulas praeservativas apponit.

§ 3. Decernentes quoque easdem praesentes litteras etiam ex eo quod praedicti regulares et alii quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes, illis non consenserint, nec ad id vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas illae emanarunt, sufficienter, aut etiam nullatenus adductae seu probatae fuerint, de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae, aut alio quopiam defectu, vel ex quacumque aliâ causâ, occasione, praetextu, colore et capite notari, impugnari, rescindi, in ius vel controversiam revocari nunquam posse, sed easdem praesentes litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere et inviolabiliter observari,

Clausula *sublatâ*.

§ 4. Sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, ac, quatenus foret opus, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, necnon quorumvis Ordinum et congregationum regularium, dictaeque Societatis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus, congregationibus et Societati, illorumque superioribus, fratribus, clericis et personis, ac generaliter quibusvis aliis, etiam individuam mentionem requirentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et pluries innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eo-

1 Male, ut puto, edit. Main. legit *concessae et emanatae, concedendaeque et emanandae* (R.T).

2 Ex ratione praecedentis syntaxis legere oporteret *intelligatur* (R. T.).

eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 6. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae alicuius in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV februarii MDCXLIII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 24 februarii 1643, pontif. anno XX.

DCCLXXXI.

Quod fratres Discalceati Ordinis regularis Observantiae sancti Francisci in regno Hispaniae non possint commorari in aedibus secularium [1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Pastoralis officii nobis divinitus iniuncti assidua sollicitudo nos admonet, ut omni curâ et vigilantiâ ad ea semper intendamus per quae regularium personarum, quae, relicto seculo, divini numinis obsequiis sese dedicarunt, quieti consulitur, et quae religiosum earum propositum possunt impedire removeantur, ut nullâ re praepeditae secundum regularia suorum Ordinum instituta tranquillis mentibus gratum Altissimo impendere valeant famulatum.

Motiva. § 1. Cum itaque, sicut accepimus, nonnulli fratres Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Discalceatorum nuncupatorum provinciarum Hispaniarum a nonnullis annis citra extra claustra suarum domorum regularium continuo commorati fuerint et commorentur, convivantque et pernoctent in aedibus secularium, non sine ipsorum secularium et religiosorum earumdem provinciarum malo exemplo et offendiculo, disciplinaeque et observantiae regularium perturbatione, detrimento et relaxatione: idcirco nos, praemissis, quantum cum Domino possumus, prospectum esse cupientes, motu proprio, et ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine,

Praecipit, prout in rubricâ. § 2. Quod omnes et singuli fratres Discalceati dicti Ordinis Provinciarum Hispaniarum huiusmodi, qui extra suas domos regulares commorantur, convivunt et pernoctant in aedibus secularium, ut praefertur, cuiuscumque status, gradus, quatitatis et conditionis existant, etiamsi desuper quaecumque particularia, licentias et privilegia sibi aliàs a Sede Apostolicâ vel ab ipsius Ordinis magistris generalibus concedi obtinuerint et obtineant, infra octiduum a praesentium nostrarum litterarum notificatione sibi faciendâ coram ministris provincialibus earumdem provinciarum sese sistere et comparere debeant, ut ab eisdem ministris provincialibus conventus, in quibus degant et habitent, sibi assignentur, sub inobedientiae et excommunicationis, necnon privationis antianitatis habitus, ac suffragiorum et missarum pro fratribus Discalceatis Ordinis huiusmodi celebrari solitarum poenis eo-

1 De huiusmodi fratribus Discalceatis quamplura notavi in Constit. CCCLIX, *Regis pacifici*, tom. XIV, pag. 127.

ipso et absque ullâ aliâ declaratione incurrendis, earumdem tenore praesentium statuimus et ordinamus.

Decretum irritans. § 3. Mandantes propterea eisdem ministris provincialibus provinciarum huiusmodi in virtute sanctae obedientiae, ac sub eisdem poenis, ut easdem praesentes litteras nostras debitae et omnimodae exequutioni demandari et ab omnibus et singulis, quos illae concernunt, inviolabiliter et inconcusse observari curent et faciant, ac decernentes irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et provinciarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per claulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat. § 5. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVII februarii MDCXLIII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 27 februarii 1643, pontif. anno XX.

DCCLXXXII.

Pro fratribus Ordinis Minorum sancti Francisci Strictioris Observantiae Discalceatorum provinciarum, ecclesiarum et conventuum Hispaniarum, circa visitationem, praecedentiam et sepulturam defunctorum [1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Petitio. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Paulus a Matrito filius provinciae S. Iosephi fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Discalceatorum nuncupatorum commissarius Terrae Sanctae, ac nonnullarum provinciarum Hispaniarum eorumdem fratrum Discalceatorum procurator, quod nuper a nobis pro provinciâ S. Gabrielis fratrum Discalceatorum praedictorum etiam Hispaniarum emanarunt litterae tenoris sequentis, videlicet:

Urbanus VIII, ad perpetuam rei memoriam. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Gundisalvus de Sanctis, etc.[2],

Relatae litteris ad omnes Hispaniarum provin- § 1. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Paulus praeinsertas

1 De hac materiâ vide supra Constitut. DLXII (*al* 528) *Ex incumbenti* tom. XIV, pag 567, et Constit. DXCIII (*al.* 559) *Nuper*, ibid. 631, et Constit. DCCXXX *Aliàs* (in hac nostra ed. DCCLIII et DCCLXX, supra pag. 197 et 224) huius Pontificis.

2 Reliquum omittimus, quia iam dedimus supra pag. 237 (R. T.).

cias extenduntur. nostras litteras huiusmodi cum omnibus in eis contentis ad alias omnes et singulas provincias eorumdem fratrum Discalceatorum Hispaniarum huiusmodi, et quasvis alias quam in eisdem praeinsertis litteris expressas militias extendi, ac aliàs in praemissis opportune, ut infra, desideret provideri: nos, eumdem Paulum aliosque fratres praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus dicti Pauli nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas nostras litteras, pro dictâ provinciâ S. Gabrielis, ut praefertur, emanatas, ad omnes alias et singulas provincias eorumdem fratrum Discalceatorum Hispaniarum huiusmodi, ac ad quasvis alias quam in eisdem praeinsertis litteris expressas militias, ipsorumque fratrum Discalceatorum huiusmodi ecclesias et conventus, ut praefertur, aut aliàs quomodolibet fundata in eisdem provinciis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, extendimus et ampliamus. Ac insuper quod omnes et singulae provinciae praedictae Hispaniarum fratrum Discalceatorum huiusmodi comprehendantur et participent de quibuscumque privilegiis, litteris apostolicis et decretis quovis modo cuivis ipsarum provinciarum particulariter et specialim concessis, perinde ac si illa omnibus et singulis provinciis praedictis in genere circa hanc materiam concessa fuissent, indulgemus.

Mandatum de parendo. § 11. Mandantes propterea omnibus et singulis, ad quos pariter spectat et pro tempore spectabit in futurum, ut eosdem fratres Discalceatos omnium et singularum aliarum provinciarum Hispaniarum huiusmodi praemissorum omnium et singulorum commodo et effectu pacifice frui et gaudere sinant et faciant, nec eos desuper a quoquam quavis auctoritate fungente molestari, perturbari, inquietari vel impediri ullatenus permittant; ac decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque fratribus Discalceatis huiusmodi plenissime in omnibus et per omnia suffragari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et Sedis Apostolicae nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Nuncius apostolicarum litterarum exequtor designatur. § 12. Quocirca dilecto filio eidem moderno et pro tempore existenti nostro et eiusdem Sedis in regnis Hispaniarum nuncio per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras huiusmodi, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte eorumdem fratrum Discalceatorum omnium et singularum provinciarum huiusmodi desuper fuerit requisitus, solemniter publicans, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostrâ easdem praesentes et in eis contenta huiusmodi firmiter observari, ac singulos, quos eaedem praesentes concernunt, illis pacifice frui et gaudere; non permittens [1] eos vel eorum aliquem contra praesentium earumdem tenorem quo-

1 Male, ut puto, edit. Main. habet *permittentes* (R. T.).

modolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo; legitimisque super his habendis servatis processibus censuras et penas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fueri, auxilio brachii secularis.

Obstantium derogatio.

§ 13. Non obstantibus omnibus et singulis illis quae in dictis praeinsertis litteris voluimus non obstare, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quarumvis provinciarum et militiarum et ecclesiarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum praemissorum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§ 14. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra[1] adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur[2], si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV martii MDCXLIII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 4 martii 1643, pontif. anno XX.

1 Edit. Main. habet *adhiber* pro *et extra* (R.T).
2 Ibi legitur *et extraetur* pro *adhiberetur* (R.T).

DCCLXXXIII.

Declarantur nullae depositio, amotio seu absolutio Nicolai Rodulphi a magisterio generali Ordinis Praedicatorum, et electiones factae alterius magistri generalis[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

§ 1. Emanarunt a nobis litterae in formâ Brevis sub annulo Piscatoris tenoris subsequentis, videlicet:

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Refert litteras aliàs hac super re datas.

Nuper a nobis accepto, etc. (*Reliqua invenies sub die* VI *decembris* MDCXLII, *anno* XX, *pag.* 218 *huius tomi*).

Relationemque sibi factam a iudicibus deputatis.

§ 2. Quarum litterarum et aliarum in eis relatarum vigore omnes praedicti S. R. E. cardinales et praelati, ut praemittitur, in eis deputati, auditis ac visis omnibus deductis et allegatis voce et scripto super iuribus dictas partes tangentibus, et pluries nonnullis eiusdem Ordinis provincialibus, etiam in pluribus congregationibus, in quibus omnes praedicti deputati interfuerunt, ordinatâque praedictâ extraiudiciali monitione, illâque, modo et formâ praemissis, eisdem Nicolao et Michaëli personaliter, et aliis interesse habentibus seu habere praetendentibus quibuscumque per proclama et per affixionem intimatâ, lapsoque praedicto termino peremptorio in eâdem monitione praefixo, visisque constitutionibus praedicti Ordinis, rebusque[2] exhibitis et aliis videndis, consideratisque considerandis, post maturam et exactam totius negocii cognitionem et

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.
2 Forsan *visisque* pro *rebusque* legend. (R.T).

discussionem inter eos habitam de et super praemissis omnibus, ad earumdem litterarum praescriptum, plenam nobis, etiam antea informatis a praedicto Hieronymo cardinali Verospio dicti Ordinis comprotectore de expositis a quibusdam provincialibus occasione protestationis sub die XVII praesentis mensis in actis exhibitae, relationem fecerunt.

Depositionem patris Rodulphi electionesque alterius irritat.

§ 3. Qua relatione auditâ, nos, motu proprio, certâque scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praesentium tenore, depositionem, amotionem, seu abolitionem[1] praedicti Nicolai a magistro[2] generali dicti Ordinis, factam in praedicto asserto capitulo generali, fuisse et esse nullam et invalidam, nulliusque roboris vel momenti, ac nulliter et invalide factam; perindeque electiones factas in magistrum generalem eiusdem Ordinis fuisse et esse nullas et invalidas, nulliterque et invalide factas, et quaecumque exinde sequuta itidem fuisse et esse nulla et invalida, decernimus et declaramus, eisdemque Michaëli et Thomae, ac aliis quibuscumque, super omnibus et singulis praemissis perpetuum silentium imponimus, ipsisque Michaëli et Thomae interdicimus et inhibemus, ne audeant, nec quilibet ipsorum audeat, se in gubernio et administratione, magistro generali dicti Ordinis competente, illiusque exercitio quomodolibet ingerere, nec se magistros generales praedicti Ordinis nominare, neque ullos actus superioratis, iurisdictionis, antelationis, praerogativae, facultatis et praeeminentiae magistri generalis eiusdem Ordinis, tam quoad spiritualia, quam quoad temporalia, et aliàs quoquo modo facere aut exercere, sub excommunicationis maioris privationisque vocis activae et passivae ac officiorum

Et noviter electis prohibet, quominus se in Ordinis regimine ingerant.

1 In rubrica legitur *absolutio*, sed aptius infra pag. 251 *b* legitur *ablatio* (R. T.).

2 Videretur legendum *magisterio* (R. T.).

quorumcumque et perpetuae inhabilitatis ad illa imposterum obtinenda eo ipso absque aliâ declaratione incurrendis poenis, aliisque arbitrio nostro imponendis et ampliandis, etiam personalibus.

Clausulas addit.

§ 4. Decernentes praedictas nostras litteras, tam praeinsertas, quam in eis relatas, ac praesentes, de subreptionis, obreptionis, ac nostrae intentionis defectu, ex quacumque ratione vel causâ, et aliàs quomodolibet ex quovis defectu quarumcumque iuris ac eiusdem Ordinis solemnitatum etiam substantialium, a praedictis et quibuscumque aliis, etiam praetextu quod non fuerint citati nec auditi, impugnari, in controversiam adduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, et quodvis aliud iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, seu etiam motu simili concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti nunquam[1] posse, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, ac quosvis alios, quacumque auctoritate et potestate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter declarandi, interpretandi, definiendi et iudicandi facultate, semper et ubique declarari, interpretari, definiri et iudicari debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis universalibus et generalibus editis, necnon Ordinis praedicti statutis, constitutionibus, earumque declarationibus, a quocumque et quandocumque factis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, et, quate-

1 Male edit. Main. legit *unquam* (R. T.).

nus foret opus, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis ac etiam pluries innovatis, usibusque et consuetudinibus, etiam diuturnis et immemorabilibus, ac etiam, ut praefertur, confirmatis, ceterisque contrariis quibuscumque; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus.

Praeservat causam pendentem et deputati a se comprotectoris auctoritatem.

§ 6. Non intendimus autem per praesentes in aliquo praeiudicare causae et iudicio pendenti coram iudicibus aliàs per nos deputatis contra praedictum Nicolaum, nec administrationi et gubernio dicti Ordinis a nobis commisso eidem Antonio cardinali protectori, seu praedicto Hieronymo cardinali comprotectori, nec suspensioni eiusdem Nicolai ab exercitio regiminis et administrationis officii magistri generalis aliàs factae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX martii MDCXLIII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 20 martii 1643, pontif. anno XX.

DCCLXXXIV.

Pro tollendâ controversiâ inter fratres Minores conventuales et Minores de Observantia sancti Francisci circa eleemosynas cappellae de Portiuncula nuncupatae erogari solitas.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Domini nostri Iesu Christi, qui charitas est et Deus pacis, vices, meritis licet imparibus, agentes in terris, inter multiplices apostolicae servitutis curas, quibus assidue premimur, in eam peculiari studio incumbimus, ut christifideles, qui, in sortem Domini vocati, eius obsequiis sese voluntariâ devotione manciparunt, sublatis quibuscumque perturbationibus, in spiritus veritate reddant abundanter Altissimo fructus suos, et ne aliis, quorum est evangelizare pacem, illa, cum infirmiorum scandalo, exulare cernatur, eâque de causâ dissensiones, quae inter ipsos oriri possent, amovere studemus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Motiva.

§ 1. Cum itaque, sicut non sine animi nostri molestiâ accepimus, in ecclesiâ S. Mariae Angelorum Assisiensis dioecesis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum die 1 augusti quotannis, qua, occasione indulgentiae visitantibus ecclesiam huiusmodi a secundis vesperis eiusdem diei concessae, tam fratres Minores de Observantiâ quam Conventuales nuncupatos dicti Ordinis ad eamdem ecclesiam convenire moris est, multae perturbationes, non sine gravi fidelium offendiculo, passim accidere consueverint ratione eleemosynarum, quae a christifidelibus capellae de Portiuncula vulgo nuncupatae in ecclesiâ praedictâ sitae erogari contingit, et quae a felicis recordationis Nicolao IV et V aliisque Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris fuerunt fratribus Conventualibus conventus sancti Francisci civitatis Assisiensis praedictis reservatae:

Pontifex transfert ius eleemosynae ad Observantes.

§ 2. Hinc est quod nos, omnem inter fratres praedictos eam ob rem dissidiorum, quae eiusdem regulae professores summopere dedecent, materiam, illo praesertim tempore quo populus christianus ad ecclesiam praedictam magno undique fluit numero, quantum cum Domino possumus, e medio tollere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae

potestatis plenitudine, harum serie perpetuo statuimus, volumus et ordinamus, ut deinceps fratres Conventuales praedicti nullum omnino ius in colligendis et percipiendis eleemosynis huiusmodi amplius habeant, sed tam illae quas durante tempore indulgentiae praedictae, primâ videlicet et secundâ augusti diebus quotannis, quam aliae eleemosynae quas reliquo anni tempore cappellae praedictae seu in illâ fieri et erogari contigerit, in commodum et utilitatem fabricae ecclesiae ac usus conventus S. Mariae Angelorum huiusmodi integre cedant, applicentur et impendantur. Nos enim ex nunc omne ius, quod fratribus Conventualibus ad eleemosynas huiusmodi quomodolibet competebat, ab illis penitus abdicamus, illudque totum in fratres conventus S. Mariae Angelorum praedicti pro fabricâ ecclesiae et usibus ipsius conventus transferimus, et abdicatum et translatum respective fore et esse decernimus.

In compensationem Obsertes pro una vice tantum dare debent Conventualibus duo millia scutorum monetae.

§ 3. Viceversâ vero in praemissorum compensationem volumus, ut a dictis fratribus conventus S. Mariae Angelorum, semel et pro unâ vice tantum, ex praedictis seu aliis eleemosynis duo millia scutorum monetae romanae, penes montem pietatis civitatis Assisiensis deponenda et inde non amovenda nisi ad effectum illa in tot bonis stabilibus aut locis montium cameraè apostolicae non vacabilium ad commodum, favorem et utilitatem eiusdem conventus S. Francisci civitatis praedictae investiendi[1], fratribus Conventualibus huiusmodi solvantur.

Processio inchoanda est in ecclesia S. Francisci.

§ 4. Insuper, ut inter fratres utriusque conventus huiusmodi mutua charitas confoveatur, earumdem tenore praesentium praecipimus, ut quoties et quando initio augusti indulgentia praedicta in dictâ S. Mariae Angelorum ecclesiâ, ut assolet, collocanda seu publicanda erit, fratres dicti conventus S. Mariae Angelorum se ad ecclesiam conventus eiusmodi S. Francisci Assisiensis, unde inchoatur processio, opportuno tempore conferre, et inde processionaliter ad dictam ecclesiam S. Mariae Angelorum procedere; fratresque eiusdem conventus S. Francisci illos benigne et amanter excipere, et eorum humanitate allecti fratres conventus S. Mariae Angelorum huiusmodi eos pari charitatis affectu in suis ecclesiâ et conventu excipere respective teneantur.

Decretum irritans.

§ 5. Decernentes praesentes litteras et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis aut nullitatis vitio vel intentionis nostrae aut alio quovis quantumlibet magno et substantiali defectu, vel etiam enormis et enormissimae laesionis, aut aliâ quacumque causâ, occasione, praetextu, colore et capite, etiam in corpore iuris clauso, annotari, impugnari, rescindi, invalidari, in ius vel controversiam revocari aut adversus illa aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, restitutionis in integrum, vel aliud quodvis iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, aut sic impetrato vel etiam motu simili concesso quemquam in iudicio vel extra uti seu se iuvare nullatenus posse, ac easdem praesentes cum omnibus et singulis in eis contentis semper validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et a fratribus praedictis, nunc et pro tempore existentibus, ceterisque ad quos spectat et in futurum spectabit, perpetuo inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et quosvis alios quacumque potestate fungentes et functuros, in quavis instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudi-

1 Male edit. Main. legit *investiendis* (R. T.).

candi seu interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutorem deputat.

§ 6. Quocirca venerabili fratri episcopo Assisiensi per easdem praesentes committimus et mandamus, ut praesentes et in eis contenta huiusmodi, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte fratrum praedictorum fuerit requisitus, solemniter publicans, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat praemissa huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et in futurum spectabit, exacte et inviolabiliter observari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariis derogat.

§ 7. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii VIII de unâ, et in conciliis generalibus de duabus dietis, ac Nicolai IV et V aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus et ordinationibus, etiam conciliaribus, necnon, quatenus opus sit, regulâ nostrâ de non tollendo iure quaesito, ac Ordinis et conventuum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eiusdem Ordinis conventibus, fratribus, et quibuslibet aliis, sub quibuscumque tenore et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi super[1] illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII martii MDCXLIII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 22 martii 1643, pontif. anno XX.

DCCLXXXV.

Annullatio capituli generalis Ordinis fratrum Praedicatorum Genuae celebrati, et convocatio capituli generalissimi eiusdem Ordinis in Urbe pro anno MDCXLIV.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Cum inter christifideles, praesertim regulares Dei obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatos, dissidia et contentiones, nisi cito earum origo et causae amputentur, ingentia mala gignere soleant:

Motiva huius Constitutionis.

§ 1. Idcirco mensibus praeteritis (statim atque nobis innotuit, quod in capitulo generali fratrum Ordinis Praedicatorum in monasterio S. Dominici civitatis Ianuae, pro die XXVI octobris proxime praeteriti

1 More solito legerem *pro* non *super* (R. T.).

convocato et inibi celebrato, fuerat die antecedenti, scilicet die XXV eiusdem mensis octobris, facta amotio seu depositio dilecti filii Nicolai Rodulphi magistri generalis eiusdem Ordinis, dieque sequenti ibidem unus, et successive die XXX praedicti mensis octobris in conventu loci de Corniliano eiusdem Ordinis per tria circiter miliaria ab eâdem civitate Ianuensi distante alter in magistrum generalem praedicti Ordinis respective electi fuerant, ita quod de facto a diversis praetendebatur in scissuram praedicti Ordinis extare tres magistros generales),

Avocat controversias ad Sedem Apostolicam.

§ 2. Propterea, ad maiora detrimenta et scandala evitanda, iussimus nedum in monasterio B. Mariae supra Minervam de Urbe et alibi nihil innovari, donec a nobis controversiae desuper terminatae essent, sed etiam illas omnes praetensasque nullitates omnium gestorum, ac cognitionem et terminationem illarum ad nos avocavimus[1], exequutionemque amotionis, electionum et aliorum, ut praemittitur, gestorum, sine alicuius praeiudicio ac sine retardatione processus incepti contra praedictum Nicolaum Rodulphum suspendimus, congregationique aliquorum dilectorum filiorum nostrorum S. R. E. cardinalium, ac etiam aliquorum dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum, per nos deputatorum, cognitionem et discussionem, etiam extraiudicialiter faciendas, omnium et singulorum praemissorum, ad nos referendas, commisimus cum facultatibus necessariis et opportunis, et aliàs prout in diversis nostris litteris in simili formâ Brevis sub annulo Piscatoris expeditis sub datum IX, X et XX diebus novembris ac die VI decembris proxime praeteritorum mensium respective uberius continetur.

Declaratio nullitatis capituli.

§ 3. Qui quidem omnes praefati cardinales et praelati, saepius auditis omnibus informare volentibus, monitisque personaliter hîc Romae eisdem Nicolao et uno praedictorum duorum electorum, alteri autem electo eisdem nostris litteris personaliter Ianuae intimatis, ceteris vero interesse habentibus vel praetendentibus per proclama generale citatis, servatisque iuxta formam a nobis praescriptam servandis, visisque omnibus deductis et allegatis voce et scriptis, illisque ad plenum discussis in quamplurimis sessionibus, cum opportunam et necessariam nobis desuper relationem fecissent; nos, huiusmodi relatione auditâ, iuxta eius seriem, motu proprio, certâque scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, depositionem, amotionem seu ablationem praedicti Nicolai a magisterio generali dicti Ordinis factam in praedicto capitulo generali fuisse et esse nullam et invalidam, ac nullius roboris et momenti, nulliterque et invalide factam, proindeque electiones factas de magistro generali eiusdem Ordinis, tam in civitate Ianuae, quam in praedicto loco de Corniliano, fuisse et esse nullas et invalidas, nulliterque et invalide factas, et quaecumque exinde sequuta itidem fuisse nulla et invalida decrevimus et declaravimus, eisdemque duobus, sic utrobique electis, et aliis quibuscumque super omnibus et singulis praemissis perpetuum silentium imposuimus, ac aliis duobus electis, et eorum cuilibet, inhibuimus et interdiximus ne auderent, nec quilibet ipsorum auderet, se in gubernio et administratione magistro generali dicti Ordinis competente, illiusque exercitio, quomodolibet ingerere, nec se magistros generales nominare, nec ullos actus superioritatis, iurisdictionis, antelationis, praerogativae, facultatis et praeeminentiae magistri generalis eiusdem Ordinis, tam quoad spiritualia quam quoad temporalia, et aliàs quoquo modo facere aut exercere, sub

1 Male edit. Main. legit *avocamus* (R. T.).

excommunicationis maioris, privationisque vocis activae et passivae ac officiorum quorumcumque, et perpetuae inhabilitatis ad illa imposterum obtinenda, eo ipso absque aliâ declaratione incurrendis, aliisque arbitrio nostro imponendis et ampliandis, etiam personalibus, poenis, et aliàs, prout in aliis litteris nostris in simili formâ Brevis sub datum die xx mensis martii proxime praeteriti plenius continetur.

Iudicitur capitulum generalissimum pro die Pentecostes anno MDCXLIV.

§ 4. Ne autem, stante annullatione electionum praedictarum, ac suspensione eiusdem Nicolai ab exercitio regiminis et administratione officii, Ordo huiusmodi exercitio regiminis et administratione magistri generalis diutius careat, nos, ut praedicto Ordini, unde tam uberes in catholicâ ecclesiâ fructus, totque viri doctrinâ et sanctitate insignes prodiere, et quem paterno affectu prosequimur, quantum cum Domino possumus, consulamus, etiam de voto eorumdum S. R. E. cardinalium et praelatorum praedictorum, nedum capitulum generalissimum eiusdem Ordinis in Urbe ac monasterio beatae Mariae supra Minervam celebrandum convocare, sed etiam causam praetensorum Nicolai praedicti excessuum inceptam a iudicibus, quibus illam commiseramus, avocare, illamque in statu et terminis, in quibus reperitur, avocatam eidem capitulo generalissimo, ut praemittitur in Urbe celebrando, committere decrevimus. Quocirca, motu, scientiâ, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus, harum serie, dilectis filiis prioribus, provincialibus provinciarum dicti Ordinis, omnibusque aliis, qui iuxta formam constitutionum eiusdem Ordinis a Sede Apostolicâ confirmatarum ad capitulum generalissimum convocandi sunt, per universum orbem diffusis, capitulum generalissimum in Urbe et monasterio sanctae Mariae supra Minervam praedictis in festo Pentecostes futuri anni MDCXLIV, itaut auctoritas capitularium incipiat in vigiliâ eiusdem festivitatis, omnino celebrandum, ad quemcumque effectum Ordini praedicto magis proficuum, opportunum et necessarium, etiam individuâ et speciali notâ dignum, indicimus et annunciamus, eosdemque provinciales, omnesque alios et singulos, qui iuxta earumdem constitutionum formam in praedicto capitulo intervenire debent, convocamus, ac ut personaliter accedant districte praecipiendo monemus, ita quod iidem priores, provinciales et alii praedicti locum capituli dominicâ infra octavam Ascensionis, vel sabbato praecedenti intrare teneantur. Iniungentes propterea eisdem prioribus, provincialibus, definitoribus et quibuscumque aliis praedictis, in virtute sanctae obedientiae, ut praefixo tempore huc se conferant cum iis qui ad capitulum generalissimum ex vi earumdem constitutionum accedere debent, ita ut tres vocales ex unaquaque provinciarum huiusmodi compareant et vocem habeant. Praecipientes, ut nullus alius ad praedictum capitulum sine nostrâ licentiâ accedat praeter praedictos et alios qui ad praescriptum praedictarum constitutionum occasione celebrationis praedicti capituli generalissimi accedere possunt ac debent.

Remittitur controversia capitulo generalissimo terminanda.

§ 5. Interim vero volumus, ut dicti priores, provinciales in omnibus conventibus publicas supplicationes ad Deum pro felici eiusdem capituli directione et incolumitate fratrum ad illud confluentium fieri curent, moneantque omnes suos subditos, ut ipsis prioribus, provincialibus et sociis iuxta praedictas constitutiones electis, aliisque praedictis, ea omnia quae iudicaverint, tam pro bono Ordinis huiusmodi in communi, quam pro suis provinciis et conventibus, in dicto capitulo proponenda in scriptis exhibeant: dicti vero priores, provinciales et reliqui om-

nes, ad quos spectat, exactam relationem status provinciarum et earum conventuum iuxta earumdem constitutionum dispositionem afferant. Praeterea, ut quantocitius pro eiusdem Ordinis bono dissidia et controversiae fratrum praecidantur, et Ordo ipse optatae tranquillitati atque unitati restituatur, causam praetensorum dicti Nicolai magistri generalis excessuum, ut praefertur, inceptam a iudicibus, quibus illam commisimus, in statu et terminis, in quibus ad praesens reperitur, tenore praesentium avocamus, firmâ in omnibus et quoad omnia manente suspensione eiusdem Nicolai ab exercitio regiminis et administratione officii magistri generalis factâ, donec causa huiusmodi per capitulum generalissimum, ut infra, debito fine terminata fuerit, necnon etiam administratione et gubernio dicti Ordinis a nobis commisso dilecto filio nostro Antonio cardinali Barberino illius protectori, seu dilecto filio nostro Hieronymo cardinali Verospio respective nuncupatis comprotectori, quibus suspensione et commissione per praesentes non intendimus in aliquo praeiudicare, prout in antedictis nostris litteris in simili formâ Brevis sub datum die xx praedicti mensis martii expeditis plenius continetur, illamque sic avocatam eidem capitulo generalissimo per praesentes convocato, et ut praemittitur celebrando, cum omnibus et singulis suis connexis, annexis, dependentibus et emergentibus ac toto negotio principali cognoscendam, ac iuxta formam earumdem constitutionum Ordinis praedicti, etiam non perfecto processu iam incepto, ac etiam non servatâ aliquâ telâ iudiciariâ, sed summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, ad formam tamen constitutionum praedictarum, solâ facti veritate inspectâ, terminandam, omni et quacumque appellatione, recursu, nullitate, etiam ex defectu iurisdictionis, in integrum restitutione, aliisque iuris ac praedictarum constitutionum Ordinis remediis penitus et omnino remotis, committimus, cum omnibus et singulis facultatibus necessariis et opportunis, ita ut idem capitulum generalissimum ad relaxationem suspensionis praedictae et ad liberationem praedicti Nicolai magistri generalis, vel ad correctionem et emendationem, aut etiam ad amotionem, seu depositionem eiusdem ab officio magisterii generalis, ipso tamen prius ad normam dictarum constitutionum audito ac monito, et subinde ad electionem alterius magistri Ordinis, etiam absque aliâ congregatione capituli, vel citatione, monitione vel intimatione aliorum quorumcumque interesse habentium, seu quomodolibet habere praetendentium, possit et debeat procedere, prout relaxationi et liberationi, vel correctioni et emendationi, aut amotioni, seu depositioni et electioni respective locus erit ad earumdem constitutionum praescriptum;

Clausulas necessarias pro praesentium litterarum firmitate addit.

§ 6. Cum declaratione quod illi ex convocatis qui non comparuerint, sive aliàs non accedent, habebuntur pro contumacibus, et nihilominus sine illis tempore praedicto celebrabitur capitulum et in eo expedientur omnia et singula praemissa et alia quae erunt necessaria et opportuna. Decernentes praedictas litteras, etiam ex eo quod dictus Nicolaus magister generalis, ac duo electi praedicti, et alii quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati vel auditi fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, vel nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quovis quantumlibet substantiali defectu notari, redargui et impugnari, vel adversus eas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque iuris et facti vel gratiae remedium impetrari,

seu impetrato quempiam in iudicio vel extra illud uti posse, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 7. Non obstantibus praedictis nostris litteris, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis universalibus editis, necnon constitutionibus et ordinationibus, praedicti Ordinis et provinciarum huiusmodi statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordini, Nicolao magistro generali et duobus electis praedictis, ceterisque fratribus et personis huiusmodi, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus vel aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibêt concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 4. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII aprilis MDCXLIII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 8 aprilis 1643, pontif. anno XX.

DCCLXXXVI.

Facultas Congregationi Cassinensi conceditur imponendi census super bonis usque ad summam scutorum ducentorum quinquaginta millium[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Refert litteras quibus facultatem concesserat alienandi bona pro summa aureorum viginti quinque millia.

Aliàs a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet: *Urbanus Papa VIII ad perpetuam rei memoriam.* Exponi nobis, etc.[2].

Causas recenset novae concessionis.

§ 3. Cum autem, sicut dilectus filius Gregorius a Parma abbas et modernus procurator generalis dictae congregationis nobis nuper exponi fecit, non reperiantur in promptu, qui bona dictae congregationis emant, nisi cum illius detrimento,

1 De huiusmodi materiâ lege Constit. DLXX (*al.* 580) *Exponi*, tom. XIV, pag. 593, et Constit. DCXIV (*al.* 471) *Aliàs*, ibid., pag. 664.

2 Heïc edit. Main. inutiliter refert duas constitutiones antea citatas, quas nos omittimus, quia loco suo legi possunt (R. T.).

nobis propterea idem exponens dictae congregationis illiusque regiminis nomine humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur eiusdem congregationis et illius monasteriorum praefatorum indemnitati peramplius consulere, eaque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ac illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praefatis monasteriorum dictae congregationis abbatibus, quod ipsi in vim praeinsertarum nostrarum litterarum huiusmodi, quas ad effectum infrascriptum valere et pariter sufficere declaramus, de consensu eiusdem Francisci cardinalis protectoris, unum seu plures annuos et redimibiles census, usque ad praefatam ducentorum quinquaginta millium scutorum summam huiusmodi in eorum sorte principali ascendentes, loco bonorum stabilium, quae iuxta easdem praeinsertas litteras vendi posse, ut praefertur, concessum fuit, super monasteriorum eorumdem abbatum dictaeque congregationis bonis stabilibus ubilibet existentibus imponere, illumque vel illos sic impositos uni seu pluribus personis meliorem conditionem offerentibus, servatâ eiusdem Pii praedecessoris constitutionis et praeinsertarum nostrarum litterarum formâ, vendere et alienare, ac pecunias inde provenientes in usus et necessitates supra expressas, ac alias insuper, ut montistis cameralibus satisfiat, convertere et erogare, ac pro emptoris, seu emptorum censuum huiusmodi, necnon fideiussoris, seu fideiussorum per eosdem abbates forsan praestandorum securitate, relevatione et indemnitate, ultra bona, super quibus census huiusmodi impositi fuerint, alia omnia et singula dictorum monasteriorum et congregationis huiusmodi bona mobilia et immobilia, etiam in ampliori formâ camerae apostolicae, obligare et hypothecare, ac super his unum seu plura instrumenta, cum renunciationibus, vinculis, clausulis et decretis in similibus apponi solitis, celebrare seu celebrari, aliaque omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna facere et exequi libere et licite possint et valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus, necnon emptorem seu emptores censuum huiusmodi ad probandum seu verificandum in quos usus pretium ipsorum censuum concursum[1] fuerit, minime teneri nec obligatos existere; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegâtos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Concessio, de qua in rubricâ.

§ 6. Non obstantibus praefatis Pauli et Pii praedecessoris huiusmodi, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod pecuniae ex impositione et venditione censuum huiusmodi provenientes unico contextu in usus et necessitates in eisdem praeinsertis et praesentibus litteris expressas convertantur, vel saltem penes montem pietatis aut personam fide et facultatibus idoneam deponantur, inde non amovendae, nisi ad effectum illas, ut petitur, convertendi, quodque census praefati infra tempus ab eodem Francisco cardinale protectore praefigendum sub excommunicationis poenâ

Derogat contrariis.

1 Forsan *conversum* pro *concursum* legend. (R.T).

per eos, ad quos spectabit, eo ipso incurrendâ, extingui et redimi omnino debeant.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XV aprilis MDCXLIII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 15 aprilis 1643, pontif. anno XX.

DCCLXXXVII.

Constitutio super recitatione et decantatione hymnorum Breviarii Romani Suae Sanctitatis auctoritate recognitorum in quibuslibet ecclesiis[1].

Urbanus Papa VIII.
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Cum aliàs hymni Breviarii Romani, paucis exceptis, qui non metro, sed solutâ oratione, aut etiam rhythmo constant, iussu nostro, vel emendatioribus adhibitis codicibus, vel aliquâ factâ mutatione, ad carminis et latinitatis leges revocati, nonnulli etiam de integro conditi, dictoque Breviario auctoritate nostrâ recognito inserti fuerint, et, ut accepimus, Breviarium praedictum cum hymnis huiusmodi a maiori parte christifidelium, qui ad illius recitationem sunt adstricti, privatim ubivis terrarum recitetur:

Causa huius Constitutionis.

§ 1. Hinc est quod nos, qui hymnos praedictos cum notis musicis hac in almâ Urbe nostrâ elegantius typis et exactâ industriâ excudi iussimus, ne eorum publica recitatio a privativâ[2] discrepet, sed eâ in re uniformitas ubique, prout decet, servetur, pro pastorali nostrâ sollicitudine providere volentes, motu proprio, et ex certâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, quod deinceps perpetuis futuris temporibus, in omnibus et singulis patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis, cathedralibus, collegiatis, parochialibus, ceterisque tam secularibus, quam cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti, etiam Societatis Iesu, et hospitalis S. Ioanni Hierosolymitani, aliarumque militiarum utriusque sexus regularibus, ac archiconfraternitatum et confraternitatum quarumlibet etiam quantumlibet exemptis ac speciali notâ et individuâ expressione dignis ecclesiis, basilicis, cappellis, oratoriis earumque et eorum choris in divinorum officiorum celebratione praedicti hymni iussu nostro emendati ac de integro conditi et typis editi, ut praefertur, non autem amplius antiqui, tam in Urbe praedictâ quam in reliquis orbis christiani partibus recitentur ac decantentur, recitarique et decantari debeant, tenore praesentium praecipimus et mandamus. Volentes ut praeceptum nostrum huiusmodi in dictâ Urbe et eius districtu infra duos, in aliis vero locis citra montes, infra octo, ultra montes autem infra duodecim menses respective omnino exequutioni demandetur.

Hymnos Suae Sanctitatis auctoritate recognitos deinceps ubique recitari mandat.

Exequutores deputat.

§ 2. Quocirca dilectis filiis nostro in eâdem Urbe vicario in spiritualibus generali, ac locorum Ordinariis per praesentes committimus et mandamus, ut quoad Urbem et eius districtum huiusmodi vicarius praedictus, quo vero ad reliqua loca Ordinarii in suae iurisdictioni subiectis quidem suâ ordinariâ, in exemptis autem apostolicâ auctoritate tamquam nostri et Sedis Apostolicae delegati, easdem praesentes cum omnibus et singulis contentis in illis solemniter publicantes, faciant ad unguem illa inviolabiliter observari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia,

1 Circa Breviarii Romani institutionem ac formam illud recitandi habes Pii V Const. LXXXVII, *Quod a nobis*, tom. VII, pag. 685, ubi etiam breviariorum antiquorum usus interdicitur. Item Breviarium Romanum denuo revisum ac emendatum fuit a Clemente VIII, prout in Const. CCLXXXVII (*al.* 276) *Cum in ecclesia*, tom. X, pag. 788.

2 Forsan legendum simpliciter *privatâ* (R. T.).

appellatione postpositâ compescendo, ac, legitimis desuper habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis, de duabus dietis, aliisque etiam nostris et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quorumvis locorum, ac ecclesiarum, basilicarum, monasteriorum, domorum regularium, ordinum, congregationum et institutorum regularium, etiam Societatis Iesu, ac hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, aliarumque militiarum, ac archiconfraternitatum et confraternitatum, et aliis quibuslibet, etiam iuramento, et confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, praedictis et aliis quibuslibet locis et personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac formâ in illis traditâ, observatâ exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 4. Volumus autem, ut praesentium nostrarum litterarum exemplaribus, etiam in praedictorum hymnorum libris ac breviario impressis, vel manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae alicuius in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVII aprilis MDCXLIII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 27 aprilis 1643, pontif. anno XX.

DCCLXXXVIII.

Licentia ecclesiasticis regni Valentiae concurrendi cum laicis per duos menses in contributione pro duobus militum millibus[1].

Venerabili fratri archiepiscopo Valentino, Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Archiepiscopus Valentinus clero licentiam concessit contribuendi in casu de quo in rubrica.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum trium statuum, seu stabilimentorum, ecclesiastici, militaris et realis, universi regni Valentiae nobis expositum fuit, quod regnum praedictum, pro sui in praesentibus bellorum in eius confinibus vigentium motibus defensione, charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico duo militum millia suis sumptibus conscribere, et spatio duorum mentium manutenere obtulit. Et quia ad praemissa huiusmodi facultates laicorum

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

non suppetebant, urgensque necessitas non ferebat dilationem temporis quo ad nos recursus haberetur, tu, praevio cleri eiusdem regni consensu, licentiam personis ecclesiasticis dicti regni contribuendi pro ratâ in conscriptione et manutentione praedictorum duorum millium militum pro duobus mensibus dumtaxat, cum hoc, ut infra annum inde proximum licentiae huiusmodi confirmatio a nobis et Apostolicâ Sede obtineri deberet, et aliàs sub certis modo et formâ in tuo decreto die III octobris MDCXLII desuper emanato expressis, concessisti.

Status Valentiae petunt hanc licentiam ab Apostolica Sede confirmari.

§ 2. Quapropter exponentes praedicti licentiam et decretum huiusmodi apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, ac insuper summam quindecim millium scutorum monetae collectam ex contributione, quae pro muniendis adversus fluminis inundationem civitatis Valentinae moenibus quotannis continuate solvitur, et ad quam personae ecclesiasticae et exemptae dictae civitatis, vigore licentiae per felicis recordationis Clementem Papam VIII praedecessorem nostrum eis concessae, eâ lege ne pecuniae ex tali impositione collectae in alios usus convertantur, concurrunt, pro expensis manutentionis eorumdem duorum millium militum, hac vice dumtaxat, applicare posse summopere cupientes, nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis apostolicae nostrae auctoritatis partes interponere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat Pontifex.

§ 3. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ex voto particularis congregationis nonnullorum Romanae curiae praelatorum a nobis desuper deputatae, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, constito tibi de narratis, et stante consensu cleri praedicti, quodque laicorum facultates ad praemissa non suppetunt, ut praefertur, licentiam personis ecclesiasticis concurrendi cum laicis in contributione pro conscriptione et manutentione praedictorum duorum millium militum per te concessam, ut praefertur, ac tuum desuper emanatum decretum duobus mensibus dumtaxat, quibus exactis licentia praedicta ac praesens gratia cesset et expiret eo ipso, auctoritate nostrâ apostolicâ confirmes, approbes et convalides, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicias, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper intervenerint, suppleas, necnon facultatem applicandi praedictam quindecim millium scutorum summam pro expensis manutentionis eorumdem duorum millium militum, pro hac vice dumtaxat, ita tamen, ut si necessitas ingruerit, moenia praedicta nullum propterea damnum patiantur, et cum hoc, ut summa huiusmodi, quoad ratam ab ecclesiasticis solutam cedat in diminutionem ratae contributionis per personas ecclesiasticas vigore dictae licentiae et praesentium litterarum pro duobus mensibus, ut praefertur, solvendae[1], eâdem auctoritate nostra concedas.

Facultatemque ad id eidem Valentino archiepiscopo.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmi-

1 Male ed. Main. legit *solvenda* (R. T.).

tate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habendą aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die II maii MDCXLIII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 2 maii 1643, pontif. anno XX.

DCCLXXXIX.

Quod festum sancti Norberti celebretur die XI *mensis iulii, ac indulgentia plenaria perpetua pro visitantibus ecclesias Ordinis Praemonstratensis eodem die confessis ac communione refectis.*

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Aliàs felicis recordationis Paulus Papa[1] praedecessor noster, volens universum Ordinem Praemonstratensem illiusque religiosos et ecclesias spiritualibus indulgentiarum muneribus decorare, omnibus et singulis christifidelibus, qui vere poenitentes et confessi die festo sancti Norberti sacrum missae sacrificium fecissent, vel sacram communionem sumpsissent, plenariam, ac postmodum, certis evenientibus casibus, dicto festo in alium diem et indulgentiâ in dominicam illum immediate sequentem respective translatis,

Concessio indulgentiae plenariae. § 1. Omnibus utriusque sexus christifidelibus, etiam vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui dictâ die aliquam ex ecclesiis praedictis singulis annis devote visitassent, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam, similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et[1] misericorditer in Domino concessit, prout in diversis dicti Pauli praedecessoris in simili formâ Brevis desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis haberi volumus, plenius continetur.

Translatio festi. § 2. Subinde vero, per procuratorem generalem dicti Ordinis tunc existentem nobis exposito quod dicta festivitas in die praedictâ debito cum honore ob varia impedimenta celebrari non poterat, nos, piis dicti procuratoris votis annuentes, quo convenientius et decentius dictum sancti Norberti festum celebrari posset, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, festum sancti Norberti huiusmodi, quod in diem VI iunii incidit, in diem XI mensis iulii apostolicâ auctoritate perpetuo transtulimus, prout in nostris similiter in formâ Brevis desuper expeditis litteris, quarum etiam tenores praesentibus pro

1 Deest numerus huius nominis (R. T.).

1 Coniunctio *et* aliquid aliud postea requirit, ex. g. *remissionem* (R. T.).

expressis haberi volumus, uberius continetur.

Translatio etiam indulgentiae.

§ 3. Cum autem, sicut dilectus filius modernus eiusdem Ordinis Praemonstratensis procurator generalis nobis nuper exponi fecit, indulgentiam, per dictum Paulum praedecessorem dicti Ordinis ecclesiis, ut praefertur, concessam, unâ cum dicto festo[1] transtulerimus; nobis idcirco idem procurator generalis humiliter supplicari fecit, ut desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, indulgentiam, per Paulum praedecessorem nostrum praedictum praemissa peragentibus die festo sancti Norberti tunc in VI mensis iunii, ac deinde, factâ per eumdem Paulum occurrentibus eisdem casibus translatione praedictâ, in dominicam illud immediate sequentem incidente, perpetuo concessam, in diem XI mensis iulii unâ cum dicto festo, sic, ut praefertur, per nos postmodum translato, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium perpetuo transferimus: itaut omnes et singuli christifideles vere poenitentes et confessi, ac, ut supra, sacrâ communione refecti, qui aliquam ex ecclesiis Ordinis praedicti die XI mensis iulii huiusmodi visitabunt, et ibi, ut praefertur, orabunt, eamdem indulgentiam consequantur, quam in diebus praedictis respective consequuti fuissent, concedimus et indulgemus, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

1 Videtur supplenda particula *non* (R. T.).

Transumptis credi mandat.

§ 4. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die X maii MDCXLIII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 10 maii 1643, pontif. anno XX.

DCCXC.

Iubilaeum pro christifidelibus in Hiberniae regno morantibus[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Iubilaeum opera hic praescripta facientibus conceditur.

Zelum orthodoxae fidei, quo accensi Hiberni catholici tamquam bellatores Domini exercituum regnum Hiberniae, ob eximium eiusdem fidei cultum patriam Sanctorum olim appellatum, ab haereticorum oppressionibus et iniuriis, quibus dudum affligitur, armis vindicare, et operarios iniquitatis, qui massam catholicae puritatis eodem in regno haereticae contagionis fermento infecerunt et iugiter inficere nituntur, extirpare satagunt, spiritualium gratiarum, quarum dispensatores in terris a Domino constituti sumus, largitione confovere volentes, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus, meritis minime suffragantibus, contulit, universis et singulis christifidelibus in praedicto Hiberniae regno contra haereticos et alios catholicae fidei hostes nunc et pro tempore militantibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, sicut in anno iubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem concedi consuevit, tenore praesentium, pro unâ vice tantum pro quolibet, concedimus et elargimur.

Facultas quoque confessarium sibi deputandi, qui eos absolvat a casibus reservatis, vota commutet, etc.

§ 2. Cupientes autem, omnes christifideles militantes, ut praefertur, participes fieri huius pretiosissimi thesauri, universis et singulis christifidelibus praedictis licentiam concedimus et facultatem damus, ut sibi ad hunc effectum quemcumque presbyterum confessarium tam secularem quam cuiusvis Ordinis regularem etiam ex aliàs approbatis a locorum Ordinariis eligere possint, qui, eorum confessionibus diligenter auditis, ab omnibus excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quavis causâ latis seu inflictis, necnon ab omnibus[1] et delictis, quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive nobis et Sedi Apostolicae, etiam in litteris die Coenae Domini legi[2] solitis contentis, et aliàs per quascumque nostras et Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae et eâ vice tantum, eos absolvere et liberare valeat, et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentiâ salutari, aliisque eiusdem confessarii arbitrio iniungendis.

Praesentium fieri publicationem praecipitur.

§ 3. Quapropter, tenore praesentium, in virtute sanctae obedientiae, districte praecipimus et mandamus omnibus et quibuscumque venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum in Hiberniâ existentibus, eorumque vicariis et officialibus, vel, iis deficientibus, illis, qui curam animarum inibi exercent, ut, cum praesentium litterarum transumpta aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim, absque ullâ morâ, retardatione vel impedimento, per suas ecclesias et dioeceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicent et publicari faciant.

Casus excepti.

§ 4. Non intendimus autem per praesentes super aliquâ irregularitate, publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate seu inhabilitate quoquo modo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae, neque etiam easdem praesentes iis qui a nobis et Apostolicâ Sede, vel ab aliquo praelato, seu iudice ecclasiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi prius satisfecerit aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles iubilaei, indulgentiarum et facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, ap-

1 Heic aliquid deest, nempe *excessibus* vel *criminibus* (R. T.).

2 Male, ut patet, edit. Main. habet *legis* pro *legi* (R. T.).

probatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac formam in illis traditam pro servatâ habentes, hac vice specialiter, nominatim et expresse ad effectum praesentium derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 6. Ut autem praesentes nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus ut earumdem praesentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV maii MDCXLIII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 15 maii 1643, pontif. anno XX.

DCCXCI.

Indultum celebrandi missam et recitandi officium de beato martyre Iosaphato archiepiscopo Polocensi, monacho Ordinis sancti Basilii.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In Sede Principis Apostolorum, nullis licet nostris suffragantibus meritis, divinâ providentiâ constituti, ad ea per quae servorum Christi, qui pro eius Ecclesiâ sanguinem suum fuderunt, veneratio in terris promoveatur, et laudetur Dominus in sanctis suis, pastoralis muneris nostri[1] partes propensis studiis impendimus, prout pia christifidelium praesertim catholicorum regum et principum vota exposcunt, nosque conspicimus in Domino salubriter expedire.

Supplicatio.

§ 1. Sane, nomine dilectorum filiorum monachorum Ordinis sancti Basilii nobis nuper expositum fuit, quod commissâ dudum a nobis congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum (ad instantiam clarae memoriae Sigismundi dum viveret Poloniae et Sveciae regis illustris et charissimi in Christo filii nostri Vladislai, etiam Poloniae et Sveciae regis illustris, necnon ad supplicationem venerabilium fratrum metropolitanorum, archiepiscoporum et episcoporum, ac dilectorum filiorum nobilium virorum palatinorum principum, ac universi cleri et populi catholici regni Poloniae, magnique ducatus Lithuaniae, ac totius Russiae, nec non Ordinis praedicti) causâ servi Dei Iosaphati archiepiscopi Polocensis, eiusdem Ordinis sancti Basilii, pro Christi nomine et fide catholicâ et pro sanctâ potissimum unione cum Ecclesiâ Romanâ Vitepsci in Russiâ Albâ die XII novembris MDCXXIII a schismaticis trucidati, illâque deinde per plures annos per eamdem congregationem, servatis servandis, discussâ et examinatâ, auditis etiam desuper theologis, consultoribus et sanctae fidei promotore, post obtentam priùs a nobis sub die XXVII ianuarii MDCXXIX derogationem decreti nostri de non procedendo in causis servorum Dei ad effectum canonizationis, seu beatificationis, aut declarationis martyrii, nisi lapsis quinquaginta annis ab obitu illorum, et, praeviâ sub die II martii MDCXLI nostrâ licentiâ ad ulteriora in huiusmodi causâ in congregationibus ordinariis procedendi, referente dilecto filio nostro

1 Male edit. Main. legit *nostrae* (R. T.).

Ioanne Baptista tituli S. Eusebii eiusdem S. R. E. presbytero cardinali Pamphilio nuncupato propositâ, eadem congregatio dictâ die II martii MDCXLI censuit constare de validitate processuum, die vero XIII septembris MDCXLII constare de martyrio et causâ martyrii, die demum XXII novembris eiusdem anni MDCXLII constare etiam de miraculis; ideoque eidem congregationi videri, si nobis placeret, posse dictum servum Dei Iosaphatum beatorum Martyrum catalogo adscribi et ad solemnem ipsius canonizationem quandocumque deveniri.

Concedit prout in rubricâ.

§ 2. Quare, pro parte non solum praedictorum, verum etiam venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium negotio Propagandae Fidei praepositorum, nobis fuit humiliter supplicatum, ut interim, donec ad solemnem canonizationem dicti servi Dei Iosaphati deveniatur, idem servus Dei Iosaphatus Beatus nuncupari, atque officium et missa de eo, ut infra, celebrari possit. Nos itaque, piis Vladislai regis, cardinalium, metropolitanorum, archiepiscoporum, episcoporum, palatinorum principum, cleri, monachorum et populi praedictorum votis huiusmodi, quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de eorumdem cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, ut ipse Dei servus Iosaphatus in posterum Beatus nuncupari, atque ab omnibus monachis dicti Ordinis sancti Basilii ubique terrarum existentibus, necnon in omnibus ecclesiis dioecesis et provinciae Polocensis, ac totius metropolis Russiae, a quibuscumque sacerdotibus, tam secularibus quam regularibus, die natalis ipsius, XII videlicet novembris, officium et missa de communi unius Martyris Pontificis recitari respective ac celebrari, iuxta rubricas breviarii et missalis Romani, necnon Graeci seu Rutheni ab Apostolicâ Sede approbati, valeat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, licentiam et facultatem concedimus et impertimur.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Contrariis derogat.

§ 4. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, notarii publici manu subscriptis, et alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae sigillo munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI maii MDCXLIII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 16 maii 1643, pontif. anno XX.

DCCXCII.

Absolvit collegium cursorum a quocumque interesse inito per eos, et confirmat decretum ab eo factum[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Dominicus Mangilius et Ioannes Baptista Riccius, suo et aliorum collegialium collegii cursorum nostrorum nominibus, quod ipsi, aliàs, seu nuper, memores decretorum, ordinationum et statutorum dicti eorum collegii, et signanter quarumdam in simili formâ Brevis litterarum felicis recordationis Pauli Papae V praedecessoris nostri de anno MDCXIV emanatarum, ad animarum suarum salutem, ac ut de cetero quietius securiusque in conscientiâ viverent, quoddam decretum ediderunt, quo sibi invicem et vicissim quomodolibet interesse ipsorum dumtaxat sive publicum sive privatum, ipsos et eorum quemlibet tantum tangens, etiam massas et massarum distributiones et so- Cursores quodcumque interesse sive publicum sive privatum remittunt.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

lutiones, active vel passive ac aliàs quomodolibet ipsos tantummodo concernentes, remiserunt et condonarunt, et aliàs prout in eodem decreto plenius dicitur contineri.

Idque apostolicâ auctoritate firmari petunt.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes, nomine quo supra, decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri, aliàsque in praemissis, ut infra, opportune provideri[1]:

Confirmat Pontifex.

§ 3. Nos, eosdem exponentes aliosque collegiales praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus huiusmodi nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, ac omnia et singula in eo contenta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et insuper eorumdem exponentium et aliorum collegialium huiusmodi singulares personas a quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis quomodolibet per eos hactenus praemissorum occasione incursis, et respective consentientium dumtaxat, auctoritate et tenore praedictis absolvimus et totaliter liberamus, dictasque poenas illis gratiose remittimus et condonamus.

Sicque a quocumque iudice iubet iudicari.

§ 4. Decernentes, praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, quos illae concernunt ac concernent in futurum, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantibus derogat.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ipsius collegii, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate alîâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 6. Volumus autem, quod imposterum praedictae dicti Pauli praedecessoris litterae sub censuris et poenis contentis in illis inviolabiliter observentur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII iunii MDCXLIII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 8 iunii 1643, pontif. anno XX.

1 Deest verbum *desiderent* (R. T.).

DCCXCIII.

Sententia exequutorialis auditoris camerae in controversia super iure praecedendi in processionibus inter fratres Ordinis Eremitarum sancti Augustini provinciae Hispalensis, et Discalceatorum nuncupatorum sancti Francisci, extenditur ad alias provincias eiusdem Ordinis sancti Francisci.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Refert suas litteras.

§ 1. Aliàs a nobis pro provinciâ Hispalensi fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Discalceatorum nuncupatorum Hispaniarum emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Quibus praecedentiam Minoritis Discalceatis provinciae Hispalensis asseruerat.

Cum (sicut dilectus filius Ioannes Merinero Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum minister generalis nobis nuper exponi fecit) aliàs (postquam a[1] venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus sacris ritibus praepositis, super controversiis inter dilectos filios eiusdem Ordinis fratres Discalceatos nuncupatos provinciae Hispalensis ex unâ, necnon fratres Ordinis Eremitarum sancti Augustini eiusdem provinciae partibus ex alterâ, tunc super iure praecedendi in processionibus et aliis actibus publicis vertentibus, decretum seu declaratum fuit praecédentiam in concursu cum aliis regularibus in processionibus et aliis actibus publicis praedictis semper competere primodictis fratribus Discalceatis, sive soli per se et sub propriâ cruce, et[2] cum familiâ de Observantiâ incedant, et sint Discalceati Reformati, aut alio quovis nomine nuncupentur, dummodo sint vere Reformati dicti Ordinis sancti Francisci, necnon gaudere et frui debere omnibus aliis praerogativis in Bullâ felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri, quae incipit *Ex iniuncto nobis*, etc., expressis, et subinde nos decretum huiusmodi cum omnibus et singulis in eo contentis apostolicâ auctoritate confirmavimus, aliaque fecimus, quae in nostris in simili formâ Brevis desuper de anno MDCXXX expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur),

Latamque ab auditore camerae sententiam confirmaverat,

§ 2. Postmodum, in exequutionem earumdem nostrarum litterarum ac pro illarum observatione, obtentis per eosdem Discalceatos ac expeditis a dilecto filio curiae causarum camerae apostolicae auditore generali monitorialibus litteris, illarumque vigore citatis dictis fratribus sancti Augustini, et infra terminum sibi ad comparendum iuraque sua deducendum minime comparentibus, ab eodem auditore generali lata[1] definitiva sententia, per quam iuxta praedictarum nostrarum litterarum continentiam et tenorem dictis fratribus Discalceatis huiusmodi praecedentiam praedictam adiudicavit, cupiatque propterea idem Ioannes minister generalis sententiam eiusdem auditoris generalis, quo firmius subsistat, apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri:

§ 3. Nos, qui religiosorum Ordinum quorumcumque felicem directionem pacemque ac quietem sinceris desideramus affectibus, eumdem exponentem ipsosque Discalceatos fratres specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus dicti Ioannis ministri generalis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, sententiam dicti auditoris generalis in exequutionem praedictarum litterarum nostrarum ut praefertur latam, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae

1 Praepositionem *a* nos addimus (R. T.).
2 Videretur legendum *seu* pro *et* (R. T.).

1 Heic supplendum verbum *sit* vel *fuerit* (R. T.).

firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in praemissis quomodolibet intervenerint aut intervenisse dici vel censeri possint, supplemus.

Cum clausulis, § 4. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere, ac praedictis fratribus Discalceatis ubicumque existentibus in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac ab omnibus, ad quos spectat et in futurum quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari, sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et Sedis Apostolicae nuncios ubique et in quavis instantiâ iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequiorum deputatione: § 5. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis, praesertim Hispalensi, ac aliis episcopis in provinciis et locis, in quibus Discalceatorum huiusmodi regulares domus erectae sunt sive imposterum erigentur, constitutis, ac dilectis filiis eorum officialibus seu vicariis in spiritualibus generalibus per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte fratrum Discalceatorum huiusmodi requisiti fuerint, solemniter publicantes, eisdemque fratribus Discalceatis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ praedicta omnia et singula ab iis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari, eosdem Discalceatos fratres praemissorum commodo et effectu pacifice frui ubique et gaudere, non permittentes illos per aliorum quorumvis Ordinum et institutorum regulares quomodolibet molestari, contradictores quoslibet et rebelles, aut aliàs in praemissis non parentes, seu sese quomodolibet opponentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Et obstantium derogatione. § 6. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quorumvis Ordinum et congregationum, ac domorum et locorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 7. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII martii MDCXLI, pontificatus nostri anno XVIII.

Hoc idem extendit ad alios conventus.

§ 8. Cum autem, sicut per dilectum filium Antonium de Castillo filium et procuratorem in Romanâ curiâ provinciae S. Ioannis Baptistae fratrum Ordinis Minorum eiusdem sancti Francisci de Observantiâ Discalceatorum nuncupatorum etiam Hispaniarum accepimus, iidem fratres Discalceati sancti Francisci secundodictae provinciae huiusmodi in oppido seu villâ de Vineros Derthusensis dioecesis in regno Valentiae unum conventum sui Ordinis fundaverint, in ipso autem oppido seu villâ huiusmodi etiam unus conventus fratrum Ordinis Eremitarum sancti Augustini fundatus reperiatur; idcirco nos, pro nostri pastoralis officii debitô, litibus et scandalis, quae occasione praecedentiae in processionibus et aliis actibus publicis inter utriusque Ordinis huiusmodi fratres praefatos oriri possent, obviam ire, aliàsque ut infra opportune providere volentes, de congregationis super negotiis dicti Ordinis deputatae consilio, motu proprio, ac ex certâ scientiâ merâque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praeinsertas nostras litteras ac omnia et singula in eis contenta ad secundodictam S. Ioannis Baptistae eorumdem fratrum Discalceatorum sancti Francisci provinciam, ac quoad praefatum dicti oppidi seu villae de Vineros et quosvis alios conventus eiusdem secundodictae provinciae S. Ioannis Baptistae fratrum Discalceatorum primodicti Ordinis huiusmodi, tenore praesentium extendimus et ampliamus.

Mandatum de parendo.

§ 9. Mandantes propterea omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet in futurum spectabit, in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis aliisque arbitrii nostri poenis, ut eosdem fratres Discalceatos secundodictae provinciae huiusmodi omnium et singulorum praemissorum commodo et effectu frui et gaudere sinant et faciant, ac decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque fratribus Discalceatis secundodictae provinciae huiusmodi in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab omnibus et singulis, quos illae concernunt[1] in futurum, inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et Sedis Apostolicae nuncios, ubique et in quavis instantiâ iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutorum deputatio.

§ 10. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis in eâdem secundodictâ provinciâ constitutis, seu dilectis filiis eorum officialibus, seu vicariis in spiritualibus generalibus, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, ac in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte eorumdem fratrum Discalceatorum secundodictae provinciae huiusmodi desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in[2] praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ omnia et singula debitae exequutioni demandari et ab omnibus inviolabiliter observari, non permittentes eosdem fratres Discalceatos sancti Francisci secundodictae provinciae huiusmodi per eiusdem sancti Augustini aut aliorum quorumvis Ordinum et institutorum regulares quomodolibet molestari,

Contravenientium poenae.

§ 11. Contradictores quoslibet et re-

1 Videtur deesse *et concernent*, nam comma sequitur post *in futurum* (R. T.).

2 Praep. *in* nos addimus (R. T.).

belles, aut aliàs praemissis non parentes, seu sese quomodolibet opponentes, per easdem excommunicationis et quasvis alias censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vivibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae in eisdem praeinsertis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die X iunii MDCXLIII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 10 iunii 1643, pontif. anno XX.

DCCXCIV.

Mandat inquisitori maiori Portugalliae, ne ipse et alii inquisitores molestius inferant rectori, lectori, collegialibus aliisque ministris universitatis studii generalis et regii civitatis Elborensis[1].

Dilecto filio adversus haereticam pravitatem in regno Portugalliae inquisitori maiori,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

Facti series.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii rector, doctores, magistri et aliae personae universitatis studii generalis civitatis Elborensis in regno Portugalliae, quod ipsi a iurisdictione cuiuscumque iudicis dicti regni exempti et immediate Sedi Apostolicae subiecti sunt, praeterquam tamen in casibus fidei, pro quibus contra eos ab adversus haereticam pravitatem in eodem regno inquisitoribus procedi potest; et insuper, quod ex privilegio apostolico universitas praefata deputare potest unum iudicem seu superintendentem cuiusdam nundinae seu mercatus qui singulis hebdomadis fieri consuevit pro servitio dictae universitatis, lusitano *almotacel*, italo autem idiomatibus *edile* nuncupatum, qui facultatem et auctoritatem habet mandata seu iussiones dandi pro distributione rerum, quae in dictâ nundinâ seu mercatu venduntur, et ab eius ordinationibus ad alium quam ad quemdam particularem privilegiorum dictae universitatis conservatorem appellari nequit.

Licet autem privilegia huiusmodi sint, ut asseritur, in viridi observantiâ, et spatio octuaginta annorum non fuerit auditum seu visum quidquam in contrarium, nihilominus de mense decembris anni proxime praeteriti MDCXLII evenit, ut, cum quidam famulus unius consultoris sancti inquisitionis officii adversus eamdem haereticam pravitatem in eâdem civitate unum pomorum canistrum pro servitio sui heri emere vellet, dilectus filius doctor Rocchus Cortez, collegialis theologus collegii regii theologorum dictae civitatis, qui praefatum iudicis seu superintendentis huiusmodi munus exercebat, sese dicto famulo opposuerit, volueritque, ut ante quemcumque alium de supradictis pomis collegio Purificationis B. M. V., cuius erat collegialis, provideretur; qua de causâ eodem famulo apud suum herum, illo vero conquerentibus cum eisdem inquisitoribus dictae civitatis, praefati inqui-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

sitores dictum Rocchum in eorum tribunali citari fecerunt, qui respondit, si se pro rebus ad fidem spectantibus vocatus ab eis erat, prompte inibi compariturum, si vero illum volebant pro rebus suum officium tangentibus, non posse privilegiis dictae universitatis praeiudicare, quorum vigore nullum alium iudicem praeter illius conservatorem agnoscebat; et in effectu habitâ per eumdem conservatorem de praemissis notitiâ, idem conservator litteras hortatorias seu precatorias et avocatorias causae huiusmodi ad dictos inquisitores dedit; qui non minus responso dicti Rocchi, quam litteris dicti conservatoris irritati, multos birruarios et familiares dicti inquisitionis huiusmodi officii mandarunt, qui dictum Rocchum carcerarent, prout illum realiter et cum effectu in viâ publicâ apprehenderunt, et publice habitu collegiali indutum ad eorum inquisitionis huiusmodi officium conduxerunt, in cuius carcere illum more reorum de fide catholicâ concluserunt; quo in carcere cum eumdem Rocchum spatio unius mensis detinuissent, tandem convocatis quodam inter alios die per eosdem inquisitores in aulâ dicti inquisitionis huiusmodi officii multis personis religiosis, quoddam theatrum consulto et expresse ad id perstructum eumdem Rocchum conscendere fecerunt nudato capite absque pallio et sine habitu aut insigni collegiali cum candelâ in manu accensâ, illumque in expensis condemnarunt, et exilio ad annum e dictâ civitate Elborensi mulctarunt, ob contumaciam in non comparendo ad citationem huiusmodi.

Subinde vero, dimissis praefatis regularibus, officiales dicti inquisitionis huiusmodi officii, qui remanserant, ad quamdam secundam sententiam contra eumdem Rocchum devenerunt, qua illum praefato iudicis seu superintendentis huiusmodi officio privarunt et ad illum perpetuo inhabilitarunt, illum ad solutionem viginti ducatorum monetae illarum partium condemnando, quia famulo dicti consultoris sanctae inquisitionis huiusmodi officii poma, quae intendebat emere, nullatenus reliquerat. Terminato autem hoc actu et latâ sententiâ, dilectus filius Franciscus Pitherio, presbyter Societatis Iesu, doctor et magister primae cathedrae sacrae theologiae dictae universitatis, cum mandato procurationis rectoris et officialium eiusdem universitatis, praeviâ et habitâ licentiâ accedendi ad dictos inquisitores, debitâ cum reverentiâ dixit, se, occasione praeiudicii, quod ex actu et sententiâ praefatis inferri et sequi poterat dictae universitati suisque privilegiis nomine eiusdem universitatis ad nos expresso nomine provocare; qui inquisitores huiusmodi, auditâ appellatione praedictâ, eumdem Franciscum extra aulam dicti inquisitionis officii huiusmodi per unum horae quadrantem consistere fecerunt, illumque deinde apprehensum occasione appellationis ab eo ad nos interpositae cum birruariis et sine socio ad conventum sancti Dominici fratrum Ordinis Praedicatorum miserunt, et ibi quadam in cellâ illi pro carcere assignatâ concluserunt, cum expressâ prohibitione, ne inde, nisi diebus festis missam audiendi causâ, exire, neve quemquam, praeter ipsius conventus priorem et unum alium fratrem alloqui posset, illumque, tam in victu quam in quacumque aliâ re male tractari fecerunt; praetendentes eumdem Franciscum gravissimum quoddam delictum commisisse[1] ob interpositam ad nos dictam appellationem, qui, ut ipsi inquisitores asserunt, a nobis omnem iurisdictionem abdicavimus, illamque ad dictos inquisitores transtulimus, quorum tribunal nullum alium superiorem praeter Deum recognoscit, et postmodum

1 Perperam ed. Main. legit *commissis* pro *commisisse* (R. T.).

eumdem Franciscum in collegio dictae Societatis eiusdem civitatis restituerunt et reposuerunt, in quo carceratus detinetur, nec, nisi cum tribus personis sibi assignatis, nec etiam cum proprio rectore alloqui potest, eumque pluries ad tribunal dicti inquisitionis huiusmodi officii accerserunt, ireque fecerunt ad subeundum examen, non sine maximâ contumeliâ, perinde ac si reus causae fidei foret.

Ad haec praefati inquisitores huiusmodi, ut populum terrerent, qui offensus ex capturâ et gestis contra eumdem Rocchum ipsis inquisitoribus obloquebatur, in dictae civitatis ecclesiis promulgari fecerunt quoddam edictum, quo sermones, qui de hac materiâ fiebant, casus sacri inquisitionis huiusmodi officii[1], et quemlibet teneri voluerunt sub poenâ excommunicationis sibi ipsis reservatae denunciare hac de re loquentes, et quibusvis notariis et officialibus publicis prohibuerunt, ne desuper ulla acta et instrumenta conficerent seu confici facerent.

Licet autem, praemissis non obstantibus, pro parte dicti Francisci praesentata fuerit appellatio a praemissis dilecto filio moderno iurium et spoliorum camerae nostrae apostolicae in Portugalliae et Algarbiorum regnis debitorum vicecollectori, quam ille acceptavit, nihilominus, cum praefati inquisitores huiusmodi procederent in causâ huiusmodi, tentarentque carceri mancipare dilectum filium modernum dictae universitatis rectorem, aliosque actus praeiudiciales facere, pro parte et nomine eorumdem Francisci et Rocchi necnon dictae universitatis huiusmodi rectoris et aliorum interesse habentium recursus ad nos habitus novaque coram nobis appellatio, quam admisimus, interposita respective fuerunt[2]:

1 Forsan deest *esse declararunt* (R. T.).

2 Pessime edit. Main. legit *fecerunt* pro *fuerunt* (R. T.).

§ 2. Quare nobis iidem exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune, ut infra, providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Preces rectoris universitatis.

§ 3. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut eisdem haereticae pravitatis inquisitoribus dictae civitatis Elborensis auctoritate nostrâ praecipias, ne amplius in causâ huiusmodi procedant, ac ut eumdem Franciscum e carcere liberent, necnon omnia et singula acta per eos in praemissis facta illorumque processum ad nos transmittant, nec quidquam contra quamcumque personam eorumdem praemissorum occasione innovent[1], praemissisque omnibus et singulis, sub indignationis aliisque arbitrii nostri poenis prompte pareant et obediant. Mandatum de quo in rubricâ.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ipsius officii inquisitionis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis ipsis inquisitoribus et quibusvis illorum personis in genere vel in specie ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro Obstantibus derogat.

1 Improbe edit. Main. habet *innoverit* pro *innovent* (R. T.).

plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI iunii MDCXLIII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 16 iunii 1643, pontif. anno XX.

DCCXCV.

Commmissio vicecollectori Portugalliae, ut defendat et liberet rectorem et alios universitatis studii generalis Elborensis civitatis a molestiis eis allatis ab inquisitoribus sacrae inquisitionis officii [1].

Dilecto filio, iurium et spoliorum camerae apostolicae in Portugalliae et Algarbiorum regnis debitorum vicecollectori,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Facti series. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt, etc. *(Reliqua conveniunt de verbo ad verbum cum praecedenti).*

Preces universitatis. § 2. Quare nobis iidem[2] exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune, ut infra, providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Commissio vicecollectori, ut molestiis inquisitoribus tradi-tionem actorum; § 3. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut eisdem inquisitoribus Elborensibus auctoritate nostrâ inhibeas, illosque cogas et compellas, sub censuris et poenis nobis et Sedi praefatae reservatis, ut omnia et singula acta in huiusmodi negotio per eos facta tradant et consignent, et interim nemine quoquo modo molestent, ac de facto praefatum Franciscum carcere praedicto liberari facias, et quavis personâ in notarium, ministrum et exequutorem utaris, illamque a quovis praeiudicio, quod a tribunali inquisitionis huiusmodi illi inferri posset, assecures;

Cum opportunis ad id et tributis facultatibus. § 4. Contradictores quoslibet et rebelles, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, et interdictum etiam ecclesiasticum apponendo [1], invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus, ac ipsarum universitatis, societatis et officii inquisitionis huiusmodi, quatenus opus sit, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, (etiam eo privilegio ut asseritur concesso, quod a sententiis inquisitorum haereticae pravitatis ad aliud quam ad inquisitoris maioris eorumdem Portugalliae et Algarbiorum regnorum huiusmodi tribunal appellari nequeat), sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliis-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Edit. Main. legit *idem* (B. T.).

1 Male edit. Main. legit *apponendi* (B. T.).

que efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu alia quaevis expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XVII iunii MDCXLIII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 17 iunii 1643, pontif. anno XX.

DCCXCVI.

Declarat Congregationi Bursfeldensi Ordinis S. Benedicti, et omnibus militantibus sub eadem regulâ, utendum esse Breviario Benedictino a Paulo V reformato [1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Aliàs statutum ut monachi Ordinis sancti Benedicti breviario benedictino uterentur.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius modernus abbas monasterii Selgenstadiensis praesidens Congregationis Bursfeldensis Ordinis sancti Benedicti, quod aliàs per maiorem partem monachorum eiusdem Congregationis in pluribus illius capitulis generalibus decretum fuit, acceptandum esse, et acceptatum fuit, breviarium monasticum Benedictinum a felicis memoriae Paulo Papa V praedecessore nostro ad formam ritus romani reformatum, ut consonantia inter eos etiam in divinis officiis introduceretur. Quare nobis idem abbas humiliter supplicari fecit, ut in praemissis ac aliàs, ut infra, opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Hoc idem praecipit Urbanus.

§ 2. Nos igitur, eumdem abbatem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, Congregationem Bursfeldensem dicti Ordinis sancti Benedicti, ut et omnes alios militantes sub regulâ sancti Benedicti, posse et debere uti breviario Benedictino ab eodem Paulo praedecessore reformato, non obstante quod in praeteritum usi fuerint alio breviario, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus, decretumque capitulorum dictae Congregationis Bursfeldensis de acceptando dicto breviario Benedictino reformato, necnon de conformando se in caeremoniis caeremoniali romano, laudamus et approbamus, occasione autem dictae acceptationis ad antiquam consuetudinem recitandi quotidie officium Beatae Mariae et Defunctorum, iuxta formam regulae dicti Ordinis, monachos dictae Congregationis nihilominus teneri etiam declaramus.

Clausulas addit.

§ 3. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis au-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

ctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Et obstàntia tollit.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis, Congregationis et monasterii huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII iunii MDCXLIII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. 17 iunii 1843, pontif., anno XX.

DCCXCVII.

Commissio auditori camerae procedendi contra Rempublicam Venetam, magnum ducem Hetruriae, ac Mutinae et olim Parmae duces nonnullarum terrarum sanctae Sedis Apostolicae invasores [1].

Dilecto filio, curiae causarum camerae apostolicae auditori, Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Referuntur invasiones, et depraedationes terrarum nonnullarum ad Sedem Apostolicam pertinentium.

§ 1. Cum nuper ad aures nostras non sine maximâ animi nostri molestiâ pervenerint hostiles invasiones et occupationes factae a militibus tam pedestribus quam equestribus Reipublicae Venetae, ac Parmae et Placentiae olim, necnon Mutinae et Rhegii ducum terrarum nostrarum Bondeni, Ostellatae et Argentae, ac aliorum Status nostri Ecclesiastici locorum respective, et novissime certiores facti fuerimus de hostili invasione a magni ducis Hetruriae sibi subiectae exercitu factâ territorii nostrae civitatis Plebis cum depraedationibus, latrociniis, caedibus, aliisque gravissimis damnis nostrorum et S. R. E. subditorum, iuriumque et dignitatis sanctae Sedis Apostolicae detrimento:

Commissio auditori camerae causas inde motas aut movendas cognoscendi.

§ 2. Hinc est quod nos, irreverentiam et ausus ac delicta adeo detestanda, nedum quia nobis, sed etiam palam omnibus manifestissima ac notoriissima sunt, nequaquam sufferre et impunita relinquere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut causam et causas praedictorum delictorum et excessuum, ac quam et quas nomine camerae apostolicae et Sedis praedictae et fisci nostri, occasione praemissorum vel aliorum delictorum in praeiudicium et damnum eiusdem Sedis illiusque Status et subditorum per praefatos et eorum quemlibet aliosque infra expressos forsan committendorum, coram te moveri contigerit, cum omnibus et singulis illarum dependentibus, emergentibus, incidentibus, connexis et annexis, totoque negotio principali, auctoritate nostrâ cognoscas et debito fine termines, et quascumque sententias et poenas ecclesiasticas (etiam cum comminatione interdicti universalis, particularis, localis, personalis et mixti in omnibus et singulis statibus reipublicae et ducum praefatorum, illiusque publicatione), necnon quamcumque poenam corporalem, etiam capitalissimam, ac devolutionis cuiusdam feudi, emphiteuteos, seu iurisdictionum, privationis cuiuscumque dignitatis ac quorumcumque privilegiorum, gratiarum, indultorum, concessionum, titulorum et praeeminentiarum quoquo modo a sanctâ Sede Apostolicâ aut ab aliis ecclesiis inferioribus obtentae seu obtentorum, etiam individuâ expressione indigentium, necnon confiscationis omnium et singulorum bonorum, cuiusvis generis et qualitatis existant, tam stabilium, quam mobilium et semoventium, necnon iurium, actionum et praetentionum, ac aliorum quorumcumque, in quas praefatos et alios in praesentium exequu-

Et ad poenas quascumque et sententias procedendi.

tione nominandos condemnaveris, seu incidisse declaraveris, omni appellatione, reclamatione, recursu nullitatis, etiam ex tribus, aliisque iuris remediis ordinariis et extraordinariis penitus et omnino remotis, exequaris, cum facultate desuper processum seu processus tuo et dilecti filii tui in criminalibus locumtenentis arbitrio per acta cuiuslibet notarii tibi benevisi confici et formari faciendi, ac extra curiam commissarium seu commissarios ad suscipiendas super praemissis et quolibet eorum informationes cum facultatibus tibi benevisis transmittendi vel subdelegandi, tam contra Rempublicam Venetam et contra magnum in Hetruriâ praedictâ et alios Parmae et Placentiae olim ac Mutinae et Rhegii duces, quam contra omnes et singulos eorum consiliarios, ministros et officiales, cuiuscumque generis, qualitatis et conditionis existant, necnon etiam contra quamcumque universitatem, communitatem, earumque officiales omnes et quoscumque, aliamque personam particularem etiam privatam, et contra illorum omnes et singulos armorum praefectos generales seu milites, quoscumque magistros campi, columnellos, capitaneos, signiferos, ceterosque officiales quomodolibet nuncupatos, ac omnes et singulos milites, illorumque auxiliatores, fautores, consultores, conspiratores, collegatos et alios, qui quoquo modo dederint, seu dant, aut dabunt auxilium, consilium et favorem quomodolibet ipsi Reipublicae Venetae et cuilibet ex supradictis ducibus contra eamdem Sedem illiusque Statum in praedictis invasionibus et aliis rebus supradictis, ac etiam aliis consimilibus, aut maioribus, seu minoribus, quae forsan in posterum a singulis ex Republicâ et aliis ducibus supradictis fient, necnon etiam contra omnem et quemcumque alium ducem et principem cuiuscumque praeeminentiae et potestatis, etiam talis quae specificâ mentione et expressione indigeat, ac quamcumque aliam personam ecclesiasticam etiam cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti, etiam Societatis Iesu, ac hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani aliorumque Ordinum militarium regularem, in quacumque dignitate etiam sublimi constitutam, et, ut praefertur, expressâ mentione dignam, etiam cum facultate amplissimâ tam ad fabricationem processus seu processuum deveniendi, quam in definitione, terminatione, declarationibus, publicationibus, aut sententiis quibuscumque et illorum exequutionibus inclusive omnia et singula supradicta[1] per viam manifesti, manifestissimi, notorii et notoriissimi, etiam nullo iuris ordine servato, proveniente tam ex dispositione iuris canonici seu civilis, quam ex quacumque aliâ constitutione apostolicâ, regulâ, statuto, consuetudine, stylo, aut alio quovis iure, etiam speciali notâ dignis, sed de facto et absque ullâ citatione, ac solâ conscientiâ informatâ, etiam cum torturae cuiusvis generis, qualitatis et quantitatis, quatenus arbitrio tuo opus sit et illi locorum esse duxeris, inflictione.

Cum facultatibus opportunis.

§ Declarantes expresse, quod de omnibus et singulis, quae per te seu per tuum in eisdem criminalibus locumtenentem aliosque per te quovis modo deputandos fient, tam in fabricatione processus seu processuum, quam in procedendo ad torturam seu torturas, quam etiam in sententias ferendo illasque exequendo in quibusvis censuris ecclesiasticis et poenis temporalibus supradictis, nec tu, nec illi, nec quilibet vestrum teneamini, cogique valeatis, aliis quam soli Deo rationem reddere.

A ratione cuicumque reddenda eximitur.

§ 4. Ac decernentes praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio notari

Clausulae.

1 Videtur deesse vox *faciendi* aut similis (R.T.).

vel impugnari, nec quamcumque iniustitiam allegari posse, sed te et tuum locumtenentem huiusmodi soli Deo dumtaxat, ut praefertur, de praemissis rationem reddere teneri, ac easdem praesentes litteras semper validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, necnon camerae apostolicae praesidentes clericos et alios ministros et officiales, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et quosvis alios quacumque auctoritate nunc et pro tempore fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Mandatum de exequendo.

§ 5. Nos enim, uti de supradictis invasionibus, occupationibus, hostilitatibus, depraedationibus et aliis gravissimis damnis iam per eosdem rempublicam et duces huiusmodi in praedictis nostris terris et aliis locis dicti Status Ecclesiastici factis quodque omnia et singula praemissa et illorum quodlibet omnibus manifestissima et notoriissima sunt plene informati, et aliis ex causis animum nostrum moventibus, eadem omnia et singula praemissa, ut praefertur, fieri et debitae exequutioni demandari mandamus.

Reservatio sententiae iam contra Parmae ducem latae.

§ 6. Per praesentes autem non intendimus in aliquo praeiudicari sententiae aliàs per te contra praedictum olim Parmae et Placentiae ducem latae ac iuribus fisco et camerae apostolicae inde et aliunde quomodolibet contra ipsum et quosvis alios acquisitis, quam et quae in suo robore et firmitate, absque eo quod ab illis recessum seu illis praeiudicatum fuisse esse et fore praetendi possit, remanere volumus.

Contrariorum derogatio.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis generalibus editis, ac praesertim felicis recordationis Bonifacii Papae VIII etiam praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, ac quarumvis provinciarum, civitatum, terrarum et locorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stylisque et usibus tui tribunalis, ac etiam Romanae curiae quantumlibet antiquis et antiquissimis, necnon investituris, etiam ducatus Parmae et Placentiae, aliorumque ducatuum, ac castrorum et locorum infeudationibus, vicariatibus, permutationibus, instrumentis et quibusvis aliis concessionibus quocumque nomine nuncupatis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, ipsis reipublicae et ducibus et quibusvis aliis personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis, etiam specialem modum et formam procedendi contra praedictos et eorum quemlibet continentibus, processumque seu processus aliter factum et factos irritantibus; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut

si praefatis et eorum cuilibet sit ab eâdem Sede indultum, quod excommunicari, suspendi, interdici, in iudicium extra suas provincias et dioeceses, vel nonnisi certis solemnitatibus servatis, trahi neutiquam possint per litteras non facientes expressam ac individuam de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet eiusdem Sedis indulgentiâ generali vel speciali, per quam praesentibus non expressam, vel totaliter non insertam, praesentium litterarum effectus et illarum[1] vigore gerendorum exequutio impediri vel quoquo modo differri valeat, et de quâ cuiusque toto tenore facienda sit in eisdem litteris mentio specialis.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI iunii MDCXLIII, pontificatus nostri anno XX.

Dat. die 26 iunii 1643, pontif. anno XX.

DCCXCVIII.

Quod provinciales, priores et alii officiales Ordinis fratrum Praedicatorum realiter et cum effectu per totum tempus a constitutionibus praescriptum durare possint et valeant[2].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Ex incumbenti nobis apostolicae servitutis officio ad ea libenter animum nostrum convertimus, per quae personarum quarumlibet, praesertim vero religiosam vitam ducentium, commodis et indemnitati opportune consulatur.

§ 1. Supplicationibus itaque dilectorum filiorum provincialium, priorum et aliorum officialium Ordinis fratrum Praedicatorum nobis humiliter porrectis inclinati, quod tempus, quo iidem provinciales, priores et alii officiales praedicti sine propriâ culpâ eorum prohibentur et impedientur quominus sibi demandata officia et munera in propriis provinciis et conventibus respective personaliter exercere possint, non computetur in tempore ab eiusdem Ordinis constitutionibus apostolicâ auctoritate confirmatis stabilito, sed quod ipsi provinciales, priores et alii officiales huiusmodi realiter et cum effectu in eorum muneribus et officiis per totum tempus ab eisdem constitutionibus concessum et praescriptum durare libere et licite possint et valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, statuimus, concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum. § 2. Mandantes propterea omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, ut eosdem provinciales, priores et alios officiales huiusmodi praemissorum omnium et singulorum commodo et effectu frui et gaudere sinant et faciant; ac decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis quos illae concernunt et concernent in futurum inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Mandatum de observando. § 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis et illius quarumcumque provinciarum et conventuum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis eiusdem Ordinis superioribus fratribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis,

1 Edit. Main. legit *illorum* (R. T.).

2 De huiusmodi Ordine lege Const. DCCII *Domini nostri*, huius tomi pag. 83, et Constit. DCCLXVII, *Nuper a nobis*, ut supra, pag. 218.

ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, et aliis efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, in specie vel in genere, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum praemissorum dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII iulii MDCXLIII, pontificatus anno XX.

Dat. die 7 iulii 1643, pontif. anno XX.

DCCXCIX.

Praeceptum nunciis Sedis Apostolicae in partibus Germaniae inferioris, ut eorum quilibet scripturas concernentes directionem dictae nunciaturae conservare et consignare debeat suo successori, acceptâ ab eo consignationis quietantiâ authenticâ[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Causae praecepti.

§ 1. Cum, sicut venerabilis frater Fabius episcopus Neritonensis, noster et Sedis Apostolicae in partibus inferioris Germaniae nuncius, nobis nuper exponi fecit, ipse, ubi munus nuncii huiusmodi iniit, nunciaturam illam scripturis directionem eiusdem nunciaturae necnon conservationem iurisdictionis ecclesiasticae concernentibus exhaustam repererit, post adhibitam vero exactam diligentiam in variis regularium conventibus et notariorum officiis multas ex scripturis huiusmodi recuperaverit, et ex eis triginta circiter magna volumina in formâ archivii cum suis indicibus et quovis alio apto ordine ad faciliorem pro rei et casus exigentiâ earumdem scripturarum usum compilaverit, maxime[1] vero intersit, ut eaedem scripturae conserventur, ne ad alias quam pro tempore existentium in eisdem inferioris Germaniae partibus nostrorum et dictae Sedis nunciorum manus deveniant:

Praeceptum, de quo in rubrica.

§ 2. Idcirco nos, in praemissis opportune providere, ac eumdem Fabium episcopum et nuncium specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Fabio praefato et aliis futuris pro tempore nostris et dictae Sedis Apostolicae in eisdem partibus inferioris Germaniae nunciis sub nostri et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrii[2] poenis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, praecipimus et mandamus, ut ipsorum quilibet suo in dictâ nunciaturâ successori scripturas et volumina huiusmodi conservare et consignare et de eorum consignatione per eos faciendâ a successoribus suis in eâdem nunciaturâ, quibus illa consignaverint, quietantiam authenticam reportare omnino debeant.

Clausulae.

§ 3. Decernentes irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII augusti MDCXLIII, pontificatus nostri anno XXI.

Dat. die 18 augusti 1643, pontif. anno XXI.

1 Ex regest. in Secret. Brev.

1 Forsan legendum *maximi* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *arbitriis* (R. T.).

DCCC.

Facultas cardinali Dongho ad paciscendum cum Republicâ Venetâ principibusque illi confoederatis et Odoardo Farnesio olim duce Parmensi[1].

Dilecto filio nostro, Ioanni Stephano S. R. E. cardinali Dongho nuncupato, Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Pontificis desiderium pacem ineundi.

§ 1. Bellum contra nos et hanc sanctam Sedem Apostolicam a Republicâ Venetâ, principibusque illi confoederatis, ac Odoardo Farnesio olim duce Parmae et Placentiae motum stabili pace pro communi bono componi, quantum nobis est, summopere cupientes,

Facultates ad id cardinali Dongo conceduntur.

§ 2. Motu proprio, ac ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, circumspectioni tuae, de cuius fide, prudentiâ et in rebus gerendis dexteritate plurimum in Domino confidimus, ut cum dictâ Republica, principibusque illi confoederatis, ac praedicto Odoardo pacem, nostro et dictae Sedis nomine, tractare et concludere, et pacis, quam vigore praesentium concluseris, inviolabilem perpetuamque observantiam ex nostrâ eiusdemque Sedis parte spondere et pollicere, nosque et Sedem praedictam ad servandum illa[2] omni meliori et validiori modo obligare, ac desuper quascumque scripturas necessarias quomodolibet et opportunas conficere et confici facere libere et licite possis et valeas, plenissimam et amplissimam facultatem, potestatem et auctoritatem tenore praesentium concedimus et impertimur.

Quidquid ille paciscetur ratum habebitur.

§ 3. Decernentes ex nunc validum, firmum et efficax fore quidquid tu praesentium huiusmodi vigore tractaveris, pepigeris, conveneris et concluseris, nosque et eamdem Sedem ad illius observantiam obligatos fore, non secus ac si nos ipsi personaliter pacem praedictam tractavissemus et conclusissemus,

Clausulae.

§ 4. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, nosque ipsos et successores nostros, ac Sedem praedictam, et quoscumque alios quavis potestate fungentes, nunc et pro tempore existentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI augusti MDCXLIII, pontificatus nostri anno XXI.

Dat. die 21 augusti 1643, pontif. anno XXI.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

2 Videtur legendum *illam* (R. T.).

DCCCI.

Facultas auditori generali triremium pontificiarum procedendi contra fratres milites hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani inobedientes in dictis triremibus pro tempore existentes[1].

Dilecto filio, auditori generali in nostris et Sedis Apostolicae triremibus, Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Facultas, de qua in rubrica.

§ 1. Ut fratres milites et alii hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, quos in nostris et Apostolicae Sedis triremibus

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

esse contigerit, in officio contineantur pro curâ nostrâ pastorali providere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi, ut contra quoscumque fratres milites et alios dicti hospitalis in praedictis triremibus pro tempore existentes inobedientes et aliàs delinquentes, etiam criminaliter, usque ad sententiam exclusive procedere, processusque desuper formare et conficere libere et licite possis et valeas, facultatem tenore praesentium concedimus, volentes, ut processus, quos contra fratres praedictos vigore praesentium confeceris et formaveris, clausos ad nos quamprimum transmittas, ut quod desuper decernendum duxerimus maturâ deliberatione adhibitâ decernamus.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, necnon dicti hospitalis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem hospitali, illiusque magno magistro, conventui, fratribus et personis quibuslibet, in contrarium praemissorum quomodolibet, concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v septembris MDCXLIII, pontificatus nostri anno XXI.

Dat. die 5 septembris 1643, pontif. anno XXI.

DCCCII.

Quod in principio cuiuslibet anni eligi debeant duo adiuncti seu coniudices ex capitulo ecclesiae Celsonensis: quo vero ad processus criminales contra canonicos per episcopos Celsonenses serventur leges Concilii Tridentini[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Episcopus et capitulum concordiam ineunt circa formam procedendi contra capitulares in criminalibus.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii capitulum et canonici ecclesiae Celsonensis, quod, occasione plurium litium et controversiarum, aliàs inter pro tempore existentes episcopos Celsonenses ex unâ ac eosdem capitulum et canonicos partibus ex alterâ ortarum super iurisdictione criminali non sine plurimorum scandalo et divini cultus detrimento, cupientes venerabilis frater Petrus modernus episcopus Celsonensis ac iidem capitulum et canonici litibus huiusmodi obviam ire, pacemque inter se confovere, super praemissis pro bono pacis ac rectâ dictae iurisdictionis administratione invicem et vicissim convenerunt, quod de cetero in principio cuiuslibet anni electio duorum adiunctorum seu coniudicum capitularium eatenus in dicto capitulo observata, et deinceps facienda, fiat ita ut circa capturam canonicorum, praebendatorum et capitularium dictae ecclesiae et processus criminales faciendos contra ipsos per eumdem Petrum et successores episcopos Celsonenses ac eorum officiales et vicarios generales servetur dispositio sacri Concilii Tridentini et consuetudinum laudabilium eatenus in dictâ ecclesiâ et capitulo observatarum, et aliàs, prout plenius continetur in instrumento desuper confecto, tenoris sequentis videlicet:

Refertur concordia.

§ 2. In nomine Domini nostri Iesu Christi. Amen. Noverint universi, quod

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

nos frater dominus Petrus a S. Iacobo Dei et sanctae Sedis Apostolicae gratiâ episcopus Celsonensis et regius consiliarius, scientes et attendentes, occasione quamplurium et diversarum litium, quaestionum et controversiarum, quae inter pro tempore existentes reverendissimos dominos episcopos praedecessores nostros, ac capitulum et canonicos nostrae ecclesiae cathedralis Celsonensis super iurisdictione criminali, praetendentes contra dictos canonicos et capitulares, ortâ fuerunt magna scandala, et quod graviter dolendum est divina officia publica et privata, pacem et quietem dictae ecclesiae perturbatam esse, ac in dies magis et magis perturbari, in magnum divini cultus detrimentum et praeiudicium, ac tam laicorum quam religiosorum scandalum plurimorum, et volentes omnium huiusmodi discordiarum occasionem amputare, litiumque et dissentionum flammas et anfractus, quae dubios et tristes pariunt eventus, extinguere, ideo, pro bono pacis et concordiae, ac aliàs ad petitionem fratrum nostrorum decani et capituli dictae ecclesiae, tenore praesentis publici instrumenti cunctis temporibus valituri et duraturi, consensimus, nostrumque consensum pariter et assensum praestamus et damus ad petendum, impetrandum et obtinendum a sanctissimo et beatissimo domino nostro domino Papa eiusque sanctâ Sede Apostolicâ confirmationem, gratiam et decretum electionis in principio cuiuslibet anni duorum adiunctorum seu coniudicum capitularium eatenus in dicto capitulo observatae et deinceps faciendae (itaut circa capturam canonicorum, praebendatorum et capitularium dictae ecclesiae, et processus criminales contra ipsos per nos et successores nostros canonice intrantes nostros et eorum officiales et vicarios generales faciendos, servetur dispositio sacri Concilii Tridentini, et constitutionum laudabilium eatenus in dictis ecclesiâ et capitulo observatarum), et pro praedictis omnibus et singulis damus et concedimus cum praesenti publico instrumento facultatem et potestatem syndico, actori et procuratori dicti capituli, videlicet pro nobis et nomine nostro parendi coram sanctissimo et beatissimo domino nostro domino Papa, et quibusvis aliis persona seu personis, ad quas pertineat et spectet, supplicandique proinde, quatenus omnia et singula supradicta, et dictas laudabiles constitutiones dictae ecclesiae et capituli roborare, ac suo ipsiusque Sedis Apostolicae munimine et decreto confirmare dignetur, supplereque omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerunt in eisdem, et omnia alia faciendi, gerendi et exercendi, quae ad plenam et omnimodam praemissorum exequutionem fieri requirantur (non obstantibus quibuscumque constitutionibus apostolicis, et aliis quae exigi[1] possent), et pro praemissis quascumque supplicationes eidem sanctissimo domino nostro Papae et aliis quibusvis personis et locis, quibus expediat, dandi, offerendi et praesentandi, et eas provideri, datari, sive subsignari petendi, supplicandi et obtinendi, litterarumque apostolicarum quarumcumque desuper conficiendarum expeditioni consentiendi, et nostros quoscumque expressos consensus pariter et assensus praestandi, iurandique in animam nostram per Dominum Deum, et eius sancta quatuor Evangelia, quod in praemissis non intervenit, nec in futurum interveniet dolus, fraus, simoniae labes, nec aliqua alia illiciita pactio seu corruptela. In quorum fidem et testimonium praesens publicum instrumentum per Iosephum Pintor regiâ auctoritate notarium publicum Celsonae infrascri-

1 Quid pro *exigi* legendum coniicere non valeo (R. T.).

ptum fieri et expediri iussimus et fecimus, quod est datum et actum in nostro palatio episcopali nostrae civitatis Celsonae, die XI mensis septembris, anno a nativitate Domini MDCXLII, presentibus ibidem reverendis Iacobo Abella, presbytero et rectore ecclesiae parochialis Villae Angulariae Pulchri Podii dioecesis nostrae Celsonensis, et Honorato Bonaventura Busquets chirurgo, cive Celsonae, pro testibus ad praedicta vocatis, rogatis et assumptis. In quorum fidem, et testimonium praemissorum, ego Iosephus Pintor auctoritate regiâ notarius publicus Celsonae hîc me subscribo, et meum appono quo utor signum. Loco † signi *sequitur legalitas in formâ*.

Petitur Pontificia confirmatio.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, iidem capitulum et canonici praemissa, quo firmius subsistant, apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri summopere desiderent:

Conceditur.

§ 4. Nos, eosdem capitulum et canonicos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praemissa ac desuper confectum instrumentum praeinsertum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 5. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, quos illae concernunt et concernent in futurum, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ipsius ecclesiae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII septembris MDCXLIII, pontificatus nostri anno XXI.

Dat. die 7 septembris 1643, pontif. anno XXI.

DCCCIII.

Ut deinceps consiliarii ac promotores fiscales necnon inferiores inquisitores Hispaniarum esse debeant constituti in sacris *tempore suarum deputationum* [1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Causae faciendi decreti.

§ 1. Cum in officiis et tribunalibus tam generalibus quam particularibus san-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

ctae inquisitionis adversus omnem haereticam et apostaticam a fide christianâ pravitatem in Castellae et Legionis ceterisque Hispaniarum et ab eis dependentibus regnis, principatibus et dominiis charisssimo in Christo filio nostro Hispaniarum regi catholico mediate vel immediate subiectis multa negocia ecclesias personasque ecclesiasticas concernentia tractentur, et propterea non deceat tractatibus et negociis huiusmodi personas laicas intervenire:

Decretum de quo in rubricâ.

§ 2. Idcirco, venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium adversus haereticam pravitatem inquisitorum generalium in universâ republicâ christianâ ab hac sanctâ Sede Apostolicâ specialiter deputatorum consilio, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, ut omnes et singuli consultores seu consiliarii, ac procurator seu promotor fiscalis tam supremi tribunalis, quam inquisitores et procuratores seu promotores fiscales inferiorum tribunalium dictae inquisitionis, sint et actu esse debeant in sacris ordinibus seu eorum aliquo saltem constituti, tempore quo ab inquisitore generali in dictis regnis, principatibus et dominiis nunc et pro tempore a Sede praedictâ deputato assumentur seu deputabuntur, alioquin illorum assumptio et deputatio nulla sit et inanis eo ipso, nullumque omnino ius vel titulum sic assumptis seu deputatis tribuat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo statuimus et ordinamus,

Clausulae.

§ 3. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac inquisitores et tribunalia huiusmodi, necnon sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et quoscumque alios quavis potestate fungentes, nunc et pro tempore existentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctorritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon officii inquisitionis et tribunalis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII septembris MDCXLIII, pontificatus nostri anno XXI.

Dat. die 23 septembris 1643, pontif. an. XXI.

DCCCIV.

Ut deinceps inquisitores generales non deputent inquisitores ac notarios de secreto nuncupatos supranumerarios in regnis Hispaniarum sub nullitatis poenâ [1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Causae ferendi decreti.

§ 1. Cum, sicut accepimus, illi, qui ab hac sanctâ Sede Apostolicâ generales inquisitores adversus omnem haereticam et

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

apostaticam a fide christianâ pravitatem in Castellae et Legionis ceterisque Hispaniarum et ab eis dependentibus regnis, principatibus et dominiis charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico mediate vel immediate subiectis pro tempore constituti et deputati fuerunt, ordinationes et acta tribunalis inquisitionis generalis huiusmodi non usquequaque hactenus servaverint, quippe qui absolutâ potestate in electionibus ministrorum dicti tribunalis tam inquisitorum quam notariorum de secreto nuncupatorum usi fuerunt, multosque supranumerarios constituerunt, unde gravia incommoda et perturbationes oriuntur:

Decretum, de quo in rubricâ.

§ 2. Hinc est quod nos, abusus huiusmodi e medio tollere, et perturbationibus praedictis in futurum causam praecidere, utque laudabiles observationes ac litterae stabilitae et dispositiones in tribunali praedicto factae pro bono et servitio ecclesiasum illarum partium inviolabiliter deinceps serventur providere pro curâ nostrâ pastorali volentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium adversus haereticam pravitatem generalium inquisitorum in universâ republicâ christianâ a Sede praedictâ specialiter deputatorum consilio, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, venerabili fratri Didaco episcopo Placentiae provinciae Compostellanae moderno et pro tempore existenti generali inquisitori in regnis, principatibus et dominiis praedictis a dictâ Sede deputato, ut de cetero officia inquisitorum et notariorum de secreto nuncupatorum numeraria dumtaxat, et prout deponunt acta, ordinationes et litterae praedictae, quibus certus inquisitorum notariorumque de secreto huiusmodi et aliorum ministrorum dicti tribunalis praefixus est numerus, conferant; a constituendis autem seu deputandis supranumerariis ex quacumque causâ, praetextu et occasione deinceps omnino abstineant, sub poenâ nullitatis eo ipso, absque aliquâ declaratione, omnium et singularum electionum, deputationum et collationum contra praesentium nostrarum litterarum tenore factarum, apostolicâ auctoritate, tenore earumdem praesentium, districte praecipiendo mandamus et ordinamus,

Clausulae.

§ 3. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac inquisitores praedictos, illorumque tribunalia, necnon S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et quoscumque alios quavis potestate fungentes, nunc et pro tempore existentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon officii inquisitionis et tribunalis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII se-

ptembris MDCXLIII, pontificatus nostri anno XXI.

Dat. die 23 septembris 1643, pontif. an. XXI.

DCCCV.

Quod provincia S. Gabrielis moderetur cum solis statutis municipalibus, et gaudeat omnibus privilegiis aliarum provinciarum fratrum Discalceatorum sancti Francisci.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Recenset brevia aliàs expedita pro Discalceatis.

Aliàs nos, motu proprio, et ex certâ scientiâ, meràque deliberatione nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, inter cetera alia, quod provinciae et custodiae fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Discalceatorum nuncupatorum pro tempore existentes in Hispaniarum et Indiarum partibus per sua propria statuta, ordinationes et leges gubernarentur, absque eo quod generalibus totius Ordinis statutis et consuetudinibus subiacerent, quodque S. Gabrielis et S. Didaci provinciae eorumdem fratrum Discalceatorum Hispaniarum perpetuo omnibus et singulis privilegiis et gratiis spiritualibus et temporalibus pro felici prosperoque illarum regimine et conservatione, concessis hactenus et imposterum concedendis a Sede Apostolicâ provinciis S. Iosephi, S. Ioannis Baptistae et S. Pauli eorumdem fratrum Discalceatorum Ordinis huiusmodi pariter Hispaniarum, gauderent et de illis participarent, decernimus[1], statuimus et ordinavimus, et aliàs, prout in diversis nostris in simili formâ Brevis litteris desuper expeditis, quarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, uberius continetur.

§ 1. Nunc autem nos, eamdem S. Gabrielis provinciam, illiusque fratres Discalceatos huiusmodi pro illorum uniformiori perfectione et puritate amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, deque particularis congregationis super negotiis dicti Ordinis deputatae consilio,

Concedit prout in rubrica.

§ 2. Quod minister provincialis dictae provinciae S. Gabrielis fratrum Discalceatorum huiusmodi in proxime celebrando eiusdem provinciae capitulo provinciali ad capitularem seu aliam domum regularem dictae provinciae Ordinis huiusmodi sibi benevisam et per eum eligendam, ante vel post ipsius capituli provincialis celebrationem, eos dictae provinciae fratres Discalceatos huiusmodi, qui aliàs ministratus provincialis munere functi fuerunt, convocet et convocare debeat, qui sic convocati et congregati cum definitorio eorum propria statuta et ordinationes condant pro felici dictae provinciae regimine, maiorisque perfectionis quoad vitam et bonos mores conservatione, quam ipsa provincia profitetur, statutaque et ordinationes huiusmodi exacte et summo cum rigore observentur, et per ea dicta provincia et illius fratres Discalceati huiusmodi gubernentur, absque eo quod generalibus ipsius Ordinis aut aliis statutis et consuetudinibus subiaceant, sed iis dumtaxat, quae ab ipsis congregatis et definitorio edentur, subsint;

§ 3. Ac insuper, quod eadem S. Gabrielis provincia illiusque fratres Discalceati huiusmodi omnibus et singulis litteris apostolicis, privilegiis et gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, concessis hactenus et imposterum concedendis a Sede Apostolicâ primodictis eorumdem fratrum Discalceatorum aliis provinciis Hispaniarum et Indiarum, participent et gaudeant, tenore praesentium statuimus, decernimus et ordinamus.

§ 4. Mandantes propterea, in virtute

1 Patet legendum esse *decrevimus* (R. T.).

sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis eo ipso absque aliâ declaratione incurrendae, suorum officiorum privationis, aliisque arbitrii[1] poenis, omnibus et singulis Ordinis et provinciae huiusmodi superioribus et subditis, cuiuscumque status, gradus et conditionis existant, ut praemissa omnia exacte et accurate exequantur et observent, et ab aliis exequi et observari curent aut faciant;

Decretum irritans.

§ 5. Ac decernentes praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio aut intentionis nostrae vel alio quopiam defectu notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, aut in ius vel controversiam adduci vel revocari posse, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et Sedis Apostolicae nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et provinciarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem Ordini et provinciis, illorumque quibusvis superioribus, fratribus et personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum praemissorum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 7. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III octobris MDCXLIII, pontificatus nostri anno XXI.

Dat. die 3 octobris 1643, pontif. anno XXI.

1 Male edit. Main. legit *arbitriis*; supplendum etiam esset *nostri* (R. T.).

DCCCVI.

Seminarium Praemonstratensium in civitate Coloniensi protectioni Congregationis de Propagandâ Fide subiicitur[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Petitio vicarii generalis provinciae Rhenanae.

§ 1. Cum, sicut pro parte dilecti filii vicarii generalis provinciae Rhenanae Ordinis Praemonstratensium nobis nuper expositum fuit, ipse seminarium canonicorum regularium dicti Ordinis in civitate Coloniensi erectum sub protectione congregationis venerabilium fratrum nostro-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

rum S. R. E. cardinalium negotio Propagandae Fidei praepositorum suscipi plurimum desideret:

Subiectio, de qua in rubricâ.

§ 2. Nos, eiusdem vicarii generalis votis in praemissis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eiusdem vicarii generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eiusdem congregationis consilio (attento quod canonici regulares Ordinis huiusmodi sub directione episcoporum curam suscipiunt animarum, et quod alumni in dicto seminario instructi poterunt ad missiones in diversis locis Germaniae haeresi infectis ab eâdem congregatione destinari sine eius dispendio, cum Ordo praedictus multa habeat monasteria in locis haereticorum), seminarium praedictum protectioni dictae congregationis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo supponimus, ac eidem congregationi, ut illud sub suâ protectione suscipiat, iniungimus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Congregationis et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x octobris MDCXLIII, pontificatus nostri anno XXI.

Dat. die 10 octobris 1643, pontif. anno XXI.

DCCCVII.

Prohibitio auditoribus sacrae Rotae Romanae, ac eorum locatenentibus et studii adiutoribus, etc., ne vota sua vel suorum coadiutorum, et alia quae in Rotâ tractantur, cuiquam patefaciant[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii causarum palatii apostolici auditores, quod etiam in eorum primo ingressu in Rotâ praestent iuramentum de conservando secretum super omnibus et singulis quae in Rotâ occasione disputationis causarum dicuntur; tamen eorum vota sive suffragia in causis et controversiis quae in Rotae auditorio discutiuntur, et alia quae earumdem causarum eorumque tribunalis ratione inter se tractant et disputant, partibus litigantibus seu aliis patefiunt; indeque grave eidem tribunali, auditoribusque, seu locatenentibus praedictis oritur et in dies magis oriri potest praeiudicium: nobis propterea dicti auditores humiliter supplicari fecerunt, ut desuper opportuno providere remedio de benignitate apostolicâ dignaremur.

Rotae auditoribus prohibet, ne vota sua et alia quae in Rotae tractan-

§ 1. Nos igitur, ne metu evulgationis auditores praefati seu eorum locatenentes a proferendis libere votis seu suffra-

1 Auditores Rotae Romanae, quae servent in procedendo, et quod praestent iuramentum in ingressu officii, praescripta leguntur in Ioannis XXII Constitut. XLII *Ratio iuris*, tom. IV, pag. 317. Iisdem auditoribus Rotae Romanae multa indixit Paulus V in Const. CXCIV (*al.* 139) *Universi agri*, tom. XII, pag. 58.

tur, cuiquam patefaciant.

giis suis retrahantur seu retrahi possint, iustitiaeque administratio inde quoquo modo impediatur, quantum cum Domino possumus providere volentes, et singulares dictorum auditorum personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de nonnullorum Romanae Curiae praelatorum super hoc negotio a nobis specialiter deputatorum consilio, quascumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum hac super re editas constitutiones innovantes, eisdem Rotae auditoribus, ac eorum locatenentibus nunc et pro tempore in perpetuum existentibus, ne propria cuiuslibet ipsorum vota sive suffragia, in quibusvis causis et controversiis quae in eorum auditorio pro tempore discutiuntur, ulli omnino personae utriusque sexus, ac cuiuscumque qualitatis, conditionis, status, dignitatis et praeminentiae, etiam ecclesiasticae, et individuâ mentione dignae, praeterquam suis coadiutoribus, seu locatenentibus, suorumque studiorum unicis adiutoribus, ac alteri personae, cuius operâ quemlibet adiutorem[1] seu locumtenentem in studendo uti oportebit, directe vel indirecte, nutu, scripto, vel verbo, vel aliàs quomodolibet, sub quovis quantumvis colorato praetextu patefacere, aut ita loqui, ut ex eorum verbis de proprio vel suorum coadiutorum seu locatenentium suffragiis seu votorum tenoribus cognitio unquam haberi possit, nec etiam coadiutorum suorum vota sive suffragia cuiquam ullo modo patefacere, neque quinam ex ipsis votum sive suffragium tulerint, necne, significare directe vel indirecte quoquo modo, nec ea, quae tam in eorum auditorio et congressu, quam extra et ubique locorum inter ipsos, sive collegialiter, sive non collegialiter, dicta fuerint, sive causas aut controversias in eorum auditorio discussas, sive eorum tribunal et auditorium, sive personas litigantium seu informantium quomodolibet concernentia, cuiquam, ut praemittitur, propalare seu evulgare audeant vel praesumant, sub periurii et maioris excommunicationis latae sententiae (a quibus a nemine, etiam maiori poenitentiario, et quocumque alio facultatem absolvendi generalem, etiam vigore cruciatae, vel iubilaei, etiam anni sancti, etiam in solo foro conscientiae, habente, sed dumtaxat a nobis, et pro tempore existente Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo unquam absolvi possint) eo ipso absque aliâ declaratione incurrendis poenis, apostolicâ auctoritate, hac perpetuo valiturâ constitutione nostrâ, directe prohibemus et interdicimus. Ceterum iisdem auditoribus, ut dicere vel significare valeant difficultates ob quas resolutio in qualibet rotali discussione dilata seu quomodolibet impedita, seu rationes ac motiva ob quae illa facta fuerint, seu quae in causae discussione adducta fuerunt, partibus contendentibus sive colligantibus (tacito tamen illius seu illorum auditorum seu locatenentium nomine et cognomine etiam corresponsalium nuncupatorum, a quo seu a quibus difficultates praefatae excitatae, vel rationes ac motiva etiam a partibus contendentibus seu collitigantibus deducta, probata seu amplexa fuerunt) permittimus.

Eorum studii adiutoribus idem adiungit.

§ 2. Quia vero valde inconveniens foret ea, quae per ipsos auditores seu locatenentes secreta teneri debeant, ab eorum studii adiutoribus publicari aut aliquo modo patefieri; idcirco singulis auditorum

1 Potius lege *auditorem* (R. T.).

et locatenentium praefatorum studii ut vocant[1] auditoribus, necnon alteri personae, cuius operâ quilibet eorumdem, auditorum ac locatenentium pro tempore in studendo aliosque labores perferendo uti, ut supra dictum est, poterit, ne vota sive suffragia, tam suorum, quam aliorum auditorum ac locatenentium, aut si quid ex illis, quae, ut supra dictum est, in auditorio seu congressu dictorum auditorum tractata et dicta fuerint, aut quae resolutionem causarum et negotiorum, ut praefertur, impediverint vel promoverint, quomodolibet resciverint, etiam minimum, ulli omnino personae, directe vel indirecte, verbo vel scripto, aut illa quoquo modo, ut praemittitur, patefacere, indicare et significare pariter audeant vel praesumant, sub poenis praefatis eo ipso incurrendis, modoque et formâ praemissis, itaut etiam in foro conscientiae solum a nobis et Romano Pontifice ut praefertur absolvi possint, similiter ex tunc, prout postquam praesens nostra constitutio ad eorum notitiam deducta fuerit, perpetuo prohibemus.

Eosdem iurare iubet, se observaturos eamdem Constitutionem.

§ 3. Insuper, ut omnes et singuli auditores huiusmodi, praesentes quidem post huiusce nostrae constitutionem promulgationem, posteri vero antequam possessionem officii auditoris huiusmodi adipiscantur, in manibus pro tempore existentis S. R. E. cardinalis vicecancellarii, nec non dicti[2] auditores studii, scilicet unus adiutor pro quolibet auditore seu locumtenente, et altera dumtaxat persona cuius operâ dicti auditores et locatenentes in studendo ut praefertur utentur, in manibus suorum respective auditorum seu locatenentium [illegible] hanc nostram constitutionem ad unguem observaturos iurent et iurare teneantur;

Quam affigi praecipit.

§ 4. Necnon ut quotannis in primâ Rotâ mensis octobris, quando ceterae constitutiones apostolicae dictum tribunal concernentes legi solent, etiam haec nostra constitutio cum illis legatur, ac ut eiusdem constitutionis copia in bibliothecis seu locis studii ordinarii auditorum praefatorum, ita ut ab omnibus quos illa concernit legi, nec illius ignorantia ab eis allegari queat, palam et loco conspicuo affigi et continuo affixa remanere debeat, volumus, statuimus et ordinamus.

Clausulas praeservativas addit.

§ 5. Praesentesque litteras et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae, aut alio quopiam defectu notari, impugnari, vel redargui, in ius vel controversiam revocari, vel ad terminos iuris reduci posse, sed illas semper validas, firmas et efficaces existere et fore, et ab omnibus, quos illae concernunt, perpetuo inviolabiliter observari,

Clausula *sublatâ*.

§ 6. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam praefatos auditores et locatenentes, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, etiam poenitentiarios, nunc et pro tempore existentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi ac interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, necnon easdem praesentes litteras intelligendas esse, prout iacent, decernimus: et, ut incursus censurarum et poenarum praefatarum aliquo modo non excusetur, ne eaedem litterae per quemquam nisi per nosmetipsos et Romanos Pontifices successores nostros declarentur seu interpretentur, sub eisdem censuris et poenis eo ipso incurrendis, prohibemus.

Contraria removet.

§ 7. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et syno-

1 Legendum foret *adiutoribus* (R. T.).
2 Potius lege *adiutores* (R. T.).

dalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon dicti tribunalis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem tribunali et auditoribus, et aliis praefatis ceterisque quibuslibet, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et pluries innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum praemissorum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX novembris MDCXLIII, pontificatus nostri anno XXI.

Dat. die 19 novembris 1643, pontif. anno XXI.

Anno a Nativitate Domini Iesu Christi MDCXLIII, *indictione* XI, *pontificatus sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Urbani divinâ providentiâ Papae VIII anno eius* XXI, *die vero* XXIII *mensis novembris, supradictae litterae apostolicae affixae et publicatae fuerunt in valvis basilicae Principis Apostolorum de Urbe, in acie Campi Florae, ac aliis locis solitis et consuetis Urbis, per me Camillum Frisonum, sanctissimi domini nostri Papae cursorem.*

Pro domino magistro cursorum,
Ioseph Maffaeus cursor.

DCCCVIII.

Confirmatio litterarum Pauli V et Gregorii XV de approbandis iis, qui ad curam animarum ecclesiarum parochialium de iurepatronatus monachorum claustralium Ordinis sancti Benedicti provinciae Tarraconensis et regni Aragonum eliguntur[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Provisionis nostrae debet provenire[2] subsidio, ut ius suum unicuique conservetur.

Refert litteras Gregorii XV Papae, die VI februarii MDCVIII editas.

§ 1. Proinde nos tenorem[3] quarumdam litterarum in formâ Brevis felicis recordationis Gregorii Papae XV praedecessoris nostri in favorem dilectorum filiorum abbatum et monachorum claustralium Ordinis sancti Benedicti provinciae Tarraconensis et regni Aragonum emanatarum, et in secretariâ nostrâ ipsius Gregorii praedecessoris repertum[4], de verbo ad verbum transcribi, et praesentibus annotari fecimus, pro eo quod huiusmodi tenore praedicti abbates et monachi se indigere nobis nuper significari fecerunt, qui quidem tenor talis est, videlicet:

Gregorius Papa XV,
ad futuram rei memoriam.

Quibus Gregorii litteris aliae Pauli V recensentur quoad approbationem regularium ad curam animarum.

Aliàs a felicis recordationis Paulo Papa V praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Paulus Papa V, ad futuram rei memoriam. Ex iniuncto nobis desuper apostolicae servitutis officio ad ea, quae pro ecclesiarum[5] praesertim regularium personarum quiete et tranquillitate statuta et declarata sunt, fovenda et conservanda, quantum in nobis est, libenter intendimus, ut, omnium querelarum et litium occasionibus amputatis, liberius Creatori nostro iuxta laudabilia eorum statuta famulentur. Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum abbatum

1 Ex regest. in Secret. Brev.
2 Male edit. Main. legit *praevenire* (R. T.).
3 Male ibid. legitur *tenore* (R. T.).
4 Potius legerem *repertarum* (R. T.).
5 Potius lege *ecclesiasticarum* (R. T.).

et monachorum claustralium Ordinis sancti Benedicti provinciae Tarraconensis et regni Aragonum nobis expositum fuit, quod (licet aliàs per dilectos filios nostros S. R. E. cardinales super interpretatione decretorum Tridentini Concilii deputatos in eorum congregatione fuerit declaratum, parochialium ecclesiarum et regularium beneficiorum, quibus animarum cura incumbit, necnon vicariarum perpetuarum monasteriis et aliis regularibus locis perpetuo unitarum, quae regularibus personis conferri, sive per seculares presbyteros et perpetuo vicarios regi et gubernari consueverunt, vacatione pro tempore occurrente, minime liceat[1] locorum Ordinariis edicta proponere et examen per concursum iuxta Concilii decretum sess. XXIV, cap. XVIII facere, sed satis tunc esse, ut regulares quidem personae ecclesiis praedictis praeficiendae a dilectis locorum Ordinariis examinentur et approbentur, seculares vero in vicariis et aliis beneficiis praedictis instituendi a superioribus regularibus dicti Ordinis nominentur, examen autem et approbationem ad dictos tantum Ordinarios, iuxta felicis recordationis Pii Papae V praedecessoris nostri constitutionem, pertinere) nihilominus nonnulli ex dictorum locorum Ordinarii provinciae et regni praedictorum, declarationi huiusmodi minime, ut par est, acquiescentes, et decretorum dicti Concilii verba ad eorum sensum et voluntatem trahentes, abbates et monachos praedictos in praemissis inquietare et desuper molestare ac eorum iuribus privare non verentur. Quare nos, honestis et iustis huiusmodi precibus inclinati, opportunum praemissis remedium adhibere volentes, declarationi praedictae inhaerentes, eamque harum serie approbantes et confirmantes, omnibus archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis in provinciâ et regno praedictis consistentibus praecipimus et mandamus, parochialibus et aliis ecclesiis, in quibus per praedicti Ordinis monachos animarum cura exercetur, et vicariis perpetuis parochialium ecclesiarum quibus pro earum curâ seculares eligi et deputari consueverunt, monasteriis et aliis locis Ordinis eiusdem perpetuo unitis, pro tempore vacantibus, edicta proponere, et concursum iuxta dicti Concilii decretum minime de cetero facere praesumant, sed regulares Ordinis praedicti ac seculares clericos, ab eiusdem Ordinis abbatibus et monachis iuxta dictam constitutionem Pii V debito tempore nominandos, si ab ipsis idonei reperti fuerint, absque edictis et aliorum concursu in parochialibus ecclesiis et vicariis praedictis admittant et instituant, prout nos admittendos et instituendos esse decernimus. Insuper etiam volumus et mandamus, quod in parochialium ecclesiarum et beneficiorum curam animarum habentium, quae de eiusdem Ordinis iurepatronatu ecclesiastico exstiterint, et secularibus clericis conferri consueverint, earum vacatione quandocumque occurrente, quamvis per episcopos praedictos ad concursum et examen admitti possint alii ultra eos qui per eiusdem Ordinis abbates et monachos patronos erunt nominati, nequeant tamen per eosdem episcopos, si ad eos institutio et non ad alium pertineat, institui et ordinari, nisi illi tantum, qui, inter approbatos et ab examinatoribus idoneos repertos, ab eiusdem Ordinis praelatis patronis digniores et magis idonei iudicati et pro institutione recipiendâ eisdem episcopis praesentati fuerunt[1]; quod si institutio non ab ipsis episcopis, sed ab aliis fuerit facienda, tunc quidem soli episcopi ex dignis digniorem eligere debeant, sed non ante ab eo ad quem spectat institui possint, quam ab eisdem

1 Legendum foret *licere* (R. T.).

1 Aptius legeretur *fuerint* (R. T.).

patronis ei fuerint praesentati; sicque in praemissis per eosdem et alios quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum quibuslibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et in provincialibus, synodalibus conciliis editis, statutis quoque et consuetudinibus ecclesiarum et monasteriorum praedictorum iuramento ac[1] confirmatione apostolicâ roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub[2] quibuscumque tenoribus et formis, in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae, apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die VI februarii MDCVIII, pontificatus nostri anno III.

Hoc autem Gregorius XV auditori camerae exequendum commisit.

Nunc autem volentes praeinsertas litteras suum ut par est effectum sortiri, supplicationibus abbatum et monachorum praedictorum nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eorumdem cardinalium consilio, dilectis filiis curiae causarum camerae apostolicae generali auditori, ac quibuslibet personis in dignitate ecclesiasticâ constitutis, in dictâ provinciâ existentibus, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi praeinsertas litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties super hoc pro parte abbatum et monachorum praedictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem litteras ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari, dictosque abbates et monachos illarum effectu et commodo pacifice frui et gaudere; non permittentes eos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super hoc habendis servatis processibus, censuras ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis, quae in praeinsertis litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX maii MDCXXIII, pontificatus nostri anno III.

Urbanus vero huiusmodi litteris transcriptis fidem adhiberi mandat.

§ 2. Ceterum, ut dictus tenor sic insertus omnimodam rei seu facti certitudinem faciat, volumus ut illud idem robur eamdemque vim et eumdem vigorem dictus tenor in iudicio vel alibi, ubicumque fuerit ostensus, in omnibus et per omnia habeat, quem haberent originales praedictae, ac illi pariter stetur, sicut eisdem litteris originalibus staretur, si forent exhibitae vel ostensae.

Clausula praeservativa.

§ 3. Per praesentes autem nullum ius cuiquam de novo acquiri volumus, sed antiquum tantummodo conservari.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII novembris MDCXLIII, pontificatus nostri anno XXI.

Dat. die 23 novembris 1643, pontif. anno XXI.

1 Coniunct. *ac* nos addimus (R. T.).

2 Vocem *sub* nos addimus (R. T.).

DCCCIX.

Suppressio Ordinis Ss. Barnabae et Ambrosii ad Nemus[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Quantum ornamenti et utilitatis provenit Ecclesiae catholicae ex institutis canonice religiosorum hominum ordinibus, ubi ipsi in sanctitatis et iustitiae semitâ coram Deo et hominibus ambulantes ceteris bonorum operum exemplo praelucere satagunt ad salutem, tantum ex adverso detrimenti et scandali timendum est, quando[2] ipsi religiosi, a praescriptâ sibi vivendi normâ et verae virtutis viâ aberrantes, in desidiae aliorumque vitiorum praecipitia foede dilabuntur, cum in eos, velut in excelso christianae perfectionis monte collocatos, omnium oculi dirigantur. Unde nos, qui gregi dominico praepositi sumus ut iuxta verbum propheticum noxia evellamus et destruamus utiliaque plantemus et aedificemus, in eam curam peculiariter decet incumbere, ne oves morbidae ceteras perniciosâ contagione inficiant.

Causae suppressionis faciendae.

§ 1. Cum itaque nobis liquido constiterit et constet, dilectos filios fratres Ordinis Ss. Barnabae et Ambrosii ad Nemus professores nec monitionibus nec obsecrationibus aut correctionibus flecti potuisse, ut remedia salutaria reciperent, alicui studio ad Ecclesiae Dei utilitatem incumberent, aut futurae virtutis, licet diutius expectatos, specimen ostenderent, sed fere omnes, a propositae sibi vitae praescripto aberrantes, cultus divini et regularis disciplinae omni curâ et observantiâ reiectâ, in votorum transgressione assuetos, impoenitentes et incorrigibiles in profundum malorum iam esse delapsos, habitâ super praemissis et aliis eorum criminibus et excessibus per nonnullos dilectos filios nostros S. R. E. cardinales ac Romanae curiae praelatos a nobis desuper deputatos maturâ, diligenti ac diutinâ deliberatione, de eorumdem cardinalium et praelatorum consilio,

Suppressio, de qua in rubrica.

§ 2. Motu proprio, ac ex certâ scientiâ nostrâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, harum serie extinguimus, supprimimus et abolemus Ordinem praefatum fratrum Ss. Barnabae et Ambrosii ad Nemus, unâ cum omnibus eius officiis et dignitatibus generalatus, vicarii generalis, procuratoris generalis, provincialium, priorum et si qua[1] sunt alia eiusdem Ordinis officia et ministeria; privamusque generalem, vicarium et procuratorem generalem, ac ceteros omnes eiusdem Ordinis professos, modo existentes, eorum dignitatibus, administrationibus, officiis et beneficiis ecclesiasticis, cum curâ et sine curâ, necnon domibus, conventibus et bonis immobilibus, mobilibus et semoventibus, ubicumque existentibus, ac ipsorum omnium administratione et possessione, tam in spiritualibus quam in temporalibus, necnon omnibus iuribus et actionibus ad eos quomodolibet spectantibus et pertinentibus.

Ad hoc etiam omnia decreta et constitutiones eiusdem Ordinis irritat.

§ 3. Praeterea omnia eiusdem Ordinis statuta, consuetudines et decreta, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roborata[2], privilegia quoque, indulta generalia, vel specialia, quibuscumque concepta sint formulis, necnon irritantibus aliisque decretis et vinculis roborata, quorum omnium tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, revocamus.

Eisdemque fratribus capitula convocandi facultatem tollit.

§ 4. Ac insuper eisdem fratribus tollimus omnem facultatem, usum et auctoritatem generalia, provincialia et alia capitula, congregationes seu dietas quo-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Male edit. Main. legit *quod* pro *quando* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *quae* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *roboratis* (R. T.).

cumque praetextu vel quaesito colore convocandi seu celebrandi.

Quos Ordinariorum visitationi subiicit.

§ 5. Omnesque fratres eiusdem Ordinis, qui ad praesens reperiuntur professi, curae, regimini, gubernio atque omnimodae iurisdictioni, visitationi et correctioni Ordinariorum supponimus, dando eisdem Ordinariis facultatem fratres in propriis dioecesibus existentes in uno aut pluribus conventibus cuiscumque dioecesis nunc et pro tempore collocandi et removendi, prout eis in Domino magis videbitur expedire, reservatâ tamen eisdem fratribus facultate transeundi ad quamcumque aliam religionem, etiam laxiorem, a Sede Apostolicâ approbatam, petitâ tamen prius et obtentâ desuper a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositis debitâ licentiâ, eos autem, qui professionem nondum emiserunt, et novitii existunt, detracto eis per locorum Ordinarios religionis habitu, ex professorum consortio et domibus expelli et ad proprias domos remitti volumus.

Cum facultatibus eisdem Ordinariis opportunis.

Nonnullaque prohibet et decernit circa eosdem fratres.

§ 6. Ac iisdem fratribus prohibemus, ne imposterum quemquam expulsorum, aut alium quemcumque, etiam voveatum, ad habitum seu professionem eiusdem Ordinis recipiant vel admittant, aut novos conventus, domos seu loca regularia recipiant, vel acquirant, aliàs eorum receptio et professio nulla sit et invalida ad quemcumque effectum, et nec in genere nec in specie obliget ad religionem, novorumque conventuum, domorumque, seu locorum receptiones et acquisitiones viribus et effectu careant; et contrafacientes excommunicationis sententiam, a qua nonnisi a nobis et pro tempore existente Romano Pontifice praeterquam in mortis articulo absolvi possint, eo ipso et absque aliâ declaratione incurrant.

Circa beneficia et bona per eosdem fratres possessa necessarias capit provisiones.

§ 7. Ceterum, intendentes divino cultui, ecclesiisque, conventibus, domibus, ceterisque locis et bonis per huiusmodi suppressionem vacantibus prospicere et providere[1], omnia beneficia ecclesiastica cum curâ et sine curâ, necnon ecclesias, conventus, domos, loca, praedia et bona immobilia, mobilia et semoventia, suppellectilem, tam sacram quam profanam, res, actiones et iura quaecumque ad Ordinem praefatum quomodolibet spectantia et pertinentia, eorumque administrationem et dispensationem, debitis eorum supportatis oneribus, quibus nullo modo derogare intenditur, curae, regimini, gubernio, administrationi et dispensationi Ordinariorum, in quorum dioecesi sunt sita, reservamus, cum infrascriptis conditionibus, et non aliàs, aliter, nec alio modo, ut de eorum fructibus et redditibus necessaria ad victum et vestitum professorum in Ordine sic ut praemittitur per nos tenore praesentium suppresso remanentium proportionabiliter prius subministrare teneantur; tunc, si quid supererit, portiones insuper professorum pro tempore decedentium vel ad aliam transeuntium (relictis iis quae ad victum et vestitum superstitum atque alia onera ipsis imposita subeunda, ac[1] manutentioni ecclesiarum, conventuum, domorum, terrarum, praediorum, seu aliorum bonorum, eorumque fructuum et reddituum recollectioni et exactioni fuerint necessaria) in usus pios locorum cuiuscumque dioecesis, ubi conventus ipsi et bona ut supra sunt sita, per eosdem locorum Ordinarios applicentur; de ecclesiis autem, conventibus, domibus, locis, bonis tam mobilibus quam immobilibus et semoventibus, suppellectile sacrâ vel profanâ, iuribus et actionibus supradictis, cum nulli vel pauci erunt eiusdem Ordinis professi superstites, iidem Ordinarii, quisque in pro-

1 Subde verbum *volentes* (R. T.).
2 Coniunct. *ac* nos addimus (R. T.).

priâ dioecesi tantum, ad usus pios, ut supra, disponere quidem possint, sed eorum dispositiones et applicationes suum non sortiantur effectum, donec a nobis et pro tempore existente Romano Pontifice, habitâ prius relatione dictis cardinalibus negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositis, confirmationem obtinuerint; aliàs eorum dispositiones, applicationes et provisiones nullae sint et invalidae.

Clausulas apponit.

§ 8. Decernentes praesentes litteras, etiam ex eo quod superiores et alii fratres dicti suppressi Ordinis et ceteri quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato et substantiali, sive etiam ex eo quod in praemissis seu eorum aliquo solemnitates, et quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite a iure vel facto aut statuto vel consuetudine aliquâ resultante, seu etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore iuris clauso, seu occasione vel causâ, etiam quantumvis iustâ, rationabili et privilegiatâ, etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostrâ huiusmodi et aliis superius expressis seu relatis nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet concesso quempiam uti seu se iuvare in iudicio vel extra posse, neque ipsas praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari,

Et ita ab omnibus iudicari decernit.

§ 9. Sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et nuncios, ac alios quavis auctoritate et potestate fungentes, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, sciènter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantia tollit.

§ 10. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis generalibus editis, ac, quatenus opus sit, regulâ nostrâ de non tollendo iure quaesito, necnon dicti suppressi Ordinis, illiusque conventuum, ac ecclesiarum illi quomodolibet unitarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Ordini, illiusque superioribus, fratribus et personis quibuslibet, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie,

aut aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem adhiberi mandat.

§ 11. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die II decembris MDCXLIII, pontificatus nostri anno XXI.

Dat. die 2 decembris 1643, pontif. anno XXI.

DCCCX.

Indulgentia plenaria in formâ iubilaei ad divinam opem implorandam in almâ Urbe concessa[1].

Urbanus Papa VIII.

Dilectis filiis clero et populo Romano, ac aliis christifidelibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Suscitatis iam pridem in universo fere orbe christiano gravibus bellorum procellis, tranquillitatem publicis privatisque precibus a Deo postulare non destitimus, sed voti compotes hactenus fieri non potuimus, immo gliscente in dies armorum tempestate verendum est, ne graviora divinae iustitiae assiduis populorum peccatis irritatae flagella praesentes calamitates subsequantur. Diffidere tamen non debemus de immensâ Domini clementiâ, cuius miserationes super omnia opera eius; visitat enim in virgâ ferreâ iniquitates hominum, sed misericordiae suae non obliviscitur. Ideo corde contrito et humiliato opem eius iterum imploremus, eumque cum fiduciâ deprecemur, ut statuere dignetur procellam in auram, unde optatae pacis serenitas christifidelibus effulgeat. Hoc autem ut fructuosius et maiori cum spiritus ardore peragatur, ex veteri Ecclesiae Romanae omnium matris et magistrae more, eiusdem Ecclesiae thesauros, quorum dispensatores a Domino constituti sumus proferre et erogare decrevimus.

Indulgentia plenaria opera hic praescripta peragentibus conceditur.

§ 1. Itaque, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus, meritis minime suffragantibus, contulit, universis et singulis christifidelibus in almâ Urbe degentibus, qui tribus solemnibus processionibus diebus infra proximam vel immediate sequentem hebdomadam, a dilecto filio nostro in eâdem Urbe vicario in spiritualibus generali vel eius vicesgerente designandis, uni videlicet ad ecclesiam S. Ioannis Lateranensis, et alteri ad Principis Apostolorum, ac tertiae ad S. Mariae Maioris basilicas per universum clerum Romanum agendis, sive earum alteri, interfuerint, vel qui in alterâ ex dictis hebdomadis ecclesias et basilicas praedictas seu earum alteram semel saltem devote visitaverint, ibique pias ad Deum preces pro pace universali, christianorum principum

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

concordiâ, haeresum extirpatione, et sanctae matris Ecclesiae exaltatione, praesentibusque eius necessitatibus effuderint, ac confessi et sacrâ communione infra easdem duas hebdomadas refecti fuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Facultas eligendi sibi confessarium, qui a casibus reservatis, etc., absolvat.

§ 2. Iis praeterea, qui quartâ et sextâ feriis ac sabbato alterius[1] ex hebdomadis praefatis ieiunaverint, licentiam concedimus et facultatem damus, ut possint sibi ad hunc effectum eligere quemcumque presbyterum confessarium, tam secularem quam cuiusvis Ordinis regularem, ex approbatis a praedicto vicario generali, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quavis causâ latis seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis, quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive nobis et Sedi Apostolicae, etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, et aliàs per quascumque nostras aut Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones (quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis) quomodocumque reservatis, in foro conscientiae, et hac vice tantum, non tamen a crimine haeresis, absolvere et liberare valeat, et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentiâ salutari, aliisque eiusdem confessarii arbitrio iniungendis.

Regulares, aliique impedimento detenti quo pacto huiusmodi indulgentiam consequi valeant.

§ 3. Regularibus autem personis utriusque sexus in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam laicis quam ecclesiasticis secularibus et regularibus in carcere existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut confessarius, quem, ut supra, elegerint, praedicta omnia et singula vel eorum aliqua in alia pietatis opera commutare possit, pariter concedimus et indulgemus.

Quae facultas confessariorum non extenditur ad dispensationem irregularitatis.

§ 4. Non intendimus autem per praesentes super aliquâ irregularitate publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate seu inhabilitate quoquo modo contractâ dispensare vel aliquam facultatem tribuere dispensandi seu habilitandi et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae.

Neque ad absolutionem excommunicationum.

§ 5. Neque etiam easdem praesentes iis, qui a nobis et Sede Apostolicâ vel aliquo praelato seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti seu aliàs in sententias et censuras incidisse declarati vel publice denunciati fuerint, nisi infra tempus ut supra praefixum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles indulgentiarum et facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, ac quorumcumque Ordinum, congregationum sive institutorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus et congregationibus atque institutis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi

1 Aptius legeretur *alterutrius* (B. T.).

de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, ac formam eorum traditam pro servatâ habentes, hac vice specialiter, nominatim et expresse, ad effectum praesentium, derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII decembris MDCXLIII, pontificatus nostri anno XXI.

Dat. die 12 decembris 1643, pontif. anno XXI.

DCCCXI.

Mandat nuncio apostolico Coloniae, ut ad civitatem Monasteriensem se conferat, pacisque tractatibus adsit[1].

Venerabili fratri episcopo Neritonensi, nostro et Apostolicae Sedis ad tractum Rheni et inferioris Germaniae partes nuncio,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Mandatum prout in rubrica.

Cum, sicut accepimus, civitas Monasteriensis in Vestphaliâ, quo conveniatur, pro tractandâ inter charissimos filios nostros Ferdinandum regem Romanorum in imperatorem electum ac utrumque regem aliosque principes christianos pace, destinata sit, et ideo dilectus filius noster Martinus[2] S. Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Ginettus nuncupatus (quem aliàs ad eosdem Ferdinandum regem in imperatorem electum ac utrumque regem necnon ad alios reges et dilectos filios nobiles viros, respublicas, aliosque principes maioris potentiae, eorumque regna, provincias, dominia et loca eis adiacentia, ceteraque, ad quae eumdem Martinum cardinalem declinare contigisset, nostrum et Apostolicae Sedis de latere legatum constituimus, ut tractatibus pacis huiusmodi nostro nomine et seu uti mediator interveniret) ad praedictam civitatem Monasteriensem, ut tractatibus dictae pacis ut praefertur interveniat, propediem profecturus sit: nos, ut interim, donec ipse Martinus cardinalis illuc appulerit, non desit qui tractatibus huiusmodi nostro nomine interveniat, pro ingenti quo tenemur stabiliendae pacis praedictae desiderio, providere volentes, ac de fraternitatis tuae fide, prudentiâ et in gravibus rebus agendis dexteritate plurimum in Domino confisi, motu proprio, ac ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eidem fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut ad praedictam civitatem Monasteriensem te conferas, ac tractatibus pacis praedictae nostro nomine et seu uti mediator intervenias, teque interponas, donec et quousque dictus Martinus cardinalis legatus ad eamdem civitatem appulerit. Nos enim tibi ad praemissa necessariam et quomodolibet opportunam facultatem earumdem tenore praesentium concedimus et impertimur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII decembris MDCXLIII, pontificatus nostri anno XXI.

Dat. die 23 decembris 1643, pontif. anno XXI.

DCCCXII.

Prohibitio extrahendi libros ex bibliothecis et paramenta ex sacristiis domorum regularium provinciae Granatensis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Recollectorum nuncupatorum.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Legendum foret, ut alibi, *Martius* (R. T.).

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. In iis, quae ad tuenda conservandaque bona et iura religiosorum Ordinum quorumcumque pertinere noscuntur, auctoritatem nostram libenter interponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Supplicatio. § 1. Cum itaque, sicut dilecti filii fratres Ordinis Minorum sancti Francisci Recollectorum nuncupati provinciae Granatensis nobis nuper exponi fecerunt, in conventibus eorumdem fratrum dictae provinciae sacristiae et bibliothecae extent, quarum ornamenta et libri partim ex eleemosynis personarum secularium empta, partim a diversis benefactoribus et piis particularibus personis donata fuerunt, ut illis mediantibus iidem fratres Recollecti commode litteris operam dare et divino cultui decenter vacare possint; per dilectos autem filios ministros generales, provinciales et alios superiores Ordinis et provinciae huiusmodi e dictis sacristiis et bibliothecis nonnulli libri et ornamenta huiusmodi, sub eo quod illa non necessaria aut duplicata sint, aut sub quibusvis aliis coloribus et praetextibus, extrahantur, aut permutanda, vel aliis conventibus fratrum Observantium, vel monialium eiusdem Ordinis danda seu vendenda, exindeque personis secularibus, quae dictis conventibus seu illorum sacristiis et bibliothecis libros et ornamenta huiusmodi dederunt, non leve scandalum, ipsis vero fratribus Recollectis et eorum conventibus notabile praeiudicium inferatur:

§ 2. Idcirco nos, librorum et ornamentorum sacristiarum et bibliothecarum conventuum dictae provinciae conservationi et manutentioni, quantum nobis ex alto conceditur, prospectum esse cupientes, eosdemque fratres exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de congregationis super negotiis dicti Ordinis deputatae voto,

§ 3. Quod de cetero nullus, sive generalis, sive provincialis minister, nullus visitator, nec alius quivis superior dicti Ordinis et provinciae huiusmodi e sacristiis et bibliothecis conventuum eorumdem fratrum Recollectorum dictae provinciae ulla paramenta et ornamenta ecclesiastica, vasa, vascula, patenas, calices et quamcumque aliam sacram et profanam suppellectilem, necnon quaevis libros, quinterna, monimenta et folia, sive impressa, sive manuscripta, tam hactenus donata, empta, seu aliàs quomodolibet assignata, quam de cetero donanda, emenda et assignanda respective amovere, asportare, tollere, distrahere, cuiquam commodare, seu amoveri, asportari, tolli, distrahi, aut commodari facere, vel consulere, aut ut illa amoveantur, asportentur, tollantur, distrahantur, aut commodentur permittere ullatenus unquam possit, audeat, seu praesumat, in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis latae sententiae ipso facto absque aliâ declaratione per contravenientes incurrendae, a qua nonnisi a Romano Pontifice praeterquam in mortis articulo constitutus absolvi possit, necnon privationis vocis activae et passivae poenis, tenore praesentium interdicimus et prohibemus. Prohibet prout in rubricâ.

§ 4. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, ac dilectis filiis eorum officialibus, sive vicariis in spiri- Exequutores deputat.

tualibus generalibus, necnon prioribus, ac parochialium ecclesiarum rectoribus, ac beneficiatis quibuscumque locorum, in quibus conventus huiusmodi consistunt et consistent, et in quibus in praemissis contraveniri contigerit, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem fratrum Recollectorum huiusmodi dictae provinciae aut alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac eis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, per eos ad quos spectat et pro tempore spectabit in futurum perpetuo firmiter et inviolabiliter observari, illasque debitae exequutioni demandari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et provinciae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis dicti Ordinis et provinciae superioribus, fratribus et personis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 6. Volumus autem, quod praesentis prohibitionis copia in valvis sacristiarum et bibliothecarum conventuum dictae provinciae Ordinis huiusmodi respective, aut in aliquo alio illarum perspicuo loco, unde ab omnibus cerni possit, continuo affixa remaneat, quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII decembris MDCXLIII, pontificatus nostri anno XXI.

Dat. die 23 decembris 1643, pontif. anno XXI.

DCCCXIII.

Nonnulla statuuntur circa concessionem agrorum ad ecclesias spectantium in regno Corsicae in emphyteusim perpetuam et reductionem decimarum novalium[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Motiva Constitutionis faciendae.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum ducis et gubernatorum Reipublicae Ianuensis nobis expositum fuit, in regno Corsicae, quod Respublica praedicta possidet, spectare ad ecclesias, beneficia et varia loca pia

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

multa terrena hactenus inculta in diversis petiis ut plurimum divisa, ac paludosa, vepribusque et senticetis aspera, ex quibus nulla ecclesiis, beneficiis et locis piis huiusmodi ab immemorabili tempore provenit utilitas; quae, si personis laicis illarum partium in emphyteusim perpetuam concederentur, successu temporis ad culturam, cum ecclesiarum, beneficiorum et locorum piorum praefatorum evidenti utilitate, redigerentur: ac insuper eodem in regno multa terrena ad personas seculares pertinentia existere, quae ad culturam redigi publicae utilitatis interesset, si ab ecclesiis decimae novalium non percipererentur, vel saltem ipsae decimae novalium ad modicam summam reducerentur.

Necnon supplicatio porrecta Pontifici.

§ 2. Nobis propterea eorumdem ducis, ac gubernatorum nomine fuit humiliter supplicatum, ut in praemissis opportune providere ac ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Pontifícis facultatem tribuit Ordinariis bona ecclesiastica in emphyteusim concedendi.

§ 3. Nos igitur, qui ecclesiarum, beneficiorum, locorumque piorum quorumlibet commodis et utilitati iuxta creditum nobis a Domino apostolicae servitutis officium iugiter invigilamus, ducis gubernatorumque praedictorum votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ex voto particularis congregationis nonnullorum Romanae curiae praelatorum ad examinandum negocium huiusmodi a nobis deputatae, quoad bona inculta praefata ad ecclesias, beneficia et loca pia in dicto regno ut praefertur spectantia, quorum valor in proprietate centum scuta monetae Romanae non excedet dumtaxat respectu cuiuslibet ecclesiae, beneficii, vel loci pii praedictorum, ut episcopi et Ordinarii locorum praefati regni in suis respective dioecesibus, respectu bonorum ad eorum ecclesias spectantium, possint per semetipsos (quatenus tamen tendat in evidentem ecclesiarum suarum utilitatem, super quo eorum conscientiam oneramus dare), respectu vero aliarum ecclesiarum, beneficiorum et locorum piorum (constito eis quod in evidentem utilitatem dictarum ecclesiarum et beneficiorum ac locorum piorum concessiones faciendae cessurae sint) possint huiusmodi ecclesiarum et beneficiorum locorumque piorum rectoribus sive administratoribus concedere licentiam dandi illa bona, praedictum valorem centum scutorum monetae romanae in proprietate non excedentia respectu cuiuslibet ecclesiae, beneficii vel loci pii praedictorum, in emphyteusim perpetuam sub annuo canone conveniendo, etiam ad extraneos transitoriam[1] (ita tamen, ut in publicis desuper vigore licentiae huiusmodi conficiendis instrumentis apponatur pactum de renovando emphiteusim huiusmodi singulis viginti novem annis cum aliquâ recognitione sub poenâ caducitatis, ac cum hoc ut in omnibus casibus alienationum et respective renovationum, in quibus de iure solvitur laudemium, illud non excedat duplum quinquagesimae, habitâ ratione valoris bonorum de praesenti iuxta aestimationem a perito, per eosdem episcopos seu Ordinarios locorum respective deputando, antequam ad huiusmodi concessionem deveniatur faciendam, et in actis ad perpetuam memoriam redigendam, etiamsi postmodum ob subsequutam meliorationem valor esset longe maior, necnon ut, in casu absentiae a regno praefato vel minorita-

1 Forsan legendum *transituram* (R. T.).

tis emphyteutae, non incurratur caducitas ob non solutionem canonis, sed tamen licitum sit ecclesiis et aliis locis piis huiusmodi agere ad solutionem canonum viâ exequutivâ coram Ordinariis locorum);

Decimasque minuendi ratione trium pro centenario.

§ 4. Ac insuper, quod decimae novalium (illorum videlicet terrenorum, ad personas seculares et loca secularia pertinentium, quae in regno praedicto deinceps ex incultis ad culturam vigore praesentium litterarum redigentur) nonnisi ad rationem trium pro centenario et anno solvantur, sine tamen aliquo praeiudicio solutionis ante quarum[1] decimarum ratione bonorum hactenus ad culturam redactorum (ita quod illorum cultura nullatenus deseratur, et decimae pro illis debitae omnino et integre solvantur ut prius, vel, quatenus deseratur vel diminuatur cultura, aut in aliquâ minori quantitate solvatur[2], praesens gratia non suffragetur deserentibus sive minuentibus culturam, seu integram decimam ut prius non solventibus, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Et non aliàs ab omnibus iudicari vult.

§ 5. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari[3].

Derogat contrariis.

§ 6. Non obstantibus felicis recordationis Pauli II et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, seu ultra triennium non locandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, ecclesiarum aliorumque locorum piorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX ianuarii MDCXLIV, pontificatus nostri anno XXI.

Dat. die 19 ianuarii 1644, pontif. anno XXI.

1 Pro *ante quarum* legerem *antiquarum* (R. T.).

2 Subintellige *decima* (R. T.).

3 Deest verbum *decernimus* (R. T.).

DCCCXIV.

Indulgentiae in forma iubilaei, superius in Constit. DCCCX *concessae, innovatio pro duabus proximis hebdomadis*[1].

Urbanus Papa VIII.

Dilectis filiis clero et populo Romano, ac aliis christifidelibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Refert litteras superius emanatas sub die XII decembris anni proxime praeteriti.

§ 1. Nuper, ut christifideles huius almae Urbis nostrae ad implorandam communibus precibus opem divinam in praesentibus reipublicae christianae calamitatibus magis incitarentur, nos, per nostras in simili formâ Brevis die XII decembris proxime praeteriti expeditas litteras, universis et singulis christifidelibus in dictâ Urbe degentibus, qui tribus solemnibus processionibus, diebus infra tunc proximam vel immediate sequentem hebdomadam a dilecto filio nostro in eâdem Urbe vicario in spiritualibus generali seu eius vicesgerente designandis, uni videlicet ad ecclesiam S. Ioannis Lateranensis, et alteri ad Principis Apostolorum, ac tertiae ad S. Mariae Maioris basilicas per universum clerum Romanum agendis, sive earum alteri, interfuissent, vel qui in alterâ ex dictis hebdomadis ecclesias et basilicas praedictas seu earum alteram semel saltem devote visitavissent, ibique pias ad Deum preces pro pace universali, christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, et sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, praesentibusque eius neces-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

sitatibus effudissent, ac confessi et sacrâ communione infra easdem duas hebdomadas refecti fuissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concessimus. Iis praeterea, qui quartâ et sextâ feriis ac sabbato alterius[1] ex hebdomadis praefatis ieiunavissent, licentiam concessimus et facultatem dedimus, ut possent sibi ad hunc effectum eligere quemcumque presbyterum confessarium, tam secularem quam cuiusvis Ordinis regularem, ex approbatis a praedicto vicario generali, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis, censuris, a iure vel ab homine, quavis causâ latis seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis, quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive nobis et Sedi Apostolicae, etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, et aliàs per quascumque nostras aut Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores haberi voluimus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae et eâ vice tantum (non tamen a crimine haeresis) absolvere et liberare valeret; et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentiâ salutari, aliisque eiusdem confessarii arbitrio iniungendis; regularibus autem personis utriusque sexus in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque, tam laicis quam ecclesiasticis secularibus et regularibus in carcere existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa vel eorum aliqua praestare nequivissent, ut confessarius, quem ut supra elegissent, praedicta omnia et singula vel eorum aliqua in alia pietatis opera commutare posset, pariter concessimus et indulsimus. Noluimus autem per praedictas nostras litteras super aliquâ irregularitate, publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate, inhabilitate quoquomodo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae, neque etiam easdem litteras iis, qui a nobis et Apostolicâ Sede vel aliquo praelato seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in sententias et censuras incidisse declarati vel publice denunciati fuissent, nisi infra tempus ut supra praefixum satisfecissent, aut cum partibus concordavissent, ullo modo suffragari posse aut debere, et aliàs prout in praefatis nostris litteris, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, uberius continetur.

Nunc eamdem indulgentiam innovat, et extendit ad alias duas hebdomadas.

§ 2. Nunc vero, durantibus eisdem calamitatibus preces in eâdem Urbe iterari cupientes, universis christifidelibus praefatis, qui infra proximam vel immediate sequentem hebdomadam ecclesiam et basilicas praefatas seu earum alteram semel saltem visitaverint, ibique, ut praemittitur, oraverint, ac confessi et sacrâ communione, ut praefertur, refecti fuerint, denuo plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Ac iis, qui quartâ et sextâ feriis ac sabbato alterius[1] ex duabus hebdomadis praefatis ieiunaverint, licentiam et facultatem supradictam, servatâ aliàs in omnibus et per omnia litterarum nostrarum praedictarum formâ, et iuxta illarum tenorem et continentiam, ac cum omnibus et singulis limitationibus, exceptionibus, declarationibusque conten-

1 Legerem *alterutrius* (R. T.).

1 Ni legi debeat *alterútrius* (R. T.).

tis in illis, et non aliâs, aliter, nec alio modo, concedimus et impertimur.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus omnibus illis, quae in eisdem litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII februarii MDCXLIV, pontificatus nostri anno XXI.

[1] Dat. die 13 februarii 1644, pontif. anno XXI.

DCCCXV.

Dotatio ecclesiae Porphyriensis in partibus infidelium in sex millibus scutis monetae romanae[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Super universas orbis ecclesias, eo disponente[2] qui cunctis imperat et cui obediunt omnia, meritis licet imparibus constituti, ad ea, per quae ecclesiae praedictae praesertim cathedrales, quae sub infidelium potestate, ac propterea communibus redditibus privatae sunt, competenti dote, pro congruâ earum praesulum sustentatione, communiri valeant, ut illis praeficiendi eo alacrius iugum Domini et ecclesiarum huiusmodi curam et regimen suscipiant cum se etiam temporalibus ad id auxiliis suffultos senserint, libenter intendimus, et christifidelium facultates suas ad hoc benigne erogantium vota pii patris affectu promovemus.

Quidam presbyter Congregationis clericorum regularium Theatinorum sex mille scuta assignavit pro dotandâ aliquâ ex ecclesiis in infidelium partibus existentibus.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, quaedam piae personae nomine dilecti filii Clementis del Pezzo presbyteri Congregationis clericorum regularium Theatinorum nuncupatorum pro singulari suo erga res sacras cultumque divinum affectu e propriis suis bonis et facultatibus sex millia scuta monetae romanae in tot locis montis non vacabilis camerae apostolicae salis secundae erectionis nuncupati investita vel investienda dederint et assignaverint, ut alicui ex ecclesiis cathedralibus sub infidelium potestate existentibus arbitrio nostro designandae pro ecclesiae huiusmodi dote et congruâ illius praesulis sustentatione per nos perpetuo applicentur et approprientur:

Quam summam Pontifex assignat ecclesiae Porphyriensi, eiusque episcopo.

§ 2. Nos, piam earumdem personarum liberalitatem plurimum in Domino commendantes, ipsosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, sex millia scuta huiusmodi in tot locis montis praedicti investita seu investienda et ut praefertur donata et assignata, ecclesiae episcopali Porphyriensi in partibus infidelium ad praesens pastoralis[1] solatio destitutae pro illius dote et pro tempore futuri episcopi Porphyriensis sustentatione (itaut liceat ipsi episcopo dictorum locorum montis praedicti fructus, redditus et proventus, aliaque emolumenta quaecumque quomodolibet provenientia percipere, exigere et levare, ac in suos usus et utilitatem convertere, nullius licentiâ desuper requisitâ), apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo applicamus et appropriamus, eiusdemque ecclesiae Porphyriensis liberam provisionem nobis et Romanis Pontificibus successoribus nostris perpetuo reservamus.

Clausulas apponit.

§ 3. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fo-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Male edit. Main. legit *disponentes* (R. T.).

1 Potius lege *pastoris* (R. T.).

re, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ita non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantia tollit

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Congregationis praedictae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI februarii MDCXLIV, pontificatus nostri anno XXI.

Dat. die 16 februarii 1644, pontif. anno XXI.

DCCCXVI.

Altare privilegiatum pro omnibus et singulis conventibus fratrum Minorum Strictioris Observantiae sancti Francisci in regno Hiberniae existentibus.

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Omnium saluti paternâ charitate intenti, sacra interdum loca spiritualibus indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde fidelium defunctorum animae Domini nostri Iesu Christri eiusque Sanctorum suffragia meritorum consequi, et illis adiutae ex purgatorii poenis ad aeternam salutem per Dei misericordiam perduci valeant. Proœmium.

Concedit pro ut in rubricâ.

§ 1. Volentes igitur omnes et singulas ecclesias provinciae fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci Strictioris Observantiae nuncupatae in Hiberniâ existentes[1], in quibus nullum aliud altare privilegiatum reperitur concessum, et in earum qualibet sit altare maius hoc speciali dono illustrandum, dummodo in quolibet earum missa celebretur, auctoritate nobis a Domino traditâ, ac de omnipotentis Dei misericordiâ et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ut quandocumque sacerdos aliquis secularis sive cuiusvis Ordinis regularis missam defunctorum in die Commemorationis Defunctorum et singulis diebus infra illius octavam, ac secundâ feriâ cuiuslibet hebdomadae, pro animâ cuiuscumque fidelis, quae Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit, ad praedictum altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur, itaut eiusdem Domini nostri Iesu Christri et beatissimae Virginis Mariae Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii poenis liberetur, concedimus et indulgemus; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque: praesentibus ad triginta annos tantum valituris.

Transumptis credi mandat.

§ 2. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicu-

1 Male edit. Main. legit *existentibus* (R. T.).

ius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII februarii MDCXLIV, pontificatus nostri anno XXI.

Dat. die 17 februarii 1644, pontif. anno XXI.

DCCCXVII.

Confirmantur statuta nonnulla edita pro regulari observantiâ fratrum Ordinis Carmelitarum provinciae Narbonensis [1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Nonnulla decreta circa regularem observantiam fratrum Carmelitarum ab eisdem fratribus pro provinciâ Narbonensi edita,

§ 1. Cum, sicut aliàs nobis per tunc in humanis agentem Albertum Massarium priorem generalem fratrum Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo expositum fuit, nonnullae ordinationes aliàs pro provinciâ Narbonensi fratrum dicti Ordinis editae, et a dilecto filio nostro Martio S. Angeli in Foro Piscium diacono cardinale Ginnetto nuncupato, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectore, propriis eorum subscriptionibus approbatae fuerint, tenoris subsequentis, videlicet:

Et a cardinale Ginnetto eiusdem Ordinis protectore approbata.

Referuntur huiusmodi statuta.

§ 2. Martius Ginnettus miseratione divinâ S. Angeli in Foro Piscium S. R. E. diaconus cardinalis, sanctissimi domini nostri vicarius generalis, Romanaeque curiae eiusque districtus iudex ordinarius, ac totius Ordinis Carmelitani protector, reverendo patri Caelestino a S. Ignatio commissario generali provinciae Narbonae, ceterisque Strictioris Observantiae reverendis patribus, salutem in Domino. Nos, totius Ordinis Carmelitarum protectioni intendentes, existimavimus de ratione dictae protectionis nostrae nobis meliori dicti Ordinis statui stabiliendo incumbendum esse, et regulari illius tuendae et promovendae observantiae studendum. Quare, cum nobis propositum fuerit vos maioris perfectionis fervore strictiorem vivendi rationem desiderasse, et ad illam opere exequendam quaedam specialiora statuta veluti media ad illam necessaria a reverendissimo vicario generali vestro, nobis [4] desiderantibus, concessa fuisse, ut quae [2] ea sint maioris apud nos [3] ponderis, valoris et exequutionis nostram humiliter expostulaveritis approbationem ac confirmationem: nos, piis et devotis precibus vestris annuentes, concessionem nostram pro sequentibus [4] hîc ordinatim contextis et examinatum [5] damus: Et

I. Approbamus et confirmamus facultatem, et respective praeceptum, a praefato vicario generali vobis praedictis patribus factam, videlicet profitendi et observandi constitutiones seu statuta moderna a reverendissimo Theodoro Stractio generali facta, et a domino nostro Urbano Papa VIII approbata et confirmata;

II. Approbamus et confirmamus concessionem a praedicto generali factam ipsismet vobis Strictioris Observantiae professoribus trium conventuum pro praesenti, Cabillonis, scilicet, Semurii et Divionis, in quibus dictas constitutiones seu statuta libere profiteri valeatis;

III. Approbamus et confirmamus ipsam dicti generalis declarationem, qua declaratur, vos, qui dictas constitutiones seu statuta professi fueritis, a quarumlibet [6] aliarum constitutionum Ordinis obligatione absolutos esse; ita tamen, ut ab earum-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Forsan legendum *vobis* (R. T.).
2 Videtur legendum *utque* pro *ut quae* (R. T.).
3 Legerem *vos* (R. T.).
4 Male edit. Main. legit *prosequentibus* (R. T.).
5 Forsan legendum *examinatis* (R. T.).
6 Male ed. Main. legit *quorumlibet* (R. T.).

dem reformatorum constitutionum seu statutorum observantiâ nec discedere, nec ad aliam Congregationem, nisi de speciali Suae Sanctitatis licentiâ, transire possitis, prout in litteris sanctissimi domini nostri Urbani VIII in formâ Brevis XVIII ianuarii anni MDCXXXVI datis statuitur;

IV. Te praefatum patrem Caelestinum commissarium generalem a dicto generali pro restaurandâ, tuendâ et promovendâ reformatione in praefatis tribus conventibus introductâ aut introducendâ institutum et creatum usque ad triennium auctoritate nostrâ confirmamus; et approbamus etiam facultatem tibi concessam assumendi in socios seu consiliarios duos tibi benevisos eiusdem observantiae professores, qui cum prioribus dictae observantiae in fine triennii alios eiusdem quoque reformationis pro commissario et consiliariis de novo nominandis possint proponere et praesentare ipsi generali, aut illius successoribus;

V. Sequentem ordinationem confirmamus, qua dictus generalis statuit, prout in patentibus illius die XVI iunii anni MDCXLII datis patet, quod, pro bonâ praedictae reformationis administratione, nulli[1] in praedictos conventus de novo reformatos, aut alios similiter de suâ aut sui commissarii licentiâ reformandos, ad praedictarum constitutionum seu statutorum professionem possint admitti, nisi praefati commissarii generalis auctoritate vel aliorum commissariorum pro tempore existentium ac consiliariorum consensu; item, quod nullus provincialis nec alius praeter dictum commissarium valeat aliquem religiosum modernae observantiae professum[2] a praedictis conventibus stricte reformatis in alios transferre, aut in praefatos conventus reformatos quemquam mittere;

1 Male edit. Main. legit *nullius* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *professus* (R. T.).

VI. Confirmamus quod novitiatus praedictae provinciae erigatur in uno praedictorum conventuum reformatorum pro arbitrio dicti commissarii generalis, ut ibi, et non alibi, novitii praedictae provinciae in religionis observantiâ melius educentur; et, ut arctius fratres dictorum conventuum reformatorum praefato commissario subiiciantur, possint ab ipso pro suscipiendis ordinibus sacris litterae dimissoriae concedi, iidemque ad studiorum cursus admitti;

VII. Approbamus et confirmamus, quod praedictarum constitutionum seu statutorum introductio non poterit admitti, nisi de conventu in conventum successive, et de triennio in triennium, prout expediens fuerit, et ut bene videbitur dicto commissario generali; item, quod nullus religiosus professus ad dictarum constitutionum professionem possit admitti, nisi factâ probatione ad sex menses in peculiari statuto novitiatu sub magistris spiritualibus a commissario deputatis, a qua tamen probatione et novitiatu dispensari volumus eos qui sunt sexagenariae aetatis;

VIII. Denique et ultimo approbamus, confirmamus et pro semper validamus declarationem a dicto vicario generali primâ die februarii MDCXLIII[1], qua declarat, quod si aliqua a se vel suis successoribus incaute effluxerint, aut effluant, quae mandatis, praeceptis, gratiis, privilegiis, favoribus, immunitatibus, ordinationibus, ipsi commissario, eiusque successoribus, aut ipsi reformationi, in favorem et bonum dictae reformationis, sive in generali sive in speciali et quomodocumque semel factis seu concessis, directe vel indirecte adversentur, illa esse subreptitia, nulliusque roboris, non obstantibus quibuscumque in contrarium allegatis, aut allegandis, omniaque contra tenorem harum prae-

1 Deest verbum *factam* (R. T.).

sentium facta, aut quovis modo obtenta, aut obtinenda, nisi antea auditis partibus, et coram nobis, vel reverendissimo generali contestata, nulla et irrita facimus. In quorum fidem, etc. Datum Romae in palatio nostro, die primâ mensis martii MDCXLIII.

M. cardinalis GINNETTUS vicarius protector.

FRANCISCUS ALBERTUS MASSARIUS vicarius generalis apostolicus Carmelitarum.

FELIX DE LUCO, secretarius.

Petitur illorum confirmatio.

§ 3. Ordinationes vero praeinsertas pro firmiori observantiae regularis stabilimento, illarumque faciliori exequutione, ac pro compescendâ nonnullorum dicti Ordinis religiosorum dictae provinciae erga superiores maiores rebellione, nimiâque libertate, necnon dictâ regularitate in eâdem provinciâ tuendâ ac promovendâ, per nos confirmari expediat:

Confirmat Pontifex.

§ 4. Idcirco nos, felici prosperoque eiusdem provinciae statui prospectum esse cupientes, supplicationibus humiliter hac in parte nobis porrectis inclinati, ordinationes praeinsertas, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulas necessarias apponit.

§ 5. Decernentes praesentes validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, quos illae concernunt et concernent quomodolibet in futurum, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et provinciae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 7. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quae ipsis praesentibus, haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV februarii MDCXLIV, pontificatus nostri anno XXI.

Dat. die 24 februarii 1644, pontif. anno XXI.

DCCCXVIII.

Indultum nominandi ad ecclesias et monasteria in ducatu Britanniae et provinciâ Provinciae regi christianissimo conceditur [1].

Charissimo in Christo filio nostro Ludovico, Francorum regi christianissimo, Urbanus Papa VIII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Nonnulli Pontifices ius nominandi ad metropolitanas et cathedrales ecclesias in ducatu Britanniae et provinciâ Provinciae christianissimo regi concesserunt.

§ 1. Cum nonnulli Romani Pontifices praedecessores nostri aliquibus Francorum regibus christianissimis ob eorum praeclara in Apostolicam Sedem merita ius nominandi personas idoneas ad cathedrales et metropolitanas ecclesias, ac monasteria in ducatu Britanniae et provinciâ Provinciae, quorum ipsi reges domini in temporalibus existebant, pro tempore vacantia, ad cuiuslibet dictorum regum vitam reservaverint, concesserint et indulserint, prout in diversis eorumdem prae-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

decessorum, ac nominatim felicis recordationis Leonis X, Iulii III, Pii IV, Sixti V, Clementis VIII, Pauli etiam V, expeditis litteris plenius continetur:

Quod Pontifex regi pro tempore existenti confirmat.

§ 2. Nos, qui maiestatem tuam ob eximiam eius indolem (ex qua spem concepimus indubiam, fore, ut succedentibus tibi benedicente Domino annis, praesertim sub egregiâ charissimae in Christo filiae nostrae Annae Francorum reginae christianissimae viduae genitricis tuae directione et regimine, non minore quam clarae memoriae reges eorumdem Francorum christianissimi progenitores tui pietate, religionis zelo, ac in nos et Apostolicam Sedem observantiâ, aliisque christianissimo rege dignis virtutibus praefulgeas) specialibus favoribus et gratiis libenter prosequimur, singularum litterarum praefatarum tenores ac datas, perinde ac si ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, ac singulorum praedecessorum nostrorum praefatorum vestigiis inhaerentes, motu proprio ac ex certâ scientiâ nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, maiestati tuae quoad vixeris ius nominandi nobis et pro tempore existentibus Romanis Pontificibus successoribus nostris personas probatas, boni nominis, ac secundum sacrorum canonum dispositionem idoneas, ad quascumque cathedrales et metropolitanas ecclesias ac monasteria quorumcumque Ordinum, de quibus consistorialiter disponi consuevit, in ducatu Britanniae et provinciâ Provinciae praefatis consistentia, quoties illa, quibusvis modis et ex quorumcumque personis, non tamen per obitum, apud Sedem eamdem vacare contigerit, per nos et successores praefatos ad nominationem huiusmodi ecclesiis et monasteriis praefatis praeficiendas, tenore praesentium, prout in litteris praefatorum nostrorum praedecessorum, reservamus, concedimus et assignamus.

Clausulas ad id necessarias apponit.

§ 3. Decernentes ius nominandi huiusmodi ad ecclesias et monasteria praefata tibi quoad vixeris competere debere, neque sub quacumque quantumvis speciali derogatione comprehendi, vel ei quovis modo et ex quacumque causâ derogari, et, si ei derogari contingat, minime suffragari posse; et nihilominus quascumque ecclesiarum et monasteriorum huiusmodi, provisiones, commendas et alias de eis dispositiones, etiam cum iuris nominandi huiusmodi derogatione, contra earumdem praesentium tenorem, etiam per nos et successores praefatos et Sedem eamdem absque tuis nominationibus, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, quoquo modo pro tempore faciendas, ac desuper conficiendas litteras, ac inde sequuta quaecumque nulla et invalida, nulliusque roboris et momenti fore et esse, teque ad docendum de litteris praefatis, seu illas ostendendas, et in eis contenta quaecumque iustificanda minime teneri, sed eisdem praesentibus tantum uti posse, illisque tam in iudicio quam extra illud stari debere, sicque et non aliter per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus quibusvis generalibus vel specialibus ecclesiarum et monasteriorum praefatorum reservationibus seu affectionibus apostolicis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem eamdem quomodolibet factis, seu pro tempore faciendis, necnon cancellariae apo-

stolicae regulis, editis et edendis, ac quibusvis aliis apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac ecclesiarum et monasteriorum, illorumque Ordinum, necnon ducatus et provinciae praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque et litteris apostolicis, etiam quasvis clausulas et reservationes in se continentibus, per eosdem praedecessores ac nos et Sedem eamdem ecclesiis et monasteriis illorumque capitulis, conventibus et Ordinibus, ac ducatui et provinciae praefatis, eorumque communitatibus, universitatibus et personis quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis aliâ expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad praemissorum effectum, harum serie specialiter et expresse, motu, scientiâ et potestatis plenitudine, derogamus et ad plenum derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Declarat quod huiusmodi nominatio intra sex menses a die vacationis fieri debeat.

§ 5. Volumus autem, quod, infra sex menses a die vacationis ecclesiarum et monasteriorum huiusmodi computandos, personas idoneas nobis et pro tempore existenti Romano Pontifici pro collatione, provisione, seu commendâ obtinendâ nominare omnino tenearis, et ad monasteria huiusmodi in titulum concedi solita clerici seculares, vel, alterius quam monasterii ad quod eos per te nominari contigerit Ordinis, regulares nominandi, habitumque[1] per fratres seu monachos illius monasterii gestari solitum suscipere et professionem per eosdem fratres seu monachos emitti consuetam expresse emittere teneantur, alioquin dictis sex mensibus elapsis de ecclesiis seu monasteriis ut praefertur vacantibus, per nos seu pro tempore existentem Romanum Pontificem libere disponi possit.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII martii MDCXLIV, pontificatus nostri anno XXI.

Dat. die 7 martii 1644, pontif. anno XXI.

DCCCXIX.

Deputantur gubernatores Perusinus, Urbinetensis et vicelegatus Ferrariensis ad recipienda loca Status Ecclesiastici occupata occasione nuperi belli[2].

Venerabili fratri Francisco, archiepiscopo Urbinatensi, civitatis Perusinae ac provinciae nostrarum Umbriae gubernatori,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva.

§ 1. Cum dilectus filius nobilis vir Ferdinandus, magnus dux Etruriae sibi subiectae, Civitatem Plebis ac terram Castilionis ad lacum Trasimenum et quaecumque alia loca Status nostri Ecclesiastici, ab eius exercitu et militibus occasione nuperi contra Statum Ecclesiasticum praedictum belli occupata, nobis et huic sanctae Sedi Apostolicae, iuxta capitula inter nos mediante dilecto filio nostro Ioanne Stephano S. R. E. diacono cardinale Dongho nuncupato, plenipotentiario nostro, ac charissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Franciscum regem christianissi-

1 Lege simpliciter *habitum* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brevium.

mum mediante dilecto etiam filio nostro Alexandro tituli S. Sabinae presbytero cardinali Bichio nuncupato, suo plenipotentiario, necnon dilectos pariter filios nobiles viros ducem et Rempublicam Venetiarum ac Ferdinandum magnum ducem praedictum et Franciscum Mutinae ducem mediantibus quoque suis plenipotentiariis stabilita, et die XXXI martii praesentis anni MDCXLIV per dictum Ioannem Stephanum cardinalem Ferrariae per dictos vero Ludovici regis ac Reipublicae Ferdinandique magni ducis et Francisci ducis Mutinae praedictorum plenipotentiarios Venetiis subscripta, restituere debeat:

Deputatio, de qua in rubricâ in personam gubernatoris Perusini.

§ 2. Idcirco nos, de tuâ fide plurimum in Domino confisi, motu proprio, auctoritate nostrâ apostolicâ, tenore praesentium, te constituimus et deputamus, ut per te, vel unam, seu plures personas, quot opus fuerit, a te deputandam, seu deputandas, Civitatem Plebis, ac terram Castilionis, aliaque loca in provinciâ nostrâ Umbriae existentia, ut praemittitur occupata, cum omnibus et singulis bombardis maioribus *artiglierie* vulgo nuncupatis, ceterisque armis, quae in eâdem civitate, ac terrâ, aliisque locis praefatis tempore, quo, ut praefertur, occupata fuerunt, existebant, nostro et Sedis praedictae nomine in exequutionem dictorum capitulorum recipias, ac de receptis confessiones et quietantias facias, super quibus tibi quamcumque necessariam et opportunam facultatem concedimus et impertimur.

Contrariorum derogatio.

§ 3. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI aprilis MDCXLIV, pontificatus nostri anno XXI.

Dat. die 6 aprilis 1644, pontif. anno XXI.

Sequitur eadem deputatio in personam gubernatoris Urbini.

Dilecto filio civitatis nostrae Urbinatensis illiusque comitatus et districtus gubernatori,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva.

§ 1. Cum dilectus filius nobilis vir Ferdinandus, magnus dux Etruriae sibi subiectae, quaecumque loca Status nostri Ecclesiasticis, ab eius exercitu * deputandam seu deputandas quaecumque loca in comitatu, districtu et territorio nostris Urbitanensibus existentia, ut praemittitur occupata, cum omnibus et singulis bombardis maioribus, ceterisque armis, *artiglierie* vulgo nuncupatis, quae in iisdem locis, tempore quo ut praefetur occupata fuerunt, existebant, etc. *Reliqua ut in praecedenti.*

* Sic.

Datum, etc.

Sequitur delegatio vicelegati Ferrariensis.

Dilecto filio, nostro et Apostolicae Sedis in civitate et ducatu nostris Ferrariensibus de latere legati vicelegato,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva.

§ 1. Cum dilecti filii nobiles viri dux et Respublica Venetiarum ac Odoardus Farnesius dux Parmae et Placentiae quaecumque loca Status nostri Ecclesiastici, et nominatim Bondeni et Ostellatae terras, ab eorum exercitibus et militibus respective occasione nuperi contra Statum Ecclesiasticum praedictum belli occupata, nobis et huic sanctae Sedi Apostolicae iuxta capitula inter nos mediante dilecto filio nostro Ioanne Stephano S. R. E. diacono cardinale Donghо nuncupato, plenipotentiario nostro, ac charissimum in

Christo filium nostrum Ludovicum Francorum regem christianissimum mediante dilecto etiam filio nostro Alexandro tituli S. Sabinae presbytero cardinale Bichio nuncupato, tunc plenipotentiario pro eodem Odoardo duce, necnon etiam ducem et Rempublicam Venetiarum praedictos ac dilectos pariter filios nobiles viros Ferdinandum magnum ducem Etruriae sibi subiectae et Franciscum Mutinae ducem mediantibus quoque suis plenipotentiariis stabilita, et die XXXI martii praesentis anni MDCXLIV per dictum Ioannem Stephanum cardinalem Ferrariae, per dictos vero Ludovici regis ac Reipublicae Ferdinandique magni ducis et Francisci ducis Mutinae praefatorum plenipotentiarios Venetiis subscripta, restituere debeant:

Alia deputatio in personâ vicelegati Ferrariensis.

§ 2. Idcirco nos, de tuâ fide plurimum in Domino confisi, motu proprio, auctoritate nostrâ apostolicâ, tenore praesentium, te constituimus et deputamus, ut per te, vel unam, seu plures personas, quo opus fuerit, a te deputandam, seu deputandas, loca et terras praedicta cum omnibus et singulis bombardis maioribus *artiglierie* vulgo nuncupatis, ceterisque armis, quae in locis, terrisque praedictis tempore quo, ut praefertur, occupata fuerunt existebant, nostro et Sedis praedictae nomine in exequutionem dictorum capitulorum recipias, ac de receptis confessiones et quietantias facias, super quibus tibi quamcumque necessariam et opportunam facultatem concedimus et impertimur; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum, etc.

DCCCXX.

Erectio confraternitatis in ecclesiâ cappellâ nuncupatâ, palatii caesarei Viennae [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Pastoris aeterni, qui pro gregis salute in arâ crucis immolari voluit, vices quamquam immeriti gerentes in terris, pia christifidelium praesertim regali dignitate fulgentium vota divini cultus augmentum et ipsorum fidelium salutem concernentia ad exauditionis gratiam libenter admittimus, eosdemque fideles ad pia et devota opera exercenda indulgentiis et [1] peccatorum remissionibus invitamus, ut per operum huiusmodi exercitium ad aeternae beatitudinis gaudia pervenire mereantur.

Petitio Mariae Romanorum reginae in imperatricem electae.

§ 1. Cum itaque, sicut pro parte charissimae in Christo filiae nostrae Mariae Romanorum reginae illustris in imperatricem electae nobis nuper expositum fuit, ipsa, pro eo quem erga sanctum Franciscum Xaverium gerit devotionis affectu, in ecclesiâ, cappellâ nuncupatâ, palatii caesarei Viennensis [2] Austriae unam piam et devotam confraternitatem, quae ex personis charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi eorumdem Romanorum regis illustris in imperatorem electi ac dictae Mariae reginae in imperatricem electae, necnon dilectorum filiorum nobilium puerorum ac dilectarum in Christo filiarum nobilium puellarum ipsorum natorum et natarum, necnon dilecti filii nobilis viri Leopoldi Guilielmi ex archiducibus Austriae fratris germani, ac etiam nepotum eiusdem Ferdinandi regis in imperatorem electi, matronarumque et damigellarum titulatarum eiusdem palatii nunc et pro tempore existentium constet sub invocatione eiusdem sancti Francisci Xaverii, cuius quaedam sacrae, ut pie creditur, reliquiae in eodem palatio honorifice asservantur, ad Dei gloriam animarumque suarum salutem per nos erigi summopere desiderent:

1 Coniunctionem *et* nos addimus (R. T.).
2 Aptius legeretur *Viennae* (R. T.).

Erectio, de qua in rubricâ.

§ 2. Nos, piis eiusdem Mariae reginae in imperatricem electae desideriis huiusmodi benigne annuere, animarumque saluti paternâ charitate prospicere cupientes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, in praedictâ ecclesiâ cappellâ nuncupatâ unam personarum praedictarum dumtaxat confraternitatem sub invocatione praedictâ, sine alicuius praeiudicio, et dummodo venerabilis fratris episcopi Viennensis expressus ad hoc accedat assensus, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus.

Facultates ad id opportunae conceduntur.

§ 3. Necnon confratribus consororibusque praedictis, ut pro negotiis ipsius confraternitatis se congregare, et quaecumque statuta, capitula, ordinationes et decreta pro salubri eorum et dictae confraternitatis regimine et directione necessaria et opportuna, licita tamen et honesta sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis ac constitutionibus apostolicis non contraria, per Ordinarium Viennensem examinanda et approbanda, facere et edere, illaque pro tempore, prout eis videbitur et expediens fuerit, praeviâ simili examinatione et approbatione, mutare, alterare, corrigere et in melius reformare, ac insuper omnia et singula legata, relicta, res et bona, quomodolibet qualificata, mobilia et immobilia, per quoscumque christifideles dictae confraternitati per viam testamenti, donationis, aut aliàs quomodolibet pro tempore elargienda et relinquenda, recipere, illaque per eorum officiales et deputatos regere, gubernare et administrare, ac in ipsius confraternitatis et eius piorum operum usus convertere libere similiter et licite valeant, ita tamen, ut de receptis et administratis per eos eidem Ordinario iuxta decreta Concilii Tridentini huiusmodi rationem reddere teneantur, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus.

Indulgentia plenaria eamdem confraternitatem ingredientibus conceditur.

§ 4. Postremo, ut eximia ipsorum Ferdinandi regis in imperatorem electi et Mariae reginae in imperatricem electae suorumque natorum et natarum Leopoldique Guilielmi et nepotum praedictorum in Deum pietas dictaque confraternitas maiora in dies suscipiant incrementa, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis personis supra expressis, quae dictam confraternitatem imposterum ingredierint, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, plenariam, necnon tam pro tempore descriptis in dictâ confraternitate in cuiuslibet eorum mortis articulo si vere poenitentes et confessi ac sacra communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu, ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, etiam plenariam, ac Ferdinando regi in imperatorem electo et Mariae reginae in imperatricem electae, eorumque filiis et filiabus, dictoque Leopoldo Guilielmo fratri et nepotibus eiusdem Ferdinandi regis in imperatorem electi, nunc et pro tempore existentibus, etiam vere poenitentibus et confessis ac eâdem sacrâ communione refectis, qui semel qualibet hebdomadâ, matronis vero et damigellis titulatis dicti palatii in eâdem confraternitate pro tempore descriptis similiter vere poenitentibus et confessis, ac eâdem sacrâ communione refectis, quae quinquies in anno, necnon personis supra expressis ceterisque utriusque sexus christifidelibus itidem vere poenitentibus et confessis, ac eâdem sacrâ communione refectis, qui in die festo dicti sancti Francisci Xaverii, seu eo die infra octavam festi huiusmodi quo illius festivitas in ecclesiâ seu cappellâ huiusmodi celebrabitur, singulis annis dictam ecclesiam seu cappellam devote

visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Necnon quibusvis utriusque sexus christifidelibus familiaribus eiusdem palatii, ut, etiamsi tempore quo celebrabitur festivitas huiusmodi infirmitate detenti dictam cappellam visitare nequiverint, nihilominus, si ut praefertur confessi et sacrâ communione refecti fuerint, eamdem indulgentiam plenariam etiam in lecto constricti consequantur, indulgemus. Insuper dictis confratribus et consororibus confraternitatis huiusmodi, quoties aliquod pietatis vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet opere huiusmodi centum dies de iniunctis eis vel aliàs quomodolibet debitis poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ relaxamus: praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem quod si dicta confraternitas alicui confraternitati aggregetur, vel quavis aliâ ratione uniatur, seu etiam quomodolibet instituatur, praesentes et quaevis aliae litterae apostolicae, illis[1] nullatenus quoad indulgentias et remissiones praedictas suffragentur, sed ex tunc eo ipso prorsus nullae sint.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX aprilis MDCXLIV, pontificatus nostri anno XXI.

Dat. die 20 aprilis 1644, pontif. anno XXI.

DCCCXXI.

Extensio constitutionis Aliàs a nobis, etc., *ad provincias S. Iosephi ac Indiarum fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci Discalceatorum nuncupatorum, scilicet quod in processionibus competit eis dignior locus supra fratres Ordinis Eremitarum sancti Augustini*[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Motiva huius Constitutionis.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius Paulus a Matrito Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Discalceatorum nuncupatorum professor et in Romanâ curiâ eorumdem fratrum provinciae S. Iosephi procurator et filius nobis nuper exponi fecit, licet aliàs felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster per quasdam suas in simili formâ Brevis litteras de anno MDCII emanatas declaraverit, fratres Minores sancti Francisci strictioris observantiae Reformatos nuncupatos (qui non novam, sed eamdem regulam, quam ipse beatus Franciscus condidit, et similis memoriae Honorius Papa III etiam praedecessor noster confirmavit, quamque pariter fratres de familiâ dicti Ordinis nuncupati de Observantiâ observant, licet ipsi fratres Reformati regulam huiusmodi purius observent) esse veros et indubitatos fratres Ordinis sancti Francisci et in conscientiâ tutos existere, ac omnibus et singulis privilegiis, gratiis et indultis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus ipsi Observantes gaudent, ubilibet frui et gaudere posse ac debere, modo et formâ tunc expressis, mandaveritque in virtute sanctae obedientiae, ut nullus ex tunc deinceps dictos fratres Reformatos appellare auderet seu praesumeret *novos religiosos* aut novae regulae professores;

Clemens VIII prohibuit dicere Reformatos esse novos religiosos.

§ 2. Subindeque venerabiles fratres nostri S. R. E. cardinales sacris ritibus praepositi, super certis controversiis aliàs excitatis inter ipsos fratres Reformatos, necnon dilectos filios fratres Ordinis Eremitarum sancti Augustini in quadam pro-

1 Videretur legendum *illi* (R. T.).

1 De hac materiâ lege Constitutionem *Ex incumbenti*, Constitutionem *Aliàs*, etc., Constitutionem *Exponi nobis*, ut supra.

vinciâ Hispaniae super iure praecedendi in processionibus et aliis actibus publicis, determinaverint praecedentiam huiusmodi in concursu cum aliis regularibus in processionibus et aliis actibus publicis semper competere dictis Reformatis Discalceatis, sive soli de per se et sub propriâ cruce, sive sub cruce et cum familiâ de Observantiâ incedant, et sive Discalceati Reformati aut alio quovis nomine nuncupentur, dummodo sint vere Reformati dicti Ordinis sancti Francisci, necnon gaudere et frui debere omnibus aliis praerogativis in praefatis eiusdem Clementis praedecessoris litteris contentis et expressis; et subsequenter nos, auditis hinc inde partibus, decretum eorumdem cardinalium desuper emanatum confirmaverimus, deputatis ad illius executionem certis tunc expressis personis; necnon etiam in hac materiâ secutae fuerint alienae[1] sententia seu sententiae etiam coram aliquo nostro et Sedis Apostolicae in regnis Hispaniarum nuncio ad ipsorum fratrum Reformatorum favorem: nihilo tamen minus non desint aut dubitentur non esse defuturi aliqui alii aliorum Ordinum, congregationum, societatum vel institutorum religiosi, qui perturbent litibusque fatigent circa praemissa eosdem Reformatos sancti Francisci, qui ob eorum paupertatem litium dispendia et incommoda sustinere minime valent:

Quod praecedentia competit Reformatis supra Augustinianos.

§ 3. Nobis propterea dictus Paulus, procuratoris quo supra nomine, ac aliàs, ut quaevis perturbationes et inconvenientia effugiantur, humiliter supplicari fecit, ut praemissis opportune, ut infra, providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, eumdem Paulum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de congregationis super negotiis dictis Ordinis deputatae voto et scientiâ praefatâ, dicti Clementis praedecessoris, nostrasque litteras, necnon ipsum eorumdem cardinalium decretum et sententiam seu sententias huiusmodi, circa praemissa respective ut praefertur emanata, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; et insuper declaramus, quod omnes et singuli fratres Reformati Discalceati primodicti Ordinis sancti Francisci omnium et singularum illius provinciarum et custodiarum nunc et pro tempore existentium et futurarum in regnis Hispaniarum et partibus Indiarum semper habeantur et teneantur, haberique, teneri et reputari debeant pro veris sancti Francisci filiis, uti sunt toto cum rigore et puritate quam profitentur regulam observantes, quodque nullo quovis sub praetextu, quaesito colore, causâ vel ingenio aliàs quam veri filii et indubitati fratres sancti Francisci nuncupari, teneri et haberi ullatenus possint, ac uti tales omnibus et singulis gratiis, favoribus et privilegiis tam spiritualibus quam temporalibus dicto Ordini hactenus concessis, et de cetero per quoscumque Romanos Pontifices successores nostros et Sedem Apostolicam ac etiam nos concedendis, fruantur et gaudeant;

Confirmat decretum super praecedentia.

§ 4. Quodque iidem fratres Reformati Discalceati earumdem provinciarum et custodiarum semper in omnibus actibus publicis, nedum processionum, sed etiam

1 Patet legendum *aliae* pro *alienae* (R. T.).

quarumvis aliarum functionum, eosdem locum et praecedentiam, quos habent et quibus gaudent ipsi fratres Observantes primodicti Ordinis huiusmodi, cum et sine suâ cruce, et aliàs prout continetur in ipsius Clementis praedecessoris et nostris litteris, decretoque et sententiâ seu sententiis supradictis, habeant, ac desuper a quibusvis cuiuslibet alterius Ordinis, congregationis, societatis vel instituti regularibus, praesertim vero fratribus Eremitis secundodicti Ordinis eiusdem sancti Augustini villae seu oppidi de Arenas, Abulensis dioecesis, aut quarumvis aliarum civitatum, terrarum, oppidorum, villarum et locorum, in quibus ipsi Reformati Discalceati conventum seu locum habeant, aut, ubi illum non habeant, dictis processionibus et aliis actibus publicis interveniant, molestari quoquo modo nullatenus possint.

Praeceptum de observando.

§ 5. Mandantes propterea omnibus et singulis, quos spectat et pro tempore quomodolibet in futurum spectabit, in virtute sanctae obedientiae, et sub excommunicationis, necnon privationis vocis activae et passivae ac suorum officiorum, perpetuae inhabilitatis ad illa et alia imposterum obtinenda, aliisque arbitrii nostri poenis, ut eosdem Reformatos fratres Discalceatos provinciarum et custodiarum Hispaniarum et Indiarum huiusmodi omnium et singulorum praemissorum commodo et effectu frui et gaudere sinant et faciant; ac decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ipsis fratribus Reformatis Discalceatis provinciarum et custodiarum Hispaniarum et Indiarum in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab omnibus et singulis, quos illae concernunt et concernent[1] in futurum, inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et dictae Sedis nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique et in quavis instantiâ iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores constituit.

§ 6. Quocirca dilecto filio nostro et Sedis praefatae in eisdem regnis nuncio, nunc et pro tempore existenti, necnon venerabilibus archiepiscopis et episcopis in iisdem regnis et Indiarum partibus constitutis, seu dilectis filiis eorum officialibus vel vicariis in spiritualibus generalibus, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte eorumdem fratrum Reformatorum Discalceatorum provinciarum et custodiarum Hispaniarum et Indiarum huiusmodi desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ praemissa omnia et singula debitae et omnimodae executioni demandari, et ab omnibus inviolabiliter observari; non permittentes eosdem fratres Reformatos Discalceatos provinciarum et custodiarum Hispaniarum et Indiarum huiusmodi per eiusdem secundodicti sancti Augustini aut aliorum quorumvis Ordinum, congregationum, societatum vel institutorum regulares quomodolibet molestari;

Contravenientium poenae.

§ 7. Contradictores quoslibet et rebelles, aut aliàs praemissis non parentes, seu sese quomodolibet opponentes, per eamdem ex-

1 Edit. Main. legit *concernant* (R. T.).

communicationis et alias poenas praefatas, ac quasvis alias censuras ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo; legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Clausula *sublatâ*.

§ 8. Non obstantibus quibusdam etiam felicis recordationis Gregorii XIII de anno MDLXXXIII, pontificatus sui anno XII, emanatis litteris declaratoriis praecedentiae inter Ordines Mendicantium et confraternitates servandae in processionibus, necnon, quatenus opus sit, Bonifacii VIII etiam Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dictis, dummodo ultra tres dictas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis aliis decretis et sententiis latis et emanatis respective circa praemissa contra ipsos Reformatos Discalceatos primodicti Ordinis huiusmodi per quaevis tribunalia, curias, iudices aut ministros dictae Sedi Apostolicae subiectos, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum praesentium specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 9. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX aprilis MDCXLIV, pontificatus nostri anno XXI.

Dat. die 20 aprilis 1644, pontif. anno XXI.

DCCCXXII.

Mandat, ut hymni emendati sive de integro conditi breviarii romani, notisque musicis impressi typis Plantinianis, non vero antiqui, decantentur in omnibus orbis christiani ecclesiis [1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Mandatum, prout in rubricâ.

Cum aliàs hymni Breviarii Romani, paucis exceptis qui non metro sed solutâ oratione aut etiam rythmo constant, iussu nostro, vel emendatioribus adhibitis codicibus, vel aliquâ factâ mutatione, ad carminis et latinitatis leges revocati [2], nonnulli etiam de integro conditi dictoque breviario auctoritate nostrâ recognito inserti fuerint, et, ut accepimus, breviarium praedictum cum hymnis huiusmodi a maiori parte christifidelium, qui ad illius recitationem sunt adstricti, privatim ubivis terrarum recitetur: hinc est quod nos, qui hymnos praedictos cum notis musicis, sive cantu ut vocant figurato, typis Plantinianis dilecti filii Balthasaris Moreti, typographi Antuerpiensis, exactâ industriâ excudi iussimus, ne eorum publica recitatio a privatâ discrepet; etc. (*Cetera omittuntur, quia conveniunt de verbo ad*

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Male edit. Main. legit *revocari* (B. T.).

verbum cum constitutione relatâ num. DCCLXXVIII, *pag.* 256).

Datum, etc. die XXII aprilis MDCXLIV, pontificatus nostri anno XXI.

Dat. die 22 aprilis 1644, pontif. anno XXI.

DCCCXXIII.

Confirmatio decreti capituli generalis fratrum Discalceatorum Ordinis beatae Mariae de Monte Carmelo primitivae Observantiae de monialibus supernumerariis.

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Motiva huius Constitutionis.

Cum, sicut dilectus filius praepositus generalis fratrum Ordinis beatae Mariae de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum primitivae observantiae congregationis Hispaniae nobis nuper exponi fecit, per constitutiones monialium dicti Ordinis apostolicâ auctoritate confirmatas disponatur, ut numerus monialium uniuscuiusque monasterii Ordinis huiusmodi viginti et unius dumtaxat existat; experientiâ vero compertum sit, in tam exiguo numero huiusmodi nonnulla eiusdem Ordinis monasteria aliquibus monialibus vel infirmis aut senio confectis seu fatuis et mente captis, ad chorum aliaque dicti Ordinis ministeria inutilibus, gravata reperiri; ex quo observantia regularis, ceteraeque moniales maxima plerumque damna et incommoda patiuntur;

Decretum capituli generalis.

§ 1. Proindeque in capitulo generali dictae congregationis novissime in conventu S. Petri dicti Ordinis oppidi de Pastrana celebrato, inter alia inibi edita, emanaverit decretum infra positum, quod videlicet moniales fatuae vel amentes per triennium confirmatae non computentur in numero viginti unius, sed aliae earum loco possint recipi, etiam numero viginti unius completo; decretum vero huiusmodi, quo firmius subsistat, idem praepositus generalis apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri summopere desideret:

Confirmatio prout in rubrica.

§ 2. Idcirco nos, eumdem praepositum generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, decretum praedictum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, quos illae concernunt et concernent in futurum, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in

contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x maii MDCXLIV, pontificatus nostri anno XXI.

Dat. die 10 maii 1644, pontif. anno XXI.

DCCCXXIV.

Clero regni Poloniae facultas conceditur concurrendi cum laicis in contributione regi faciendâ [1].

Venerabili fratri archiepiscopo Gnesnensi Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Clerus Poloniae desiderat cum laicis concurrere in contributione regi.

§ 1. Exponi nobis nuper fecisti, quod, cum pro defensione fidei catholicae in regno Poloniae graves expensae factae fuerint, quibus aerarium publicum exhaustum est, laici eiusdem regni obtulerant contribuere pro eâdem defensione, et a clero eiusdem regni petitum fuit ut in hac contributione concurrant cum laicis praedictis; quod cum tu et alii episcopi eiusdem regni sponte facere cupiatis, si nostra et huius sanctae Sedis Apostolicae desuper accesserit licentia, nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut licentiam huiusmodi concedere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Quibus Pontifex licentiam concedit.

§ 2. Nos igitur, dicti Poloniae regni necessitatibus huiusmodi ad effectum praedictum consulere volentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium controversiis iurisdictionalibus praepositorum consilio, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, veris existentibus supra narratis, clero regni praedicti, ut pro dictis necessitatibus regni huiusmodi et ad dictum effectum cum dictis laicis in contributione huiusmodi, sponte tamen, et pro unâ tantum vice, et pro honestâ portione, concurrere libere et licite possint, tuque etiam possis et valeas, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, licentiam concedas et impertiaris, ibique [1], ut ad exactionem contributionis per clerum huiusmodi faciendae per personas ecclesiasticas et non alias procedere debeas, eâdem auctoritate committimus et mandamus; contradictores, ac solvere recusantes per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia eâdem auctoritate compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogat obstantibus.

§ 3. Non obstantibus concilii Lateranensis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum regni huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, ac exemptionibus, immutationibus, etiam in corpore iuris clausis, quibusvis generaliter vel specialiter concessis (etiamsi de illis eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum mentio seu quaevis alia expressio habenda sit, et [2] in eis ca-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Forsan *tibique* pro *ibique* legendum (R. T.).

2 Coniunctionem *et* nos addimus (R. T.).

veatur expresse quod per huiusmodi clausulas generales etiam mentionem specialem importantes eis derogatum esse non censeatur aut derogari videatur, nisi certis modo et formâ in illis expressis plene observatis); quibus omnibus et singulis, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat. § 4. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI maii MDCXLIV, pontificatus nostri anno XXI.

Dat. die 21 maii 1644, pontif. anno XXI.

DCCCXXV.

Indultum nobilibus Anconitanis exercendi artes lanariam et sericeam, ac mercaturam certarum mercium, sine praeiudicio nobilitatis[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Constantis fidei ac sincerae devotionis affectu, quo dilecti filii communitas et homines civitatis nostrae Anconitanae nos et Romanam reverentur Ecclesiam, inducimur, ut ea illis libenter concedamus quae ad eorum utilitatem et commodum dignoscimus pertinere.

Communitatis Anconitanae expositio. § 1. Cum itaque, sicuti idem communitas et homines nobis nuper exponi fecerunt, ipsi sericeam et lanariam artes necnon cerarum, coriorumque, ac lanarum et vallonearum vulgo nuncupatarum mercaturam, ac bancheriorum seu campsorum artem operâ personarum nobilium eiusdem civitatis, absque eo quod propterea earumdem personarum nobilitati praeiudicetur, exerceri posse, et idcirco per nos ut infra opportune providere summopere desiderent:

Concessio de qua in rubricâ. § 2. Nos, eorumdem communitatis et hominum votis in praemissis annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et à quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, universis et singulis dictae civitatis civibus nobilibus, ut sericeam et lanariam ac bancheriorum et campsorum artes huiusmodi, necnon grani, cerarum, coriorumque ac lanarum et vallonearum mercaturam, solidâ tamen merce et ut vulgo dicitur *all' ingrosso* tantum, non autem minutim seu particulatim (itaut particulares tabernas dictarum mercium, in quibus illae minutim vendantur, habere et aperire nequeant), absque eo quod propterea aliquod eorum nobilitati praeiudicium inferatur, aut[1] censeri possit, exercere libere et licite valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Clausulae. § 3. Decernentes omnes et singulos nobiles eiusdem civitatis cives, qui artes et mercaturam huiusmodi, ut praefertur, exercebunt, in eodem nobilitatis gradu esse et fore, ac remanere, etiam quoad

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Deest verbum *inferri* (R. T.).

omnia ad quae nobiles ipsius civitatis quomodolibet admitti et recipi consueverunt, seu possunt, aut debent, non secus ac si artes et mercaturam huiusmodi nunquam exercuissent, sicque et non aliter ab omnibus censeri, et per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis dictae civitatis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, legibus etiam municipalibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem civitati, sub quibuscumque tenore et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII iunii MDCXLIV, pontificatus nostri anno XXI.

Dat. die 7 iunii 1644, pontif. anno XXI.

DCCCXXVI.

Confirmatio Brevium Sixti V, Pauli V et Gregorii XV super prohibitione quibusvis personis, sub poenâ excommunicationis latae sententiae Sedi Apostolicae reservatae, ne detineant quaevis bona ad loca Terrae Sanctae spectantia, sed illa, si penes se sint, locis huiusmodi seu eorum agentibus restituant[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Litterae apostolicae ab aliis Pontificibus aliàs emanatae.

§ 1. Aliàs a felicis recordationis Sixto V et Paulo[2] etiam V Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Litterae Sixti V.

Sixtus Papa V, ad futuram rei memoriam. Nostri pastoralis officii partes a nobis postulant et exposcunt, ut in iis auctoritatem nobis ab omnipotenti Deo, cuius vicem hîc in inferiori terrarum orbe gerimus, concessam, quandocumque ita necessarium est, interponamus, per quae legata in favorem piorum locorum tam in civitate Hierosolymitanâ quam extra eam in totâ Terrâ Sanctâ existentium facta iuxta piam ipsa legata facientium et constituentium intentionem debitos sortiantur effectus, et ab illorum occupatoribus et detentoribus piis locis huiusmodi, ut decet, relaxentur. Cum itaque nullatenus dubitari possit, quin per totum christianum orbem nulla[3] mobilia et immobilia bona religiosorum domibus et aliis locis piis in Terrâ Sanctâ existentibus tam per viam legati pii quam eleemosynae et aliàs diversimode relicta fuerunt[4], ipsa vero bona vel eorum aliqua a diversis personis, quarum curae et fidei exequutio legatorum et eleemosynarum huiusmodi commissa existit, occupentur et detineantur in non modicum ipsorum animarum periculum, et detrimentum donorum et bonorum[5] huiusmodi, quae, tamquam in partibus infidelium existentia, magnis premuntur necessitatibus: nos, qui salutem singulorum sinceris desideramus affecti-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Male edit. Main. legit *Pauli* (R. T.).
3 Vel *nonnulla* vel *multa* legendum (R. T.).
4 Potius lege *fuerint* (R. T.).
5 Videtur legend. *domorum et locorum*, ut infra (R. T.).

bus, piorumque locorum quorumlibet indemnitati quoad possumus consulimus, ut tenemur, in praemissis opportune providere volentes, ac omnium et singulorum bonorum et aliarum rerum dictis locis per quoscumque quovis modo relictorum et penes quoscumque existentium situationes, qualitates et valores praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ meràque deliberatione nostris, omnibus et singulis venerabilibus fratribus patriarchis primatibus, archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis, per universum orbem christianum constitutis, eorumque vicariis, officialibus nunc et pro tempore existentibus, in virtute sanctae obedientiae committimus et mandamus, ac districte praecipimus, quatenus ipsi et eorum quilibet, per se, aut eorum vicarios et officiales in spiritualibus generales, aut alias personas ab eis deputandas, quotiescumque pro parte nunc et pro tempore existentis procuratoris generalis Ordinis fratrum Minorum de Observantiâ domorum et locorum huiusmodi ad eleemosynas et legata similia recuperanda deputati requisiti fuerint, vel eorum aliquis requisitus fuerit, in omnibus et singulis suarum civitatum et provinciarum cathedralibus, collegiatis et parochialibus ecclesiis, tribus dominicis, seu aliis festivis diebus, dum inibi maior populi multitudo ad divina convenerit, omnes et singulas personas pecunias, aurum, argentum, gemmas, ac alias res et bona quaecumque mobilia vel immobilia supra summam seu quantitatem sive valorem ex arbitrio et conscientiâ taxandum domibus et locis piis praedictis tam per viam legati quam eleemosynae et aliàs quomodolibet relicta et ad illa aliàs spectantia et pertinentia occupantes et detinentes, seu ab aliis occupari et detineri scientes et non revelantes, requirant et moneant, seu requiri et moneri faciant, quatenus omnia et singula bona mobilia vel immobilia eisdem domibus et locis piis legata et ad illa quomodolibet spectantia ac per easdem personas et earum quamlibet occupata et detenta dicto procuratori nunc et pro tempore existenti, seu eius locum tenenti, cum effectu restituant et consignent, ac illorum occupatores et detentores revelent et detegant, alioquin, factis tribus canonicis monitionibus huiusmodi, in omnes et singulos bona huiusmodi occupantes et usurpantes, seu ab aliis detineri et usurpari scientes et non revelantes, excommunicationis sententiam, a qua nonnisi praeviâ satisfactione absolutionis beneficium obtinere possint, eo ipso ferant et pronuncient, seu ferri et pronunciari faciant. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quacumque forsan praetensâ longi temporis praèscriptione et continuatâ possessione, ceterisque contrariis quibuscumque. Et quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque mundi loca perferri, volumus, quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici, vel Ordinarii loci, aut alterius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae subscriptis, eadem prorsus fides ubique locorum et gentium adhibeatur, quae adhiberetur si ipsae praesentes litterae originaliter exhiberentur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII decembris MDLXXXIX, pontificatus nostri anno V.

Litterae Pauli V.

Paulus Papa V, ad perpetuam rei memoriam. Caelestis Regis, qui pro humani generis redemptione se ipsum exinanivit factus obediens usque ad mortem, vices licet immëriti gerentes in terris, inter graves officii nostri curas, hanc prae ceteris in visceribus gerimus, ut tanti et tam salubris mystherii monumenta, quae in civitate Hierusalem sunt, conserventur, et

eâ qua decet honorificentiâ recolantur, ac christifidelium eleemosynae, in hanc causam pie erogatae, in alios usus non distrahantur. Quocirca dilectis filiis generali et provincialibus ministris, commissariis, tam de curiâ, quam aliis quibuscumque, necnon custodibus, seu guardianis, aliisque officialibus, et praesertim dictae civitatis, necnon fratribus quibuslibet, nunc et pro tempore existentibus, Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, aliisque omnibus et singulis ubique locorum degentibus, ad quos spectat et in futurum quomodolibet spectabit, sub privationis vocis activae et passivae, necnon officiorum quae obtinent aut obtinebunt, ac inhabilitatis ad illa et alia imposterum consequenda poenis ipso facto incurrendis, tenore praesentium perpetuo praecipimus et mandamus, ne perpetuis futuris temporibus eleemosynas, seu aliquam earum partem, sive in pecuniâ, sive in quibusvis aliis rebus cuiuscumque generis consistant, quae tam pro conservatione, restauratione, ac subsidio piorum locorum dictae civitatis, divinique cultus in illis augmento, quam etiam pro fratrum dicti Ordinis inibi degentium, ac peregrinorum in eorumdem domibus hospitantium sustentatione, ac necessitatibus, vel aliàs, per quoscumque christifideles erogabuntur, quavis de causâ, ratione, aut occasione, vel sub quocumque praetextu, quaesito colore, vel ingenio, in alios usus, etiam quantumvis pios et urgentes, ac etiam eiusdem Ordinis, convertere, vel quibusvis aliis personis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existentibus, etiam per breve temporis spatium, commodare, alienare, hypothecare, vel aliàs quomodolibet distrahere audeant quoquo modo vel praesumant, sed eas pro dictis piis locis et eorumdem ministrorum usu fideliter conservent, et eorumdem locorum agentibus nunc et pro tempore existentibus, suis loco et tempore, integre consignent et tradant, seu consignari curent et faciant: contrariis non obstantibus quibuscumque. Volumus autem, quod praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII ianuarii MDCXVIII, pontificatus nostri anno X.

Quas litteras confirmavit Gregorius XV.

§ 2. Et subinde, pro parte tunc existentis Terrae Sanctae commissarii recolendae memoriae Gregorio Papa XV etiam praedecessori nostro exposito quod in diversis christiani orbis partibus nonnullae personae varia bona ad dicta loca sancta spectantia non sive gravi animarum suarum periculo ac eorumdem locorum maximo detrimento indebite detinerent, idem Gregorius praedecessor litteras praeinsertas et in eis contenta quaecumque perpetuo approbavit et confirmavit, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiecit,

Cavitque ne quis bona ad Terram Sanctam spectantia apud se retineret,

§ 3. Et nihilominus utriusque sexus personis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existentibus, in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis maioris latae sententiae poenâ, a qua nonnisi ab eo, vel Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi possent, districte praecepit et mandavit, ne de cetero cuiusvis generis bona ad loca huiusmodi spectantia quovis praetextu, causâ, vel occasione apud se retinere auderent seu praesumerent, sed illa iisdem locis seu illorum agentibus realiter et cum effectu restituerent, et aliàs, prout in eiusdem Gregorii prae-

decessoris huiusmodi litteris desuper sub annulo Piscatoris die XVIII octobris MDCXXII expeditis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Huiusmodi litterarum nova confirmatio petitur.

§ 4. Cum autem, sicut pro parte venerabilis fratris Ægidii patriarchae Hierosolymitani ac dilecti filii Andreae de Arco Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Reformatorum nuncupatorum professoris eiusdem Terrae Sanctae commissarii nobis nuper expositum fuit, ea firmiora sint, quibus iteratae confirmationis apostolicae robur adiicimus, et propterea dicti Ægidius patriarcha et Andreas commissarius praedictas praedecessorum nostrorum huiusmodi litteras, per nos confirmari et aliàs in praemissis opportune providere desiderent:

Confirmat Pontifex

§ 5. Nos, eorumdem sanctorum locorum indemnitati quantum cum Domino possumus consulere volentes, supplicationibus Ægidii patriarchae et Andreae commissarii praedictorum nobis desuper super hoc humiliter porrectis inclinati, praedictas Sixti V, ac Pauli etiam V, et Gregorii XV litteras cum omnibus contentis in illis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, ac illis perpetuae inviolabilis apostolicae firmitatis vim et robur adiicimus;

Et mandat prout in rubricâ.

§ 6. Et nihilominus omnibus et singulis utriusque sexus personis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existentibus, in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis maioris latae sententiae poenâ, a qua non nisi a nobis ipsis, vel Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi possint, districte praecipimus et mandamus, ne de cetero cuiusvis generis bona, ad loca huiusmodi spectantia, quovis praetextu, causâ vel occasione apud se retinere audeant seu praesumant, sed illa eisdem locis seu illorum agentibus realiter et cum effectu restituant.

Exequutores deputati.

§ 7. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ubivis locorum existentibus ac dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Ægidii patriarchae aut praedicti Andreae moderni et pro tempore existentis Terrae Sanctae huiusmodi commissarii fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ praemissa omnia et singula ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariis derogat.

§ 8. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae[1] VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, necnon[2] omnibus illis, quae dicti praedecessores in praeinsertis eorum litteris voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem adhiberi mandat.

§ 9. Volumus autem, ut praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici, vel Ordinarii loci, aut alterius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae subscriptis, eadem prorsus fides ubique locorum et gentium adhibeatur, quae adhiberetur

1 Male edit. Main. legit *Papa* (R.T.).

2 Praepositionem *ab* delemus (R. T.).

si ipsae praesentes litterae originaliter exhiberentur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII iunii MDCXLIV, pontificatus nostri anno XXI.

Dat. die 18 iunii 1644, pontif. anno XXI.

DCCCXXVII.

Declarat munus protectoris collegii fratrum Minorum Conventualium sancti Francisci in conventu Ss. XII Apostolorum de Urbe et collegii Montis Alti in civitate Bononiensi a Sixto V erecti spectare ad cardinalem Pallottum uti antiquiorem cardinalem ex provinciâ Marchiae, non autem ad cardinalem Montaltum eiusdem Pontificis consanguineum [1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Sixtus Papa V duo scholarium collegia in domo fratrum Minorum sancti Francisci Conventualium erexit.

§ 1. Aliàs felicis recordationis Sixtus Papa V praedecessor noster in domo regulari Ss. XII Apostolorum de Urbe Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum unum eorumdem fratrum Minorum, nec non aliud Montis Alti nuncupatum collegia scholarium nationis Picenae in civitate nostrâ Bononiensi erexit, collegiorumque huiusmodi protectorem S. R. E. cardinalem ex parentelâ et familiâ Peretta ipsius Sixti praedecessoris, vel, in eius defectum, ex provinciâ [2] Marchiae Anconitanae oriundum antiquiorem cardinalem deputavit.

Et cardinalem ex familia Peretta protectorem deputavit.

Existente vero ad praesens protectore cardinali Palotto,

§ 2. Cum autem, defuncto bonae memoriae Centino eiusdem S. R. E. dum viveret cardinale de Asculo nuncupato, tamquam cardinale seniori Piceno collegiorum praedictorum ultimo protectore, neque existente ullo cardinale ex familiâ seu parentelâ eiusdem Sixti praedecessoris, dilectus filius noster Ioannes Baptista tituli S. Silvestri presbyter cardinalis Pallottus nuncupatus, uti cardinalis antiquior oriundus ex dictâ provinciâ, munus protectoris dictorum collegiorum susceperit, illoque in pacificâ possessione exercendi munus protectoris huiusmodi collegiaque praedictâ tamquam protector gubernandi existente, nos dilectum etiam filium nostrum Franciscum tituli S. Hieronymi Illyricorum presbyterum cardinalem Montaltum nuncupatum, ex familiâ et parentelâ ipsius Sixti praedecessoris praedicti oriundum, ad sublimem cardinalatus dignitatem promoverimus, eaque propter dubitatum fuerit utrum munus protectoris collegiorum huiusmodi ad praedictum Ioannem Baptistam cardinalem ante dictam cardinalis Francisci promotionem ad munus protectoris huiusmodi admissum illudque pacifice exercentem, an vero ad eumdem Franciscum cardinalem uti oriundum ex familiâ seu parentelâ praedictâ spectaret:

Dubitatur: utrum munus protectoris huiusmodi ad dictum cardinalem protectorem, seu potius ad cardinalem Montaltum spectet.

Congregatio particularis, ad hoc deputata ad cardinalem Pallottum spectare censet.

§ 3. Nos, ius suum unicuique tribui negotiumque huiusmodi, prout iuris esset, definiri volentes, particularem nonnullorum Romanae curiae praelatorum congregationem ad partes earumque iura super praemissis audiendum nobisque referendum deputavimus, qui praelati, auditis procuratoribus et advocatis eorumdem Ioannis Baptistae et Francisci cardinalium, negotioque mature discusso, cum, votis suis desuper exhibitis, nobis retulerint munus protectoris collegiorum praedictorum spectasse et spectare ad praedictum Ioannem Baptistam cardinalem:

Quod idem Urbanus declarat.

§ 4. Idcirco nos, ut id quod praelati praedicti hac in re censuerunt iuris esse, ut praefertur, suum sortiatur effectum, et debitae exequutioni demandetur, pro curâ nostrâ pastorali providere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac ma-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Male edit. Main. legit *provinciae* (R. T.).

turâ deliberatione nostris, munus protectoris dictorum[1] spectasse et spectare ad dictum Ioannem Baptistam cardinalem, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus; necnon eumdem Ioannem Baptistam cardinalem munus praedictum, uti dictorum collegiorum protectorem, plenarie exercere libere et licite potuisse, et in futurum posse et valere.

Et ita ab omnibus iudicari statuit.

§ 5. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, motu et auctoritate similibus decernimus.

Obstantibus derogat.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die I iulii MDCXLIV, pontificatus nostri anno XXI.

Dat. die 1 iulii 1644, pontif. anno XXI.

1 Deest vox *collegiorum* (R. T.).

DCCCXXVIII.

Clerici coniugati insulae Melitanae quoad functiones militares magno magistro hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani subiiciuntur, cum prohibitione ne eis concedantur exemptiones[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Clericos coniugatos insulae Melitanae quoad functiones militares magno magistro hospitalissancti Ioannis Hierosolymitani subiicit.

§ 1. Ne insulae Melitanae, firmissimi adversus immanissimos Turcas Italiae propugnaculi, adeo necessaria tuitio ullo modo negligatur, clericique coniugati eiusdem insulae privilegii clericalis praetextu solitas functiones militares pro defensione et custodiâ insulae huiusmodi obire detractent[2], quantum cum Domino possumus providere volentes, supplicationibus dilecti filii magni magistri hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani nobis desuper humiliter porrectis inclinati, eidem magno magistro, nunc et pro tempore existenti, uti personae ecclesiasticae, omnes et singulos clericos coniugatos dictae insulae, ut equum tenere, si sufficientes ad id facultates habeant, et solitas functiones militares custodiasque facere pro defensione et custodiâ eiusdem insulae adversus Turcas et piratas debeant quoad ista (itaut ad tenendum equum et faciendum dictas functiones custodiasque respective possint opportunis iuris et facti remediis cogi a praedicto magno magistro vel personâ ecclesiasticâ per eum deputandâ,

Quoad reliqua vero omnia Melitano episcopo.

§ 2. In ceteris vero iidem clerici coniugati venerabili fratri episcopo Melitano, nunc et pro tempore existenti, remaneant subiecti, iuxta sacrorum canonum, constitutionum apostolicarum, sacrorumque conciliorum, praesertim Tridentini, decretorum dispositionem), apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, subiicimus.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Aptius lege *detrectent* (R. T.).

Clausulas apponit.

§ 3. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac inviolabiliter observari, sicque, et non aliter, in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique hospitalis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Exemptiones praemissis concedi prohibet.

§ 5. Volumus autem, et in virtute sanctae obedientiae iniungimus praedicto magno magistro, nunc et pro tempore existenti, ut invigilare teneatur, ne priores, baiulivi, praeceptores, seu commendatarii, capitanei, aliique officiales et ministri dicti hospitalis, quomodolibet qualificati, quoquo modo vel ex quacumque causâ concedant aliis ad praemissa obligatis exemptiones *francos* nuncupatas a praedictis oneribus ac functionibus militaribus et custodiis ultra consuetum, praesertim ultra illas seu illos quae et qui solent etiam iurium statutorum seu stabilimentorum ac ordinationum capitularium eiusdem hospitalis apostolicâ auctoritate confirmatorum[1], concedi illis qui actu inserviunt communi aerario, infirmatae[2], ac in quibuscumque aliis functionibus et servitiis hospitalis praedicti; prioribus vero, baiulivis, praeceptoribus, seu commendatariis, capitaneis, ceterisque praedictis et aliis quibuscumque, sub amissionis antianitatis ac maioris excommunicationis poenis ipso facto incurrendis, ne quoquo modo vel ex quacumque causâ audeant praefatas exemptiones seu *francos* concedere, prohibemus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII iulii MDCXLIV, pontificatus nostri anno XXI.

Dat. die 18 iulii 1643, pontif. anno XXI.

DCCCXXIX.

Facultas quibusvis rectoribus ac defensoribus et superioribus quarumcumque ecclesiarum consignandi capitaneis et aliis officialibus triremium hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani remiges voluntarie obligatos bonas voluntates *nuncupatos, qui, ut servitium remigandi declinent, ad ecclesias confugiunt*[3].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Motiva concedendae facultatis.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Iacobus Glandenes de Lueges, frater miles hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, eiusque apud nos et Apostolicam Sedem orator, quod inter remiges triremium dicti hospitalis, qui voluntarie cum certo sti-

1 Videtur deesse vox *vigore* (R. T.).

2 Forsan pro *infirmatae* legendum est *infirmariae* (R. T.).

3 Ex Regest. in Secret. Brev.

pendio remorum servitio se addixerunt et *bonae voluntatis*[1] vulgo vocantur, abusus ab aliquo citra tempore introductus est, ut, quando dictae triremes sunt in procinctu ad iter faciendum, nonnulli ex praedictis remigibus, ne ad remigandum in illo itinere quod sibi tunc minus placeat cogantur, ad ecclesias confugiunt, e quibus sese extrahi non posse, sed immunitate ecclesiasticâ gaudere debere praetendunt, prout evenit anno MDCXLI, quo vigintisex ex remigibus huiusmodi ad ecclesias confugerunt, necnon etiam anno proxime praeterito, quo dictae triremes, ut nobis et Apostolicae Sedi inservirent, ad portum nostrum Civitatis Vetulae venerunt. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, navigationes dictarum triremium inde turbari itineraque destinata prorsus impediri possint, cum *bonae voluntates* huiusmodi remigum robur praecipuum constituant maxime in expeditionibus contra infideles, in quibus, cum opus est, ipsi etiam armis decertant, neque periculum est ut servi turcae aliquid in favorem infidelium machinentur; eoque casu recursus ad episcopos pro licentiâ extrahendi confugientes ad ecclesias haberi non possit, qui et dubitant, an licentiam huiusmodi concedere valeant, saepeque distant ab ecclesiis, ad quas remiges praedicti confugerunt, ita ut interim elabatur occasio navigationis magno cum dictis hospitalis detrimento; neque iidem remiges extra[2] triremes vinciri[3] possint, quippe qui sese remigiis[4] servitiis nequaquam addicerent, nisi vinculis exempti libertate fruerentur quando triremes praedictae sunt in portu: nobis propterea dictus Iacobus orator nomine dicti hospitalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 2. Nos igitur, indemnitati eiusdem hospitalis hac in re, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quibusvis rectoribus ac defensoribus et superioribus quarumcumque ecclesiarum, sive secularium sive regularium, in quas remiges praedicti, ut servitium remigandi in dictis triremibus, ad quod se sponte obligarunt, subterfugiant, sese pro tempore receperint, licentiam consignandi illos capitaneis et aliis officialibus triremium, quarum servitio erunt adstricti (ita tamen, ut ipsi remiges ratione dicti confugii ad ecclesias a capitaneis et officialibus huiusmodi, vel quocumque alio quavis auctoritate fungente, sub censuris et poenis etiam in constitutione felicis recordationis Gregorii Papae XIV praedecessoris nostri de immunitae ecclesiarum, quae incipit *Cum aliàs*, sub datum IX kalendas iunii MDXCI, pontificatus sui anno I, contentis eo ipso absque aliâ declaratione incurrendis, nullatenus puniri valeant), apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impertimur. Facultas, de qua in rubrica.

§ 3. Non obstantibus, quoad ea quae praesentibus adversantur, praedictâ eiusdem Gregorii praedecessoris, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis universalibus editis, necnon quarumvis ecclesiarum, ac dicti hospitalis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad Derogatio contrariorum.

1 Potius legerem *bonae voluntates* (R. T.).

2 Videtur legendum potius *intra* pro *extra* (R. T.).

3 Edit. Main. habet *vinceri* (R. T.).

4 Legerem *remigii* loco *remigiis* (R. T.).

verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII iulii MDCXLIV, pontificatus anno XXI.

Dat. die 28 iulii 1644, pontif. anno XXI.

An. C. 1644

INNOCENTIUS X

PAPA CCXXXVIII

Ab anno MDCXLIV *ad annum* MDCLV.

Joannes Baptista Camilli Pamphilii filius in Romanum Pontificem electus est die XV septembris anno MDCXLIV, et Innocentii X nomen assumpsit. Sedit annos X, menses III, dies XXI, temporibus Ferdinandi II et Ferdinandi IV imperatorum. Creavit cardinales XL, et die VII ianuarii MDCLV vitâ functus est. Vacavit Sedes III menses.

I.

Prohibitio ne praelati Congregationis Cassinensis in affictum locent possessiones secularibus personis, nec in eis monachos retineant pro curâ et administratione earumdem extra claustra a superiorum obedientiâ immunes[1].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Supplicatio

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius praesidens generalis monachorum Ordinis sancti Benedicti Congregationis Cassinensis, quod a capitularibus capituli generalis eiusdem Congregationis novissime celebrati conditum fuit pro felici gubernio et regimine publico eiusdem Congregationis decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum capituli generalis.

§ 1. « Cum ad aures nostras non sine ingenti animi dolore pervenerit in aliquibus Congregationis nostrae monasteriis non deesse praelatos, qui in affictum conducant, vel monachis ipsis, cum evidenti animarum iacturâ, vel secularibus suorum monasteriorum possessiones locent eâ conditione, ut monachus aliquis ab ipsis nominandus dictorum bonorum curae et administrationi assistat extra claustra a superiorum obedientiâ immunis degens: idcirco, tam gravi ac periculoso excessui opportunum ac necessarium remedium adhibere volentes (inhaerendo ordinationi S. P. N. Benedicti, cap. XXXIII, et constitutionibus nostris in declaratione dicti capitis et capitis LVII, et II partis constitutionum capiti II) praecipimus, in virtute sanctae obedientiae et sub poenis in nostris constitutionibus expressis, omnibus praelatis, ne quovis quaesito colore aut praetextu praesumant in posterum similes locationes facere vel accipere, vel monachis mediate vel immediate conferre,

1 De istorum monachorum Congregatione notavi ad Const. CDXXVI (*al.* 404) *Sancta*, tom. XIV, pag. 284; et ad Constit. DCXVIII (*al.* 584), *Aliàs*, Urbani VIII, ibid. pag. 670.

factas vero, et hactenus locatas, irritas, cassas et nullas esse declarent respective, tam quoad ipsos praelatos, quam quoad monachos, nec permittant in publicis instrumentis praedictarum locationum, quae secularibus personis committuntur, pacta et conditiones inseri, quibus monachi praedictis bonis et possessionibus administrandis praesidere[1], et cogant omnes, qui hac de causâ extra coenobiorum septa commorantur, relictâ administratione ad monasterium reverti.

In violatores excommunicationis poena a Summo Pontifice imploretur.

§ 2. Ut autem praesentis decreti observationi maior vis et pondus accedat, mandamus procuratori nostro in curiâ Romana degenti, ut quamprimum satagat Breve aliquod excommunicationis ipsi Summo Pontifici reservatae contra praesentis edicti violatores impetrare ».

Decretum sub poenâ excommunicationis confirmat Summus Pontifex.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus exponens, decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et exactius observetur, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri summopere desideret: idcirco nos, eiusdem praesidentis generalis votis huiusmodi annuere illumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, stante prohibitione sacrorum canonum et constitutionum dicti Ordinis apostolicâ auctoritate confirmatarum, decretum praeinsertum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, ad abundantiorem cautelam confirmamus et approbamus, illique inviolabilis et perpetuae firmitatis vim et robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici vel censeri possint, supplemus: mandantes propterea omnibus et singulis dictae Congregationis superioribus, monachis et personis, in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis poenâ per eos ex dictâ Congregatione qui decreto praeinserto huiusmodi contravenerint eo ipso absque ullâ aliâ declaratione incurrendâ, et a qua nonnisi a nobis aut Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi queant, quatenus praeinsertum decretum praedictum inviolabiliter et inconcusse observent, observarique curent et faciant.

Clausulas necessarias apponit.

§ 4. Decernentesque praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et Congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis eorumdem Ordinis et Congregationis religiosis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, speci-

Contraria tollit.

1 Deest verbum *obligentur* (R. T.).

fica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae alicuius in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die I octobris MDCXLIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 1 octobris 1644, pontif. anno 1.

II.

Concedit, ut cruciata Hispaniarum, pro tempore quo durabit ultima illius prorogatio ad sexennium concessa, possit singulis annis publicari in Indiis, in quibus iuxta Breve Gregorii XIII non debebat publicari nisi de biennio in biennium[1].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Refert indulgentias et indulta a Pio V concessa iis omnibus, qui in Hispaniarum regnis Philippi regis bellum contra Turcas per biennium adiuverint.

Aliàs felicis recordationis Pius Papa V praedecessor noster sub datum XII kalendas iunii MDLXXI omnibus in Hispaniarum regnis et insulis adiacentibus ac etiam Sardiniae consistentibus, qui fidei catholicae zelo adducti intra biennii tempus ad exercitum clarae memoriae Philippi Hispaniarum regis catholici tunc in vivis agentis contra Turcas tunc comparatum contra illos pugnaturi aut aliud genus servitii facturi suis sumptibus accessissent, et ibidem usque ad finem expeditionis eius biennii permansissent, aut de bonis sibi a Deo collatis expeditionem praedictam adiuvassent, plures indulgentias et peccatorum remissiones et relaxationes pro vivis et defunctis, aliasque spirituales concessiones, necnon privilegia, facultates et indulta, vel quovis alio nomine nuncupatas gratias concessit, dictumque biennium ad aliud biennium a fine dicti biennii et deinde secundo dictum biennium ad aliud simile biennium a secundo dicti biennii fine computandum ita prorogavit, ut, sex annis durantibus, singulo quoque biennio commissarius, qui pro tempore esset, illas de novo publicaret, modo et formâ prout in concessione continebatur; deinde recolendae memoriae Gregorius Papa XIII etiam praedecessor noster, sub die III martii MDLXXIII, indulgentias, concessiones et gratias ac facultates huiusmodi, nonnullis additis, immutatis et de novo ab ipso concessis, ad Indiarum partes et insulas ac regna et terram firmam maris Oceani Philippi regis praedicti imperio subiectas[1] extendit et ampliavit, necnon sub die XXVII aprilis eiusdem anni MDLXXIII easdem indulgentias, concessiones, indulta, gratias et facultates tam per dictum Pium quam per ipsum Gregorium ut praefertur concessa non iam singulo biennio, sed singulo quoque anno publicari voluit; postea idem Gregorius praedecessor sub die XVIII februarii MDLXXVI motu suo proprio sex annorum spatium in dictis concessionibus adiectum et praefixum ad aliud simile sexennium, ita similiter, ut omnia in dictis litteris contenta singulo quoque anno publicarentur, prorogavit; sed postmodum praedictus Gregorius praedecessor, accepto quod, ob latitudinem provin-

Earumdem publicatio a biennio in biennium per sex annos.

Quae etiam Gregorius XIII ad Indiarum regna ampliavit.

Et primum singulo quoque anno publicari voluit: post, singulo biennio.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Aptius legeretur *subiecta* (R. T.).

ciarum earumdem Indiarum et insularum et terrae firmae maris Oceani, difficile erat infra unius spatium et tempus semel dictas gratias, indulgentias et facultates in qualibet provinciâ dictarum partium publicare, seu earum occasione in qualibet earumdem provinciarum et regnorum Indiarum partibus praedicationem haberi, motu etiam suo proprio sub die v septembris MDLXXVIII in regnis, insulis, terris, oppidis et dominiis, ac terrae firmae[1] Indiarum maris Oceani seu aliàs nuncupatis huiusmodi, eidem Philippo regi tam mediate quam immediate et aliàs quomodocumque et qualitercumque subiectis, praedicationes et publicationes praedictas non amplius quolibet anno, sed singulo biennio tantum fieri voluit; et sicuti, iuxta formam litterarum apostolicarum super dictis concessionibus emanatarum, omnes gratiae, concessiones, indulgentiae, facultates, privilegia et indulta, tam pro vivis quam defunctis ut praefertur concessa, per annum duratura erant, simili modo et cum eisdem facultatibus per biennium durare decrevit: et aliàs, prout in litteris Pii et Gregorii praedecessorum praedictorum desuper respective expeditis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Urbanus VIII eadem privilegia ad aliud sexennium prorogat.

§ 2. Cum autem ab inde per aliquos Romanos Pontifices praedecessores nostros indulgentiae, gratiae, concessiones, indulta et privilegia praedicta de sexennio in sexennium continuatâ serie, et novissime a piae memoriae Urbano Papa VIII similiter praedecessore nostro per suas in simili formâ Brevis litteras die XI februarii MDCXXXIX expeditas ad aliud sexennium, quod adhuc durat, prorogata fuerint, et licet[2] nomine charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici nobis nuper expositum fuit, in praedictis Indiarum partibus ac insulis et regnis terrâque firmâ maris Oceani eiusdem Philippi regis imperio ut praefertur subiectis a praedicti Gregorii praedecessoris tempore citra populorum valde creverit multitudo, et verbi Dei praedicatorum numerus ita auctus sit, ut facile quotannis indulgentiae, gratiae, concessiones, indulta et privilegia huiusmodi inibi publicari possint: nobis propterea eiusdem Philippi regis nomine fuit humiliter supplicatum, ut tempus publicationis huiusmodi de biennio ad annum reducere, et, ut publicatio singulis annis, durante praedicto tempore prorogato, fieri possit, concedere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, spirituali consolationi et animarum saluti christifidelium Indiarum et insularum et regnorum terraque firma[1] huiusmodi paternâ charitate consulere, simulque praedictum Philippum regem, ob eximia eius in hanc sanctam Sedem merita, specialis favore gratiae prosequi volentes, supplicationibus eiusdem Philippi regis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut indulgentiae, gratiae, concessiones, privilegia et indulta huiusmodi, novissime praedictâ die XI februarii MDCXXXIX ad sexennium prorogata, in praedictis dominiis, regnis, locis, terrâque firmâ Indiarum maris Ocaeani dicti Philippi regis imperio ut praefertur subiectis, usque ad tempus ad quod durabit ultima prorogatio praedicta, singulis annis publicari valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus; sicque per commissarium generalem, ac quoscumque alios ad quos spectat, praemissa omnia observari, ac in illis iudicari definirique debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Innocentius demum ad preces regis catholici eadem privilegia ad sexennium prorogata singulis annis publicari mandat.

1 Potius lege *terrâ firmâ* (R. T.).

2 Vel *sicut* pro *licet*, vel utrumque, nempe *licet, sicut* legendum (R. T.).

1 Potius lege *terraeque firmae* (R. T.).

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis[1] ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorumque fides.

§ 4. Ut autem praesentes nostrae litterae omnibus, quos illae concernunt, innotescant, volumus earumdem exempla, etiam impressa, manu notarii publici subscripta, ac dicti commissarii generalis aut alterius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae sigillo subsignata, ubique gentium et locorum ac[2] in iudicio et extra fidem facere, quam eaedem praesentes facerent, si exhiberentur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII novembris MDCXLIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 10 novembris 1644, pontif. anno I.

III.

Removet obstaculum constitutionis Urbani VIII, pro observatione festorum editae, quoad festum Conceptionis B. M. V. in regnis Hispaniarum tantum[3].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Pontificis studium pro Deiparae cultu.

In his, per quae Beatissimae Virginis Deiparae Mariae cultus et veneratio promovetur in terris, auctoritatis nostrae partes propensis studiis interponimus, et piorum regum id exposcentium vota libenter audimus.

§ 2. Cum itaque in constitutione pro observatione festorum a felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessore nostro editâ, quae incipit *Universa*[4] non ponatur inter festa de praecepto festum Conceptionis eiusdem B. M. V. Mariae, et tollantur contrariae consuetudines, charissimus autem in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, sicut nobis illius nomine expositum fuit, per dilectum filium nobilem virum Ioannem de Velasco et de la Cueva comitem de Sivela ipsius Philippi regis apud nos et Apostolicam Sedem oratorem, cupiat in dominiis eiusdem Philippi regis festum Conceptionis huiusmodi, aut de praecepto indici, aut ad antiquam eorum consuetudinem et possessionem, vel quasi, illud celebrandi restitui: nos, pium dicti Philippi regis erga eamdem B. V. devotionis affectum summopere in Domino commendantes, ac eius desiderio huiusmodi favorabiliter annuere volentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, quoad praedictum festum Conceptionis praedictae Deiparae Virginis in regnis Hispaniarum tantum, obstaculum dictae constitutionis praedicti praedecessoris, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, removemus.

Ad Philippi regis preces festum conceptionis Deiparae in regnis Hispaniarum tantum celebrari permittit.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus praedictis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem tribuit.

§ 4. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die X novembris MDCXLIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 10 novembris 1644, pontif. anno I.

IV.

Confirmatio constitutionis Pii V et eius successorum de non alienandis et in-

1 Male edit. Main. legit *praemissa* (R. T.).
2 Legerem *eam* pro *ac* (R. T.).
3 Ex Regest. in Secret. Brev.
4 Quam vide supra pag. 206 huius tomi (R. T.).

feudandis civitatibus, terris et locis sanctae Romanae Ecclesiae.

Innocentius Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In supremo apostolicae dignitatis culmine non nostris meritis sed inscrutabili superni Patris providentiâ constituti, nostri muneris esse cernimus, ut inter innumerabiles pastoralis officii curas, quibus gravi mole premimur, peculiari studio ad conservandam sanctae huius Sedis temporalem ditionem intendamus, et, quae propterea sedulâ meditatione a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris salubriter ordinata fuerunt, ea nos ipsi inviolate servare nitamur, et ita ab aliis perpetuo statuamus observari. Dudum siquidem felicis recordationis Pius Papa V praedecessor noster per suam perpetuo valituram constitutionem statuit, decrevit et ordinavit, ut omnes et singulae civitates, terrae, oppida et loca Sedi Apostolicae in temporalibus mediate vel immediate subiecta, etiam eatenus in feudum aut quemvis alienationis titulum dari[1] solita vel consueta etiam ad Sedem praefatam quomodolibet devoluta et pro tempore devolvenda in iure, dominio et proprietate ac possessione dictae Sedis conservarentur, civitatesque, terrae, oppida et loca huiusmodi nullo unquam tempore sub quovis praetextu in feudum, gubernium, vicariatum aut quemvis alium titulum perpetuum, vel ad tertiam generationem, seu ad vitam, aut aliàs ad longum tempus nullo modo concederentur; et deinde piae memoriae Gregorius XIII, Sixtus V, Gregorius XIV, Innocentius IX, Clemens VIII ac Urbanus VIII Romani Pontifices praedecessores nostri, pro pastorali eorum officio provide considerantes praefatam Pii

Constitutionem Pii V et successorum eius laudat.

1 Verbum *dari* certe necessarium addimus ex loco parallelo constitutionis Pii V (R. T.).

praedecessoris constitutionem optimam, et ad conservandam S. R. E. iurisdictionem ac dignitatem, Sedisque Apostolicae dominiâ, civitates, oppida et loca, pie et sancte emanatam fuisse, illam successive omnes felici emulatione, de fratrum suorum eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium pro tempore existentium consilio, apostolicâ auctoritate laudarunt, approbarunt, confirmarunt et innovarunt, prout in singulis eorumdem praedecessorum litteris apostolicis desuper confectis plenius continetur. Nos omnium civitatum et locorum praefatorum singularem fidem et promptam devotionem eidem Sedi exhibitam omni tempore valde utilem et salutarem fuisse et esse considerantes, ac volentes non solum alienationes huiusmodi de medio tollere, sed, ut omnis alienationum fiendarum occasio penitus aboleatur, quantum cum Domino possumus, peramplius providere, constitutionibus singulorum praedecessorum nostrorum huiusmodi desuper pie et sancte emanatis, ubi primum ad apostolicae dignitatis gradum divinâ favente clementiâ evecti fuimus, in primis cordi fuit inhaerere, illasque innovare.

§ 1. Itaque, motu proprio, et certâ scientiâ nostrâ, non ad alicuius super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex merâ animi nostri deliberatione, et de apostolicae potestatis plenitudine, praefatas Pii praedecessoris litteras, ac omnia et singula in eis contenta, etiam iuxta declarationem in litteris Innocentii praedecessoris huiusmodi factam, earumdem litterarum continentiam et tenorem, quem praesentibus haberi volumus pro expresso ac de verbo ad verbum inserto, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, comprobamus, confirmamus et innovamus, easque firmiter et inviolabiliter, ac iuxta declarationem praedictam, nos similiter servaturos esse promittimus et iuramus, atque per

Eamdem confirmat.

eos, ad quos spectat, pariter perpetuo observari praecipimus et mandamus.

§ 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae comprobationis, confirmationis, innovationis, promissionis, iuramenti, praecepti et mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Sanctio poenalis.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXLIV, XVII kalendas decembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 16 decembris 1644, pontif. anno I.

V.

Confirmatio constitutionum Sixti V et Clementis VIII circa conservationem pecuniarum in arce S. Angeli repositarum, nullo unquam tempore, nisi ibi praescriptis casibus, certâque desuper servatâ formâ, depromendarum[1].

Innocentius Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inter varias et multiplices sollicitudines, quas, pro communi utilitate et conservatione universae et christianae reipublicae, nostrae curae divinâ providentiâ[2] commissae, dies noctesque suscipimus, id potissimum nobis cordi est, ut his, quae propterea salubri praedecessorum nostrorum vigilantiâ statuta et ordinata comperimus[1], firma perpetuo et illibata persistant, libenter apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Tres Sixti V Constitutiones hac de re citantur in rubricâ.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Sixtus Papa V, praedecessor noster, gravissimis de causis primo sui pontificatus anno decies centena nummorum aureorum millia, secundo vero anno alia itidem decies centena millia, ac demum tertio anno tertia similiter decies centena millia aureorum huiusmodi in certum sancitumque aerarium, quod in pontificiâ S. Angeli arce constitutum est, summâ diligentiâ industriâque retulit, ac de illis perpetuo asservandis, nullo unquam tempore nisi in certos tunc expressos necessarios usus exinde depromendis et erogandis, trinas constitutiones edidit.

Item Clementis III comprobatio.

§ 2. Et deinde Clemens Papa VIII aliique nostri praedecessores singulas constitutiones praefatas, uti maxime utiles et necessarias, ac omnia et singula in eis contenta, apostolicâ auctoritate approbarunt et innovarunt, prout in singulis litteris apostolicis tam Sixti quam Clementis ac aliorum praedecessorum nostrorum huiusmodi desuper expeditis, quarum tenores etiam pro[2] expressis et praesentibus litteris de verbo ad verbum nihil penitus omisso insertis haberi volumus, plenius continetur.

Quas quidem confirmat Pontifex.

§ 3. Nos, praedecessorum nostrorum praedictorum vestigiis inhaerentes, easdem Sixti constitutiones, ac Clementis et aliorum praedecessorum huiusmodi litteras, cum maxime expediat illas in futurum servari, necnon omnia et singula in eis contenta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus, confirmamus et innovamus, eaque firmiter et in-

1 Comprobationem Constitutionum a Sixto V editarum circa conservationem pecuniarii praesidii triginta centenorum millium nummorum aureorum ab eo in arce S. Angeli repositorum fecit Clemens VIII sua Constitut. III *Quae salubri*, tom. IX, pag. 523. Hae autem Constitutiones Sixti sunt tres, quae habentur in suo loco ibi citato.

2 Pessime edit. Main. legit *nostrae, cura divina providenti* (R. T.).

1 Syntaxis omnino perturbata; opus foret heic addere particulam *ut*, et dein legere *adiiciamus* pro *adiicimus* (R. T.).

2 Vocem *pro* addendam esse censuimus (R. T.).

violabiliter iuxta illarum dispositionem observare etiam nunc de novo per praesentes promittimus, vovemus, iuramus, ac per eos ad quos spectat et spectabit in futurum observari debere statuimus et ordinamus.

Sanctio poenalis.

§ 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, innovationis, promissionis, statuti, ordinationis, voti et iuramenti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXLIV, XVII kalendas decembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 16 decembris 1644, pontif. anno I.

VI.

Iubilaeum sanctissimi domini nostri Innocentii divinâ providentiâ Papae ad implorandum divinum auxilium pro felici regimine et statu sanctae Romanae et universalis Ecclesiae[1].

Innocentius Episcopus,
servus servorum Dei,

Universis christifidelibus, ad quos praesentes litterae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Immensae omnipotentis Dei bonitati placuit in maximâ almae Matris Ecclesiae rerum perturbatione, nullis nostris exigentibus meritis, supremum hoc apostolicae servitutis munus nostrae imbecillitati imponere; unde, considerantes iniquam temporum conditionem et gravissima quae undique urgent et impendent mala, praecipuo quodam sensu angimur et commovemur; de illius tamen benignitate non desperantes, qui operari dignatur in nobis, non desinimus summis atque assiduis precibus eius auxilium implorare, fideliumque et Deum timentium, quorum ipse, ut speramus, voluntatem faciet, orationes expetimus, quibus omnipotenti Deo semper benedicendo gratiisque misericordiae eius agendis adiuvemur, viribusque a caelesti Rege subministratis suffulta nostra infirmitas commissarum nobis curarum et salutarium reipublicae christianae officiorum partes, orantis simul populi instantiâ promerente, valeat sustinere, opemque agitatae et ubique fere depressae catholicae religioni suppeditare, ne, cum in altitudinem maris venerimus, tempestate demergamur, sed potius horribiles tot peccatorum flatus et excitatas mari procellas discutientes cum credito nobis grege optatum cursum et aeternae salutis portum teneamus.

Solemnes processiones de more indicit in Urbe.

§ 1. Quapropter in hac almâ Urbe nostrâ a cappellâ nostrâ publicâ palatii apostolici ad basilicam Principis Apostolorum in Vaticano, necnon a basilicâ S. Mariae Maioris ad basilicam S. Ioannis Lateranensis proximâ hebdomadâ, quae erit tertia adventus, quartâ et sextâ feriâ respective solemnes processiones de more indicimus, ad quas basilicas nos unâ cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, necnon patriarchis, archiepiscopis, atque episcopis, quos in Romanâ curiâ adesse contigerit, ac christianorum regum et principum oratoribus apud nos existentibus, aliisque praelatis atque officialibus Romanae curiae, universoque clero et populo comitante, accedere, dictasque processiones celebrare statuimus. Ut autem divinam opem efficacius implo-

1 Alias iubilaei indictiones pro eâdem causâ reperies initio pontificatuum Sixti V, constit. V *Virium nostrarum*, tom. VIII, pag. 576; Gregorii XV, constitut. III *Spiritus*, tom. XII, pag. 500; et Urbani VIII, constitut. X *Æternus*, tom. XIII, pag. 73.

remus, et simul effusis multorum precibus fructuosius exaudiamur, omnes et singulos utriusque sexus christifideles ubique existentes enixe in Domino hortamur et paternâ charitate monemus, ut qui in hac almâ Urbe sunt, dictâ hebdomadâ, aut saltem alterâ sequenti, qui vero extra Urbem in quibusvis orbis terrarum locis existunt, proximâ, aut alterâ sequenti hebdomadâ post praesentium notitiam, pias ad Deum preces effundant, ut Ecclesiam suam sanctam tueatur et protegat, haereses undique evellere et extirpare, fidem sanctam catholicam adaugere et propagare, pacem et veram concordiam largiri dignetur, nobis vero vires tribuat, quibus susceptum onus ad eius nominis gloriam, fideliumque et animae nostrae salutem administrare valeamus; et quidem, qui in eâdem Urbe hîc praesentes sunt, praefatas S. Ioannis Lateranensis, Principis Apostolorum, S. Mariae Maioris basilicas, vel unam ex eis quam maluerint; qui vero alibi extra Urbem erunt, ecclesiam seu ecclesias per locorum Ordinarios seu eorum vicarios, aut de eorum mandato, aut, iis deficientibus, per eos, qui inibi curam exercent animarum, deputandam seu deputandas, quocumque sibi beneviso eiusdem hebdomadae die, vel diebus, saltem semel devote visitent; omnes praeterea quartâ et sextâ feriâ ac sabbato eiusdem vel alterius sequentis hebdomadae ieiunent, et, quantum pro suo quisque arbitrio iudicaverit, eleemosynas erogent; atque intra hoc ipsum tempus sacerdotibus ab Ordinario approbatis peccata sua confiteantur, et die dominico dictum sabbati diem proxime subsequente, vel alio dictae sequentis hebdomadae die, arbitrio confessarii, sanctissimum Eucharistiae sacramentum devote percipiant; qui autem in navigatione vel itinere fuerint, eo peracto, haec ipsa faciant et exequantur; qui vero regulares utriusque sexus in claustris perpetue degunt, vel in carcere aut captivitate detinentur, vel propter corporis infirmitatem aut aliud quodcumque impedimentum superius expressa seu eorum aliqua facere seu adimplere nequiverint, sacerdotis confessarii approbati ab Ordinario, quem elegerint, arbitrio, praefata omnia et singula vel eorum aliqua in alia pietatis opera commutare vel in aliud, proximum tamen, tempus differre valeant.

Item preces ad Deum pro felici regimine sanctae Ecclesiae.

§ 2. Quae omnia ut eo libentius praestare studeant, quo uberius spiritualibus muneribus et gratiis a nobis se refectos esse cognoverint, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate, quam Deus nobis, licet indignis, contulit, omnibus et singulis praefatis, qui praefata adimpleverint, plenissimam peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, sicuti in anno iubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem concedi consuevit, tenore praesentium concedimus et elargimur, necnon eisdem fidelibus etiam cuiuscumque ordinis, congregationis et instituti regularibus utriusque sexus facultatem impartimur eligendi sibi presbyterum confessarium, tam secularem quam cuiusvis Ordinis vel instituti regularem ex approbatis ab Ordinariis locorum, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quovis modo vel causâ latis seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis, quantumvis gravibus et enormibus, etiam in casibus, tam locorum Ordinariis, quam nobis et Sedi Apostolicae, etiam in litteris die Coenae Domini legi consuetis, atque aliàs etiam per quascumque etiam Romanorum Pontificum praedecessorum no-

Concessio indulgentiae plenariae perficientibus opera iniuncta.

Facultas eligendi confessarium.

Pro absolutione a censuris.

strorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis,

Et peccatis reservatis.

quomodolibet reservatis, in foro tantum conscientiae hac vice dumtaxat absolvere; et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis tantummodo exceptis) in alia

Et pro commutatione votorum.

pia et salutaria opera commutare, iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis casibus poenitentiâ salutari ac aliis iniungendis, possint et valeant; mandantes insuper venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis quibuscumque ecclesiarum praelatis et locorum Ordinariis, in virtute sanctae obedientiae, ut, cum harum litterarum transumpta aut exempla acceperint, illa statim per suas provincias, ecclesias et dioeceses publicent et publicari faciant, cleroque et populo sibi subiecto solemnes processiones, sicut nos in praefatâ Urbe

Casus excepti.

indiximus, indicant et celebrent. Per praesentes autem super aliquâ irregularitate, publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate, aut inhabilitate, quomodolibet contractâ, non intendimus nec etiam in foro conscientiae dispensare, neque ullam facultatem tribuere dispensandi; ac declaramus has ipsas praesentes quoad absolutionem in foro conscientiae, et poenitentiae, et poenitentiali tantum, non autem in foro fori seu contentioso consequendam, neque etiam quoad dictum forum conscientiae iis, qui ab aliquo iudice excommunicati, suspensi vel interdicti, seu aliàs in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denuntiati fuerint, nisi infra tempus celebrationis huiusmodi iubilaei satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, neque pariter haereticis aut schismaticis specialiter declaratis, seu condemnatis, ullo modo suffragari.

Clausulae derogatoriae.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus absolvendi facultas in certis casibus tunc expressis ita specialiter Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles iubilaei, indulgentiarum, aut facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari valeat; necnon quorumcumque ordinum, congregationum et institutorum regularium, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem ordinibus, congregationibus et institutis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut expressio habenda vel quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac formam in illis traditam penitus pro servatâ habentes, hac vice specialiter et expresse ad effectum praesentium derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum auctoritas.

§ 4. Volumus autem, quod praesentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique gentium et locorum adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXLIV, V nonas[1] decembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 2 decembris 1644, pontif. anno I.

VII.

Constitutio super titulo et insignibus sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium[2].

1 Forsan legendum IV nonas, nam *quinto nonas* in mense decembris non dicitur (R. T.).

2 Titulorum suorum ecclesias, cardinales si in

Innocentius Episcopus.
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Militantis Ecclesiae regimini, meritis licet imparibus, per abundantiam divinae gratiae praepositi, inter gravissimas multiplicesque apostolicae servitutis curas, quibus assidue premimur, in eam peculiari studio incumbimus, ut inter S. R. E. cardinales, quos tamquam reipublicae christianae cardines, et clarissima catholicae Ecclesiae lumina, omnium virtutum splendore ceteris praelucere decet, fraterna servetur aequalitas, unde sincerae charitatis affectu sese invicem prosequantur, et, dimissâ omnium secularium rerum curâ, nonnisi pro communi eiusdem Ecclesiae bono ac omnipotentis Dei gloriâ vigeat inter eos laudabilis aemulatio.

Refertur decretum sacrae congregationis caeremoniarum circa materiam de qua in rubricâ.

§ 1. Hodie siquidem in consistorio nostro secreto dilectus filius noster Aloysius tituli S. Laurentii in Lucinâ presbyter cardinalis Capponius nuncupatus decretum per venerabiles fratres nostros eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales congregationi caeremoniarum praepositos emanatum nobis retulit, tenoris subsequentis, videlicet: «Sacra congregatio caeremoniarum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, in qua interfuerunt reverendissimi domini Aloysius tituli S. Laurentii in Lucinâ presbyter cardinalis Barberinus[1], Bernardinus tituli S. Petri ad vincula presbyter cardinalis Spada, Federicus tituli S. Marci presbyter cardinalis Cornelius, Ioannes Dominicus tituli S. Caeciliae presbyter cardinalis Spinula, Franciscus Maria basilicae duodecim Apostolorum presbyter cardinalis Brancatius, Franciscus tituli S. Hieronymi Illyricorum presbyter cardinalis Montaltus, Carolus S. Nicolai in carcere diaconus cardinalis Medices, Hieronymus S. Eustachii diaconus cardinalis Columna, Raynaldus S. Mariae Novae diaconus cardinalis Estensis, censuit enixe SS. Domino nostro supplicandum, ut, tamquam pro re maxime congruâ, districte praecipiat sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, etiam quacumque natalium, seu praecellentium aliarum dignitatum praerogativâ insignitis, quod, solo nomine cardinalis absque ullo secularis dignitatis additamento contenti, non aliis titulis nuncupentur nec uti inter eos possint, quam eminentissimi et reverendissimi, necnon eminentiae reverendissimae, non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus; insuper, ut SS. Dominus noster dignetur mandare, ut omnes S. R. E. cardinales, supra recensiti, ad unitatem et aequalitatem ordinis construendam, iubeant e propriis sigillis et insignibus quibuscumque, vulgo armis nuncupatis, amoveri coronas, signa, ac omnes notas seculares praeter eas, quibus intra scutum armorum eorum familiae tamquam de essentiâ et integritate eorumdem armorum utuntur, et ut imposterum ab illorum usu abstineant, solo pileo, de pretioso Christi sanguine rubente, insigniti ac decorati; ac ulterius SS. Dominus noster inhibeat, sub excommunicationis latae sententiae ac aliis arbitrii sui poenis, sculptoribus, pictoribus, ac aliis quibuscumque, ne praedictas notas seculares in sigillis et armis, aliisque insigniis sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sculpere ac pingere, ac sculpi vel pingi mandare audeant». Quod quidem decretum praedictus Aloysius cardinalis retulit supra-

curiâ praesentes fuerint personaliter, si vero absentes per vicarium idoneum visere iussit Leo X Const. VII, *Supernae*, tom. V, pag. 604; necnon titulorum suorum ecclesias reparare et aliquid eis in morte relinquere cardinales tenentur, iuxta Sixti V Constit. LXXXI, *Religiosa*, tom. VIII, pag. 833.

1 In hoc titulo error irrepsisse videtur, forsan legendum *Capponius, Franciscus tituli S. Laurentii in Damaso presbyter cardinalis Barberinus*, ut in subscriptionibus (R. T.).

dictam congregationem censuisse etiam nomine totius sacri collegii in praesenti consistorio nostro referri, ut non solum illud comprobare, verum etiam pro ipsius usu et observantiâ inviolabili litteras apostolicas sub plumbo expediri iubere dignaremur; quas postea, cardinales iam promoti, qui in Urbe sunt, infra decem dies, qui extra illam et in Italiâ degunt, infra quatuor menses proximos, iurare teneantur, qui vero imposterum promovebuntur, si praesentes fuerint[1], in ipsâ pilei rubei receptione, si absentes in ipsâ bireti impositione, ad Bullae istius usum, prout de aliis iam emanatis fieri solet, iuramento se adstringat. Qua relatione nobis factâ, omnes venerabiles fratres nostri S. R. E. cardinales in praedicto consistorio praesentes, praeviis singulorum suffragiis, unanimes, uno ore, et nemine prorsus discrepante, nobis humiliter supplicarunt, ut decretum praedictum et omnia quaecumque superius relata, apostolicâ auctoritate confirmare vellemus, litterasque sub plumbo desuper expediri mandaremus.

Praedictum decretum confirmat Pontifex, approbatque.

§ 2. Nos igitur, eorumdem venerabilium fratrum nostrorum, quorum ope, prudentiâ et consilio in rebus gerendis gravibusque iniuncti nobis desuper pastoralis officii oneribus indesinenter sublevamur, petitionem huiusmodi aequam et rationi consentaneam ac sacro eorumdem cardinalium collegio decoram censentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, de unanimi eorumdem fratrum consilio pariter et assensu, decretum praeinsertum, cum omnibus et singulis supra relatis, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, ac illis inviolabilis apostolicae firmitatis vim et robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici vel censeri possint, plenissime supplemus, ac illa a praedictis cardinalibus, nunc et pro tempore existentibus, aliisque praedictis et ceteris, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, sub poenis in eodem decreto contentis, inviolabiliter observari praecipimus et mandamus. Praeterea decernimus de cetero in quibuscumque litteris apostolicis, concessionibus, indultis et gratiis, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, etiam cum clausulâ *quorum tenores,* ac cum quibuscumque aliis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ac etiam per viam legis, aut indulti generalis, etiam consistorialiter et aliàs quomodolibet, sub quibuscumque tenoribus et formis, per nos et Romanos Pontifices successores nostros concedendis, vel a nobis aut illis emanandis, nunquam censeri praesenti constitutioni derogatum, nec illi in aliquo praeiudicatum, nisi fuerit expresse et dispositive illi, toto eius tenore relato, derogatum.

Clausula praeservativa.

§ 3. Decernentes praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel nullitatis vitio seu intentionis nostrae aut alio quopiam quantumvis substantiali defectu notari, impugnari, seu redargui, vel adversus illas aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodvis iuris, facti seu gratiae remedium impetrari, seu etiam motu simili concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti posse, sed easdem praesentes semper validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere,

Clausula *sublatâ.*

§ 4. Sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac san-

1 Male ed. Main. legit *fuerunt* (R. T.).

ctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et quosvis alios quavis auctoritate fungentes, nunc et pro tempore existentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritumque et inane quidquid contra praemissa eorumque singula a quoquam, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Et derogatoria.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis generalibus editis, cancellariae apostolicae regulis, et praesertim, quatenus opus fuerit, illâ de non tollendo iure quaesito, privilegiis quoque, indultis etiam apostolicis, cuicumque concessis, et innovatis ac exequutioni demandatis, statutisque etiam iuratis, tam in eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium collegii, quam cuiuscumque regni, provinciae et nationis [1], ac etiam consuetudinibus, usibus et stylis quantumlibet inveteratis et longaevis, etiam immemorabilibus, ceterisque in contrarium quomodolibet facientibus; quibus omnibus et singulis, illorum tenores etiam maiores et veriores hîc pro expressis et de verbo ad verbum insertis habentes, harum serie expresse et plenissime derogamus.

Sanctio poenalis.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, approbationis, adiectionis, applicationis, praecepti, mandati, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXLIV, XIV kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 19 decembris 1644, pontif. anno I.

1 Deest *favorem* aut simile (R. T.).

✠ EGO INNOCENTIUS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

† Ego Marcellus episcopus Ostiensis, cardinalis Lantes.

†

† Ego Franciscus cardinalis S. Marcelli, episcopus Sabinensis.

†

† Ego Iulius episcopus Tusculanus, cardinalis Romanus.

† Ego episcopus Praenestinus, cardinalis della Cueva.

† Ego Carolus cardinalis Medices.

† Ego A. cardinalis Capponius.

†

†

†

† Ego F. cardinalis Barberinus tituli S. Laurentii in Damaso.

† Ego Franciscus Antonius cardinalis S. Honufrii tituli S. Mariae Transtyberim.

†

† Ego B. tituli S. Petri ad Vincula presbyter cardinalis Spada.

† Ego Federicus tituli S. Marci cardinalis Cornelius.

† Ego Iulius tituli S. Susannae cardinalis Saechetus.

† Ego Ioan. Dominicus cardinalis tituli S. Caeciliae.

† Ego M. cardinalis Ginettus tituli S. M. Angelorum.

† Ego Æg. cardinalis Albornotius tituli S. Petri Montis Aurei.

†

† Ego Cyriacus tituli S. Salvatoris in Lauro cardinalis Roccius.

† Ego Ioan. B. Pallottus tituli S. Sylvestri de Capite.

†

†

† Ego Alexander cardinalis Bichius tituli S. Sabinae.

† Ego Ildericus tituli S. Anastasiae cardinalis Carneus.

† Ego M. Antonius cardinalis Franciottus tituli S. Mariae de Pace.

†

† Ego Franciscus Maria cardinalis Macchiavellus tituli Ss. Ioannis et Pauli.

†

†

† Ego P. D. tituli S. Marcelli presbyter cardinalis Caesius.

†

† Ego Fr. Vincentius cardinalis S. Clementis.

† Ego Franciscus Perrettus tituli S. Hieronymi Illyricorum card. Montaltus.

† Ego Io. Iacobus tituli S. Stephani in Monte Caelio cardinalis Panzirolus.

†

†

† Ego Gasper cardinalis tituli S. Pancratii Matthaeius.

†

† Ego Hieronymus tituli S. Eusebii cardinalis Grimaldus.

†

†

† Ego M. tituli S. Alexii cardinalis Theologus.

† Ego Fr. tituli S. Mariae in Via cardinalis Rapacciolus.

†

† Ego A. tituli Ss. Quirici et Iulitae cardinalis Giorius.

† Ego Ioannes tituli S. Balbinae cardinalis de Luco.

† Ego S. Mariae in Vialata diaconus cardinalis Antonius Barberinus.

† Ego Hieronymus S. Eustachii diaconus cardinalis Columna.

† Ego Theodorus S. Angeli diaconus cardinalis Trivultius.

†

† Ego Virgineus S. M. in Cosmedin diaconus cardinalis Ursinus.

† Ego Raynaldus diaconus S. Nicolai in Carcere cardinalis Estensis.

† Ego Vincentius diaconus S. Mariae in Porticu cardinalis Costacutus.

†

† Ego Paulus Æmilius diaconus S. Mariae in Aquiro cardinalis Rondininus.

† Ego Ioan. Carolus cardinalis Medices.

† Ego Camillus diaconus S. Mariae in Dominica cardinalis Pamphilius.

†

†

†

†

†

†

†

†

VIII.

Absolutio et condonatio occasione exactionis millionum pro rege catholico[1].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo, Hispaniarum regi catholico,

Innocentius Papa X.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Refert ea, quae ab Urbano VIII super solutione quatuor vectigalium in regnis Castellae et Legionis faciendâ, constituta sunt,

Aliàs, maiestatis tuae nomine felicis recordationis Urbano Papae VIII praedecessori nostro exposito quod laici subditi tuorum regnorum Castellae et Legionis in eorum comitiis sive curiis de anno MDCXXXII habitis (animadvertentes subsidium decem et octo millionum ducatorum monetae illarum partium, spatio novem annorum ex gabellis seu sisis tunc impositis super vino, oleo, aceto et carne solvendum, aliàs a praedictis subditis pro fidei catholicae defensione et obedientiae erga Romanam Ecclesiam conservatione eidem maiestati tuae oblatum et a praedicto praedecessore per suas in simili

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

formâ Brevis sub die XXIX maii MDCXXIX expeditas litteras ad novem annos sub certis modo et formâ tunc expressis approbatum et confirmatum, ob nonnullas causas effectum ex tunc de cetero sortiri non posse, immo penitus cessasse,

§ 2. Te vero ad reprimendos eiusdem fidei orthodoxae hostium conatus assidue gravissimis sumptibus urgeri, tuaque aeraria pene exhausta esse, ita ut, nisi de alio extraordinario, celerique et prompto subsidio provideretur, tu eosdem sumptus in tam laudabilem et Deo gratam reipublicaeque christianae utilem causam convertendos diutius ferre difficile posses), loco praedictorum millionum aliud servitium sive subsidium ad summam decem et novem millionum cum dimidio alterius millionis ducatorum huiusmodi in totum ascendens, spatioque sex annorum a die primâ mensis augusti anni MDCXXXII inchoatorum, trium scilicet millionum et unius quarti alterius millionis huiusmodi pro quolibet anno, solvendum et exigendum ex gabellis seu sisis impositis et auctis super eisdem quatuor speciebus, vini, scilicet, olei, aceti et carnis colligendis et consumendis in dictis regnis Castellae et Legionis, solvendis non solum per ementes et vendentes, sed etiam per eos qui praedictas rerum species perciperent ex propriis terrenis vel affictibus, aut respective emerent in uvis vel olivis, seu colligerent pro decimis, aut etiam dono acciperent, seu aliàs ex quovis alio redditu ac introitu haberent et consumerent, praestare prompte obtulerant, itaut omnes laici cuiuscumque gradus, status, ordinis et praeeminentiae ad id subsidium contribuere, ac gabellas seu sisas huiusmodi solvere deberent, neque ullus laicus immunis esset, aut exemptus,

Tam pro laicis,

§ 3. Ecclesiastici quoque eorumdem regnorum, si et postquam eiusdem praedecessoris et huius Sanctae Sedis licentia seu approbatio accessisset, in subsidio huiusmodi, scilicet in praedictis gabellis super eisdem quatuor speciebus impositis et tunc auctis, contribuere, gabellasque seu sisas praedictas iuxta litterarum apostolicarum seu approbationis expediendarum formam, continentiam et tenorem persolvere deberent; et in eâdem expositione subiuncto, quod si tantummodo laici ad subsidium huiusmodi contribuerent, et gabellas seu sisas praedictas solverent, summa praedicta decem et novem millionum cum dimidio alterius millionis huiusmodi minime conficeretur infra tempus opportunum quo maiestas tua bellorum contra fidem catholicam ingruentium necessitatibus subvenire posset, et ad summam praedictam eâ qua expediebat celeritate conficiendam facultates laicorum non suppeterent; ideoque pro parte eiusdem maiestatis tuae praedecessori humiliter supplicato pro praemissorum confirmatione et approbatione ac licentiâ: idem praedecessor, per suas in simili formâ Brevis die V martii MDCXXXIII expeditas litteras, omnes et singulas ecclesiasticas personas, tam seculares quam cuiusvis Ordinis etiam exempti et Apostolicae Sedi immediate subiecti regulares, necnon monasteria utriusque sexus, conventus et collegia, ac capitula ecclesiarum regnorum Castellae et Legionis praedictorum, ac in eisdem regnis commorantes et consistentes, ad conferendum et contribuendum prout laici in dicto subsidio decem et novem millionum cum dimidio alterius millionis huiusmodi, mediante videlicet solutione praedictarum gabellarum seu sisarum super vino, aceto, oleo et carne in dictis regnis colligendis et consumendis antea impositarum, et durante sexennio tunc proximo a dictâ primâ die augusti MDCXXXII, ut praefertur, inchoato dumtaxat, et non ul-

Quam pro ecclesiasticis.

Nonnullis tamen additis conditionibus quae huc recensentur.

tra, teneri et obligatos esse (non tamen quoad praedictas quatuor rerum species, quas praefatae personae ecclesiasticae, capitula, locaque pia huiusmodi ex propriis terrenis, seu decimis, aut aliis quibuscumque redditibus propriis, per se, vel alios, etiam affictuarios suos, vel etiam ex eleemosynis perciperent, et pro divino cultu, seu propriis vel familiarum suarum usibus consumerent, pro quibus omnino immunes et exemptos esse debebant); et[1] elapso praefato sexennio exactio respectu eorumdem ecclesiasticorum, ecclesiarum et locorum piorum cessaret, et nullatenus quovis praetextu vel causâ continuari posset, etiamsi integra summa praedictorum decem et novem millionum cum dimidio alterius millionis huiusmodi adhuc non fuisset exacta;

Et non spirato adhuc sexennio exacta prædictâ summâ, cesset gratia praedicta.

§ 4. Quodque, si ante sexennii huiusmodi finem summa decem et novem millionum cum dimidio alterius millionis huiusmodi confecta fuisset, ecclesiastici, ecclesiae et loca pia praedicta amplius contribuere, et dictas gabellas seu sisas, ut praefertur, solvere non deberent, sed dicta gratia expiraret, nullaque esset eo ipso, decrevit.

Recusantes vero a quibus iudicibus sint cogendi.

§ 5. Volens etiam, quod omnes et singuli ecclesiastici praedicti solvere recusantes, opportunis iuris et facti remediis per Ordinarios ecclesiasticos locorum[2] tantum ad solutionem huiusmodi cogerentur, non autem coram[3] iudicibus laicis sive exactoribus earumdem gabellarum seu sisarum neque quibusvis aliis iudicibus aut ministris, sub poenâ excommunicationis maioris ac aliis poenis a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis inflictis et comminatis ipso facto incurrendis (a quibus a nemine praeterquam a Romano Pontifice pro tempore existente absolvi, etiam vigore quorumcumque privilegiorum apostolicorum, etiam cruciatae sanctae, nequirent), conveniri nullo modo possent, seu deberent, sed a praedictis Ordinariis ecclesiasticis tantum ad solutionem huiusmodi compelli valerent. Quibus Ordinariis sub interdicti ingressus ecclesiae ac suspensionis, nec non omnibus et singulis tuis officialibus et ministris, cuiuscumque status, gradus, conditionis, dignitatis et praeeminentiae forent, ac aliis quibuscumque speciali notâ dignis, etiam Apostolicae Sedis delegatis et commissariis etiam cruciatae praedictae, ceterisque omnibus aliis, ad quos quomodolibet spectabat et pro tempore spectaret, sub praedictâ excommunicationis maioris poenâ eo ipso incurrendâ, districte praecipiendo mandavit, ut[1], divini iudicis memores, nec clerum, nec ecclesiasticos indebite, neque ultra, praeter, aut contra continentiam et tenorem praedictarum litterarum apostolicarum gravarent quomodolibet, nec a quoquam gravari permitterent, et nedum contra quoscumque contravenientes et quomodolibet inobservantes ad sententiarum, censurarum et poenarum praedictarum declarationem et promulgationem respective, sed etiam contra eosdem ecclesiasticos et regulares etiam exemptos et Apostolicae Sedis immediate subiectos solvere recusantes ad quamcumque simplicem eorumdem exactorum requisitionem etiam executive, ac quacumque appellatione remotâ, auctoritate apostolicâ procederent. Ac insuper voluit idem praedecessor, quod istud subsidium decem et novem millionum cum dimidio alterius millionis succederet loco quorumcumque aliorum subsidiorum super millionibus per eum eo usque approbatorum et concessorum, ita quod illorum vigore nihil amplius a quoquam exigi posset; quodque pecuniae ex praedictis subsidiis et gabellis seu sisis, ut praefertur, a dictis ecclesiasticis exi-

1 Addendum *quod* (R. T.).

2 Pessime ed. Main. legit *laicorum* (R. T.).

3 Perperam eadem edit. habet *curam* (R. T.).

1 Particulam *ut* nos addimus (R. T.).

gendae, in praedictos et non alios usus converterentur, super quo maiestatis tuae conscientiam oneravit; et aliàs, prout in dictis litteris eiusdem praedecessoris, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, uberius continetur.

Cum autem, finito tempore dictorum vectigalium aliarumque impositionum, exactio adhuc facta sit a clero, ecclesiis, etc., sine facultate apostolicâ, absolutionem et condonationem rex postulat.

§ 2. Cum autem, sicut nuper pro parte eiusdem maiestatis tuae nobis expositum fuit, ut expensas pro bello, quod in diversis mundi partibus pro conservatione et propagatione fidei catholicae ac etiam pro defensione tuorum regnorum et statuum sustinuisti et iugiter sustines, faciendas sufferre posses, cum ad hoc solae laicorum facultates non suppeterent, tu, ad id facultate apostolicâ minime suffultus, sub spe tamen illam obtinendi pro qua te pluries apud eumdem praedecessorem instetisse asseris, a clero et ecclesiis, locisque piis, ac personis ecclesiasticis praedictorum regnorum Castellae et Legionis contributiones exegeris ad instar laicorum in gabellis et sisis, aliisque oneribus, impositionibus et gravaminibus, spatio nedum praedictorum priorum sex annorum decursorum, scilicet a mense augusti anni MDCXXXII usque ad mensem[1] augusti anni MDCXXXVIII, sed etiam tam antea quam ab inde citra spatio alterius sexennii hactenus iam decursi, etiam[2] in supplendis et augendis in praedictis primo et secundo sexennio eisdem gabellis seu sisis super praedictis quatuor rerum speciebus, videlicet vino, oleo, aceto et carnibus, ac in imponendis novis gabellis seu sisis in aliarum rerum speciebus, quam etiam in manutentione octo millium militum, ac refectione murorum terrae Fontis Rabiae, necnon in solutionem sexcentorum millium[3] ducatorum quolibet anno, et aliorum duorum millionum a consilio regis aut aliàs impositorum, nec non aliis impositionibus, consensu laicorum illorum regnorum ac aliàs quomodolibet impositis pro gravissimis summis ad multos alios milliones ascendentibus; immo etiam super hoc redditu ad sexennium dumtaxat duraturo, etiam sine facultate apostolicâ, pluribus vicibus portiones, seu loca perpetua *iuros* inibi nuncupata, pro annuo redditu sexcentorum millium ducatorum monetae eorumdem regnorum constituentium in sorte principali alios duodecim milliones ducatorum similium, circiter imposueris; et idcirco pro parte eiusdem maiestatis tuae fuerit aliàs eidem Urbano praedecessori supplicatum, ut sibi hactenus tam antea quam postmodum exacta et percepta etiam contra praedictarum litterarum apostolicarum formam et tenorem, et usque ad diem primam mensis martii quoad novem milliones ducatorum monetae praedictae in argento, ac primam mensis augusti quoad milliones decem et novem[4] praedictorum ducatorum cum dimidio alterius millionis, et totum mensem decembris praesentis anni MDCXLIV respective quoad reliquas omnes alias impositiones, et praesertim quoad alios duos milliones cum dimidio alterius millionis ducatorum praedictorum, respective exigenda et percipienda remittere et condonare, teque, ac ministros et officiales tuos a quibuscumque censuris et poenis propter praemissa eorumque singula per te et praedictos quomodolibet incursis absolvere dignaretur: idem Urbanus praedecessor pro discutiendo negocio huiusmodi congregationem aliquot S. R. E. cardinalium, e quorum numero etiam nos in minoribus constituti antequam ad summi apostolatus apicem assumeremur tunc eramus, necnon etiam aliquot Romanae curiae praelatorum. ad sibi referendum deputavit; qui cardinales et prea-

1 Male edit. Main. legit *mense* (R. T.).
2 Legerem *et tam* pro *etiam* (R. T.).
3 Male edit. Main. habet *millia* (R. T.).

1 Verba *et novem* praeter rem esse videntur (R. T.).

lati, auditis pluries tam tui, quam cleri, ecclesiarum, locorum piorum et personarum ecclesiasticarum dictorum regnorum nomine informantibus, mature discusso negocio huiusmodi, etiam Urbano praedecessori opportunam relationem fecerunt.

Concedit Pontifex.

Verum, quia idem Urbanus praedecessor absolutionem et condonationem nomine tuo ut praefertur petitam, morte praeventus, concedere nequivit: propterea nos, qui de congregationis praedictae relatione et sententiâ in praemissis plene informati sumus, maiestatem tuam, ob eximia eius ac clarae memoriae regum catholicorum praedecessorum tuorum in hanc Sanctam Sedem merita, specialis favore gratiae prosequi volentes, supplicationibus eiusdem maiestatis tuae nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, te, tuosque officiales et alios quoscumque, ac eorum quemlibet, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque sententiis, censuris et poenis, per te, ac ministros et officiales tuos huiusmodi propter omnia et singula praemissa quomodolibet incursis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, absolvimus et totaliter liberamus, omniaque contra tenorem praesentium litterarum apostolicarum et sine sufficienti facultate apostolicâ, ut praemittitur, exacta, et usque ad mensem martii et augusti et integrum mensem decembris anni praesentis respective, ut praemittitur, exigenda a clero, ecclesiis, locis piis et personis ecclesiasticis praedictorum regnorum, eidem maiestati tuae condonamus et remittimus, et ad aliquam illorum restitutionem faciendam maiestatem tuam dumtaxat, non autem quemlibet alium, minime teneri, teque, non autem tuos officiales, nec ministros, nec alios quoscumque, nisi tibi restituant, vel illis condones, pro liberatis ab onere illa cuilibet restituendi haberi volumus. Quo vero ad praedictas portiones perpetuas, *iuros* nuncupatos[1], ex annuo redditu praedictarum gabellarum seu sisarum pro praedictâ summâ annuorum reddituum ducatorum sexcentorum millium, ut praefertur, super eodem redditu sexennali de laicorum consensu impositas et perpetuo venditas, pro illis nullo unquam tempore clerum, loca pia, ecclesias, ac personas ecclesiasticas praedictas posse quoquo modo gravari et molestari, sub maioris excommunicationis eo ipso absque aliâ declaratione incurrendae poenâ, prohibemus, sed illas tantum impositas super ratâ laicorum non autem cleri, ecclesiarum, locorum piorum, ac personarum ecclesiasticarum censeri debere declaramus et decernimus, ita tamen ut propterea non eximantur ipsa loca pia, ecclesiae et ecclesiastici a praedictâ contributione millionum decem et novem cum dimidio alterius millionis, nec in aliquâ illorum parte, ac si praedicta assignatio portionum, *iuros* nuncupatarum, facta non fuisset. Volumus tamen, ut poenitentiam, quam confessarius idoneus omnino eligendus tibi ac ministris et officialibus tuis praedictis propter praemissa duxerit iniungendam, omnino adimplere teneamini, aliàs praesentes nullae sint quoad non adimplentes dictam poenitentiam. Non intendimus autem ex hac nostrâ absolutione et condonatione inductam censeri seu induci posse futuris temporibus aliquam etiam tacitam facultatem vel approbationem gabellarum et aliarum impositionum absque facultate exactarum, vel, ut praemittitur, exigendarum per quoscumque a clero, ecclesiis ac aliis locis piis et personis ecclesiasticis praedictis; nec unquam in exemplum praesens gratia trahi possit.

Clerum tamen, ecclesias, loca pia a perpetuis *iuros* nuncupatis eximit.

Poenitentiam ut agant mandat.

Neque hac absolutione gabellarum, sine debitâ facultate exactarum, tacitam veluti facultatem seu approbationem inductam esse vult.

§ 3. Non obstantibus quibuscumque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutioni-

Obstantium derogatio.

1 Aptius lege *nuncupatas* (R. T.).

bus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII decembris MDCXLIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 22 decembris 1644, pontif. anno 1.

IX.

Super contributione decem et novem millionum cum dimidio alterius millionis per clerum Castellae et Legionis regnorum facienda [1].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo, Hispaniarum regi catholico, Innocentius Papa X.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. § 1. Ad universalis Ecclesiae regimen, meritis licet imparibus, inscrutabili divinae providentiae iudicio vocati, piorum et de orthodoxâ fide sanctâque Sede Apostolicâ optime meritorum regum votis libenter annuimus, prout, rerum et temporum qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Recenset ea, quae in praecedenti constitutione statuta sunt. § 2. Cum itaque, sicut maiestatis tuae nomine nobis nuper expositum fuit, laici subditi tuorum regnorum Castellae et Legionis in eorum comitiis seu curiis infrascriptum subsidium maiestati tuae praestare prompte obtulerint, et ad praedictum effectum consenserint impositioni gabellarum seu sisarum super vino, aceto, oleo et carne, scilicet octavae partis specierum vel pretii vini, aceti et olei, ac ultra sisas super carne antea impositas et trium regalium pro quolibet capite pecudum, triumque morapetinorum pro qualibet librâ carnis, quae minutatim venditur, sexdecimque morapetinorum pro qualibet mensurâ, *arobâ* nuncupatâ, vini sisati, alteriusque morapetini pro qualibet mensurâ, *acumbre* nuncupatâ, vini etiam sisati, ac sexdecim morapetinorum pro qualibet mensurâ olei, *arobâ* nuncupatâ, ac quatuor morapetinorum pro qualibet librâ candelarum de sevo, ac saponis, vel aliàs verioribus quantitatibus impositarum et auctarum, quae sunt exigendae et percipiendae durante sexennio incepto a primâ die mensis augusti praesentis anni MDCXLIV, nempe pro summâ decem et novem millionum cum dimidio alterius millionis, ad rationem trium millionum et ducentorum quinquaginta millium ducatorum monetae Hispaniae quolibet anno praedicti sexennii, solvendorum ex praedictis gabellis et sisis supra praedictas rerum species, ut praemittitur, impositis et auctis, itaut omnes tam laici quam ecclesiastici praedictorum regnorum non solum ementes et vendentes, sed etiam illi, qui praedictas rerum species percipiunt ex propriis terrenis vel affictibus, aut respective emunt in uvis vel olivis, seu colligunt pro decimis, aut etiam dono accipiunt, seu aliàs ex quovis alio redditu et introitu habent et consumunt, itaut omnes laici cuiuscumque gradus, status, conditionis et praeeminentiae ad id subsidium contribuere, ac gabellas et sisas huiusmodi solvere deberent, neque ullus laicus immunis esset aut exemptus, ecclesiastici quoque eorumdem regnorum, si et postquam nostra et huius Sanctae Sedis licentia seu approbatio accesserit, in subsidio huiusmodi, scilicet in praedictis gabellis super eisdem speciebus impositis et auctis, contribuere, gabellasque seu sisas praedictas, iuxta litterarum nostrarum in formâ Brevis super praedictâ licentiâ seu approbatione expediendarum formam, continentiam et tenorem, persolvere deberent:

Pro approbatione oneris cleri, ecclesiarum § 3. Idcirco pro parte eiusdem maiestatis tuae fuit nobis humiliter supplica-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

per sexennium postulatur.

tum pro approbatione oneris cleri, ecclesiarum, locorumque piorum et personarum ecclesiasticarum ad contribuendum, in praedicto sexennio incepto a praedicto mense augusti proxime praeteriti et ut sequitur usque ad mensem augusti MDCL finiendo, in praedictis sisis et gabellis, iam ut praemittitur impositis et auctis, pro solutione praedictorum millionum decem et novem cum dimidio alterius millionis, attento quod, ut maiestas tua asserit, hactenus actum fuerit et de praesenti agatur de communi defensione et interesse, tam laicorum, quam cleri, ecclesiarum, locorum piorum et personarum ecclesiasticarum praedictorum regnorum, quodque facultates laicorum ad summam praedictam conficiendam, eâ qua expedit celeritate, infra tempus opportunum non sufficerent.

Concedit Pontifex.

§ 4. Nos igitur, nedum promptam et obsequentem eorumdem laicorum subditorum tuorum erga te oblationem, sed etiam maiestatis tuae erga fidem catholicam zelum commendantes, ac ad ingentes sumptus, quibus maiestas tua, ob assidua quae pro defensione fidei catholicae tuorumque regnorum et dominiorum iugiter in pluribus orbis partibus sustinet bella, premitur[1], paternae dirigentes considerationis intuitum, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine (praeviâ etiam, quatenus foret opus respectu forsan exactorum scilicet a praedictâ primâ die augusti praesentis anni, absolutione a quibuscumque censuris et poenis, quam tenore praesentium concedimus), volentes maiestatem tuam favore prosequi gratioso, clerum, omnesque et singulas ecclesias, loca pia, personasque ecclesiasticas, tam seculares quam cuiusvis Ordinis, etiam exempti, etiam Societatis Iesu, et Apostolicae Sedi immediate subiecti, regulares, necnon monasteria utriusque sexus, conventus, et collegia, ac capitula quarumcumque ecclesiarum regnorum Castellae et Legionis praedictorum, ac in eisdem regnis commorantium et respective consistentium[1], ad conferendum et contribuendum pro eorum ratâ ad instar laicorum in dictis gabellis seu sisis quoad praedictam summam dumtaxat decem et novem millionum cum dimidio alterius millionis praedictorum ducatorum monetae illorum regnorum, mediante scilicet solutione praedictarum gabellarum seu sisarum in praedictâ quantitate tantum et super praedictis rerum speciebus dumtaxat in dictis regnis colligendis et consumendis ut praemittitur impositarum durante praedicto sexennio dumtaxat a mense augusti proxime praeteriti ut praefertur inchoato et ut sequitur finiendo, et non ultra, teneri et obligatos esse (non tamen quoad praedictas rerum species, quas clerus, ecclesiae et loca pia praedicta, ac personae ecclesiasticae praedictae ex propriis terrenis, seu decimis, aut aliis quibuscumque redditibus propriis, per se, vel alios, etiam affictuarios suos, vel etiam ex elecmosynis percipiunt, et pro divino cultu, seu propriis vel familiarum suarum usibus consumunt, pro quibus omnino immunes et exempti sint); et quod[2], elapso praedicto sexennio, exactio respectu ecclesiasticorum cesset, et nullatenus quovis praetextu vel causâ continuari possit, etiamsi integra summa praedictorum decem et novem millionum praedictorum cum dimidio alterius millionis huiusmodi adhuc non fuisset exacta; quodque, si ante sexennii huiusmodi finem summa decem et novem millionum cum dimidio alterius millionis ducatorum huiusmodi confecta fuerit, ec-

Nonnullis tamen additis conditionibus quae iterum hoc loco recensentur.

1 Verbum *premitur* ad syntaxim complendam addere censuimus (R. T.).

1 Aptius legerem *commorantia.... consistentia* (R. T.).

2 Vocem *quod* nos addimus (R. T.).

clesiastici praedicti amplius contribuere et dictas gabellas seu sisas ut praefertur solvere non debeant, sed praesens gratia expiret, nullaque sit eo ipso; quodque clerus, ecclesiae, loca pia et personae ecclesiasticae praedictae durante praedicto sexennio non possint gravari ratione cuiusvis alterius novi augmenti praedictarum gabellarum et sisarum super eisdem[1], ac novae impositionis aliarum gabellarum et sisarum super quibuscumque rerum speciebus, nec etiam pro portionibus[2] *iuros* nuncupatis de laicorum tantum consensu aliàs erectis et impositis, eorumque fructibus (ita tamen quod non eximantur a praesenti contributione vel in aliquâ illius parte, iuxta formam aliarum nostrarum litterarum super aliorum exactorum absolutione expeditarum sub die hesternâ), nisi si et postquam beneplacitum nostrum seu a successoribus nostris concessum fuerit, aliàs in quolibet casu contraventionis quilibet contraveniens eo ipso absque aliâ declaratione sententiam excommunicationis maioris incurrat et ad restitutionem illius in quo excesserit teneatur, tenore earumdem praesentium decernimus et declaramus.

Recusantes quomodo cogendi.

§ 5. Volentes etiam, quod omnes et singuli ecclesiastici praedicti, solvere recusantes, opportunis iuris et facti remediis per Ordinarios ecclesiasticos locorum tantum ad solutionem huiusmodi cogantur, non autem coram iudicibus laicis, sive exactoribus earumdem gabellarum, sive sisarum, neque quibusvis aliis iudicibus laicis, aut ministris, sub poenâ excommunicationis ac aliis poenis a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis inflictis et comminatis ipso facto sine aliquâ declaratione incurrendis (a quibus a nemine praeterquam a nobis et Romano Pontifice pro tempore existente absolvi, etiam vigore quorumcumque privilegiorum apostolicorum, etiam cruciatae sanctae, nequeant) conveniri nullo modo possint, seu debeant, sed a praedictis Ordinariis ecclesiasticis tantum ad solutionem huiusmodi compelli valeant. Quibus Ordinariis, sub interdicti ingressus ecclesiae ac suspensionis a divinis, necnon omnibus et singulis eiusdem maiestatis tuae officialibus et ministris, cuiuscumque status, gradus, conditionis, dignitatis et praeeminentiae fuerint, ac aliis quibuscumque, etiam speciali notâ dignis, etiam Apostolicae Sedis delegatis, et commissariis etiam cruciatae praedictae, ceterisque omnibus aliis, ad quos quomodolibet spectat et pro tempore spectabit, sub praedictae excommunicationis maioris poenâ ut praemittitur eo ipso incurrendâ, districte praecipiendo mandamus, ut, divini iudicii memores, ne[1] ecclesias et alia praedicta, ac clerum et ecclesiasticos indebite, neque ultra, praeter, aut contra continentiam et tenorem praesentium nostrarum litterarum gravent quomodolibet, nec a quoquam gravari permittant, et nedum contra quoscumque contravenientes et quomodolibet inobservantes ad sententiarum, censurarum et poenarum praedictarum declarationem et promulgationem respective, sed etiam contra eosdem ecclesiasticos et regulares etiam exemptos nobisque et Apostolicae Sedi immediate subiectos, etiam Societatis Iesu, solvere recusantes ad quamcumque simplicem eorumdem exactorum requisitionem etiam executive, ac quacumque appellatione remotâ, auctoritate nostrâ procedant.

Hoc subsidium loco quorumcumque aliorum subsidiorum persolvi mandat.

§ 6. Volumus autem, quod istud subsidium, respectu contributionis cleri, ecclesiarum, locorum piorum, ac personarum ecclesiasticarum praedictorum regnorum, scilicet decem et novem millionum prae-

1 Male edit. Main. legit *eiusdem* (R. T.).

2 Male eadem ed. habet *proportionibus* (R.T.).

1 Loc. parall. supra pag. 343 *b* habet *nec* (R.T.).

dictorum ducatorum cum dimidio alterius millionis, succedat loco quorumcumque onerum, gravaminum et impositionum praedictarum, etiam pro militibus et aliis quibuscumque impositorum, ac etiam loco quorumlibet aliorum subsidiorum super millionibus per felicis recordationis Urbanum VIII praedecessorem nostrum aliosque praedecessores nostros hactenus approbatorum et concessorum et a nobis per praedictas nostras litteras condonatorum; ita quod illorum vigore post lapsum praesentis mensis decembris praesentis anni MDCXLIV nihil amplius a clero, nec a quoquam ecclesiarum, locorum piorum et ecclesiasticorum praedictorum exigi possit; quodque pecuniae ex praedictis subsidiis et gabellis seu sisis, ut praefertur, a dictis ecclesiasticis exigendae, in praedictos et non alios usus convertantur, super quo eiusdem maiestatis tuae conscientiam oneramus.

Clausulas necessarias addit.

§ 7. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, sicque et non aliter quovis praetextu, ratione vel causâ per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores (sublatâ quacumque omnibus et singulis cuiuscumque status, gradus, ordinis, qualitatis, praeeminentiae et dignitatis, etiam ecclesiasticae, etiam individuâ mentione dignis, quomodolibet in contrarium iudicandi, definiendi, interpretandique facultate et auctoritate) iudicari, interpretari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in generalibus conciliis editis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, ecclesiis, regnis, personis, capitulis, monasteriis, conventibus, collegiis et aliis praedictis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda esset, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem haberi vult.

§ 9. Ut autem praesentes nostrae litterae, cum opus fuerit, ad omnium notiam facilius devenire possint, decernimus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII decembris MDCXLIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 23 decembris 1644, pontif. anno I.

X.

Extensio facultatum cruciatae, quoad licentiam vescendi ovis et lacticiniis, ad patriarchas, archiepiscopos et alios inferiores praelatos et presbyteros et clericos seculares tantum regnorum Hispaniarum, exceptâ maiori hebdomadâ[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Charissimo in Christo filio nostro Philippo, Hispaniarum regi catholico, Innocentius Papa X.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Recenset ea, quae a Pio V et Urbano VIII vigore cruciatae concessa sunt in Hispaniarum regnis, circa ovorum et lacticiniorum usum, ieiuniorum tempore.

§ 1. Aliàs a felicis recordationis Pio Papa V praedecessore nostro (inter ceteras gratias illas spirituales et temporales, ad certum tunc expressum tempus publicandas et duraturas, clarae memoriae Philippo II Hispaniarum regi catholico avo suo ac omnibus et singulis christifidelibus in regnis et dominiis Hispaniarum et illi[1] adiacentibus necnon Sardiniae insulâ consistentibus et ad illa declinantibus, iis qui certa munera adimplevissent concessas, et a diversis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris eidem Philippo, ac similis memoriae Philippo III, etiam Hispaniarum regi catholico genitori tuo, et a felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessore nostro, per suas in simili formâ Brevis sub die XXVI martii MDCXXIV et die IX octobris anni MDCXXIX expeditas litteras, maiestati tuae prorogatas) indultum fuit, ut ipsi carnibus de consilio utriusque medici temporibus ieiuniorum tam quadragesimalium quam quorumlibet totius anni, ac pro eorum libito ovis et lacticiniis vesci possent[2], ita quod, qui carnes non comedissent, servatâ in ceteris ieiunii ecclesiastici formâ, dicto ieiunio satisfacere censerentur,[3] minime comprehendi patriarchas, primates, archiepiscopos, episcopos, neque alios inferiores praelatos, neque quaslibet regulares personas, atque ex secularibus eas quae in presbyteratus ordine constitutae essent, quoad quadragesimalia ieiunia; illis autem exceptis, omnes praefatos, praeterquam insularum praedictarum incolas, etiam ovis et lacticiniis vesci posse ut supra concessit; voluit etiam quemcumque ecclesiasticum vel secularem, qui eam gratiam fuisset assecutus, eâ minime posse uti extra ipsa Hispaniarum regna, et aliàs prout in diversis Pii praedecessoris tam sub plumbo quam in simili formâ Brevis desuper expeditis litteris, quarum omnium et singularum tenores pro expressis idem Urbanus praedecessor haberi voluit, plenius continetur.

Idem privilegium Urbanus VIII extendit ad patriarchas, primates, etc.

§ 2. Qui deinde Urbanus praedecessor, spirituali consolationi patriarcharum, primatum, archiepiscoporum, episcoporum, aliorumque inferiorum praelatorum et presbyterorum secularium praedictorum benigne consulere volens, supplicationibus etiam maiestatis tuae nomine super hoc humiliter porrectis inclinatus, venerabilibus fratribus patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis et aliis inferioribus praelatis, necnon clericis et presbyteris secularibus praedictis tantum, ut ad sexennium tunc proximum quadragesimali tempore (hebdomadâ tamen maiori exceptâ) ovis similiter et lacticiniis pro eorum libito uti et vesci libere et licite valeant, apostolicâ auctoritate indulsit; praedictumque indultum et sexennium praefatum postea ad aliud sexennium, a fine ultimodicti sexennii computandum, extendit et prorogavit, et certum tunc expressum praefatarum gratiarum executorem et commissarium fecit, constituit et deputavit, et aliàs, prout in diversis Urbani praedecessoris sub datum die III maii MDCXXXIV et XXVI februarii MDCXXXIX respective desuper expeditis in simili formâ Brevis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Quod quidem confirmat Pontifex.

§ 3. Nunc vero nos, eosdem praelatos et presbyteros seculares dumtaxat amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, supplicationibus etiam maiestatis

1 Oporteret ex praemissis legere *illis* (R. T.).

2 Verbum *possent* addimus (R. T.).

3 Ad syntaxim complendam addendum hîc foret *quibus voluit;* ceterum tam defectuosa syntaxis est, ut difficile sit eam emendare (R. T.).

tuae nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, indultum huiusmodi ac sexennium ultimo prorogatum ad aliud sexennium a fine ultimi sexennii computandum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, extendimus et prorogamus, ac venerabilem fratrem Antonium archiepiscopum Damascenum praefatarum gratiarum executorem et commissarium auctoritate et tenore praedictis facimus, constituimus et deputamus, decernentes irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus litteris praedictis ac omnibus iis, quae in illis concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die II ianuarii MDCXLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 2 ianuarii 1645, pontif. anno I.

XI.

Generalem magistrum Ordinis fratrum Praedicatorum fratrem Thomam Turcum privilegiis ornat[1].

Dilecto filio Thomae Turco,
Ordinis Praedicatorum magistro generali,
Innocentius Papa X.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Classes hujus Constitutionis.

§ 1. Cum, sicut accepimus, pro iniuncto tibi munere generalis magistri Ordinis fratrum Praedicatorum intendas domos et loca et monasteria, necnon fratres et sorores ipsius Ordinis visitare, et religionem eiusdem Ordinis, quantum in te erit, favente Domino, reformare et pristino decori restituere, et propterea non solum Italiam peragrare, sed etiam ultra montes ire cogaris:

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Magistrum generalem conventus Ordinis visitatorum commendat.

§ 2. Nos igitur, qui nihil aeque cupimus, quam, amputatis vitiorum sentibus, virtutum flores in universâ Ecclesiâ, et praesertim in ipso Ordine, quem ob uberes eius in vineâ Domini fructus paterne diligimus, emineant, institutum hoc tuum et visitandi sanctum propositum plurimum commendantes, ac super hoc praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis inhaerentes, motu proprio et ex nostrâ scientiâ apostolicam tibi et nostram benedictionem impertimur, et ut efficacius loca, domos et monasteria eiusmodi visitare, et quae opus fuerit reformare, et bonos mores plantare, et quae ad studiorum promotionem conducunt agere et exequi valeas, nec in rebus agendis scrupulus tibi aliquis, aut obex[1] opponi possit, volumus et apostolicâ auctoritate decernimus, quod, dum in generalatus huiusmodi officio manseris, super Romanam ac omnes et singulas dicti Ordinis provincias et vicarias, tam citra quam ultra montes, etiam regnorum Hispaniae, utriusque Lombardiae, ac Gallicanae et Ragusinae[2], necnon quascumque eiusdem Ordinis congregationes, et ipsarum provinciarum, vicariarum et congregationum loca, domos, collegia studentium, monasteria, et bona quaecumque, et utriusque sexus personas, tam fratres quam etiam tertii habitus sancti Dominici sorores, ad provincias seu congregationes aut aliàs quomodolibet ad Ordinem huiusmodi pertinentes, seu eius curae quovis modo commissas, cuiuscumque gradus et conditionis existant, tam in spiritualibus quam temporalibus, auctoritate et facultate ac iurisdictione plenissimis,

§ 3. Et illis, quibus[3] ceteri magistri gene-

1 Perperam ed. Main. h. *ob ex* pro *obex* (R.T.).

2 Legendum foret *Gallicanam et Ragusinam* (R. T.).

3 Pessime prorsus eadem editio habet *qui* pro *quibus* (R. T.).

ratibus concessas eidem confirmat.

rales iuxta dicti Ordinis instituta et sacri Concilii Tridentini decreta seu constitutiones, vel ex iure ordinario seu ex consuetudine, vel privilegiorum et indultorum apostolicorum [1], ut hactenus functi fuerunt seu fungi potuerunt, in omnibus et per omnia fungaris, et fungi, ac illos, illas et illa visitare, corrigere et reformare, necnon omnes et singulas litteras apostolicas tam super praemissis quam amotione et novâ cuiuscumque deputatione prioris provincialis seu vicarii aut prioris cuiusvis dicti Ordinis conventus et monasterii vel domus a nobis seu praedecessoribus nostris emanatas exequi et exequendas curare, et quascumque sententias, censuras et poenasin illis contentas fulminare auctoritate nostrâ libere et licite possis et valeas;

Novas addit.

§ 4. Quodque, cum acciderit reformatio facienda alicuius seu aliquorum conventuum sive domorum aut monasteriorum dicti Ordinis, etiam nullâ aliâ quam tuâ praecedente electione, toties quoties tibi opportunum visum fuerit, cum reformatio ipsa fiet, priorem seu priores, aut priorissam seu priorissas ad id idoneas nostrâ auctoritate instituere; in provinciâ vero, seu congregationibus et vicariis, quae tibi non satis reformatae videbuntur, cum fuerit prioris provincialis seu vicarii facienda electio, seu tres aut quatuor probatae vitae fratres dicti Ordinis electoribus qui unum ex illis [2] pro suae provinciae reformatione eligant in provincialem vel vicarium, proponere; et electoribus ipsis neminem ex iis qui a te propositi fuerint

Aliaque ad electionem superiorum in reformatis conventibus statuit.

eligentibus, illico cassatâ eorum electione, aliquem virum probatae religionis ex eiusdem vel alterius reformatae provinciae gremio dumtaxat, nostrâ similiter auctoritate, in legitimum provinciae vel congregationis aut vicariae huiusmodi provincialem seu vicarium absque aliquâ electione creare et instituere; et quod illi, quos ex aliis provinciis ad provincias et vicarias desolatas vel etiam laxioris vitae mittendos duxeris, statim vocem habeant tam activam quam passivam; quodque in provinciis seu vicariis paucos conventus et paucorum fratrum numerum habentibus, apostolicâ auctoritate concedimus, ut [1] aliquis simul esse possit alicuius determinati conventus prior et totius provinciae et vicariae provincialis seu vicarius respective;

Poenee contra inobedientes.

§ 5. Si vero in reformationibus huiusmodi faciendis aliquos fratres inveneris, qui illis repugnent, et secundum regularia instituta dicti Ordinis vivere recusent, eos, si incorrigibiles per te iudicati fuerint, ad carceres etiam perpetuos detrudere;

In praedictis electionibus, si qui intervenerint, defectus supplendi facultatem tribuit;

§ 6. Fratres quoque et sorores quascumque dicti Ordinis, praetendentes se, etiam per litteras apostolicas sub plumbo aut annulo Piscatoris vel per Poenitentiariam seu aliàs motu proprio emanatas, exemptas esse, ad litteras ipsas, etiamsi in eis clausula *sui superioris licentiâ petitâ etiam non obtentâ* apposita fuerit, exhibendas cogere, ac si eas legitime procedendo subreptitias vel obreptitias inveneris, eis non obstantibus fratres et sorores praefatas ad redeundum ad eorum domos ac monasteria ac regularia dicti Ordinis instituta, vel litteras apostolicas super apostatis editas observandas cogere; et quarumcumque electionum in dicto Ordine pro tempore factarum, dummodo tibi constet de voluntate eligendi, omnes et singulos defectus supplere; necnon super permanentiâ priorum tam provincialium quam conventualium et vicariorum generalium ac priorissarum monasteriorum etiam ultra biennium vel quadriennium, aliquâ rationabili praesertim conservandae vel augendae vitae regularis

1 Deest vox *vigore*, et delenda vox *ut* (R. T.).

2 Male ed. Main. legit *suis* pro *illis* (R. T.).

1 Pessime ed. Main. legit *aut* pro *ut* (R. T.).

causâ subsistente, dispenses[1], ac sorores curae dicti Ordinis quomodocumque commissas de monasterio ad monasterium religiose transmittere; necnon domos et monasteria unius provinciae alteri provinciae seu congregationi iuxta morem aggregare licite et libere valeas.

Superiores ultra triennium vel quadriennium confirmandi,

§ 7. Et si quae provinciae, tam intra[2] quam ultra montes, aut congregationes, aut vicariae, conventus, collegia, loca et monasteria, et praesertim domus Parisiensis, praetextu privilegiorum eis a praedecessoribus nostris et Sede Apostolicâ vel etiam a nobis concessorum, praetenderint se ad sui visitationem nullum alium quam te ipsum admittere teneri, ne propterea delicta remaneant impunita, aut vigor religionis diminuatur, cum ubique non possis assistere, etiam volumus, et apostolicâ auctoritate decernimus, quod visitatores per te in provinciis, congregationibus, vicariis, conventibus, collegiis, locis, monasteriis ac domo Parisiensi huiusmodi pro tempore deputati, illos, illas et illa auctoritate nostrâ visitare libere possint; quodque fratres provinciarum, congregationum, vicariarum, conventuum, collegiorum, locorum et domus Parisiensis, ac sorores monasteriorum huiusmodi, sub excommunicationis maioris latae sententiae poenâ, quam in contrafacientes ex nunc prout ex tunc et e contra ferimus in his scriptis, visitatores per te ut praefertur deputatos tamquam a nobis delegatos suscipere et eorum visitationem admittere teneantur; quodque, quos in socios et laborum tuorum participes tam in eiusmodi visitationibus et reformationibus quam ceteris ad regimen dicti Ordinis facientibus assumpseris,[3] debitis cumulati honoribus in comitatu tuo decentius esse valeant, iuxta antiquam et approbatam in ipso Ordine diutius observatam consuetudinem, unum ex ipsis sociis tuis, nullâ praecedente electione, titulo prioris provincialis Terrae Sanctae, vel alicuius alterius malitiâ temporum desolatae provinciae ipsius Ordinis (ita ut voce et loco, ac omnibus aliis privilegiis, gratiis et dignitatibus, quibus ceteri provinciales dicti Ordinis tam in capitulis generalibus quam extra ea secundum instituta et consuetudines ipsius Ordinis gaudere consueverunt, gaudeat et potiatur, praedictâ auctoritate apostolicâ insignire, et quoties continget eum ab eodem comitatu tuo recedere, ab ipso provincialatus gradu absolvere seu deponere, et alium quem loco ipsius in socium assumpseris eodem titulo ut prius insignire libere et licite valeas.

Alios in visitatores deputandi etiam quoad domum Parisiensem.

In contrafacientes censurarum commiratio.

Renovat privilegia.

§ 8. Insuper, quo melius et efficacius reformationi totius praefati Ordinis insistere valeas, ex speciali gratiâ concedimus tibi omnia privilegia et facultates spectantia ad regimen et reformationem dicti Ordinis concessa tam bonae memoriae magistro Paulo Conabili quam aliis magistris generalibus praedecessoribus tuis.

Derogat contrariis.

§ 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac[1] dicti Ordinis statutis et institutis, necnon privilegiis, indultis, gratiis, immunitatibus, exemptionibus et litteris apostolicis, etiam in formâ Brevis, quibuscumque dicti Ordinis, praesertim Hispaniae, utriusque Lombardiae, praesertim, quatenus opus sit, felicis recordationis Clementis Papae VII praedecessoris nostri sub datum apud S. Petrum die VI maii MDXXXIII pontificatus sui anno X, et Romanae provinciis seu congregationibus et Gallicanae, aut earum conventibus, domibus, collegiis studentium, aut monasteriis sororum, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum deroga-

1 Legerem potius *dispensare* (R. T.).
2 Potius lege *citra* quam *intra* (R. T.).
3 Deesse videtur vox *ut* (R. T.).

1 Coniunctionem *ac* nos addimus (R. T.).

toriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam per nos et dictam Sedem, etiam motu simili, aut aliàs quomodolibet concessis, et etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis, seu in posterum concedendis, approbandis et confirmandis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione aliàs de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per claulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium et singulorum tenores praesentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse motu simili derogamus, eaque nemini adversus praemissa suffragari volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII ianuarii MDCXLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 12 ianuarii 1645, pontif. anno I.

XII.

Privilegia Conclavistarum[1].

Innocentius Papa X.
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Circumspecta in omnibus Romani Pontificis providentia singulorum merita aequâ lance considerans, illos potioribus gratiis et favoribus prosequitur, quos erga se et Sedem Apostolicam benemeritos, et in laboribus et vigiliis pro Sede ipsâ sufferendis indefessos, et pluribus cognoscit meritis adiuvari.

Hinc est, quod nos dilectos filios conclavistas. etc. (*Cetera, quae ad litteram concordant cum Bullis pradecessorum, item brevitatis casu relinquimus*).

Nomina autem ipsorum conclavistarum sunt haec, quae sequuntur.

Nomina et numerus conclavistarum.

Thaddaeus Alsinus[1] sacrista noster, Ordinis Eremitarum S. Augustini expresse professus; Gaspar Servantius presbyter S. Severini, perpetuus beneficiatus in basilicâ Principis Apostolorum de Urbe; Dominicus Bellus presbyter Romanus, canonicus secularis et collegiatae ecclesiae sanctorum Celsi et Iuliani de eâdem Urbe; Franciscus Maria Phebaeus presbyter Urbinatensis; Carolus Vincentius Cavaratius presbyter Reatinus, perpetui beneficiati in dictâ basilicâ, magistri caeremoniarum *; Iosephus Frenfanellus canonicus dictae basilicae, secretarius collegii; Lactantius Lactantii clericus Urbevetanus, Michaël Angelus Augurii clericus Faventinus, dum cardinalatus honore fungebamur; Ioannes Ferrarius presbyter Regiensis, Antonius Tonti laicus Perusinus, Iacobus Bonus clericus Burgensis S. Sepulchri, Marcelli Ostiensis Lantis; Bartholomaeus Franciscus clericus Faventinus, Ioannes Ægidius laicus Complensis, Petri Pauli Portuensis Crescentii; Ioannes Andreas Neidottus clericus Sevensis, Antonius Octa clericus Civitatis Plebis, Francisci Sabinensis S. Marcelli nuncupati; Victus Venerius presbyter Decanatensis, Dominicus Rubeus laicus a Leonissa, Iulii Tusculani Romae venerabilium fratrum nostrorum episcoporum; Simon Oliverius presbyter Forosemproniensis, Gregorius Almeida clericus coniugatus, seu laicus Colimbriensis, Andreas Lanfredus laicus Mantuanus, Aloysii S. Laurentii in Lucinâ Capponii; Michaël de Lecinarii la Rage clericus Oscensis, Franciscus Fenin clericus Nancurcensis, Iosephus . . . clericus

* Sic.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Nomina seqq. damus ut sunt in ed. M. (R. T.).

Mecliniensis, Alphonsi S. Balbinae Cueva; Annibal Albanus clericus Urbinatensis, custos bibliothecae Vaticanae, Petrus Iacobus Verdiani presbyter a Lucignano de Valle de Chiana, Hieronymus Naiaronus laicus a Monte Alcino, fratris Antonii S. Mariae Transtyberim S. Honuphrii nuncupati; Iosephus Cottus de Zotego laicus Papiensis, Ioannes Gregorius Burgo Meisterde Unaviserbainensis laicus Pragensis, Ernesti Adalberti S. Praxedis ab Arrach; Ugolinus Pierbenedictus clericus Camerinus commendatarius perpetuus monasterii Ss. Basilii et Bonifacii Ordinis S. Benedicti Neapolitani, Hieronymus Marcus laicus a Salisano Farfensis, Bernardini S. Petri ad Vincula Spada; Franciscus Cicogninus clericus Pratensis, Ioannes Baptista Bossi clericus Ianuensis, Clemens Bolinus laicus Romanus, Federici S. Marci Cornelii; Ludovicus de Horatiis laicus Bononiensis, Laurus Beta clericus Florentinus, Iulii S. Susannae Sacchetti; Franciscus Maria Falcaccius presbyter Eugubinus, Petrus Richardus clericus Ianuensis, Marcus Fenzonius clericus Ianuensis, Marcus Fenzonius clericus Ianuensis, Ioannis Dominici S. Caeciliae eiusdem S. Caeciliae nuncupati; Matthaeus Pardus clericus Tirasonensis, Martinus de Ayala laicus Burgensis, Egidii S. Petri in Monte Aureo Alternotii;

Prosequuntur nomina conclavistarum.

Ludovicus de Ville presbyter Lugdonensis, Alphonsi Duplersiis de Richelieu, SS. Trinitatis in Monte Pincio de Lugduno; Vincentius Chiavellonus presbyter Reatinus, Franciscus Landus laicus Romanus, Cyriaci S. Salvatoris in Lauro Roccii; Troilus Troilus clericus Nucerinus, Constantinus Lilius clericus de Fabriano Camerinensis, Ioannis Baptistae S. Silvestri in Capite Pallotti; Franciscus Polus presbyter Mediolanensis, Antonius Grassi clericus etiam Mediolanensis, Caesaris S. Mariae Transpontinae Montis; Marcus Antonius Petronius presbyter perpetuus commendatarius monasterii S. Angeli Melitini Rossanensis dioecesis, Nicolaus Simonellus clericus Romanus, Hieronymus Mercurius de Rotino presbyter Caputaquensis dioecesis, perpetuus beneficiatus sacrosanctae Lateranensis ecclesiae, Francisci Mariae Ss. XII Apostolorum Brancatii; Alexander Scarlattus presbyter Florentinus, Ioannes Antonius Insulai clericus Cremonensis, Petrus Magengus clericus Carpenctoratensis, Alexandri S. Sabinae Bicchii; Petrus Petignanus laicus Amerinus, Marcus Savaglia laicus Feltrensis, Rhoderici S. Anastasiae Carpinei; Franciscus Minutulus clericus Lucanus, Marcus Antonius Romagnolus clericus Foroliviensis, Marci Antonii S. Mariae de Paufrancaotti; Ioannes Augustinus Marlianus presbyter Ianuensis, Petrus Paulus Resciolus clerirus a Bassanella, Stephani S. Laurentii in Pane et Perna Duratii; Antonius Bracci laicus Florentinus, Franciscus de Nai Lothoringas, Francisci Mariae Ss. Ioannis et Pauli Macchiavelli; Ioannes Petrus Bevitale presbyter Romanus, Nicolaus de Alexio laicus Muranus de Cama, Alcarii S. Mariae de Aracaeli Filomarini; Hieronymus Racerus presbyter Reatinensis, Laurentius Sanctinus laicus Veronensis, Marci Antonii Ss. Nerei et Achillei Bragadini; Andreas Cardolus clericus Narniensis, Valentinus Roëttus laicus Perusinus, Petri Donati S. Marcelli Caesii; Franciscus Calleonus laicus Auximanus, Iacobus Saccardus laicus Romanus, Hieronymi S. Agnetis in Agona Verospii; Hieronymus Porfinius presbyter Camerinensis, rector abbas nuncupatus ecclesiae abbatiae nuncupatae S. Angeli de Monte Santhio Beneventanae dioecesis, Franciscus Cataneus laicus Mediolanensis, fratris Vincentii Maculani S. Clementis eiusdem S. Clementis nuncupati; Ercules Oddus clericus Perusinus comes Antragialle, miles militiae de Calatrava, Ioannes Puccius clericus Sabi-

nensis, Francisci S. Hieronymi Illyricorum Montalti; Decius Altolinus clericus Firmanus, Lucas Antonius Marchius laicus a Pergola, Ioannis Iacobi Panziroli; Martinus Massuccius clericus Firmanus, Claudius Ferrarius laicus Romanus, Fausti S. Chrysogoni Poli; Franciscus Tanus clericus Ariminensis, Flaminius Castellani presbyter Urbinas, Lelii S. Mariae de Populo Falconerii; Alexander Silverius Piccolomineus clericus Ranensis, rector abbas nuncupatus ecclesiae abbatiae nuncupatae S. Iuliani Nuranensis, Iacobus Gallus laicus Perusinus, Paulus Bonifaccia canonicus S. Marci de Urbe, Carolus Ranfais a Zofia de Farfa, Gasparis S. Pancratii Matthaei; Ioannes Baptista Malaca presbyter Bononiensis, Bernardinus Conenius laicus Romanus, Caesaris Ss. Quatuor Coronatorum Facchinetti; Ægidius Gallus clericus Romanus, Franciscus Santinus laicus Senogalliensis, Nerongini Grimaldi, Ioannes Baptista Donghi clericus Romanus, Antonius Rota presbyter ab Offida Asculanae dioecesis, Sebastianus Moderni laicus Ferrariensis, Caroli Rossetti; Franciscus Ioannes Berti presbyter Romanus, Franciscus de Sanctis laicus Pisaurensis; Ioannis Baptistae S. Mariae super Minervam Alterii; Iulius Caesar Reggiolus clericus Romanus, Ioannes Baptista Mechinus laicus Senensis, Marii S. Alexii Theodoli; Franciscus Gicalengus clericus Mutinensis, Iosephus Schinardus laicus Romanus, Francisci S. Mariae in Viâ Rapaccioli; comes Iulius Caesar de Lanis clericus Bononiensis, Ioannes Baptista Bischius Urbaniensis dioecesis perpetuus cappellanus Toletanus nuncupatus in ecclesiâ S. Mariae Maioris de Urbe, Francisci Adriani S. Priscae Cevae; Antoninus Oliverius presbyter Camerinensis, Ioannes Baptista de comitibus laicus ab Arpino Soranae dioecesis, Ss. Quirici et Iulitae Georii; Carolus Eustachius laicus Romanus, Ioannes Baptista Gaba clericus Cenetensis, Ioannis S. Stephani in Caelio Monte de Lugo, presbyterorum S. R. E. cardinalium nuncupatorum; Franciscus Nerlius presbyter Florentinus, Belisarius Guerrinus clericus etiam Florentinus, comes Carolus Bentivolus laicus similiter Florentinus, Caroli S. Nicolai in Carcere; Tulliano Medices, Nicolaus Toghettus canonicus dictae basilicae Principis Apostolorum, Angelus Paraccianus Clusinus canonicus dictae ecclesiae Lateranensis, Franciscus Cerrus laicus Romanus, Francisci S. Laurentii in Damaso Barberini; Iulius Caesar Porrus clericus Neapolitanus, Dominicus Salvius presbyter Calliensis canonicus secularis et collegiatae ecclesiae S. Angeli in Foro Piscium de Urbe, Martii S. Eustachii Ginetti; Antonius Ferragallus clericus Brittoneriensis, Thomas Vallemanus laicus a Fabriano, Caesar Malvecinus clericus Viterbiensis, Antonii S. Mariae in Viâ Latâ Barberini; Hieronymus Spinula clericus Ianuensis, Anastasius de Amatis laicus a Genezzano, Hieronymi S. Angeli in Foro Piscium Columnae; Nicolaus Azeman clericus Lucemburgensis, Balduinus de Bondre laicus a Buabongo, Rheodoni S. Caesarei Trivultii; Iacobus Concha laicus Romanus, Matthias del Ricevo laicus Posanus, Vicarius Mavellinus laicus Baurensis, Iulii S. Agathae Gabrielli; Bartholomaeus Piccaluga clericus Ianuensis, Albertus Dosii laicus Romanus, Ioannes Baptista Butus laicus Romanus Virginii S. Mariae in Cosmedin Ursini; Honuphrius Camporeus de Marchionibus Solana Mutinensis perpetuus commendatarius monasterii S. Fabiani loci de Novaglia nullius dioecesis . . . . . Ordinis S. Benedicti, Lazarius Bonvicinus laicus Mutinensis, Geminianus Poggius laicus etiam Mutinensis, Raynaldi Estensis; Petrus Simon presbyter Eugubinus, Antonius Maria Paulinus laicus Firmanae dioecesis, Vin-

centii S. Mariae in Portico Costaguti; Franciscus Marinus clericus Ianuensis, Dominicus Salvettus a Gualdo perpetuus commendatarius monasterii S. Donati de Gualdo Nucerinae dioecesis, Ioannis Stephani S. Georgii Donghi; Petrus Antonius Riccius laicus Camerinensis, Michaël Angelus Brunamonti laicus Arbensis, Pauli Æmilii S. Mariae in Aquiro Randanini; frater Pompeius Mengutius miles militiae S. Ioannis Hierosolyminani ab Offida Asculanae dioecesis, commendatarius commendae S. Ioannis Poli et S. Nicolai Gradiscae eiusdem militiae, Dominicus Gannus clericus a Petraverde, Faustus Tursus laicus a Norcia, Achillis de Estampes de Valenze S. Adriani, diaconorum S. R. E. cardinalium nuncupatorum; Petrus Franciscus Gallus clericus Romanus, Ioannes Doupre Leodiensis, Fabius Fabrettus presbyter Senogalliensis, bonae memoriae Guidonis episcopi Praenestini S. R. E. cardinalis Bentivoli nuncupati defuncti; frater Angelus a S. Felice Ordinis Eremitarum S. Augustini cum dicto sacrista, Valentinus Mangnonius presbyter Societatis Iesu confessarius, Gabriel Fonseca Lusitanus, Silvester Collicola Spoletanus, medicus physicus, Ioannes Morseux d. Oltreloux clericus Leodiensis dioecesis cum dicto secretario collegii; Nicolaus a Large Gallus chirurgus, Barnabas Mutus a Savet secretarius cum dictis magistris caerimoniarum; Ioannes Baptista Pauluccius Pisaurensis, aromatarius, Ioannes Nerotius adiutor, Rhemas Ferazzinus Favensis, Michaël Michelinus a Tarta, barbitonsores; Franciscus Maria Vicitormar Novariensis, Paulus Panzirolus Romanus, eorum adiutores; Vincentius Bicciardus, Tiberius Infraglianus, fabrilignarii; Nicolaus Scala caementarius; Ioannes Maria Statius, Iulianus Branchius Ioamonus, fachinus; Antonius Ciambronius, Petrus Antonius Palettus, Ioannes Antonius Iustus, Ioannes Aliberti monachus, Caesar Vattonus, Ioannes Antonius Peulonus, Falcius Girottus, Ioannes Paulus Franceschinus, Guerrinus Gasparnellus, Simon Gallus, Petrus Cunes Bonnanus, Ioannes Antonius Ciampella, Augustinus Guerrerius, scopatores conclavis.

Indulget conclavistarum procuratori uti posse eisdem privilegiis, quamvis in conclavi praesens non fuerit.

§ 4. Et insuper cum dilectus filius Vigarius laicus Burgi S. Sepulchri, tamquam dictorum conclavistarum procurator, in praemissis sedulam pro ipsis operam, ut accepimus, navaverit, propterea, et aliorum meritorum suorum ac obsequiorum nobis et Sedi Apostolicae impensorum intuitu, volentes ipsum specialibus favoribus et gratiis prosequi, eidem Francisco Viario, quod, licet in conclavi praedicto non inservierit, nihilominus omnibus et singulis supradictis gratiis, privilegiis, facultatibus, immunitatibus et libertatibus, praerogativis, praeeminentiis, indultis, exemptionibus, ceterisque praemissis tamquam conclavista et unus ipsorum frui et gaudere libere et licite possit et valeat, perinde ac si conclavi huiusmodi vere et realiter interfuerit, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque supradictis et aliis contrariis nequaquam obstantibus, motu et auctoritate similibus, de speciali gratiâ indulgemus.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, et sigillo ac manu alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis et subscriptis, eadem fides tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, receptionis, creationis, constitutionis, declarationis, aggregationis, liberationis, exemptionis, remissionis, condonationis, dispensationis, legitimationis, assertionis, abolitionis, restitutionis, decretorum, in-

dultorum, praeceptorum, mandatorum, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXLIV, pridie kalendas februarii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 31 ianuarii, pontif. anno I.

XIII.

Facultas nuncio Poloniae reservandi tria beneficia ecclesiastica in singulis Gnesnensi, Vladislaviensi, Posnaniensi, Plocensi, Cracoviensi et Wormiensi ecclesiis personis a rege Poloniae nominandis[1].

Dilecto filio, nostro et Apostolicae Sedis ad charissimum in Christo filium nostrum Vladislaum Poloniae et Sveciae regem illustrem nuncio,

Innocentius Papa X.

Dilecte fili noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

Tenor reservationis et causa.

§ 1. Ut charissimus in Christo filius noster Vladislaus Poloniae et Sveciae rex illustris personis in fide catholicâ et unione S. R. E. persistentibus, aliàsque sibi gratis et acceptis, sese nostrâ et huius Sanctae Sedis operâ benignum praestare possit, tibi tria beneficia ecclesiastica in singulis Gnesnensi, Vladislaviensi, Posnaniensi, Plocensi, Cracoviensi et Wormiensi ecclesiis, civitatibus et dioecesibus consistentia, etsi canonicatus et praebendae, dignitates, personatus, administrationes et officia, ac dignitates ipsae in praefatis post pontificales maiores, aut aliis ecclesiis praefatarum civitatum vel dioecesum principales fuerint, et ad illas, necnon personatus, administrationes et officia huiusmodi consueverint qui per electionem assumi, illaque omnia dispositioni apostolicae specialiter vel ex quavis causâ, praeterquam ratione vacationis illorum apud Sedem praefatam aut familiaritatis continuae commensalitatis nostrae seu alicuius S. R. E. cardinalis viventis, cuius consensus requirendus foret, generaliter reservata, vel ex generali reservatione apostolicâ affecta, et cuiuscumque annui valoris illorum fructus, redditus et proventus extiterint, ad collationem, provisionem, praesentationem seu quamvis aliam dispositionem venerabilium fratrum archiepiscopi Gnesnensis, necnon Vladislaviensis, Posnaniensis, Plocensis, Cracoviensis et Wormiensis episcoporum, ac dilectorum filiorum capitulorum ecclesiarum praefatarum communiter vel divisim pertinentia, vacantia ad praesens, aut simul, vel successive, etiam in mensibus in quibus vacantium beneficiorum ecclesiasticorum dispositio per constitutiones apostolicas seu cancellariae apostolicae régulas nobis generaliter reservata[1] existit, vacatura, singula videlicet singulis personis ecclesiasticis clericali saltem charactere insignitis et aliàs idoneis ac in fide catholicâ omni tempore constantibus, quas dictus Vladislaus rex duxerit nominandas, si quisque nominandorum per se vel procuratorem suum legitimum infra unius mensis spatium postquam vacatio huiusmodi innotuerit beneficium vacans duxerit acceptandum, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, auctoritate nostrâ apostolicâ, hac vice dumtaxat, specialiter reservandi, necnon archiepiscopo et episcopis ac capitulis praefatis, ne de beneficiis huiusmodi, si vacant, aut cum

Exornat apostolicum nuntium Poloniae facultate reservandi octodecim beneficia, etiamsi fuerint dignitates et canonicatus in cathedralibus, et conferendi ad nominationem regis Poloniae et Sveciae.

Non obstantibus regulis cancellariae apostolicae.

Concedit omnia iuris et facti remedia.

1 Ex Regest. in Secrest. Brev.

1 Pessime edit. Main. legit *reservatas* (R. T.).

vacaverint, ut praefertur, disponere quoquo modo praesumant, districtius inhibendi, necnon quidquid secus per praefatos aut alios quoscumque, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernendi, et nihilominus singula beneficia praefata, si vacant, aut cum vacaverint, ut praefertur, singulis personis nominandis praedictis cum iuribus et pertinentiis huiusmodi ac plenitudine iuris canonici conferendi [1], et de illis etiam providendi [2], eosque seu eorum procuratores ipsorum nominibus in corporalem possessionem beneficiorum, iurium et pertinentiarum praedictorum inducendi, ac inductos defendendi, et easdem nominandas personas, vel pro eis procuratores praefatos, ad praebendas huiusmodi in singulis ecclesiis praedictis in canonicum et fratrem recipi, et stallo sibi in choro et loco in capitulo singularum ecclesiarum praedictarum cum dicti iuris plenitudine assignatis, necnon ad singula alia beneficia huiusmodi, ut moris est, admitti, sibique de illorum, ac canonicatuum et praebendarum praedictarum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi faciendi, ac contradictores quoslibet, dictâ auctoritate nostrâ, appellatione postpositâ, compescendi, ceteraque in praemissis et circa ea necessaria et opportuna faciendi et exequendi, plenam et liberam, auctoritate praedictâ, tribuimus facultatem.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ipsarum ecclesiarum, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, contrariis quibuscumque,

§ 3. Aut si aliqui apostolicâ praedictâ vel aliâ quavis auctoritate in dictis ecclesiis in canonicos sint recepti, vel ut recipiantur insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et praebendis, aut dignitatibus, personatibus, administrationibus et officis dictarum ecclesiarum speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictae Sedis et legatorum eius litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel aliàs quomodolibet sit processum, quibus omnibus personas praedictas in assecutione canonicatuum et praebendarum, dignitatum, administrationum, officiorum et beneficiorum huiusmodi volumus anteferri, sed nullum per hoc eis, quoad assecutionem dignitatum, personatuum, administrationum, vel beneficiorum aliorum, praeiudicium generari,

§ 4. Aut si archiepiscopo et episcopis, ac capitulis praefatis, communiter aut divisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, et [1] quod de canonicatibus et praebendis, aut dignitatibus, personatibus, administrationibus, vel officiis huiusmodi, aut aliis beneficiis ecclesiasticis, ad eorum collationem, provisionem, praesentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus, nulli valeat provideri per [2] litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet aliâ indulgentiâ generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam vel totaliter non insertam [3] effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri [4], et de qua eiusque

1 Male edit. Main. legit *conferendis* (R. T.).

2 Perperam similiter eadem edit. habet *providendis* (R. T.).

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

2 Praeposit. *per* nos addimus (R. T.).

3 Male ed. Main. legit *expressa... inserta* (R. T.).

4 Pro *vel differri* ed. Main. h. *deferri* (R. T.).

toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, seu si personae praesentes non fuerint ad praestandum de observandis statutis et consuetudinibus dictarum ecclesiarum solitum iuramentum, dummodo in absentiâ suâ per procuratorem idoneum, et cum ad ecclesias praefatas accesserint corporaliter illud praestent.

Excepit excessum vigintiquatuor ducatorum auri de camera: quo casu infra sex menses novae litterae apostolicae sint impetrandae.

§ 5. Volumus autem, quod[1], si alicuius ex beneficiis per te vigore praesentium collatis fructus, redditus et proventus viginti quatuor ducatorum auri de camerâ secundum communem aestimationem valorem annuum excesserint, illi, quibus per te provisum de illis extiterit, infra sex menses a die eis factarum provisionum huiusmodi computandos, novam provisionem super illis a dictâ Sede Apostolicâ impetrare, litterasque in totum desuper expedire[2], ac iura camerae apostolicae propterea debita persolvere omnino teneantur, alioquin sex mensibus elapsis praefatis, beneficia ipsa vacare censeantur eo ipso.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI februarii MDCXLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 6 ianuarii 1645, pontif. anno I.

XIV.

Prohibitio curatis in regno Franciae, ne cogant invitos alia officia celebrare in ecclesiis parochialibus pro mortuis qui sepeliuntur apud Carmelitas, quam quae pia defunctorum vel haeredum liberâ voluntate fuerint postulata[3].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Leo Bonfilius, vicarius generalis apostolicus fratrum Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo, quod nonnulli parochialium ecclesiarum rectores seu curati in regno Franciae contra libertatem ecclesiasticam variis artibus seculares impedire student quominus in eorumdem fratrum ecclesiis sepulturam sibi eligant, et inter alia cogunt haeredes defunctorum sibi sepulturam in ecclesiis regularibus huiusmodi eligentium, ut ii dicti haeredes in praefatis parochialibus ecclesiis quamplurima divina officia pro defunctis huiusmodi celebrari faciant, et hoc medio multos metu expensarum detinent et deterrent, quominus in eisdem regularibus dicti Ordinis ecclesiis sepulturam eligant: quare dictus exponens, asserens praemissa nedum privilegiis eidem Ordini desuper auctoritate apostolicâ concessis adversari, sed etiam in maximum eiusdem Ordinis cedere detrimentum, nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Non esse compellendos defunctorum haeredes, mortuorum officia in parochialibus duplicare dum cadavera in aliis tumulentur ecclesiis.

§ 2. Idcirco nos, eumdem exponentem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium praepositorum negotiis et consultationibus episcoporum et regularium consilio, parrochialium ecclesiarum rectoribus seu curatis, ne cogant invitos alia divina officia celebrare in ecclesiis parrochialibus pro mortuis qui sepeliuntur apud eosdem fratres Carmelitas quam quae piâ defunctorum vel haeredum liberâ voluntate fuerint postulata, apostolicâ

1 Coniunct. *quod* nos addimus (R. T.).
2 Aptius lege *expediri facere* (R. T.).
3 Ex Regest. in Secret. Brev.

auctoritate, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus, salvâ semper auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, ipsarum ecclesiarum et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI februarii MDCXLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 6 februarii 1645, pontif. anno I.

XV.

Facultas regularibus concessa confirmatur pro audiendis secularium confessionibus etiam intra paschalem quindenam[1].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Decretum sacrae congregationis cardinalium ne tempore Paschali prohibeantur a parochis ceteri approbati confessarii ab audiendis confessionibus.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii regulares civitatis Burdegalensis, quod aliàs a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus Concilii Tridentini interpretibus emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet:

§ 2. Die IX iulii MDCXLIV. Sacra congregatio eminentissimorum cardinalium Concilii Tridentini interpretum post maturam discussionem censuit archiepiscopum Burdigalensem non posse prohibere regularibus habentibus privilegia apostolica, ut a dominicâ Palmarum usque ad dominicam in Albis inclusive administrare non valeant personis secularibus sacramentum confessionis, posse tamen eisdem prohibere, ut personis secularibus in die Paschatis non administrent sanctissimum Eucharistiae sacramentum, etiamsi dictae personae seculares in aliâ die satisfecerint praecepto Ecclesiae hac de re edito.

F. cardinalis episcopus Sabinensis
FRANC. PAULUTIUS S. C. C. secr.

Confirmatur decretum etiam quoad confessarios regulares.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, iidem exponentes praemissa, quo firmius subsistant, apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri summopere desiderent: idcirco nos, eosdem regulares specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, salvâ tamen semper auctoritate eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 4. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque regularibus in omnibus et per omnia suffragari, ac ab omnibus et singulis ad quos spectat et pro tempore spectabit in futurum invio-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

labiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum praemissorum, specialiter et[1] expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII februarii MDCXLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 7 februarii 1645, pontif. an. I.

XVI.

Mandatum quod episcopus S. Salvatoris non possit cogere catholicos capitaneatus de Pernambuco, ut eum adeant pro praestando iuramento in causis dispensationum matrimonialium[2].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii catholici regionis Brasiliensis dioecesis SS. Salvatoris de Pernambuco nuncupatae, quod, licet dicta regio illiusque capitaneatus, qui ante aliquot annos a Batavis occupati fuerunt, ab abbatiâ Omnium Sanctorum, in qua venerabilis frater episcopus eiusdem SS. Salvatoris residet, trecentis milliaribus distent, prohibito inter eosdem exponentes et catholicos alienigenas commercio, nihilo tamen minus idem episcopus praetendit christianos et catholicos dictum capitaneatum incolentes et eisdem Batavis subditos in dispensationibus matrimonialibus, quas a Sede Apostolicâ impetrant, teneri personaliter cum propriae vitae periculo e dictâ regione ad civitatem eiusdem SS. Salvatoris accedere ad praestandum de veritate discendâ[1] in causis dispensationum huiusmodi iuramentum. Quod cum sit a stylo et praxi alienum ut pauperes catholici absque necessitate tam patentibus periculis cum ingenti suo dispendio se exponant,

Iuramentum de veritate exposita in dispensationibus matrimonialibus cum nimio labore et periculo non esse exigendum in curiâ episcopali, sed in eorum locis committendum.

§ 2. Nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, eorumdem exponentium indemnitati, quantum cum Domino possumus, prospectum esse cupientes, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, moderno et pro tempore existenti episcopo SS. Salvatoris huiusmodi, quod ipse eosdem catholicos dictorum regionis et capitaneatus cogere et compellere minime possit ut eum ipsi catholici pro praestando dicto iuramento adeant, sed illud iidem catholici unico contextu in processu praemissorum occasione conficiendo praestare possint in manibus personae ecclesiasticae, cui eâdem auctoritate apostolicâ per ipsum episcopum sive dilectum filium eius officialem verificatio contentorum in eisdem dispensationibus matrimonialibus facienda et sub-

Eo fortius ne sint compellendi ab episcopo longius degen...

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brevium.

1 Vide an legi debeat *dicendâ* (R. T.).

inde ad ipsos episcopum seu officialem, ad hoc ut desuper sententia ferri possit, transmittenda committetur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, praecipimus, mandamus et ordinamus.

Clausula *sublatâ*.

§ 3. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari vel definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII februarii MDCXLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. 17 februarii 1845, pontif. anno I.

XVII.

Circa moenia et propuganacula Urbis recens extructa, eorumque pomeria[1].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Moenia et propugnacula Urbis sarta recta servanda.

Ad curam nostram pastoralem spectare censemus inter cetera sedulo providere, ut constructa pro huius almae Urbis nostrae et in eâ degentium securitate moenia et propugnacula sarta tecta conserventur, et ita a privatorum structuris et aedificiis distent, ut tam introrsum quam extrorsum commode obiri valeant.

Ne intra vel extra horti, vineae, muri et macceriae extruantur; maxime in moenibus noviter erectis.

§ 2. Motu itaque proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnibus et singulis cuiuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis et dignitatis personis, tam secularibus, quam ecclesiasticis, etiam regularibus quomodolibet nuncupatis et qualificatis, etiam individuâ expressione dignis, ne quisquam earum quovis praetextu et occasione hortos, sive vineas, seu alia praedia, vel muros, aut macerias, seu alia quaecumque aedificia aut sepes moenibus et propugnaculis Urbis praedictae, a portâ *equitum levis armaturae* nuncupatâ ad Tyberim usque noviter constructis, ab eorum parte externâ propius admovere audeat vel praesumat, sed illud spatium, seu intervallum, quod inter eadem moenia et[1] propugnacula extrorsum ac sepes pro separatione privatorum praediorum plantatas ad praesens existit, et publici iuris effectum est, omnino vacuum liberumque remaneat, neque ullo modo angustius[2] reddatur, eiusque latitudo minuatur; praeterea ne a parte internâ eorumdem moenium et propugnaculorum quisquam praedictorum quovis praetextu et occasione muros, fontes, domos, macerias, arbores, aut quodvis aedificium, seu structuram iuxta eadem moenia et propugnacula, nisi inter haec et illa interiecto libero quatuor cannarum mensurae romanae spatio seu intervallo, neque sepes, ubi nunc extant viae necessariae ad utilitatem publicam seu particularium personarum ut possint habere transitum ad proprias vineas, extruere seu plantare similiter audeat seu praesumat, tenore praesentium, sub arbitrii nostri poenis per contrafacientes irremissibiliter incurrendis, prohibemus. Volentes et praecipientes, sub eisdem poenis, ut domini vinearum aliorumque praediorum dictis moenibus et propugnaculis introrsum vicinorum terram ipsis moenibus et propugnaculis cohaerentem suis expensis a-

Nec etiam ornatus et fontes.

Liberum remaneat spatium quatuor cannarum.

1 Multi alii Pontifices studuerunt decori urbis, ut passim videre est in hoc *Bullario*.

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

2 Pessime edit. Main. legit *angustias* pro *angustius* (R. T.).

Commoda semper ad circuitum romaneat terrae planities.

daequent et in planitiem redigant; nullo autem modo ab iisdem moenibus et propugnaculis separent vel amoveant, itaut prope eadem moenia et propugnacula, cum opus fuerit, libere incedi, illaque commode circuiri possint, et ob terrae qua fulciuntur detractionem seu defectum debiliora minime reddantur; necnon, ut porticulae in moenibus et propugnaculis praedictis apertae omnino claudantur seu obstruantur, et, quae ad praesens clausae seu obstructae sunt, nunquam sine nostrâ et pro tempore existentis Romani Pontificis licentiâ recludantur et aperiantur.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, legibus quoque, tam imperialibus, quam municipalibus, ac, quatenus opus sit, nostrâ regulâ de non tollendo iure quaesito, et dictae Urbis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, stylis, usibus et reformationibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 3. Ut autem earumdem praesentium tenor omnibus innotescat, volumus eas in valvis basilicae Principis Apostolorum, et in acie campi Florae, aliisque solitis locis Urbis, ut moris est, publicari, ipsasque sic publicatas omnes et singulos ita afficere, ac si unicuique personaliter intimatae fuissent,

§ 4. Quodque earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV martii MDCXLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 4 martii 1645, pontif. anno I.

XVIII.

Conceditur auditoribus sacrae Rotae indultum deferendi ubique et omni tempore rocchettum[1].

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Commendat assiduos et graves labores auditorum Rotae Romanae.

§ 1. Dum assiduos gravesque labores, quos dilecti filii cappellani nostri causarum palatii apostolici auditores, tam pro nostro et Sedis Apostolicae servitio, quam pro ministrandâ quibuscumque personis ad Sedem Apostolicam undique[2] confluentibus iustitiâ, iugiter sustinent, ac etiam conspicuam eorum muneris dignitatem sedulâ consideratione perpendimus, dignum plene reputamus et rationi consentaneum, ut ipsi, sicuti singulari sunt Apostolicae Sedi praedictae adiumento, Romanaeque Curiae ornamento, ita peculiari honoris notâ eiusdem Sedis beneficio decorentur.

Cum viginti-quinque annorum spatio in eorum fuerit numero, peculiari eos decorat ornamento et facultate.

§ 2. Volentes itaque erga eosdem cappellanos auditores, e quorum numero nos, dum in minoribus constituti essemus, viginti quinque annorum spatio fuimus, aliquod paternae nostrae munificentiae extare monumentum, eosque specialis favore gratiae prosequi, ac eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesen-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Edit. Main. habet *dunique* (R. T.).

lium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnibus et singulis cappellanis auditoribus huiusmodi nunc et pro tempore perpetuo existentibus, quod in quibusvis conciliis, etiam universalibus, congressibus, congregationibus, conventibus, sessionibus, processionibus, pompis, consiliis, functionibus, negotiis, ceterisque actibus publicis et privatis, pontificiis, imperialibus, regiis, cardinalitiis, ac quorumcumque principum, sive sacris, sive profanis, vel mixtis, tam in Statu Ecclesiastico, quam extra illum, ubique locorum et gentium, etiam in Romana curiâ, ac in quibusvis regnis, provinciis, regionibus et locis etiam transalpinis et ultramarinis, ac etiam in nostrâ et Romani Pontificis pro tempore existentis, ac imperatoris, regum, cardinalium, etiam de latere legatorum, ducum, principum, et quorumlibet aliorum quacumque mundanâ et ecclesiasticâ dignitate etiam specialem et individuam expressionem requirente fulgentium, praesentiâ, conspectibus et curiis, et generaliter ubicumque, coram quibuscumque, et quovis tempore, rocchettum palam deferre, illoque induti publice incedere et comparere libere et licite possint et valeant, plenam et amplam facultatem et licentiam, tenore praesentium, perpetuo concedimus et impertimur.

Ubique locorum palam deferendi rochettum, illoque congrue indutos publice incedendi,

Etiam in conciliis universalibus,

In congressibus, congregationibus et conventibus ceterisque Pontificiis, regalibus et imperialibus,

In omnibus regnis, provinciis et regionibus,

Coram regibus et imperatoribus.

§ 3. Decernentes eosdem cappellanos auditores desuper a quoquam quavis auctoritate nullatenus molestari seu impediri, neque praesentes litteras de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae, aut quovis alio defectu notari, impugnari, vel redargui, nec sub similium vel dissimilium gratiarum moderationibus, limitationibus, revocationibus et quibusvis aliis contrariis dispositionibus, per quoscumque Romanos Pontifices successores nostros et Sedem praedictam, etiam motu simili, ac etiam concistorialiter et aliàs quomodolibet pro tempore factis et faciendis, comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac etiam sub posteriori datâ quandocumque eligendâ de novo concessas, semperque validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dictis cappellanis auditoribus perpetuo suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, nunc et pro tempore existentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

A quoquam et quavis auctoritate nullatenus molestandos.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus, ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Contraria tollit.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub

annulo Piscatoris, die VII martii MDCXLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 7 martii 1645, pontif. anno I.

XIX.

Quod procuratores poenitentiariae apostolicae nunc et pro tempore existentes possint deferre tunicam, sottanam *vulgo nuncupatam, et cingulum coloris violacei*[1].

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius Constitutionis.

Pro nostri pastoralis officii debito quorumlibet Romanae curiae praesertim vero poenitentiariae nostrae apostolicae in officio procuratoris officialium decori consultum esse cupientes, et proinde dilectos filios Thomam Virietum Tullensis, ac Marium, Mariotum, Venturinum, Lunensis, Sarzanensis respective dioeceses, necnon Petrum Caelestinum, presbyteros, Aretinum, qui, sicut accepimus, praedictum procuratoris huiusmodi officium hactenus laudabiliter exercuerunt, ut illud de cetero honoratius pro servitio et decore tribunalis eiusdem poenitentiariae obire valeant, aliquâ honoris notâ exornare illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eisdem Thomae, Mario, Marioto et Petro, quod ipsi, uti officiales nostri et Sedis Apostolicae, eorumque pro tempore successores in praedicto procuratoris huiusmodi officio, tunicam, *sottanam* vulgo nuncupatam, ac cingulum violacei coloris, quamdiu officium procuratoris huiusmodi obtinuerint, palam et publice deferre et gestare, illisque uti, ac cum eis incedere libere et licite possint et valeant, et eorum quilibet possit et valeat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Contra haec omnis oppositio irrita.

§ 2. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ipsisque Thomae, Mario, Marioto et Petro, eorumque successoribus praefatis, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti tribunalis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII martii MDCXLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 8 martii 1645, pontif. anno I.

XX.

Deputatio episcopi Scutarensis in administratorem quarumdam ecclesiarum in partibus infidelium[1].

Venerabili fratri episcopo Scutarensi,
Innocentius Papa X.
Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Pontifex episcopo Scutarensi regimen ec-

§ 1. Indemnitati ecclesiarum Dulcini, ac Sfaciae et Drivastensis pro pastoralis

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

clesiarum Dulcini, Sfasciae et Drivastensis committit.

officii nostri munere, quantum cum Domino possumus, providere volentes, ac de fraternitatis tuae fide, prudentiâ, doctrinâ et religionis zelo plurimum in Domino confisi, de venerabilium fratrum nostrorum negocio Propagandae Fidei praepositorum consilio, tibi curam, regimen et administrationem earumdem ecclesiarum Dulcini, ac Sfaciae et Drivastensis in spiritualibus et temporalibus cum omnibus et singulis facultatibus, auctoritate et potestate, quas earumdem ecclesiarum episcopi pro tempore existentes de iure vel de consuetudine habere solent et possunt, ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, committimus et demandamus.

Poenas ferendi facultatem contra inobedientes ipsi episcopo concedit.

§ 2. Mandantes propterea dilectis filiis clero et populis[1] civitatum, dioecesum ecclesiarum huiusmodi, ceterisque ad quos spectat, ut tibi in[2] omnibus officium administrationis huiusmodi concernentibus, et quae in Domino eis mandanda duxeris, pareant et obediant, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, ab omnibus inviolabiliter observari.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictarumque ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x martii MDCXLV[1], pontificatus nostri anno I.

Dat. die 10 martii 1645, pontif. anno I.

1 Coniunctionem *et* delemus (R. T.).
2 Praeposit. *in* nos addimus (R. T).

XXI.

Deputatio episcopi Termiae in administratorem ecclesiarum Syphri et Zeae, ecclesiae Thermiae vicinarum, in partibus infidelium[2].

Venerabili fratri Ioanni episcopo Thermiae,
Innocentius Papa X.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Termiae episcopo ecclesiarum Syphri et Zeae administratio conceditur.

§ 1. Indemnitati ecclesiarum Syphri et Zeae, ecclesiae Thermiae vicinarum, pro pastoralis officii nostri munere, quantum cum Domino possumus, providere volentes, ac de fraternitatis tuae fide, prudentiâ, doctrinâ et religionis zelo plurimum in Domino confisi, de venerabilium fratrum nostrorum negocio Propagandae Fidei praepositorum consilio, tibi curam, regimen et administrationem earumdem ecclesiarum Syphri et Zeae in spiritualibus et temporalibus cum omnibus et singulis facultatibus, auctoritate et potestate, quas earumdem ecclesiarum episcopi pro tempore existentes de iure vel de consuetudine habere solent et possunt, ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium committimus et demandamus. Mandantes propterea dilectis filiis clero et populis civitatum et dioecesum ecclesiarum huiusmodi, ceterisque ad quos spectat, ut tibi in omnibus officium administrationis huiusmodi concernentibus, et quae in Domino eis mandanda duxeris, pareant et

1 Male ed. Main. habet 1643 (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

obediant, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, latam[1] et gratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam ab omnibus inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictarumque ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII martii MDCXLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 12 martii 1645, pontif. anno I.

XXII.

Deputatio archiepiscopi Antibarensis in administratorem ecclesiarum regni Serviae in partibus infidelium[2].

Venerabili fratri Francisco Antibarensi, archiepiscopo
Innocentius Papa X.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Archiepiscopo Antibarensi ecclesiarum regni Serviae regimen traditur.

§ 1. Indemnitati ecclesiarum regni Serviae pro pastoralis officii nostri munere, quantum cum Domino possumus, providere volentes, ac de fraternitatis tuae fide, prudentiâ, doctrinâ et religionis zelo plurimum in Domino confisi, venerabilium fratrum nostrorum negocio Propagandae Fidei praepositorum consilio, tibi curam, regimen, administrationem omnium ecclesiarum dicti regni Serviae in spiritualibus et temporalibus, cum omnibus et singulis facultatibus, auctoritate et potestate, quas earumdem ecclesiarum episcopi pro tempore existentes de iure vel de consuetudine habere solent et possunt, ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, committimus et demandamus.

Poenae deferendae ab episcopo approbantur.

§ 2. Mandantes propterea dilectis filiis clero et populo civitatum et dioecesum ecclesiarum huiusmodi, ceterisque ad quos spectat, ut tibi in omnibus officium administrationis huiusmodi concernentibus, quae in Domino eis mandanda duxeris, pareant et obediant, alioquin sententiam seu poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam ab omnibus inviolabiliter observari.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictarumque ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum, etc. *

* Est absque data.

XXIII.

Facultas episcopo Oxomensi inhibendi regularibus, ne absque suâ licentiâ

1 Potius lege *ratam* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

confessiones audiant, minusque verbum Dei praedicent[1].

Venerabili fratri,
moderno episcopo Oxomensi,
Innocentius Papa X.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva huius Constitutionis.

Cum, sicut nobis nuper exponi fecisti, in tuis civitate et dioecesi Oxomensi multi diversorum Ordinum religiosi, sub praetextu quod ad sacras confessiones audiendas et verbum Dei praedicandum semel approbati fuerint, absque tuâ licentiâ confessiones praedictas audiant et verbum Dei praedicent, non sine gravi christifidelium scandalo et eorum salutis animarum detrimento, et, licet per censuras et poenas ecclesiasticas contra eosdem processeris, ii tamen vigore cuiusdam privilegii a felicis recordationis Clemente Papa V praedecessore nostro ad favorem Mendicantium emanati se ab alio quam Romano Pontifice pro tempore existente excommunicari minime posse praetendant:

Quod regulares possint tantum cum licentiâ Ordinarii confessiones audire et verbum Dei praedicare.

§ 2. Nos, inconvenientibus huiusmodi, iuxta creditum nobis desuper apostolicae servitutis officium, quantum cum Domino possumus obviare, teque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, supplicationibus tuo nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, tibi, religiosis praedictis, ne absque tuâ licentiâ sacras confessiones de cetero audire minusque verbum Dei praedicare audeant seu praesumant, per censuras et poenas ecclesiasticas auctoritate nostrâ inhibendi, eosdemque ad exhibendum tibi licentias, quas illi desuper a te sive a praedecessoribus tuis ecclesiae Oxomensis praesulibus vel administratoribus obtinuerint, ad hoc ut eas vel confirmes vel revoces prout ad divini cultus augmentum et animarum civitatis et dioecesis praedictarum salutem et aedificationem in Domino expedire iudicaveris, dictâ auctoritate cogendi et compellendi, facultatem, dictâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Contraria diluuntur.

§ 3. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictorum Ordinum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, necnon praedicti Clementis praedecessoris et quibusvis aliis privilegiis, etiam in vim cruciatae sanctae eis quomodolibet competentibus, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, aut aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII martii MDCXLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 18 martii 1645, pontif. anno I.

---

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

XXIV.

Facultas nuncio apostolico apud imperatorem liberandi archiepiscopum electorem Trevirensem e custodiâ in qua nomine Sedis Apostolicae detinetur[1].

Venerabili fratri Camillo archiepiscopo Capuano, nostro et Apostolicae Sedis apud charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Romanorum regem in imperatorem electum nuncio,

Innocentius Papa X.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Facultas liberandi e custodiâ archiepiscopum Trevirensem innocentem nuncio tribuitur.

§ 1. Cum venerabilis frater Philippus Christophorus archiepiscopus Treverensis S. R. I. princeps elector et episcopus Spirensis aliàs per milites in eius civitate Treverensi captivus ductus, ac postmodum, vigore litterarum in simili formâ Brevis felicis recordationis Urbani PP. VIII praedecessoris nostri, tunc existenti huius sanctae Sedis apud charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Romanorum regem in imperatorem electum nuncio consignatus, nostro et eiusdem Sedis nomine sub tuâ custodiâ detineatur, hactenus autem, neque coram nobis, neque coram te contra ipsum Philippum Christophorum archiepiscopum electorem et episcopum quidquam deductum et probatum sit, propter quod ille iuxta canonicas sanctiones retineri et custodiri debeat: idcirco, ne idem Philippus Christophorus amplius detineatur, èâque de causâ ecclesiae illi commissae diutius pastoris solatio careant, quantum cum Domino possumus, providere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi eumdem Philippum Christophorum archiepiscopum electorem et episcopum praedictâ detentione et custodiâ penitus auctoritate nostrâ dimittendi et liberandi, illique reddendi[1] licentiam, ut apud suas ecclesias residere, illasque, ut prius, regere et gubernare, ac subditos et dioecesanos suos verbo et exemplo pascere valeat, concedendi, facultatem tenore praesentium tribuimus et impertimur.

Contrariorum derogatio.

§ 2. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam longissimis et immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX martii MDCXLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 20 martii 1645, pontif. anno I.

XXV.

Deputatio episcopi Chersonensis in Tartaria in administratorem nonnullarum ecclesiarum in partibus infidelium suae ecclesiae vicinarum[2].

Venerabili fratri Sigismundo, episcopo Chersonensi in Tartaria Praecopensi,

Innocentius Papa X.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Ecclesiarum Tartariae regimen episcopo Chersonensi datur.

§ 1. Indemnitati ecclesiarum tuae ecclesiae Chersonensi vicinarum in utrâque

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Pro *reddendi* lege *redeundi* (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

Circassia, Memgrelia et Abbatia existentium pro officii nostri munere quantum cum Domino possumus providere volentes, ac de fraternitatis tuae fide, prudentiâ, doctrinâ et religionis zelo plurimum in Domino confisi, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negocio Propagandae Fidei praepositorum consilio, tibi curam, regimen et administrationem earumdem ecclesiarum in spiritualibus et temporalibus, cum omnibus et singulis facultatibus, auctoritate et potestate, quas earumdem ecclesiarum episcopi pro tempore existentes de iure vel consuetudine habere solent et possunt, ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, committimus et demandamus.

Mandatum de eidem episcopo parendo.

§ 2. Mandantes propterea dilectis filiis clero et populis civitatum et dioecesum ecclesiarum huiusmodi, ceterisque ad quos spectat, ut tibi in omnibus officium administratoris huiusmodi concernentibus et quae in Domino eis mandanda duxeris, pareant et obediant, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, faciemus auctore Domino ab omnibus inviolabiliter observari.

Contraria diluuntur.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictarumque ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII martii MDCXLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 22 martii 1645, pontif. anno I.

XXVI.

Confirmatio suppressionis Ordinis fratrum Ss. Ambrosii et Barnabae ad Nemus, et erectio illorum monasteriorum in beneficia secularia[1].

Innocentius episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

§ 1. Quoniam nostro pastorali potissimum incumbit officio, ut ea, quae per praedecessores nostros circa regulares personas a praescriptâ sibi vivendi normâ et verae virtutis viâ aberrantes in desidie aliorumque vitiorum praecipitia foede dilabentes etiam per viam suppressionis et extinctionis Ordinis praedictarum regularium personarum, casibus ita ferentibus, proinde ordinata fuerunt, debitum finem sortiantur[2].

Motiva.

§ 2. Dudum siquidem felicis recordationis Urbanus Papa VIII praedecessor noster (cum dilectos filios fratres Ordinis Ss. Barnabae et Ambrosii ad Nemus professores nec monitionibus, nec obsecrationibus, aut correctionibus flectere potuisset, ut ipsi remedia salutaria reciperent et alicui studio ad Ecclesiae Dei utilitatem incumberent, ac futurae virtutis licet diutinus[3] expectatos fructus vel aliquod specimen ostenderent, sed fere omnes Dei timore postposito et suae professionis immemores, imo votorum transgressioni assuetos, in profundum malorum iam esse delapsos accepisset), habitâ super

1 Ex Regest. in Secret. Brev. — De hac materiâ vide Const. DCCCIX Urbani VIII, *Quantum*, XIII februarii MDCXLIV, supra, pag. 292.

2 Syntaxis manet inabsoluta (R. T.).

3 Lege *diutius* (R. T.).

praemissis et aliis eorum criminibus et excessibus per nonnullos S. R. E. cardinales ac Romanae curiae praelatos ab eodem praedecessore desuper deputatos maturâ, diligenti et diutinâ deliberatione, de eorumdem cardinalium ac praelatorum consilio, praedictum Ordinem Ss. Ambrosii et Barnabae ad Nemus apostolicâ auctoritate perpetuo suppressit, extinxit et abolevit, prout in litteris apostolicis desuper expeditis plenius continetur.

Factum exponitur.

§ 3. Cum autem, sicut accepimus, subinde plures suppressi Ordinis huiusmodi religiosi, tam a nobis, quam ab ipso Urbano praedecessore, a praedictâ religione egrediendi et ad seculum redeundi et inibi in presbyteri seu clerici secularis habitu et statu remanendi licentiam reportaverint, multique alii religiosi huiusmodi sub eo praetextu a dictâ religione sint egressi, et alii in eâ suo habitu regulari retento permanserint et permaneant; aequitati vero convenire videatur, ut illis qui remanserunt pro suâ habitatione certa assignentur monasteria seu domus: nos igitur, eâ ratione ducti, motu proprio, et de certâ scientiâ, maturâque deliberatione, ac liberâ voluntate, ac de apostolicae potestatis plenitudine, eiusdem Urbani praedecessoris litterarum et inde sequutorum quorumcumque tenores, et[4] veriores, ac datum, nec non singulorum monasteriorum, ecclesiarum, cappellarum, prioratuum, conventuum, domorum et locorum regularium, ac quorumcumque aliorum beneficiorum suppressi Ordinis et sub eâdem suppressione comprehensorum, illorumque praediorum, possessionum, bonorum, rerum, iurisdictionum, actionum, censuum, canonum et pensionum, illorumque fructuum, reddituum et proventuum qualitates, quantitates, actiones, confines, vocabula et dependentias, illorumque veros et annuos valores praesentibus pro expressis habentes (praevià Ordinariis locorum, quacumque dignitate episcopali, patriarchali et cardinalitiâ dignitate fulgentibus, de omnibus beneficiis ecclesiasticis, cum curâ et sine curâ, conventibus, domibus, locis, praediis et bonis, mobilibus et immobilibus ac se moventibus, supellectileque tam sacrâ quam profanâ, rebus, actionibus, ac iuribus quibuscumque ad dictum suppressum Ordinem quomodolibet spectantibus et pertinentibus, ac de illorum fructibus, redditibus et proventibus, iuxta formam in dictis Urbani praedecessoris litteris traditam, disponendi[1], illaque administrandi et dispensandi, ac[2] fratres eiusdem suppressi Ordinis, in propriis dictorum Ordinariorum dioecesibus existentes, in uno aut pluribus conventibus cuiuscumque dioecesis ex tunc deinceps pro tempore quoad vixerint collocandi et remanendi, prout eis in Domino videretur[3]),

Assignantur certae domus pro fratribus qui in praedicto Ordine perseverare cupiunt.

§ 4. Volumus praeterea, statuimus et ordinamus quod illi suppressi Ordinis huiusmodi fratres, qui in regulari statu perseverare voluerint, ex monasteriis, domibus et quibusvis aliis locis regularibus supradicti suppressi Ordinis in dominio et ditione temporalibus ducatus Mediolanensis, dumtaxat in monasteriis et regularibus domibus S. Ambrosii ad Nemus et primi[4] in civitate Mediolanensi, ex Mantua vero et Montisferrati ducatibus, in S. Nicolai in civitate Mantuana, ac de Sabaudiae ducatu et Pedemontano principatu, illorumque dominiis et ditionibus temporalibus, in S. Iacobi in civitate Montisregalis provinciae Taurinensis, S. Iacobi et Philippi in loco de Sommariva dioecesis Taurinensis collocari, ad illa

1 Nempe *etiam* (R. T.).

1 Videtur deesse vox *facultate* (R. T.).

2 Perperam edit. Main. legit *ad* pro *ac* (R. T.).

3 Forsan legendum *videbitur* (R. T.).

4 Si error irrepsit, corrigat lector scius; ex infra dicendis legendum potius *S. Primi* (R. T.).

transire et in eis permanere, ac de illorum fructibus, redditibus et proventibus, pro ipsorum victu et amictu ac aliis necessariis, provideri et manuteneri debeant, prout nunc et pro tempore existens S.R.E. cardinalis ille qui in Urbe eiusque districtu vicarii generalis munere fungetur, seu etiam eius pro tempore vicesgerens, disponet et ordinabit; quibus et eorum cuilibet in hoc omnino, etiam sub sententiis, censuris et pecuniariis et corpore[1] afflictivis poenis, cuiuslibet ipsorum arbitrio infligendis et moderandis ac tollendis, parendum fore decernimus; ita etiam taliter quod, donec et quousque praedicti fratres in monasteriis et domibus regularibus praedictis regularium vitam servates collati[2] seu ad illa translati et in illis stabiliti fuerint, et interim, tot ipsis ex dicti suppressi Ordinis effectibus subministretur[3] realiter et cum effectu[4] pro tempore existentes monasteriorum seu ecclesiarum et locorum regularium eiusdem suppressi Ordinis commendatarios titulares seu administratores, ut[5] sub sententiis, censuris et poenis, arbitrio quo supra infligendis, tradendos et consignandos[6], quos[7] cardinalis vicarius seu vicesgerens praedictus ad id sufficere iudicaverit; declarantes tamen, quod ad subministrationem fructuum, reddituum et proventuum huiusmodi pro victu et vestitu religiosorum teneatur quilibet commendatarius administrator seu titularis solum pro religiosis, quos in proprio conventu seu beneficio pro tempore degere contigerit. Praeterea, ut bonorum regimini, gubernio et administrationi monasteriorum, ecclesiarum, prioratuum, conventuum, hospitiorum, domorum, et aliorum regularium dicti suppressi Ordinis locorum proinde consulamus, omnia et singula monasteria, ecclesias, cappellas, cappellanias, beneficia ecclesiastica, altaria, legata pia, prioratus, conventus, hospitia, domos et loca regularia quaecumque suppressi Ordinis huiusmodi ad secularitatem et secularem statum in omnibus et per omnia et quoad omnia (ita quod, si qui presbyteri vel clerici seculares aliqua illorum in commendam de concessione vel dispositione apostolicâ obtineant, illa deinceps uti secularia retineant) ex nunc in perpetuum reducimus, ac secularia fore et esse decernimus et declaramus; praeviâ[1], quatenus opus sit, in singulis prioratibus, monasteriis, quibus infrascriptae uniones[2], quorumvis aliorum titulorum in titulum abbatiae collativae secularis (seu alio titulo et denominatione per nos in actu provisionum designando), cum omnibus honoribus, iuribus et pertinentiis similibus abbatibus de iure, usu, consuetudine, privilegio, aut aliàs quomodolibet competentibus, erectione; quoad ecclesias videlicet S. Pancratii et S. Clementis, inter se aequaliter et aeque principaliter unitas, salvâ et illaesâ remanente[3] (in illis tamen regulari in secularem statum immutato), cum omnibus et singulis suis oneribus et honoribus, iuribus, actionibus et pertinentiis pro tempore existentium earumdem ecclesiarum S. R. E. cardinalium titularium[4], omnia et singula monasteria, domos et loca, quae in Statu Ecclesiastico in partibus Italiae existentium[5] (et signanter in dioecesi Tiburtinâ, scilicet in eâdem civitate in loco Rioffredo, in eâdem dioe-

Pro illorum etiam victu et vestitu cardinalis vicarius Urbis vel illius pro tempore vicesgerens providebit.

Insuper omnia beneficia, domus et monasteria praedicti Ordinis ad secularitatem reducuntur.

1 Aptius lege *corporis* (R. T.).
2 Potius legerem *collecti* (R. T.).
3 Legendum foret *subministrentur* (R. T.).
4 Videtur heic deesse vox *per* (R. T.).
5 Partic. *ut* praeter rem est; vel leg. *et* (R.T).
6 Potius leg. *tradendi et consignandi* (R. T).
7 Aptius lege *quot* (R. T.).

1 Quae sequuntur intelligat qui potest (R. T.).
2 Videtur addendum *fiunt* vel *fient* (R. T.).
3 Nempe *abbatiâ* vel *abbatiae erectione* (R.T).
4 Subde *unimus*, etc. ut inf. pag. 375 *b* (R.T).
5 Potius lege *existunt* (R. T.).

cesi in loco Vicovaro, in eâdem dioecesi[1] et in provinciâ Marchiae Anconitanae S. Ioannis Recanatensis, S. Ioannis Esinensis, S. Mariae de Nive Maceratensis, et alia in terrâ Fabriani Monti de Valle S. Ægidii ad Mare Mosvari, dioecesis Esinensis, civitate Firman. Anconitano[2] in loco dicto *la Muccia,* dioecesis Camerinensis in terrâ de Visso, et in civitate Theatinensi, et alia si qua sint in eâdem provinciâ seu alibi in dicto dominio temporali Status Ecclesiastici in Italia); ecclesiae seu monasterio S. Iacobi dioecesis Montis Regalis, vel Ss. Iacobi et Philippi Taurinensis aequaliter et ad invicem[3]; ecclesiae seu monasterio S. Mariae in Pertica Papiensis, domus, monasteria, seu loca S. Catherinae *del Sasso* supra locum maiorem[4] cum illi annexo S. Mariae *del Sasso* de Pernutae, S. Ambrosii *della Victoria* terrae de Parabinio, S. Mariae *della Vita* terrae Olgivatae in Monte de Brianza, S. Mariae Gratiarum de Casserno *sopra il Naviglio grande,* cum illi annexis S. Mariae de Carpenzaio, S. Mariae *del Terdobio* terrae Zinaschi, et S. Mariae Regalis terrae Vallegio, Mediolanensis, Papiensis, aut aliarum respective dioecesum (ita[5] quod nullus praedictorum religiosorum ad monasteria seu alia regularia loca suppressi Ordinis huiusmodi dominii seu ditionis temporalis alterius principis transferatur, sed quisque in designatis ecclesiis et monasteriis dominii et ditionis temporalis principis, sub quo ad praesens degit, commorari et transferri debeat; quodque abbatia[6] S. Pancratii et S. Clementis, cum supradictis unitis in civitate et dioecesi Tiburtinensi ac in provinciâ Marchiae Anconitanae, unum, aliud[1] abbatiae S. Iacobi Montis Regalis provinciae Taurinensis et Ss. Iacobi et Philippi Taurinensis, aliud abbatiae S. Ambrosii ad Nemus et S. Primi Mediolanensis, aliud abbatiae S. Mariae in Pertica Papiensis cum supradictis unitis, aliud abbatiae SS. Crucifixi Pistoriensis, aliud abbatiae S. Rochi Ianuensis, aliud abbatiae S. Nicolai Mantuanae corpora sub titulo unius proprii[2] simplicis beneficii ecclesiastici seu monasterii abbatiae nuncupati secularis collativi conficiant, et omnia, ut supra sic unita, in titulum, commendam unius beneficii perpetui ecclesiastici, seu unius monasterii, seu alio titulo vel denominatione per nos ut praefertur designando, secularis abbatiae nuncupatae collativi, conferri seu perpetuo commendari debeant etiam simplici clerico in aetate a Concilio Tridentino ad simplicia beneficia ecclesiastica praescriptâ constituto), cum omnibus et singulis ipsorum bonis, domibus, rebus, proprietatibus, iurisdictionibus, beneficiorum collationibus, iuribus, actionibus, annexis, connexis, pertinentiis et dependentiis, ac adiacentiis, illorumque censibus, canonibus, responsionibus, fructibus, redditibus, proventibus et emolumentis universis, perpetuo unimus, annectimus et incorporamus; illisque sic unitis, annexis et incorporatis, de singulo membro sic unito, annexo et incorporato unum corpus in titulum cuius[3] perpetui simplicis beneficii ecclesiastici, seu monasterii (vel alio titulo aut denominatione ut praefertur designando) secularis abbatiae nuncupatae ut praefertur collativi, etiam perpetuo erigimus et instituimus; necnon eisdem et cuilibet eorum bona, res, proprietates, domos, praedia, possessiones, canones, census, responsiones, iura, actiones, et il-

Nonnulla de hac re superadduntur.

Aliqua notantur.

1 Verba *in eâdem dioecesi* delerem (R. T.).
2 Ita legit ed. Main. (R. T.).
3 Subintellige *unimus* (R. T.).
4 Videtur legendum *Lacum Maiorem* (R. T.).
5 Vocem *ita* et distinet nos addimus (R. T.).
6 Ex seqq. lege *abbatiae* (R. T.).

1 Comma et vocem *aliud* nos addimus (R. T.).
2 Infra legitur *perpetui* (R. T.).
3 Legendum *unius* ut supra (R. T.).

lorum singularum[1] fructus, redditus, proventus, obventiones et emolumenta quaecumque (ita quod liceat, illa pro tempore obtinentibus in titulum, commendam, seu administrationem, omnium et singulorum illorum veram, realem, actualem et corporalem possessionem, per se, vel alium, seu alios ipsorum nomine, propriâ auctoritate apprehendere, et apprehensa[2] suo et singulorum beneficiorum seu monasteriorum huiusmodi iuribus perpetuo retinere, fructus quoque, redditus et proventus, iura, bona quaecumque creare[3], dislocare, arrendare, ac in suos et dictorum beneficiorum seu monasteriorum usus convertere, dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisitâ), similiter perpetuo applicamus et appropriamus; necnon omnimodam et plenariam collationem, provisionem, et institutionem, destitutionem, ac dispositionem dictorum beneficiorum seu monasteriorum, tam hac primâ vice, quam aliâs quandocumque, ubicumque et qualitercumque, et in quibusvis mensibus, et ex quibusvis personis, etiam quomodolibet qualificatis, etiam speciali notâ dignis, pro tempore, et illorum commendâ cessante, vacantium seu vacaturorum, nobis et Sedi Apostolicae etiam perpetuo reservamus; et pro maiori firmitate et subsistentiâ praedictas Urbani praedecessoris litteras (in eis tamen in quibus praesentibus non contrariantur) in omnibus et per omnia quoad omnia et singula perpetuo quoque confirmamus et approbamus, illisque perpetuae inviolabilis confirmationis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti, solemnitatum etiam quomodolibet substantialium et requisitarum ac necessariarum, defectus, si qui desuper, principaliter vel accessorie, tacite vel manifeste, de iure vel de facto, aut quomodolibet intervenerint, in eisdem supplemus; praesentes quoque et desuper conficiendas litteras (etiam ex eo quod superiores et alii fratres dicti suppressi Ordinis et ceteri quicumque in praemissis interesse habentes et habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati aut auditi fuerint) nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis et invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato et substantiali (sive etiam ex eo quod in praemissis seu eorum aliquo solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite, a iure vel a facto aut statuto vel consuetudine aliquâ resultante, seu etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, aut quocumque alio colore, praetextu, ratione, vel causâ, etiam in corpore iuris clauso[1], etiam quantumvis iustâ, rationabili, privilegiatâ, et tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostrâ huiusmodi et aliis superius expressis seu relatis nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset) notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, ad viam et terminos iuris[2], facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet concesso aut impetrato uti seu se iuvare in iudicio vel extra, neque easdem praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, pro tempore quomodolibet faciendis, comprehendi[3], sed semper ab illis exceptas, perpetuoque

Dictorumque beneficiorum collationem Sedi Apostolicae perpetuo reservat.

Urbani litteras confirmat Pontifex.

Et ad illarum validitatem perpetuis futuris temporibus prospicit.

1 Videtur legendum *singulorum* (R. T.).
2 Potius lege *apprehensam* (R. T.).
3 An verbum *creare* conveniat, nescio (R. T.).

1 Potius lege *clausâ* (R. T.).
2 Deest vox *reductionis* (R. T.).
3 Deest verbum *posse* (R. T.).

validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos ac nuncios, et alios quavis auctoritate et potestate fungentes, in quavis causâ et instantiâ, sublatis eis et eorum cuilibet aliter iudicandi ac interpretandi facultate et auctoritate, iudicari debere [1], irritum quoque decernimus et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 5. Non obstantibus praemissis, et, quatenus opus sit, nostris et cancellariae apostolicae regulis de iure quaesito non tollendo, ac de unionibus committendis ad partes, vocatis ad id qui fuerint vocandi, exprimendoque vero valore, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a iure praemissis fieri prohibentis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscumque.

§ 6. Volumus autem, ut praesentium transumptis, manu prodatarii seu datarii pro tempore existentis subscriptis, ac etiam impressis, eadem fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis. § 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae voluntatis, statuti et ordinationis, decreti, declarationis, reductionis, unionis, annexionis, incorporationis, erectionis, appropriationis, reservationis, approbationis, adiectionis et suppletionis infringere vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXLV, kalendis aprilis, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 1 aprilis 1645, pontif. anno I.

1 Verba *iudicari debere* nos addimus (R. T.).

XXVII.

Confirmatio concordiae inter regem catholicum et clerum regnorum Castellae et Legionis initae super subsidio excusato *nuncupato* [1].

Innocentius Papa X, ad futuram rei memoriam.

Pro nostro munere [2] in his partes nostras libenter interponimus, quae ad concordiam et pacem inter catholicos reges et ecclesiasticas personas super exactionibus apostolicâ auctoritate faciendas pertinere dignoscuntur. Proœmium.

Causae huius Constitutionis. § 1. Nuper siquidem (sicut nobis nuper exponi fecerunt charissimus in Christo filius noster Philippus IV Hispaniarum rex catholicus ac dilecti filii singularum Toletanae, Hispalensis, Compostellanae, Granatensis, Burgensis, Legionensis, Ovetensis, Palentinae, Seguntinae, Conchensis, Cordubensis, Pampilonensis, Giennensis, Zamorensis, Astoricensis, Malacitanae, Cauriensis, Pacensis, Auriensis, Canariensis, Guadicensis, Segobiensis, Civitatensis, Calaguritanae, Calciatensis, Salamantinae, Oxomensis, Vallisoletanae, Lucensis, Mindoniensis, Almeriensis, Tudensis, Abulensis, Oriolensis, Placentinae, Carthaginensis et Gadicensis ecclesiarum capitula, quae universum clerum regnorum Castellae et Legionis repraesentant), considerantes dictus Philippus rex et capitula praefata gratiam et concessionem

1 Ex regest. in Secret. Brev.

2 Conf. Constitut. CCCLXXVII Urbani VIII, tom. XIV, pag. 166 (R. T.).

primae decimae quarumlibet dictarum ecclesiarum et parochialium in omnibus Hispaniarum regnis ac insulis illis adiacentibus dudum per felicis recordationis Pium Papam V praedecessorem nostrum clarae memoriae Philippo II Hispaniarum regi catholico ipsius Philippi IV regis avo ad quinquennium concessam, et postea pluries a recolendae memoriae Gregorio XIII, deinde a Sixto V, et postmodum a Gregorio XIV, ac Clemente VIII, necnon Paulo V Romanis Pontificibus, etiam praedecessoribus nostris, eidem Philippo ac clarae similiter memoriae Philippo III, ipsius Philippi II nato et dicti Philippi IV genitori, necnon ipsi Philippo IV regi a similis memoriae Urbano Papa VIII, etiam praedecessore nostro, pluries, et in ultimâ vice ad aliud quinquennium a principio anni MDCXXXVIII inchoatum et in fine anni MDCXLII finitum, respective prorogatam et extensam, prout in singulis eorumdem praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur, si iisdem modo et formâ quibus concessa est exequutioni demandaretur, id non sine eiusdem cleri incommodo exequi posset; cupientesque praemissis, eâ qua fieri potest ratione, occurri, quo facilius illa ad quae tenentur ab ipsis adimpleri valeant, ipsaeque personae ecclesiasticae onus illis eam ob causam incumbens supportare facilius possint, ad infrascriptam concordiam per earum procuratores ad hoc a se specialiter deputatos devenerunt.

Rationes et motiva.

§ 1. In primis, quod praefatus status ecclesiasticus coronae Castellae et Legionis darent et solverent dicto Philippo IV regi, seu personae ab eo deputatae, seu deputandae, dugenta quinquaginta millia ducatorum, qui ascenderunt[1] ad numerum nonaginta trium computorum, seu millionum, et septingentorum quinquaginta millium morapetinorum quolibet anno, durantibus quinque annis prorogationis, pro iis quae ad hunc effectum dicto regi debentur et ad eum spectant ratione dictorum regnorum Castellae et Legionis, non comprehensis in praesenti concordiâ et repartitione dictorum dugentorum quinquaginta millium ducatorum regnis Aragoniae, Valentiae et Cataloniae cum insulis illis adiacentibus, itaut dictus Philippus IV rex ab ipsis possit exigere illud quod sibi ex prorogatione huiusmodi provenit, exceptâ ecclesiâ Oriolensi cuius dispositio et pars ingreditur et computatur unâ cum statu ecclesiastico coronae Castellae et Legionis; et quia transactionis et concordiae instrumentum, antequam gratiae praefatae prorogatio currere inciperet, stipulari debeat[1], id autem factum minime fuit eo quod ecclesiae distulerant insimul se congregare ad eum effectum[2], et ante congregationem huiusmodi fuissent decreti et relaxati ordines directi dictis ecclesiis pro summâ centum et viginti quinque millium ducatorum solvendorum in fine iunii anni MDCXXXVIII, quod solverunt, ideo convenerunt quod teneantur solvere novem successivas solutiones quarum ultima erit in fine anni MDCXLII videlicet solvendo quartam partem in argento, et reliquas tres in monetâ aeneâ, et quoad quartam partem argenteam in aere censeatur satisfieri dando et solvendo pro reductione et cambio ad rationem viginti pro quolibet centenario pro quinquennio praedicto ultimo prorogato (ita tamen, ut in futurum non possit trahi in consequentiam, neque quinquennio huiusmodi durante possit aliqua lex aut pragmatica tam facta quam facienda et promulganda alterare neque mutare dictam

1 Aptius lege, ut in l. par., *ascenderent* (R.T.).

1 Potius lege *debebat* (R. T.).

2 Inscite ed. Main. legit *affectum* (R. T.).

reductionem seu cambium, et neque illa neque ista censeantur comprehendere hanc conventionem et concordiam initam cum statu ecclesiastico); quas quidem solutiones facient et facere teneantur suis sumptibus in civitatibus principalibus cuiuslibet dioecesis secundum contributionem et partitionem infrascriptam, quam invicem fecerunt ad hoc ut contributio huiusmodi assignetur et recuperetur in specie in qualibet dioecesi ex redditibus decimalibus et primitialibus earum ecclesiarum, quia super istis et non super ullis[1] aliis redditibus ecclesiasticis debent repartiri et recuperari quolibet anno dictorum quinque annorum supradicti ducenti et quinquaginta mille ducati, et ex nunc remaneant obligata, prout se obligant capitula generaliter, et debent se obligare in particulari pro solutionibus, quarum remanent debitores, pro quinquennio ipsi Philippo regi IV ut praefertur prorogato, iuxta repartitionem quae est ut sequitur, videlicet:

Summae a capitulis numerantur solvendae.

Capitulum ecclesiae Toletanae, pro se et suâ dioecesi, solvet summam quatuordecim millionum, seu computorum, et septingentorum et decem millium, nonigentorum et triginta morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Hispalensis, pro se et suâ dioecesi, novem millionum, seu computorum, sexcentorum et sexaginta quinque millium, et trecentorum et triginta octo morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Salamantinae, pro se et suâ dioecesi, duorum computorum, seu milionum, ducentorum et nonaginta sex millium et duodecim morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Zamorensis, pro se et suâ dioecesi, duorum millionum, seu computorum, et septuaginta novem millium, ducentorum et quinquaginta septem morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Seguntinae, pro se et suâ dioecesi, duorum computorum, seu millionum, sexcentorum et quadraginta trium millium, centum et quadraginta septem morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Conchensis, pro se et suâ dioecesi, quatuor millionum, seu computorum, sexaginta et duorum mille, quingentorum et octuaginta et unius morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Carthaginensis, pro se et suâ dioecesi, unius millionis, seu computi, quingentorum et octuaginta quatuor mille, ducentorum et quadraginta septem morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Oriolensis, pro se et suâ dioecesi, quadringentorum et quadraginta millium, trecentorum et nonaginta septem morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Cordubensis, pro se et suâ dioecesi, trium millionum, seu computorum, quadringentorum et quinquaginta duorum mille, centum et octuaginta et quinque morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Pacensis, pro se et suâ dioecesi, unius millionis, seu computi, sexcentorum et novem millium, noningentorum et decem morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Cauriensis, pro se et suâ dioecesi, unius millionis, seu computi, quingentorum et nonaginta novem millia, ducentorum et quatuordecim morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Placentinae, pro se et suâ dioecesi, duorum millionum, seu computorum, trecentorum et novem millium, septingentorum et viginti et unius morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Giennensis, pro se et suâ dioecesi, duorum millionum, seu computorum, ducentorum et nonaginta quatuor millium, quadringentorum et sexaginta octo morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Compostellanae, pro se et suâ dioecesi, duorum millionum, seu computorum, septingentorum et undecim

1 Edit. Main. legit *illis* pro *ullis* (R. T.).

millium, ducentorum et quinquaginta octo morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Burgensis, pro se et suâ dioecesi, quinque millionum, seu computorum, centum et triginta duorum millium, quingentorum et sex morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Legionensis, pro se et suâ dioecesi, duorum millionum, seu computorum, ducentorum et octuaginta sex millium, et quinquaginta novem morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Ovetensis, pro se et suâ dioecesi, unius millionis, seu computi, quadraginta duorum millionum, octingentorum et viginti sex morapetinorum;

Capitula ecclesiarum Calaguritanae et Calciatensis, pro se suisque dioecesibus, duorum millionum, seu computorum, octingentorum et trium millium, centum et sexaginta quatuor morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Astoricensis, pro se et suâ dioecesi, unius millionis, seu computi, ducentorum et sexaginta millium, et sexaginta et octo morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Abulensis, pro se et suâ dioecesi, trium millionum, seu computorum, quinquaginta duorum millium, et quadraginta sex morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Segobiensis, pro se et suâ dioecesi, duorum millionum ac ducentorum et quadraginta septem millium, trecentorum et nonaginta unius morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Oxomensis, pro se et suâ dioecesi, duorum millionum, seu computorum, ducentorum et duorum millium, ducentorum et nonaginta novem morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Auriensis, pro se et suâ dioecesi, unius millionis, seu computi, centum et quinquaginta quatuor millium, centum decem et octo morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Lucensis, pro se et suâ dioecesi, quadringentorum decem et septem millium, et septuaginta duorum morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Mindonensis, pro se et suâ dioecesi, ducentorum et nonaginta trium millium, septingentorum et quadraginta morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Tudensis, pro se et suâ dioecesi, quingentorum millium, noningentorum et quinque morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Palentinae, pro se et suâ dioecesi, trium millionum, seu computorum, sexcentorum et quinquaginta millium, sexcentorum et nonaginta et unius morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Vallisoletanae, pro se et suâ dioecesi, unius millionis, seu computi, sexcentorum et tredecim millium, quadringentorum et nonaginta duorum morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Civitatensis, pro se et suâ dioecesi, septingentorum et quatuordecim millium, ducentorum et quadraginta sex morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Gadicensis, pro se et suâ dioecesi, sexcentorum et sexaginta septem millium, et quinquaginta novem morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Granatensis, pro se et suâ dioecesi, unius millionis, seu computi, quadringentorum, nonaginta et octo millium, noningentorum et quinquaginta septem morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Malacitanae, pro se et suâ dioecesi, unius millionis, seu computi, trecentorum et nonaginta septem millium, trecentorum et quinquaginta sex morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Guadixensis, pro se et suâ dioecesi, trecentorum et viginti quatuor millium, centum et octuaginta et octo morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Almeriensis, pro

se et suâ dioecesi, trecentorum et viginti sex millium, septingentorum et quinquaginta unius morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Pampilonensis, pro se et suâ dioecesi, unius millionis, seu computi, quadringentorum et septuaginta duorum millium, centum et quinguaginta quinque morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Canariensis, pro se et suâ dioecesi, quingentorum decem et octo millium, sexcentorum et duorum morapetinorum;

Abbatia de Alfaro, octuaginta novem millium, quingentorum et octuaginta septem morapetinorum;

Abbatia de Agreda, centum et quinquaginta sex millium, septingentorum et octuaginta morapetinorum;

Vicaria de Alva de Liste, centum et septuaginta novem millium, centum et septuaginta septem morapetinorum;

Vicaria de Huescar, centum et triginta trium millium, octingentorum quadraginta et unius morapetinorum;

Abbatia de Baza, centum et quinquaginta octo millium, centum viginti et unius morapetinorum;

Milites militiae S. Iacobi, duorum millionum, seu computorum, noningentorum et undecim millium, sexcentorum et triginta quatuor morapetinorum;

Milites militiae de Calatrava, duorum millionum, seu computorum, centum et octuaginta trium millium, septingentorum ac vigintiquatuor morapetinorum;

Milites militiae de Alcantara, unius millionis, seu computi, noningentorum et trium millium, septingentorum et septuaginta morapetinorum:

Capitulis committitur curà distributionum, exactionum, exequutionum.

§ 3. Insuper, attento quod capitula dictarum ecclesiarum obligant se ad securitatem et solutionem harum gratiarum, habeant ipsa capitula curam distributionum, exactionum, executionum, ceterarumque diligentiarum usque ad effectivam solutionem, debeantque facere repartitiones, illarumque expeditiones, mediantibus eorum computistis et secretariis modo et formâ consuetis, absque eo quod quivis alius, cuiuscumque dignitatis, status, gradus et conditionis existat, praemissa quoquo modo impedire, aut in eisdem sese intromittere possit; quodque mandata, citationes et declaratoriae, quae expedientur ut contribuentes solvant, mittantur per collectores *excusati* huiusmodi; quodque excutiones tangentes executionem dictarum gratiarum fiant per personam a capitulo sive eius collectore deputandam; quod capitula praedicta praemissorum occasione minime teneantur litem aliquam prosequi, sed dictus Philippus rex partibus ius habere praetendentibus, si quod tamen habuerint, modo et formâ per consilium cruciatae decernendis, satisfiat, a quo consilio super praemissis litterae et expeditiones necessariae ad favorem dictarum ecclesiarum dabuntur.

Per quos fieri debeant exequutiones.

§ 4. Item, quod, dicto Philippo rege obtinente Brevia gratiarum subsidii et excusati ad aliud quinquennium, illisque notificatis dictis capitulis ecclesiarum huiusmodi ut moris est, congregatio dictarum ecclesiarum teneatur sese congregare in oppido Matriti sex mensibus ante finem quinquennii concordiae huiusmodi, quoad excusatum, ad agendum de administratione subsequentis quinquennii; si vero congregatio seu deputati dictarum ecclesiarum infra dictum tempus se congregare neglexerint, aut eis congregatis et differentibus resolutionem administrationis harum gratiarum aut dimissionem gratiae excusati, incoeperit currere sequens quinquennium, eo casu teneantur dicto Philippo regi solvere eas pecuniarum quantitates, quas dictae gratiae subsidii et excusati importaverint, iuxta formam praecedentis concessionis seu prorogationis dicti quinquennii, absque eo

Ubi et quando fieri debeat congregatio ecclesiarum.

quod quacumque de causâ excusatum huiusmodi exigi possit in pecuniâ sine novâ concordiâ, excepto dumtaxat primo anno post finem huiusmodi concordiae et in casibus exceptis.

Nullus eximatur a solutione ratae.

§ 5. Insuper, quod aliquis de comprehensis in praefatâ concessione et prorogatione cuiusvis dignitatis, praeeminentiae, Ordinis et religionis existat, non eximetur, neque praedictus rex consentiet neque permittet quod se eximat a solutione et contributione ratae illum tangentis dictorum ducentorum et quinquaginta millium ducatorum quolibet anno dictis quinque annis durantibus; et quod, si per nos aut dictum Philippum regem aliquis exemptus esset aut eximeretur ex dictis personis, vel militiis, ordinibus, aut quavis aliquâ dignitate fulgentibus, sic comprehensis in dictâ concessione et prorogatione, idem Philippus rex mandabit iustam et aequalem refectionem et satisfactionem pro illis admittendo[1] a dictis ecclesiis ad bonum computum ratione huiusmodi respective ducentorum et quinquaginta millium ducatorum.

Nullus etiam pensionarius eximatur.

§ 6. Rursus, quod quaelibet personae, cuiuscumque dignitatis et qualitatis existant, quae percipiunt et percipient pensiones, comprehendi debeant et nullo modo sint exemptae ad effectum contribuendi ad instar aliorum reddituum decimalium in divisione huiusmodi ducentorum, et quinquaginta millium ducatorum, non obstantibus quacumque clausulâ, praerogativâ, exemptione, ordinatione et obligatione etiam in formâ camerae, in sui favorem factis.

Liberae tamen declarantur decimae regis.

§ 7. Quodque decimae et tertiae quas idem Philippus rex habet et quocumque modo possidet, vel aliàs vendidit aut impignoravit cum evictione et securitate et promissione quod sint et esse debeant liberae a divisione et subsidio et qualibet aliâ impositione apostolicâ, remanere debeant liberae et salvae a solutione et repartitione dictorum ducentorum et quinquaginta millium ducatorum, absque eo quod hac de causâ, vel aliquâ aliâ extra contentas et expressas in praesenti concordiâ, aliquid minuatur ex summâ ducentorum et quinquaginta millium ducatorum huiusmodi.

Sed non illae quas ecclesiae, etc. percipiunt.

§ 8. Reliquae vero tertiae, decimae huiusmodi et aliae primitiae, per quascumque ecclesias, collegia, universitates, monasteria et quascumque alias personas possessae et perceptae quocumque titulo, iure, consuetudine, seu privilegio fuerint, remaneant comprehensae, et contribuere debeant in dictâ divisione ducentorum et quinquaginta millium ducatorum huiusmodi.

Sedibus vacantibus, debeat recipi ipsarum rata.

§ 9. Insuper, quod dictus Philippus rex recipere debeat et recipiat ad computum omne id quod tanget et fuerit iuste assignatum et distributum mensis archiepiscopalibus et episcopalibus dictorum regnorum Castellae et Legionis, pro toto tempore quo sedes vacabunt, intuitu dictorum ducentorum et quinquaginta millium ducatorum.

Teneatur rex Philippus favorem praestare ad praedictam exactionem.

§ 10. Quod idem Philippus rex debeat mandare dari et relaxari quascumque provisiones et litteras necessarias ad effectum ut brachium seculare det et praestet favorem et auxilium ad executionem et exactionem dictae divisionis praefatorum ducentorum et quinquaginta millium ducatorum, ac expensarum desuper faciendarum, et ut negocia praesentem concordiam et contributionem vel earum expensas tangentia non ducantur vel trahantur ad audientias regias per viam gravaminis, neque ipsae regiae audientiae in illis sese intromittant.

Ad quid teneantur iudices, commissarii a-

§ 11. Quodque iudices, commissarii apostolici, executores generales dictae con-

1 Quid legendum pro *admittendo* iudicet lector (R. T.).

postolici, et exequutores generales.

cessionis et prorogationis decernere et relaxare teneantur provisiones et subdelegationes iudicum et omnia recapita necessaria pro recuperatione subsidii prorogati huiusmodi et expensarum; quodque omnia credita capituli, dignitatum vel canonicorum possint recuperari coram iudicibus subdelegatis, nempe debita ad quae tenentur ipsorum oeconomi, reddituarii et affictuarii aliique debitores, etiamsi in ipsorum exactione aliqua resultet aut inveniatur difficultas, ac debitores non sint submissi iurisdictioni commissarii generalis et eius subdelegatorum, etiamsi sint subiecti aliis iudicibus, dummodo huiusmodi creditum proveniat ex fructibus seu redditibus de quibus debeatur et solvi debeat excusatum, et dummodo non excedat quantitatem, quae unicuique fuerit repartita, nec sint debita decocta, nec debitores intentaverint causam graduationis, et aliàs, prout continetur in instrumentis ac provisionibus et scripturis super praemissis datis.

Per hanc constitutionem non prohibentur submissiones iudicibus vel salaria executoribus.

§ 12. Quodque, cum per pragmaticam a dicto Philippo rege de anno MDCXXII publicatam inter alia prohibeatur, ne in scripturis concessionum, sive arrendamentorum, reddituum ac debitorum submissiones iudicibus, neque salaria solvenda personis, quae ad illas exequendum se conferre debeant, poni possint, per hoc non intelligatur prohibitas fuisse dictas submissiones et salaria in redditibus ecclesiasticis de quibus solvetur subsidium et excusatum, sed in scripturis dictorum reddituum ecclesiasticorum, super quibus impositae sunt gratiae huiusmodi, possint poni submissiones et salaria iisdem prorsus modo et formâ, quibus fieri consueverant antequam pragmatica huiusmodi promulgaretur, alioquin praesens concordia similiter nulla sit eo ipso.

Nihil innovatur per hanc constitutionem

§ 13. Et quoniam praefatus Philippus III anno MDCXVII iussit expedire quamdam regiam cedulam ad effectum ut in consilio iustitiae adesset quoddam tribunal seu aula, in quo seu qua terminarentur competentiae, quae occurrerent inter consilium cruciatae eiusque subdelegatos et ministros ex[1] unâ, ac alia tribunalia et iudices dictorum regnorum ex alterâ parte, et istud similiter concessit regnum comitiis congregatum[2], et fuit una ex conditionibus in conventione seu concordiâ super servitio millionum initâ positis et adiectis, et quamvis se obtulerint aliqui casus, in quibus decretum circa dictam aulam competentiae seu incompetentiae iudicum factam[3], exequutioni mandari potuisset id nihilominus, propter incommoda quae fuerunt exposita, factum minime fuit, et ultimo loco praefatus Philippus rex (propositis[4] per consilium cruciatae et congregationem status ecclesiastici in congregatione habitâ anno MDCXXIV dictis incommodis) dictus Philippus rex per suum decretum commiserit praesidi Castellae, quod pro tunc nihil innovaretur circa exequutionem superius mandatorum: idcirco convenerunt, quod nihil innovaretur circa erectionem dictae aulae competentiae seu incompetentiae iurisdictionum, sed quod omnes lites et negotia tangentia dictum consilium cruciatae tractentur, prosequantur et terminentur privative in tribunalibus suorum subdelegatorum et in praedicto consilio, perinde ac si dicta regia cedula et concessio dicto regno facta non emanassent, modo et formâ quibus eatenus tractata fuerunt, alioquin praesens gratia pariter nulla sit eo ipso.

circa erectionem aulae competentiae et incompetentiae.

Proponitur petitio Brevis confirmationis et approbationis.

§ 14. Praeterea, ut pro parte dictorum Philippi regis et status ecclesiastici praefatorum regnorum supplicetur nobis, quod concederemus Breve, quo confirmaremus

1 Male edit. Main. legit *et* pro *ex* (R. T.).
2 Potius lege *regno comitiis congregato* (R.T).
3 Legerem *factum* (R. T.).
4 Perperam ed. Main. legit *Praepositis* (R. T.).

et approbaremus dictam concordiam, quam teneantur adimplere omnes ecclesiae dictorum regnorum, tam illae quarum procuratores ibi aderant, quae maiorem partem constituunt, quam illae quarum[1] procuratores erant absentes aut non subscripserunt se huiusmodi concordiae.

Commissarius generalis, iudex apostolicus, et exequutor generalis debent dare provisiones et subdelegationes iudicum subdelegatorum.

§ 15. Rursus, quod commissarius generalis, iudex apostolicus, exequutor generalis dictae concessionis seu prorogationis det et dare debeat provisiones et subdelegationes iudicum subdelegatorum, et quod dicti subdelegati sint et esse debeant de gremio capituli, ut moris est, pro dictâ recuperatione faciendâ, et quando ad dictum commissarium generalem fuerit appellatum per viam gravaminis, quod aliquis sibi in dictâ contributione et exactione illarum fieri praetendat, si aliquis litteras seu provisiones decernat super istâ materiâ, non suspendat per eas solutionem, neque impediat quin subdelegati possint procedere ad exequutionem praedictae exactionis, et super omnibus iustitiam administret[2], et aliàs, prout in publico desuper a dilecto filio Ioanne de Talavera scriba regio et publico notario et sub die xx mensis decembris anni MDCXXXVIII confecto instrumento plenius dicitur contineri.

Confirmatur concordia praefata.

§ 16. Cum autem tam Philippus rex quam capitula et status ecclesiasticus regnorum Castellae et Legionis huiusmodi cupiant concordiam praefatam, pro illius maiori validitate, apostolicae confirmationis robore communiri; nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, qui honestis Philippi regis et capitulorum praedictorum votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, eumdem Philippum regem et singulares personas capitulorum huiusmodi a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, necnon concordiae et instrumenti praefatorum veriores tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concordiam huiusmodi, ac inde secuta quaecumque, etiamsi ad exactionem pecuniarum in eâdem concordiâ contentarum etiam ante huiusmodi nostram confirmationem in totum vel in partem sit processum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, supplentes omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem; eaque, tam quoad capitula quae in dictâ concordiâ intervenerunt et illi[1] consenserunt, quam alia capitula quae nullo modo praesenti concordiae et distributioni interfuerunt nec illis consenserunt (etiamsi S. R. E. cardinales fuerint ecclesias et alia beneficia possidentes, necnon decimas, primitias et alios fructus in dictâ concordiâ expressos exigentes) valida et efficacia esse, ac per eos omnes inviolabiliter observari debere, illosque ad illorum omnium observationem et solutionem omnibus viis, iuris et facti remediis cogi et compelli posse et debere decernimus; absolventes etiam, si opus fuerit, tam ipsum Philippum regem, quam quoscumque eius ministros, necnon quascumque ecclesiasticas tam seculares quam regulares personas a quibusvis censuris et poenis, si quas propter praemissa quomodolibet incurrerint, etiamsi in irregu-

1 Male ed. Main. legit *quorum* (R. T.).

2 Forsan legendum *administrent* (R. T.).

1 Male ed. Main. legit *illa* (R. T.).

laritatem aliquam inciderint, ac missas et alia divina officia interim (non tamen in contemptum clavium) celebraverint, super qua irregularitate, sic per eos forsan quomodolibet contractâ, harum serie dispensamus, nec propterea fructus ecclesiarum et beneficiorum obtentorum suos non fecisse dici aut censeri posse declaramus, ac ab eis omnem inhabilitatis maculam, sive notam, si quam propter praemissa qumodolibet incurrerint, abolemus, eosque in pristinum et eum in quo ante praemissa quomodolibet erant statum in omnibus et per omnia restituimus, reponimus et plenarie reintegramus, ac restitutos, repositos et plenarie reintegratos per praesentes nunciamus.

Committitur observatio huius constitutionis et facultas componendi lites omnes episcopo Giennensi, nuncio apostolico, et commissario generali.

§ 17. Ceterum, ad obviandum litibus et controversiis quae inter personas ecclesiasticas oriri possent, harum serie declaramus, ad contributionem solutionum, huiusmodi concordiae vigore faciendarum, monasteria et alia loca pia quaecumque etiam eorum bonorum quae vulgo dicuntur *de la branza et crianza*, quae vix pro usu et victu personarum eorumdem monasteriorum et piorum locorum inserviunt, teneri et obligatos fore; sicque in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, et eiusdem S. R. E. cardinales, ubique iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus. Et nihilominus venerabili fratri episcopo Giennensi et dilectis filiis nostro et Apostolicae Sedis apud praedictum Philippum regem nunc et pro tempore existenti nuncio et commissario generali cruciatae in regnis praefatis per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse[1], vel alter eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dicti Philippi regis et singularum personarum praedictarum fuerint requisiti, solemniter publicantes, ad executionem eorum omnium, quae in dictâ concordiâ continentur, procedant, et per eos ad quos spectat eadem observari curent et faciant; necnon eidem nuncio et commissario generali iniungimus, quod, ubi et quoties super repartitione et aliis in dictâ concordiâ contentis aliquas differentias exortas fuisse compererint, illas, absque retardatione solutionis, iuxta repartitionem iam factam et faciendam iudicio eorum aequaliter componant et terminent, iustitiam partibus ministrando.

Eisdem conceditur facultas procedendi in delinquentes.

§ 18. Nos enim eisdem, tam praemissa peragendi, quam, quidquid super praemissis statuerint, omni et quacumque appellationis remotâ executioni debitae demandandi, necnon contradictores quoslibet et rebelles, per[1] opportuna iuris et facti remedia, ac demum per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, appellatione postpositâ, compescendi[2], legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravandi, auxiliumque brachii secularis etiam, si opus fuerit, invocandi, plenam et liberam facultatem concedimus.

Derogatio contrariorum.

§ 19. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, legibus etiam municipalibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub

1 Legendum foret *ipsi* (R. T.).

1 Praeposit. *per* nos addimus (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *compescendo* (R. T.).

quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ac aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contraris quibuscumque; necnon omnibus illis quae in dictâ concessione primae decimae huiusmodi concessa sunt non obstare; seu si aliquibus communiter aut divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Eximuntur a praemissâ contributione S. R. E. cardinales quoad pensiones super fructibus ecclesiarum.

§ 20. Ceterum eosdem S. R. E. cardinales tantum, quibus pensiones annuae super fructibus ecclesiarum cathedralium, aut metropolitanarum, et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum reservatae reperiuntur, a praemissâ contributione quoad ipsas pensiones et reservationes fructuum voluimus[1] exemptos esse, quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x aprilis MDCXLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 10 aprilis 1645, pontif. anno I.

1 Videretur legendum *volumus* (R. T.).

XXVIII.

Breve in favorem regii conventus Sanctissimae Trinitatis Montis Pincii de Urbe fratrum Gallicae nationis Ordinis Minimorum coronae Franciae naturaliter subditorum[1].

Innocentius episcopus, ad perpetuam rei memoriam.

Ex incumbenti nobis pastoralis officii debito iis quae pro felici regularium personarum quarumlibet statu et illarum salubri directione provide statuta et ordinata comperimus, ut firmius subsistant et perpetuis futuris temporibus observentur, confirmationis apostolicae robur libenter adiicimus, prout ipsorum religiosorum vota exposcunt, et nos conspicimus in Domino salubriter expedire. Exordium.

§ 1. Aliàs siquidem [pro parte tunc in humanis agentis clarae memoriae Henrici Francorum et Navarrae regis christianissimi felicis recordationis Paulo Papae V praedecessori nostro exposito, quod (subortis aliàs certis litibus et controversiis inter ipsum Henricum regem et tunc existentes fratres nationis Gallicanae coronae Franciae naturaliter subiectos Ordinis Minimorum sancti Francisci de Paula domus regularis seu conventus Motiva.

1 Fratres Minimos sancti Francisci de Paula approbavit Sixtus IV, Const. VII (*al.* 6), tom. V, pag. 213, et Iulius II, Const. XII, ibid., pag. 421, ubi de totâ eorum religione plene notatum est.

SS. Trinitatis in monte Pincio de Urbe ex unâ, et fratres aliarum nationum eiusdem Ordinis partibus ex alterâ, occasione habitationis, residentiae, regiminis et praeeminentiae dictae domus seu conventus) recolendae similiter memoriae Clemens VIII necnon Leo XI Romani Pontifices etiam praedecessores nostri, litibus et controversiis eiuscemodi finem imponere ac quieti et tranquillitati dictae domus regularis seu conventus huiusmodi perpetuo consulere cupientes, bonae memoriae Pompeio S. Balbinae Arigonio necnon Hieronymo titulorum S. Blasii de Annulo, tunc Pamphilio, nostro secundum carnem patruo, nuncupatis respective sanctae Romanae Ecclesiae presbyteris cardinalibus differentiarum et controversiarum huiusmodi causam per specialia rescripta cognoscendam terminandamque commiserant, ipsique Pompeius et Hieronymus cardinales, praeviâ per eos desuper habitâ maturâ deliberatione, definitivam in scriptis tulerant et pronunciarant sententiam tenoris qui sequitur, videlicet: « Die XX iunii MDCV, Christi nomine invocato, pro tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes, per hanc nostram definitivam sententiam, quam unanimiter in his scriptis de iuris peritorum consilio et assensu ferimus in causâ et causis quae coram nobis virtute specialium Brevium seu commissionum felicis recordationis Clementis VIII et Leonis XI vertuntur inter christianissimum Galliarum regem et fratres nationis Gallicanae Ordinis Minimorum sancti Francisci de Paula conventus Sanctissimae Trinitatis in monte Pincio ex unâ et fratres aliarum nationum eiusdem Ordinis partibus ex alterâ de et super habitatione, residentiâ, regimine et praeeminentiâ dicti conventus seu domus Sanctissimae Trinitatis, rebusque aliis in actis causae et causarum praedictarum latius coram nobis deductis, dicimus, sentiamus[1], decernimus et declaramus conventum praefatum Sanctissimae Trinitatis in monte Pincio de Urbe per fratres Gallicanae nationis regendum et habitandum, quamdiu inveniantur qui ibi residere et cultui divino insistere voluerint, itaut de cetero, quamdiu fratres dicti Ordinis praedictae nationis Gallicanae idonei reperientur, ut praemissum est, nullus alius quam eiusdem nationis Gallicanae correctorem[2] eligi seu admitti aut electus confirmari quoquo modo possit seu praesumatur, necnon domum seu conventum praedictum SS. Trinitatis ab omni et quacumque superioritate, iurisdictione, visitatione, correctione, subiectione et obedientiâ, praeterquam pro tempore existentis reverendi patris correctoris generalis vel eius oculati visitatoris, penitus esse liberum, immunem et exemptum, vexationesque et impedimenta, perturbationes et molestationes quascumque per dictos fratres aliarum nationum de et super praemissis, et illorum occasione, quomodolibet factas et praestitas, factaque et praestita, fuisse et esse temerarias, illicitas, indebitas, iniquas et iniustas, temerariaque, illicita, indebita, iniqua et iniusta, ac de facto praesumptas et praesumpta, illasque et illa ipsis fratribus aliarum nationum minime licuisse facere, neque licere; et propterea illis ac quibuscumque praetensionibus eorumdem fratrum aliarum nationum de et super praemissis imponendum perpetuum silentium fore et esse, prout imponimus, mandatumque quodcumque desuper necessarium, opportunum et de manutenendo decernendum et relaxandum fore et esse, prout decernimus et relaxamus, dictosque fratres aliarum nationum ab expensis hactenus factis absolvimus, et ita dicimus, declaramus,

Conventus SS. Trinitatis in Monte Pincio de Urbe a fratribus Gallicanae nationis regendum et habitandum.

1 Lege *sentimus*, vel potius *sententiamus* (R.T).
2 Videretur legendum *corrector* (R. T.).

decernimus, pronunciamus ac definitive sententiamus, non solum modo et formâ praemissis, sed etiam omni meliori modo,

Ita pronunciamus,

POMPEIUS cardinalis ARIGONIUS;

Ita pronunciamus,

HIERONYMUS cardinalis PAMPHILIUS »].

Confirmatio superioris privilegii a Romanis Pontificibus.

§ 2. Subinde idem Paulus praedecessor, quibusvis litibus, discordiis et scandalis praemissorum occasione obviam ire ac eiusdem Henrici regis voluntati annuere volens, supplicationibus illius eâ in parte sibi porrectis inclinatus, primum, ac deinde similis memoriae Gregorius XV et novissime Urbanus VIII etiam Romani Pontifices nostri pariter praedecessores praeinsertam praedictam sententiam, ac omnia et singula in ea contenta et expressa quaecumque, ex suis certis scientiis ac de apostolicae potestatis plenitudine, approbarunt et confirmarunt, aliàsque fecerunt et disposuerunt, prout in singulis eorumdem Pauli, Gregorii ac Urbani praedecessorum praefatorum in simili Brevi[1] vel aliâ formâ litteris desuper emanatis, quorum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Confirmantur privilegia ab Innocentio X.

§ 3. Cum autem, sicut carissimus in Christo filius noster Ludovicus eorumdem Francorum et Navarrae rex christianissimus suo et ipsorum fratrum nationis Gallicanae eidem coronae Franciae naturaliter subiectae[2] nominibus, per dilectum filium Nicolaum Brethel dominum in temporalibus loci de Grimonville et a consiliis Status eiusdem Ludovici regis necnon illius ad dilectos filios nobiles viros ducem et Rempublicam Venetam destinatum oratorem ac pro eiusdem Ludovici regis servitio in almâ Urbe nostrâ praesentem, nobis nuper exponi fecit, ipse Ludovicus rex praemissa, quo melius, firmius et inviolabilius in posterum observentur, etiam per nos confirmari summopere desideret unâ cum mandato de manutenendo fratres praefatos dictae nationis Gallicanae in quietâ et pacificâ possessione, seu quasi, omnium et singulorum in eâdem praeinsertâ sententiâ contentorum de anno MDCXXXVII desuper a tunc existente curiae causarum camerae apostolicae generali auditore seu illius in civilibus locumtenente emanato, tenoris etiam subsequentis, videlicet:

Decretum auditori camerae apostolicae privilegium illud confirmans.

§ 4. « De mandato illustrissimi et reverendissimi domini auditoris camerae, sive reverendissimi domini Caballetti, eius in civilibus locumtenentis, et ad instantiam christianissimi Francorum regis et reverendorum fratrum nationis Gallicanae Ordinis Minimorum sancti Francisci de Paula[1] et conventus Sanctissimae Trinitatis in monte Pincio de Urbe et aliàs omni meliori modo principalium, tenore praesentium mandatur vobis officialibus et executoribus et iustitiae ministris, ac aliis ad quos spectat, quatenus statim, visis praesentibus, sub poenis, etc., manuteneatis, defendatis, protegatis et conservatis dictum christianissimum regem ac dictos reverendos fratres nationis Gallicanae, ac manuteneri faciatis, curetis et mandetis, in pacificâ et quietâ possessione, seu quasi, omnium contentorum in supra praeinsertâ sententiâ dictorum bonae memoriae eminentissimorum et reverendissimorum dominorum cardinalium Arigonii et Pamphilii, ac litteris apostolicis in formâ Brevis ut supra insertis, ac iuxta illarum formam et tenorem; eisdemque christianissimo regi et reverendis fratribus instantibus brachio curiae et auctoritate nostrâ assistatis, praemissaque et alia omnia desuper necessaria et opportuna non solum praemisso verum etiam omni alio meliori modo faciatis, et praesentibus, etc., om-

1 Potius lege *Brevis* (R. T.).

2 Legendum potius *subiectorum* (R. T.).

1 Forsan deest vox *domus* (R. T.).

nino pareatis et obediatis, quoniam citatis, relatis et intimatis reverendo patri Petro Vasquez et reverendo patri Raphaële Pizzurno, sive dominis Petro Francisco Pavonio et Mutio Asculano eorum procuratoribus, servatis servandis, et aliàs prout in actis reverendissimus dominus locumtenens ita mandavit hac die x iunii MDCXXXVII.

P. PAULUS CABALLETTUS, locumtenens,
ADRIANUS GALLUS, notarius.

Loco ✝ sigilli ».

Confirmatur decretum manutentionis pro praedictis fratribus Minimis.

§ 5. Idcirco nos, attendentes praedictos nationis Gallicanae dicti Ordinis fratres hactenus pie et religiose cum odore bonae famae sub suavi religionis suae iugo in dictâ domo regulari seu conventu vixisse et ad praesens vivere, ac ob id Ordinem huiusmodi inibi in suo laudabili statu, ac illius fratres dictae nationis Gallicanae praedictos in perpetuis tranquillitate et pace confovere, ipsiusque Ludovici regis desiderio annuere volentes, supplicationibus illius nomine per dictum Nicolaum nobis humiliter hac in parte porrectis inclinati, praeinsertam praedictam sententiam, necnon illius vigore emanatum mandatum de manutenendo huiusmodi, ut praefertur, ac omnia et singula in eis contenta et expressa, ac inde legitime secuta et executioni demandata quaecumque, ex nostrâ certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos quarumcumque solemnitatum in praemissis forsan quomodolibet requisitarum ac alios quantumvis tam iuris quam facti substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint aut intervenisse dici vel censeri possint, supplemus; districtius inhibentes pro tempore existentibus generali correctori et fratribus dicti Ordinis, eorumque singulis, sub maiori[1] excommunicationis latae sententiae aliisque ecclesiasticis sententiis et censuris, necnon privationis dignitatum, officiorum, vocisque activae et passivae, et perpetuae inhabilitatis ad illa vel alia in posterum obtinenda, per eorum quemlibet si contravenerint eo ipso incurrendis poenis, ne de cetero quosvis alios quam praedictae nationis Gallicanae eidem coronae regni Franciae naturaliter subiectae[2] dicti Ordinis fratres in dictae domus regularis seu conventus huiusmodi correctores, seu alios locales et conventuales, vel habitatores eligere, vel electos confirmare, inibique recipere, vel eis locum et domicilium assignare, seu etiam quoquo modo eos admittere vel tolerare praesumant. Nolumus tamen, quod fratres dictae nationis Gallicanae huiusmodi, qui fugitivi seu quavis aliâ iuris aut facti infamiâ notati fuerint, in dictâ domo regulari seu conventu recipiantur vel admittantur.

Supplentur defectus, ac demandatur ne alii fratres quam Gallicanae nationis in correctores dictae domus aut habitatores recipiantur.

Exceptis fugitivis et infamiâ notatis.

§ 6. Decernentes praesentes litteras, etiam ex eo quod aliarum nationum dicti Ordinis fratres seu quicumque alii in praemissis ius aut interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, ad hoc vocati seu desuper auditi non fuerint, de subreptionis vel obreptionis aut alio quovis defectu notari, argui, infringi, impugnari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari seu quomodolibet concedi, aut impetrato vel concesso quempiam uti seu se iuvare in iudicio vel extra nullatenus posse vel debere, sed easdem praesentes semper et perpetuo validas, firmas et efficaces

Auferitur potestas aliter iudicandi et interpretandi.

1 Legendum foret *maioris* (R. T.).
2 Forsan legendum *subiectos* (R. T.).

existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, et alios quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Committitur executio hujusce decr. i.

§ 7. Quocirca venerabili fratri episcopo Sabinensi ac dilectis filiis nostro in Urbe vicario in spiritualibus generali ac causarum curiae camerae apostolicae auditori etiam generali per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dicti Ludovici regis et correctoris et fratrum dictae regularis domus seu conventus huiusmodi, aut alicuius eorum, desuper requisiti fuerint, seu eorum alter requisitus fuerit, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos et eorum quemlibet praemissorum omnium et singulorum effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes eos desuper a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, quomodolibet molestari, perturbari, vel inquietari; contradictores quoslibet et rebelles, ac praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae idem Paulus necnon Gregorius et Urbanus praefati, in suis quisque litteris, voluerunt non obstare, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis ac regularis domus et conventus huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum forsan quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum praemissorum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x aprilis. MDCXLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 10 aprilis 1645, pontif. anno I.

XXIX.

Confirmatio trium decretorum congregationis sacri Concilii Tridentini ad

favorem episcoporum et archiepiscoporum Poloniae.

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Quando liceat regularibus Eucharistiae sacramentum in propriis ecclesiis exponere.

§ 1. Aliàs a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus sacri Concilii Tridentini interpretibus emanarunt decreta tenoris sequentis, videlicet: « Sacra congregatio eminentissimorum cardinalium Concilii Tridentini interpretum saepius censuit non licere regularibus etiam in propriis ecclesiis sanctissimum Eucharistiae sacramentum publicè adorandum exponere, nisi ex causâ publicâ quae sit probata ab Ordinario; ex causâ autem privatâ posse, dummodo dictum sacramentum a tabernaculo non extrahatur, et velatum remaneat, itaut ipsa sacra hostia videri non possit »;

Quae processiones regularium permitti debeant ab episcopis ut fiant extra claustrum.

« Sacra congregatio eminentissimorum cardinalium Concilii Tridentini interpretum saepius censuit processionem tantum SS. Corporis Christi solemnem debere episcopum permittere ut regulares extra claustrum per viam ecclesiae monasterii seu conventus contiguam possint habere »;

Quid, si monasteria claustro careant?

« Sacra congregatio eminentissimorum cardinalium Concilii Tridentini interpretum saepius censuit regularibus et confraternitatibus in ecclesiis regularium esse permissum intra eorum ecclesias et claustra tantum processiones facere et non extra; si vero ecclesiae claustro careant, eisdem regularibus et confraternitatibus licere processiones facere intra ambitum dumtaxat earumdem ecclesiarum, hoc est prope muros ecclesiae, sive exeundo a ianuâ ecclesiae et intrando per aliam, sive per eamdem ianuam, et semper prope muros ecclesiae, et non extra dictum ambitum, nisi de licentiâ et consensu et cum cruce parochi; non obstantibus quibuscumque consuetudinibus vel praescriptionibus etiam immemorabilibus, ac privilegiis, exceptis[1] tantum privilegiis apostolicis sacro Concilio Tridentino posterioribus, contrarium desuper disponentibus.

Contrariorum derogatio.

F. cardinalis episcopus Portuensis,
Franciscus Paulutius, secr. ».

Motivum constitutionis.

§ 2. Cum autem, sicut nobis nuper pro parte venerabilium fratrum archiepiscoporum[2] regni Poloniae expositum fuit, ea firmiora sint quibus apostolicae confirmationis robur accedit, et propterea dicti archiepiscopi et episcopi, quo decreta huiusmodi et contenta in illis exactius in eorum civitatibus et dioecesibus observentur, auctoritate nostrâ confirmari summopere desiderent:

Confirmantur superiora decreta congregationis sacri Concilii Tridentini.

§ 3. Nos, inviolabili eorumdem decretorum observantiae, quantum cum Domino possumus, consulere, dictosque archiepiscopos et episcopos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decreta praeinserta, cum omnibus et singulis contentis in illis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, illaque ab omnibus et singulis ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari praecipimus

1 Ed. Main habet *privilegii, sexceptis* (R.T.).
2 Deesse videtur *et episcoporum* (R. T.).

et mandamus, salvâ semper auctoritate praedictae congregationis cardinalium.

Aliter ab his iudicari interdicitur.

§ 4. Decernentes sic et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria declarantur irrita.

§ 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, et aliis quae in praeinsertis decretis decernuntur non obstare; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX aprilis MDCXLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 20 aprilis 1645, pontif. anno I.

XXX.

Deputatio nuncii Hispaniarum ad exigendum eleemosynam mille et quingentorum scutorum quotannis ratione extensionis ad personas ecclesiasticas seculares dumtaxat facultatis vescendi ovis et lacticiniis in quadragesimâ vigore cruciatae, necnon omne id quod ratione praecedentium extensionum huiusmodi eidem fabricae S. Ioannis Lateranensis deberi compererit[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Venerabili fratri Iulio archiepiscopo Tarsensi, nostro et Sedis Apostolicae in regnis Hispaniarum nuncio,

Innocentius Papa X.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva Constitutionis.

§ 1. Cum aliàs, ex causis tunc expressis, facultates cruciatae sanctae in Hispaniarum regnis et aliis tunc nominatis locis ad sex annos concesserimus seu prorogaverimus, et, inter facultates huiusmodi, illam, per quam permittitur esus ovorum et lacticiniorum tempore quadragesimali, hebdomadâ tamen maiori exceptâ, ad venerabiles fratres patriarchas, primates, archiepiscopos, episcopos et alios inferiores praelatos, necnon clericos et presbyteros seculares tantum regnorum praedictorum ad eosdem sex annos extenderimus, prout in nostris in simili formâ Brevis die II ianuarii proxime praeteriti desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur; dilectus autem filius nobilis vir Ioannes de Velasco et de la Cueva comes de Sinuela, charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici apud nos et Apostolicam Sedem orator, ipsius Philippi regis nomine pollicitus fuerit, quod thesaurarii pecuniarum ex facultatibus huiusmodi proventurarum summam mille et quingentorum scutorum quolibet ex sex annis praedictis nobis, aut cui per nos ordinatum fuerit, in subventionem fabricae ecclesiae S. Ioannis Lateranensis de Urbe, praeter et ultra omne id quod pro eiusdem fabricae subventione ratione alterius seu aliarum extensionum facultatis praedictae et promissionum per dictum Ioannem aut alios eiusdem Philippi regis oratores factarum debitum et non solutum fuerit, persolvent:

Deputatur nuncius Hispaniarum ad exigendam pecuniam pro laci-

§ 2. Nos, cupientes fabricam huiusmodi omni ope promovere, ac de fide, integritate et diligentiâ tuâ plurimum in Do-

ciniorum indulto concesso cruciatae sanctae adscriptis.

mino confidentes, te, ac pro tempore existentem nostrum et Sedis Apostolicae in dictis regnis nuncium, ad summam mille et quingentorum scutorum huiusmodi quotannis debitis temporibus, ac quascumque alias pecuniarum summas, in quibus nos et eamdem fabricam ratione illius seu aliarum similium extensionum facultatis praedictae et promissionum tam dicti Ioannis quam aliorum eiusdem Philippi regis oratorum huiusmodi creditores et creditricem esse repereris, a praedictis thesaurariis seu aliis personis pecunias praedictas solvere debentibus[1], per te, vel alium, seu alios, loco tui, periculo tamen tuo, deputatos, petendum, exigendum, levandum et recuperandum, ac de exactis, levatis et recuperatis quietandum, liberandum et absolvendum, nostrum et dictae fabricae procuratorem et commissarium, apostolicâ autoritate, tenore praesentium, facimus, constituimus et deputamus.

§ 3. Volentes, quod omnes et singulas pecuniarum summas per te pro tempore sic exactas, ac prout in dies illas exegeris, illi vel illis personae vel personis, cui vel quibus iam ordinavimus, vel pro tempore ordinaverimus, realiter et cum effectu persolvas et persolvi facias. Nos enim, quidquid in praemissis per te actum, dictum, gestum et ordinatum fuerit, ratum, gratum, et firmum habebimus, teque de omni et toto eo, quod personae seu personis huiusmodi pro tempore persolveris, aut persolvi feceris, auctoritate et tenore praedictis, ex nunc prout ex tunc, liberamus, quietamus et absolvimus.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae fabricae, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam certam formam in confectione quietantiarum requirentium, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV maii MDCXLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 24 maii 1645, pontif. anno I.

1 Male, ut puto, edit. Main. habet *debere* pro *debentibus* (R. T.).

XXXI.

Renovatur gratia aliàs Reipublicae Ragusinae ab Urbano VIII praedecessore concessa circa concessionem medietatis fructuum, reddituum et proventuum legatorum ad muniendas arces contra Turcarum tyrannum[1].

Venerabili fratri archiepiscopo Ragusino, Innocentius Papa X.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Exponitur gratia aliàs ab Urbano VIII Reipublicae Ragusinae concessa.

Aliàs, pro parte dilectorum filiorum magistratuum Reipublicae Ragusinae felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessori nostro exposito, quod, continuatis per decem mensium spatium terraemotibus, civitas Ragusina, ac universum eius dominium adeo conquassatum fuerat, ut praeter multorum aedificiorum ruinam, plurimae etiam ecclesiae et monasteria, ipsaque dictae civitatis et dominii huiusmodi propugnaculorum moenia maximum inde damnum acceperant, quae, si quamprimum non resarcirentur, periculum esset ne funditus corruissent, in dictâ vero civitate nonnulla diversarum summarum annua legata pro variis operibus piis adimplendis relicta, et per deputatos a dictis magistratibus, vel forsan alios, administrari solita existebant, et propterea dicti exponentes eis de aliquo ex redditibus huiusmodi subventionis auxilio ad praemissa resarcienda provideri desiderabant: idem Urbanus praedecessor, attendens ex praemissis non solum magistratuum et hominum, sed etiam personarum

1 Ex regest. in Secret. Brev.

ecclesiasticarum, et locorum piorum Reipublicae et dominii praedictorum causam agi, religionisque catholicae in universo dominio huiusmodi conservandae non parum interesse civitatem praedictam, eiusque dominii, provinciis et locis ab impiâ Turcarum tyrannide occupatis undique circumdati, propugnacula recte munita et clausa esse, tunc existenti archiepiscopo Ragusino commisit, ut, constito sibi de narratis, integram reddituum, proventuum et emolumentorum omnium et singulorum legatorum praedictorum medietatem, quae tamen summam sex millium scutorum monetae annuatim non excederet, magistratibus praedictis (ita quod liceret illis eamdem reddituum, proventuum et emolumentorum huiusmodi medietatem percipere, exigere et levare, ac in ecclesiarum et monasteriorum atque moenium praedictorum reparationem, dummodo quoad ipsa moenia facultates laicorum civitatis et dominii huiusmodi ad hoc non suppeterent, et non alios usus, super quo illorum conscientiam oneravit, convertere, dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentiâ minime requisitâ) ad triennium tunc proximum concederet et assignaret, et aliâs, prout in eiusdem Urbani praedecessoris nostri litteris desuper in simili formâ Brevis die XXVI ianuarii MDCXLI expeditis[1], quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Supplicatio pro novâ gratiae concessione.

§ 2. Cum autem, sicut nobis nuper pro parte eorumdem magistratuum expositum fuit, immanissimus eorumdem Turcarum tyrannus classem copiosissimam instruat, eaquepropter civitatem praedictam, illiusque dominii propugnacula validiore praesidio munire oporteat, pro cuius manutentione facultates dictae Reipublicae ob interruptum commercium imminutae minime sufficiunt: nobis propterea eorumdem magistratuum nomine fuit humiliter supplicatum, ut concessionem et assignationem medietatis reddituum, proventuum et emolumentorum legatorum piorum huiusmodi, sibi vigore praedictarum litterarum factas, de novo concedere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Eadem gratia nova conceditur ad triennium.

§ 3. Nos igitur, eosdem magistratus specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, constito tibi de narratis, integram reddituum, proventuum et emolumentorum omnium et singulorum legatorum praedictorum medietatem, quae tamen summam sex millium scutorum monetae annuatim non excedant, magistratibus praedictis (ita quod liceat illis eamdem reddituum, proventuum et emolumentorum huiusmodi medietatem percipere, exigere, levare, ac in faciliorem manutentionem praesidii civitatis et propugnaculorum praedictorum, dummodo ad id facultates laicorum non suppetant, et non alios usus, super quo illorum conscientias oneramus, convertere, dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentiâ minime requisitâ) ad triennium proximum a datâ praesentium computandum auctoritate nostrâ apostolicâ concedas et assignes, super quibus tibi plenam, liberam et amplam facultatem, eâdem auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impartimur.

Contrariis derogatur, etiam testatorum voluntatibus.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac quorumcumque testatorum voluntatibus, quas, in et quoad praemissa, sufficienter

1 Quas vide in hoc tom., pag. 89 (R. T.).

commutamus, necnon, quatenus opus sit, felicis recordationis Pauli II et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque apostolicis, necnon in universalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ[1] roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Residuum piorum operum adimpleatur.

§ 5. Volumus autem, ut residuum missarum et aliorum operum piorum omnino celebrentur et adimpleantur; et suffragentur animabus eorum qui legata pia huiusmodi fecerunt, perinde ac si in totum adimpleta essent.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI[2] iunii MDCXLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 31 iunii 1645, pontif. anno I.

XXXII.

Suppressio et extinctio officii grasciae civitatis Bononiensis[3].

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Exigit a nobis pastoralis officii debitum, ut omnium christifidelium praesertim vero nostrorum et Sedis Apostolicae etiam in temporalibus subditorum indemnitati, quantum cum Domino possumus, consulamus, et, quae eorum commodis officere dignoscuntur, e medio tollamus.

Motivum huius Constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut pro parte dilectorum filiorum regiminis civitatis nostrae Bononiensis nobis nuper expositum fuit, officium grasciae seu annonae in praedictâ civitate ab immemorabili tempore per antianos et tribunos plebis eiusdem civitatis (qui magistratus a summis Pontificibus praedecessoribus nostris instituti existunt[1], et ex civibus nobilibus, iurisconsultis, et rerum ad dictum officium spectantium peritis constat) exerceri solitum fuerit, successivis vero temporibus aliud eiusdem grasciae in praedictâ civitate officium a personis per legatos seu vicelegatos dictae civitatis pro tempore existentes deputatis exerceri solitum magno cum incolarum ipsius civitatis eiusque territorii detrimento erectum fuerit, et licet tale officium, per legatos seu vicelegatos huiusmodi institutum seu introductum, aliàs per felicis recordationis Gregorium XIII, Paulum V, et Gregorium XV, Romanos Pontifices etiam praedecessores nostros, extinctum fuerit, nihilominus per legatos seu vicelegatos huiusmodi denuo institutum et introductum existat, et a ministro per eos vel eorum alterum deputato non sine gravibus abusibus et praedictorum incolarum damnis exerceatur:

Supprimitur officium grasciae civitatis Bononiensis.

§ 2. Hinc est quod nos, praemissis opportunum remedium adhibere, regimenque praedictum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore cen-

1 Edit. Main. legit *alias* (R. T.).
2 Ita fert ed. Main. (R. T.).
3 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Aptius lege *institutus existit* (R. T.).

sentes, supplicationibus eiusdem regiminis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, officium grasciae huiusmodi per legatos seu vicelegatos dictae civitatis contra praedictorum praedecessorum nostrorum extinctionem et suppressionem de novo erectum seu introductum, illiusque nomen, essentiam et tribunal, ac cuiuscumque personae deputationem per dilectum filium nostrum et Sedis Apostolicae in praedictâ civitate de latere legatum seu eius vicelegatum ad exercendum officium huiusmodi quomodolibet factam, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo supprimimus, extinguimus, abolemus et respective cassamus, revocamus et annullamus, ac eisdem modernis et pro tempore existentibus legato et vicelegato, ne de cetero tale officium suscitare, seu de novo instituere, vel quemquam ad illud exercendum deputare quovis praetextu, causâ, vel occasione audeant seu praesumant, districte prohibemus, salvo remanente eiusdem grasciae officio eiusque administratione et exercitio penes antianos et tribunos praedictos in omnibus et per omnia, prout antequam legati seu vicelegati dictae civitatis in illo sese ut praemittitur ingererent, existebant[1].

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam dictae civitatis et alios de latere legatos, eorumque vicelegatos, ceterosque quacumque auctoritate fungentes, nunc et pro tempore existentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 8. Non obstantibus quibusvis facultatibus legatis et vicelegatis dictae civitatis quavis auctoritate concessis et quomodolibet competentibus, vel per illos praetensis, necnon quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, ac quibuscumque, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stylis et usibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat ,specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII iulii MDCXLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 8 iulii 1645, pontif. anno I.

1 Aptius legerem *existebat* (R. T.).

XXXIII.

Confirmatio privilegiorum rectoris et collegialium collegii nationis Germanicae civitatis Bononiensis[1].

Dilectis filiis rectori et collegialibus collegii nationis Germanicae civitatis nostrae Bononiensis,

Innocentius Papa X.

Dilecti filii,
salutem et apostolicam benedictionem.

Confirmantur privilegia quaecumque colle-

§ 1. Constantis vestrae fidei et devotionis erga nos et Apostolicam Sedem meritis

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

gii Germanici civitatis Bononiensis.

inducimur, ut votis vestris quantum cum Domino possumus libenter annuamus, ac vos favoribus et gratiis prosequamur opportunis. Supplicationibus itaque vestro nomine nobis humiliter porrectis inclinati, omnia et singula privilegia vobis et collegio vestro per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros concessa et approbata, quatenus sint in usu, et non sint revocata aut sub aliquibus revocationibus comprehensa, ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis[1] contrarientur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Archiepiscopo Bononiensi eiusque vicario exequutio committitur.

§ 2. Quocirca venerabili fratri archiepiscopo Bononiensi, seu dilecto filio eius vicario in spiritualibus generali, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte vestrâ fuerit requisitus, solemniter publicans, vobisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostrâ vos privilegiis huiusmodi pacifice frui et gaudere, non permittens vos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac civitatis et ducatus Bononiensis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, legibus, usibus, stylis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV iulii MDCXLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 24 iulii 1645, pontif. anno I.

1 Aptius adderetur *non* (R. T.).

XXXIV.

Subsidium centum millium scutorum aurî super fructibus ecclesiasticis Reipublicae Venetae[1].

Innocentius Papa X, ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§ 1. Etsi[2] pro curâ nostri pastoralis officii, divinâ disponente providentiâ nobis meritis licet imparibus iniuncti, nihil magis cordi sit, quam personas ecclesiasticas ab extraordinariis oneribus immunes semper conservare, idque, nisi summa necessitas cogat, re ipsâ praestare animo nostro statuerimus; nihilominus, sicut iam omnibus notum esse debet, cum Turcarum tyrannus nuper nefarium bellum ingenti apparatu maximisque viribus tam terrâ quam mari dilectis filiis nobilibus viris duci et dominio Venetiarum intulerit, ut insulam Cretae aliaque ditionis Venetae loca expugnet atque occupet, et propterea ipsi dux et dominium maiores quam unquam antea tam maritimas quam terrestres copias, ut se suaque tueantur, parare et instruere, ac proinde ingentes impensas facere modo compellantur:

Subsidium imponitur de fructibus ecclesiasticis.

§ 2. Nos, considerantes non minus clericorum quam laicorum interesse, ut ea, quae ad defensionem huiusmodi neces-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Deest verbum *nobis* (R. T.).

saria sunt, studiosissime comparentur quo christiani nominis[1] hostes infensissimi a christifidelium cervicibus, adiuvante Domino, repellantur, cogimur de universi cleri dominii Veneti facultatibus in hoc gravissimo periculosissimoque casu fiduciam sumere, sperantes, quod illi hoc onus urgentissimâ necessitate et iustissimâ de causâ a nobis sibi impositum aequo animo ferre non recusabunt. Motu itaque proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, unum subsidium centum millium scutorum auri super omnibus et singulis fructibus, redditibus et proventibus secundum verum annuum valorem praesentis anni quarumcumque cathedralium, etiam metropolitanarum et patriarchalium, atque aliarum ecclesiarum ac monasteriorum, prioratuum et beneficiorum ecclesiasticorum, secularium quorumcumque, ac hospitalium, et quorumvis ordinum et militiarum (non tamen sancti Ioannis Hierosolymitani, quorum fratres pro muniendâ et defendendâ adversus improbos eorumdem Turcarum conatus insulâ Melitanâ gravissimos sumptus subire et magnum aes alienum contrahere opportuit) regularium, cum curâ et sine curâ, in dicto dominio existentium, a venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, et episcopis dilectis filiis electis, administratoribus, commendatariis, abbatibus, prioribus, praepositis, praelatis, capitulis, conventibus, ceterisque personis ecclesiasticis secularibus et regularibus quibuscumque, tam non exemptis, quam quomodolibet exemptis, et quantumvis privilegiatis, etiam sacrae Romanae Ecclesiae cardinalibus, necnon sancti Benedicti, sancti Augustini, Cisterciensium, Clunia censium, Praemonstratensium, Carthusiensium, Camaldulensium, Montis Oliveti, Vallis Umbrosae, Cruciferorum, monachorum, Eremitarum sancti Hieronymi, et quorumcumque aliorum Ordinum, necnon Cassinensis, aliàs sanctae Iustinae, sancti Salvatoris et Lateranensis aliarumque congregationum, tam virorum quam mulierum, etiam Mendicantium ex privilegio et aliàs bona immobilia seu certos redditus quoquo modo ecclesiasticos habentium in dominio praedicto, ecclesias, monasteria et alia beneficia ecclesiastica obtinentibus, et fructus ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum huiusmodi, necnon pensiones annuas quantumcumque exemptas, et sub quibusvis obligationibus etiam in formâ camerae apostolicae, etiam iuramento, et cum susceptione censurarum, et de non contraveniendo, ac fortasse etiam de non impetrando gratias nostras contra eos, et concessis non utendo, vallatis, et forsan aliis etiam efficacioribus cautelis et decretis ac clausulis, super eisdem fructibus et pensionibus etiam medio cedularum banchi seu in formâ depositi habentibus, et intra praesentem annum habituris, cuiuscumque praeeminentiae, status, gradus, conditionis et ordinis et religionis vel militiae existant (quibus aut quorum aliquibus ulla privilegia, exemptiones, aut indulta sub quacumque verborum formâ et expressione concessa quoad hoc nullatenus suffragari posse volumus; fratribus ac personis dicti hospitalis Hierosolymitani in totum et omnino, ceteris vero hospitalibus hospitalitatem actu servantibus pro eâ quantitate tantum, quam in servandâ ipsâ hospitalitate exponunt, dumtaxat exceptis, et dummodo a personis Ordinum Mendicantium nonnisi medietas eius partis, quae ratione subsidii huiusmodi ab eis solvenda esset, solum exigatur) proportionabiliter et aequaliter iuxta verum valorem praedictum inter praedictas personas ecclesiasticas secundum aequalem et discretam partitio-

Exemptio a solvendo subsidio.

1 Male edit. Main. legit *nomine* (R. T.).

nem, quam ad nos quamprimum transmitti mandamus, per venerabiles fratres Angelum episcopum Ariminensem nuncium nostrum ac Ioannem patriarcham Venetiarum distribuendum, ac in locis et terminis modisque et formis per ipsos Angelum episcopum et nuncium, ac patriarcham, quos collectores generales subsidii huiusmodi harum serie constituimus et deputamus, statuendis, ordinandis et declarandis, omnino de praesenti anno persolvendum, ac per eos et eorum subcollectores, qui sint personae ecclesiasticae, ad hoc ab ipsis deputandos percipiendum, exigendum et levandum, ac duci et dominio praedictis cum effectu consignandum, ut illud in expensas necessarias contra dictos Turcas, et non alios usus, expendere valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, imponimus, impositumque[1] fore et esse decernimus et declaramus; necnon eisdem collectoribus generalibus et ab eis deputandis subcollectoribus huiusmodi a patriarchis, archiepiscopis, episcopis, electis, administratoribus, abbatibus, commendatariis, prioribus, praeceptoribus, praepositis, praelatis, capitulis, conventibus et aliis personis ecclesiasticis praedictis, praeterquam ut supra exceptis, ratam dicti subsidii eos et eorum quemlibet ut praefertur tangentem petendi, exigendi et colligendi, eisque et eorum singulis, ut illam modo praemisso solvant, per poenas, quoad patriarchas, archiepiscopos et episcopos, interdicti et suspensionis ingressus ecclesiae, quoad alios vero, privationis beneficiorum ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum, et alias, de quibus illis videbitur, etiam pecuniarias, ac demum per sententiam excommunicationis, aliasque censuras ecclesiasticas, ceteraque opportuna iuris et facti remedia, mandandi et percipiendi[1]; contradictores quoslibet et rebelles, et suam subsidii partem solvere recusantes seu differentes, et ne illa solvatur persuadentes directe vel indirecte, per poenas, censuras et remedia huiusmodi, appellatione postpositâ, compescendi; brachii quoque secularis auxilium, si opus fuerit, ad hoc invocandi; solventes de solutis quietandi et liberandi, a censuris et poenis, quas praemissorum occasione quomodolibet incurrerint, absolvendi, et generaliter omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna, etiamsi mandatum exigerent magis speciale quam praesentibus sit expressum, faciendi, gerendi, ordinandi, mandandi et exequendi, plenam et liberam, auctoritate apostolicâ et tenore praedictis, facultatem concedimus et potestatem.

Ratam non solventibus poenae infliguntur.

§ 3. Volentes, quod expensae, quae circa exactionem subsidii huiusmodi forsan faciendae fuerint, in centum millibus scutis praedictis minime computari debeant, sed dictae personae ecclesiasticae expensas ipsas, ultra ratam partem quam ratione eiusdem subsidii solvere debebunt, etiam persolvere teneantur.

Expensae pro exactione subsidii non sunt computandae in ipso subsidio.

§ 4. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis universalibus editis, nec non ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, ordinum, congregationum et militiarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus et immunitatibus, etiam in corpore iuris clausis, ac litteris apostolicis ecclesiis, monasteriis, prioratibus, praeceptoriis, praelatis, capitulis, conventibus, ordinibus, congregationibus et militiis

Contrariis derogatur.

1 Male edit. Main. legit *impositamque* (R. T.).

1 Potius lege *praecipiendi* (R. T.).

aliisque praedictis, in genere vel in specie, sub quacumque formâ et verborum expressione, etiam a nobis et Sede Apostolicâ etiam consistorialiter et motu simili et aliàs quovis modo emanatis et concessis et etiam iteratis vicibus confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, et in eis caveatur expresse quod per huiusmodi clausulas generales eis nullatenus derogetur nec derogatum esse censeatur nisi sub certis modo et formâ in eis expressis, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis, ac modum et formam ad id servandos pro individuo servatis habentes, ad praemissorum effectum dumtaxat, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque;

Sequitur derogatio.

§ 5. Aut si patriarchis, archiepiscopis, episcopis, electis, administratoribus, abbatibus, commendatariis, ceterisque praedictis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Occasione subsidii non distrahantur ornamenta ecclesiarum.

§ 6. Volumus autem, quod, iuxta ordinationem in concilio Viennensi super hoc editam, calices, libri et alia ornamenta ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum et aliorum beneficiorum et piorum locorum sub praesentibus comprehensorum, divino cultui dedicata, causâ pignoris, vel aliàs, occasione solutionis subsidii huiusmodi nullatenus capiantur, distrahantur, vel occupentur; quodque praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius ex dictis collectoribus generalibus vel alterius praelati ecclesiastici munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III augusti MDCXLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 3 augusti 1645, pontif. anno I.

XXXV.

Commissio inquisitori Melitano ut det licentiam magno magistro hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani imponendi gabellam centum millium scutorum auri super comestibilibus et aliis rebus pro manutenendis munimentis ipsius insulae[1].

Dilecto filio magistro Ioanni Baptistae Gorio Pannellino, in utrâque signaturâ nostrâ referendario, in insulâ Melitanâ adversus haereticam pravitatem inquisitori a Sede Apostolicâ deputato,

Innocentius Papa X.

Dilecte fili noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

Occasio Constitutionis.

§ 1. Nuper pro parte dilecti filii magni magistri hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani nobis expositum fuit, quod, cum insula Melitana sit firmissimum reipublicae christianae, praesertim totius Italiae adversus infidelium irruptiones, propugnaculum, a personis in arte muniendi peritis pro securitate istorum populorum ac defensione oppidorum Vallettae, Victoriosae et Sengleae, a quorum singulo, eorumque manutentione, eorum tuitio dependet, nedum conveniens, sed etiam necessarium

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

existimatur, munimenta Floriana nuncupata, quae a fronte dicti oppidi Vallettae existunt, perficere, ut hostis procul ab illo arceatur, ac incoeptas fortificationes seu munimenta ad collem S. Margaritae, qui oppidis Victoriosae et Sengleae ac portui toti imminet, ita ut nulla navis in eo secure degere possit, producere, ac in promontorio de Ursis nuncupato in faucibus dicti portus existente, ut ingressus succursibus ab extra tuto pateat, propugnaculum extruere, ne hostis in eodem colle se muniens, prout facile posset, ingressum huiusmodi impediat.

Aliud motivum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praemissa pro defensione praedictorum oppidorum summe necessaria existant, hospitalis vero praedicti facultates exhaustae illudque aere alieno gravatum existant ob suorum reddituum ordinariorum imminutionem occasione bellorum inter principes christianos vertentium, ac ob expensas tam ordinarias quam[1] factas in extruendis novis munimentis et in providendâ dictâ insulâ rebus ad bellum necessariis victualibusque et militibus contra Turcas, qui classe potentissimâ insulae praedictae obsidionem minabantur; ideoque dictus magnus magister opera praedicta executioni demandare non possit, cum ad illa centum et quinquaginta scutorum millia sint necessaria, ita ut aliunde opportuno ad id auxilio indigeat, cum, licet duplicata onera super prioratuum ac baiulivatuum et praeceptoriarum seu commendarum dicti hospitalis fructibus imposita fuerint, nihilominus idem hospitale ita gravatum existat, ut etiam in futurum sustinendis continuis et ordinariis expensis inhabile sit redditum:

§ 3. Nobis propterea dictus magnus magister humiliter supplicari fecit, ut de aliquo opportunae subventionis auxilio in praemissis providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Facultas imponendi gabellam super comestibilibus ad triennium.

§ 4. Nos igitur, provide considerantes quantum universae Reipublicae Christianae intersit insulam praedictam adversus Turcarum impetus probe munitam reddi, dictumque magnum magistrum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ac salvis et in suo robore remanentibns quibusvis aliis impositionibus super quibusvis rebus in eâdem insulâ hactenus impositis, tibi facultatem concedendi praedicto magno magistro licentiam imponendi super tritico, granis, leguminibus, fructibus, vino, carne, piscibus, oleo, olivis et aliis quibuscumque rebus comestibilibus, et aliis rebus quae pro usu humano consumuntur, tam collectis et colligendis in praedictâ insulâ, emendis tamen et vendendis, quam in eâdem insulâ ingressuris, seu ex eâ extrahendis, unam gabellam, arbitrio tuo, pro summâ tamen centum millium scutorum auri in totum dumtaxat et ad triennium dumtaxat duraturam, et, quatenus tantundem sit necessarium, in praedicta munitionum opera et non in alios usus integre convertendi, super quo conscientiam tam magni magistri et aliorum quam tuam oneramus, illamque a quibusvis personis laicis et ecclesiasticis, seu secularibus, ac dicti hospitalis et cuiusvis alterius Ordinis, Congregationis, Societatis, etiam Iesu, et instituti, etiam Mendicantium, utriusque sexus regularibus, hospitaliumque et aliorum locorum piorum personis, etiam quocumque immu-

1 Supple *extraordinarias* (R. T.).

nitatis et exemptionis vel alio quovis privilegio suffultis, etiamsi de illis specialis, specifica, individua ac de verbo ad verbum expressa mentio facienda esset, exigendi, seu exigi faciendi, auctoritate et tenore praedictis concedimus et impertimur.

Nullus eximitur a solutione gabellae.

§ 5. Decernentes omnes et quascumque personas praedictas ad gabellae vigore praesentium imponendae solutionem omnino teneri, easque ad id opportunis iuris et facti remediis summarie, omni appellatione, reclamatione et recursu remotis, cogi et compelli posse; praesentes vero litteras de obreptionis, vel subreptionis, aut nullitatis vitio, vel nostrae aut Sedis Apostolicae intentionis seu quocumque alio defectu notari, redargui, impugnari, in ius, vel[1] controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque iuris, facti, vel gratiae remedium impetrari minime posse; sicque ab omnibus censeri, et per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac quaecumque dicti hospitalis tribunalia, necnon S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, dictaeque Sedis nuncios, et quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus praedictis nostris litteris, et quibusvis apostolicis, et in conciliis universalibus provincialibusque et synodalibus editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quarumvis ecclesiarum, monasteriorum, ordinum, congregationum, institutorum et locorum piorum, ac insularum praedictarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, libertatibus et litteris apostolicis, quibusvis ecclesiis, monasteriis, ordinibus, congregationibus et institutis, locisque piis et insulis praedictis, et personis quibuslibet, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, aut aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV augusti MDCXLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 14 augusti 1645, pontif. anno I.

1 Particulam *vel* nos addimus (R. T.).

XXXVI.

Confirmat statuta monasteriorum congregationis B. Mariae Virginis sub regulâ sancti Augustini in Tullensi et aliis dioecesibus sitorum[1].

1 Plures Summi Pontifices confirmarunt statuta monialium pro bono regimine earumdem, ut copiose habes in repertorio, verbo *Statuta*.

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Motivum Constitutionis.

Exponi nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae matres, seu priorissae, et moniales monasteriorum congregationis B. Mariae Virginis sub regulâ sancti Augustini in Tullensi et aliis dioecesibus sitorum, quod ipsae statuta pro felici dictae congregationis directione atque gubernio a quondam Petro Fourier illius institutore nuperrime condita, quo firmiora persistant et exactius ab omnibus observentur, apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri summopere desiderant.

Confirmat statuta Monialium Congregationis Beatae Mariae Virginis.

§ 1. Nos igitur, easdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illarum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, statuta praedicta, dummodo tamen in usu, ac licita sint et honesta, et non sint revocata, nec sub aliquibus revocationibus comprehensa, sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis ac constitutionibus apostolicis regularibusque dicti Ordinis institutis non adversentur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, sine tamen alicuius praeiudicio, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Irritus declaratur contrarius quilibet attentatus.

§ 2. Decernentes illa, necnon praesentes litteras, semper et perpetuo valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et in futurum quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogatur.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac congregationis et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Vi huius Constitutionis consulitur.

§ 4. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII augusti MDCXLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 28 augusti 1645, pontif. anno I.

XXXVII.

Confirmatio, seu innovatio Brevis Urbani VIII pro locis Terrae Sanctae, quoad eleemosynas quaerendas[1].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Salvatoris et Domini nostri, qui pro humani generis redemptione se ipsum exinanivit factus obediens usque ad mortem, vices licet immeriti gerentes in terris, inter multiplices gravissimasque apostolicae servitutis curas, in eam praecipue

1 Pro huiusmodi locis Terrae Sanctae, lege Const. CDLXXVI Urbani VIII, *Salvatoris*, tom. XIV, pag. 370.

pastoralis sollicitudinis vigilantiâ incumbimus, ut tanti et tam salubris mysterii monumenta, quae in civitate Hierusalem et locis circumvicinis sunt, conserventur, et omni, qua fieri poterit, maiori honorificentiâ recolantur.

Exponitur motivum Constitutionis.

§ 1. Cum itaque felicis recordationis Urbanus Papa VIII praedecessor noster, sibi aliàs exposito[1], quod ecclesiae et alia loca pia in civitate Hierusalem et aliis locis Terrae Sanctae existentia fere diruta erant, et quae adhuc ibi existebant monasteria aere alieno, ob impiam Turcarum, haereticorum et schismaticorum tyrannidem et pro sanctae fidei catholicae in eisdem locis conservatione contracto, admodum gravata reperiebantur, idem Urbanus praedecessor patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis, necnon omnibus et singulis quorumvis Ordinum, congregationum et institutorum regularium generalibus commisit et mandavit, ut ad minus duabus vicibus quolibet anno, adventus et quadragesimae temporibus, tam per verbi Dei praedicatores in suis sacris concionibus, quam in actionibus et functionibus publicis, necessitates eorumdem sacrorum monumentorum populo proponi et commendari curarent et facerent, et aliàs, prout in eiusdem Urbani praedecessoris in simili formâ Brevis die III februarii anni MDCXXXIV desuper expeditis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Confirmatur Breve Urbani VIII quoad quaerendas eleemosynas pro Terra Sancta.

§ 2. Cum autem, sicut nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Andreae de Arco eiusdem Terrae Sanctae pro Italiâ et aliis locis Europae subsuperiore cismontanae familiae ac Bernardi de Castiglio pro Hispanicâ commissariorum Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum professorum expositum fuit, ipsi, quo praefatae Urbani praedecessoris litterae exactius observentur, illas per nos confirmari et innovari desiderent: nos, eorumdem sacrorum monumentorum conservationi et manutentioni consulere volentes, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotio Propagandae Fidei praepositorum consilio, praedictas Urbani praedecessoris huiusmodi littteras, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illasque innovamus et observari mandamus, salvâ semper auctoritate congregationis dictorum cardinalium.

Sine praeiudicio tamen auctoritatis de Propaganda Fide.

§ 3. Volumus autem, ut patriarchae, archiepiscopi et episcopi praedicti in relatione status suarum ecclesiarum, quando visitabunt limina apostolorum faciendâ, referant, se praedictis Urbani praedecessoris et praesentibus nostris litteris paruisse; contrariis non obstantibus quibuscumque.

Consulitur exequutioni huius Brevis.

§ 4. Volumus insuper, quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptorum fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX septembris MDCXLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 19 septembris 1645, pontif. anno I.

1 Syntaxis manet inabsoluta; legendum foret: *Urbano Papae VIII praedecessori nostro aliàs expositum fuisset* (R. T.).

XXXVIII.

Deputatio eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis Odescalchi in protectorem fratrum Ordinis S. Hieronymi congregationis Fesulanae[1].

1 Quis fuerit promotor huius congregationis, et quinam Summi Pontifices eorum regularem vi-

Dilecto filio nostro Benedicto, S. R. E. diacono cardinali Odescalcho nuncupato, Innocentius Papa X.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

§ 1. Cum, per obitum bonae memoriae Alexandri S. R. E. cardinalis Caesarini nuncupati, fratrum Ordinis sancti Hieronymi congregationis Fesulanae dum viveret apud Sedem Apostolicam protectoris, congregatio praedicta protectore destituta remanserit: nos, eidem congregationi de idoneo protectore providere volentes, ac de tuae circumspectionis singulari prudentiâ, doctrinâ, integritate et religionis zelo plurimum in Domino confisi, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, te, ex cuius protectione ob tuas eximias virtutes congregationem huiusmodi plurimum commodi et ornamenti suscepturam esse confidimus, praedictae congregationis illiusque monasteriorum et fratrum quorumcumque apud nos et Sedem Apostolicam protectorem, cum omnibus honoribus et oneribus solitis et consuetis, ad tui vitam, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, facimus et deputamus.

Iniungit praefato cardinali protectionem de qua in rubrica.

§ 2. Volumus autem, ut congregationem praedictam foveas et protegas, ac tibi in virtute sanctae obedientiae mandamus, ut superiorum dictae congregationis auctoritatem, quantum fieri poterit, conservare cures, ac propterea ipsis superioribus regimen et gubernium subditorum penitus relinquas, nec in negotiis eorumdem fratrum te immisceas, nisi ab ipsis superioribus requisitus fueris ut in iisdem negotiis auctoritatem tuam interponas, et tunc, si omnino necessarium fore cognoveris ut eamdem auctoritatem tuam in iisdem negotiis exerceas, tunc id facere possis, sed, quoad potueris, per te ipsum hoc facere cures, adhibito ad scribendum, quando opus fuerit, in iisdem negotiis seu causis, loco notarii, aliquo ex fratribus dictae congregationis.

Mandat superioribus praedictae Congregationis ut protectorem recipiant.

§ 3. Mandantes propterea dilectis filiis generali et aliis superioribus, necnon universis fratribus et personis quibuscumque dictae congregationis, in virtute sanctae obedientiae, ut te in eorum protectorem iuxta tenorem praesentium recipientes eâ qua debent reverentiâ prosequantur; contrariis non obstantibus quibuscumque. Ceterum te in Domino hortamur, ut huiusmodi protectoris munus ita obire studeas, ut apud Deum bonorum operum retributorem aeternum praemium, a nobis condignam laudem, valeas promereri.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX septembris MDCXLV, pontificatus nostri anno I[1].

Dat. die 20 septembris 1645, pontif. anno I.

XXXIX.

Confirmat nonnullos articulos constitutionibus reformationis Ordinis S. Mariae de Monte Carmelo inserendos[2].

Innocentius Papa X, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Universalis ecclesiae regimini per ineffabilem divinae sapientiae abundantiam, meritis licet insufficientibus, praepositi, inter multiplices pastoralis officii curas, illam peculiari sollicitudine libenter amplectimur, quam[3] regularis disciplina in quibusvis religiosorum virorum Ordinibus in eâdem ecclesiâ pie institutis sarta tecta conservetur, et, ubi aliquatenus ab

tam approbaverint, habes ex Gregor. XII, Constitut. IV, *Sacrum nonnullorum*, tom. IV, pagina 653, et alibi, quod indicatur tibi in rerum repertorio.

1 Oporteret legere *anno II* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.
3 Potius lege *qua* (R. T.).

antiquo vigore deflexa, ut ad pristinam laudatamque vivendi rationem reducatur; ac, quae propterea provide statuta fuerunt, ut perpetuo firma subsistant et inviolabiliter observentur, apostolicae confirmationis robore communimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

§ 1. Sane pro parte dilecti filii Leonis Bonfilii prioris generalis fratrum Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo nobis nuper expositum fuit, quod (cum nonnullis ab hinc annis in dicto Ordine reformatio et exacta strictiorque vitae communis observantia, ad sacrorum canonum et Concilii Tridentini praescriptum, sub regulâ dicti Ordinis, a sancto Alberto patriarcha Hierosolymitano ante concilium Lateranense sub felicis recordationis Innocentio Papa III praedecessore nostro celebratum traditâ, et postea per recolendae memoriae Innocentium IV, Eugenium etiam IV, Pium II, et Sixtum itidem IV, Romanos Pontifices etiam praedecessores nostros, correctâ et moderatâ, feliciter coepta fuerit), ad dictam reformationem conservandam, propagandam et augendam; per generale dicti Ordinis capitulum, novissime in hac almâ Urbe nostrâ celebratum, die IV iunii proxime praeteriti decretum fuit, de consensu etiam dilecti filii nostri Martii tituli S. Mariae Angelorum nuncupatae presbyteri cardinalis Ginetti nuncupati dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, ut constitutiones, aliàs a piae memoriae Urbano Papa VIII similiter praedecessore nostro in simili formâ Brevis per litteras die XVI februarii MDCXXXIX expeditas approbatae, ac additis quibusdam articulis ex variis statutis et plurimarum quoque provinciarum reformationem postulantium monitis et observationibus collectis suisque locis insertis, per dilectos filios Andream a S. Francisco Aquitaniae ac Leonem a S. Ioanne Turoniae provinciarum dicti Ordinis priores provinciales ad id specialiter per dictum capitulum generale deputatos [1], ut in unum volumen redactae imposterum sint constitutiones generales pro omnibus conventibus in praedicto Ordine vel iam reformatis vel deinceps reformandis. Quorum quidem articulorum, praedictis constitutionibus, ab eodem Urbano praedecessore de dicto anno MDCXXXIX ut praefertur approbatis, suis locis inserendorum tenor est qui sequitur, videlicet:

Decreti series exponitur.

Enumerat priores, qui dicti Ordinis Constitutiones in unum volumen redigant.

(Hîc sequuntur praefati articuli in constitutionibus Reformatorum Antuerpiae editis videndi fol. 287).

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefatus prior generalis iuxta decretum dicti capituli generalis praeinsertis articulis pro illorum firmiori subsistentiâ et inviolabili observantiâ apostolici muniminis firmitatem per nos adiici summopere desideret:

Prioris desiderium.

§ 3. Nos, qui articulos, praefatis constitutionibus ut praemittitur inserendos, per venerabilem fratrem Hieronymum archiepiscopum Patracensem, ac dilectos filios magistros Marcum Aurelium Maraldum Brevium nostrorum secretarium et praelatum nostrum domesticum, necnon Prosperum Fagnanum et Franciscum Cherubinum auditorem, et itidem praelatum nostrum domesticum, in utrâque signaturâ nostrâ referendarios (auditis pluries nonnullis fratribus provinciarum Turoniae et Aquitaniae praefatarum ac Narbonae dicti Ordinis, qui se opposuerunt) diligenter examinari iussimus, pium totius dicti capituli generalis zelum pro regularis disciplinae observantiâ plurimum in Domino commendantes, ac dictum Leonem priorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et

Motiva et rationes.

1 Videtur deesse verbum *redigerentur*, aut simile (R. T.).

a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innnodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus tam sui quam totius capituli generalis nomine super hac[1] nobis humiliter porrectis inclinati, praeinsertos articulos, constitutionibus praefatis ut praemittitur inserendos, ad effectum ut suis locis accurate et fideliter inserti unâ cum praefatis constitutionibus imprimi possint, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et quoscumque tam iuris quam facti defectus, si qui in illis quomodolibet intervenerint, supplemus, necnon ab omnibus et singulis fratribus, qui dictum Ordinem in conventibus reformatis professi sunt, ac illum perpetuis futuris temporibus profitebuntur, nunc et pro tempore existentibus, praefatas constitutiones, cum articulis per praesentes approbatis, et in iis constitutionibus inserendis, perpetuo, inviolabiliter, exacte et inconcusse, sub poenis in illis comminatis, observari, ipsosque secundum illas et ad[2] praescriptum earum vivere debere, nec ab eis recedere, ad idque opportunis iuris et facti remediis cogi et compelli posse, ipsosque ab omnibus aliis statutis seu constitutionibus praefati Ordinis, etiam apostolicâ auctoritate confirmatis, ac etiam cum iuramento acceptatis, et praesertim ab eodem Urbano praedecessore nostro per aliàs suas in simili formâ Brevis litteras, die XVIII ianuarii anni MDCXXXVI expeditas, confirmatis, illarumque observantiâ, perpetuo exemptos et liberos esse et fore decernimus et declaramus: iisque ad hunc effectum iuramentum de illis observandis per ipsos praestitum relaxamus.

Quod articuli in constitutionibus imprimi possint concedit.

Decreti validitas et robur.

§ 4. Decernentes praesentes litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et quibuscumque aliis dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Ordini ac illius superioribus et personis et quibuslibet aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum praemissorum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem,

1 Potius de more solito lege *hoc*, vel *hac re* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *ac* pro *ad* (R. T.).

sub annulo Piscatoris, die XX septembris MDCXLV, pontificatus nostri anno I[1].

Dat. die 20 septembris 1645, pontif. an. I.

XL.

Quod commissarii Terrae Sanctae tenere possint unam clavem arcae eleemosynarum, et alia maneat penes syndicum pro tutiori custodiâ earumdem[2].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Procemium. Cum, sicut dilecti filii commissarii locorum Terrae Sanctae nobis nuper exponi fecerunt, superioribus annis in aliquibus Italiae civitatibus et novissime in oppido Matriti Toletanae dioecesis evenerit, ut certae eleemosynae in multorum scutorum millibus consistentes, per pias personas erogatae locis Terrae Sanctae huiusmodi, ob decoctionem aut aliàs culpâ syndici apostolici, qui eleemosynis huiusmodi indifferenter in suos peculiares usus et interesse utebatur, amissae fuerint; propterea cupiant ipsi exponentes per nos statui praecipique commissariis et syndicis pro tempore locorum dictae Terrae Sanctae, ut unam arcam in domo propriâ cuiuslibet syndici conservandam cum duabus diversis clavibus confici faciant, quarum unam commissarius, aliam clavem praefatus syndicus penes se respective teneant, et in qua arcâ omnes et singulae eleemosynae locis eiusdem Terrae Sanctae erogandae intactae conserventur, ipsaque arca nusquam reseretur praeterquam occasione eleemosynarum huiusmodi ad eadem loca Terrae Sanctae praefatae transmittendarum:

Quod arca eleemosynarum in locis Terrae Sanctae binis clavibus aperiantur, tenendis a duobus diversis commissariis.

Concessio petitionis. § 1. Idcirco nos, conservationi eleemosynarum huiusmodi, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, eosdemque exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negocio Propagandae Fidei praepositorum consilio, commissariis Terrae Sanctae, ut ipsi tutâ conscientiâ unam ex dictis duabus clavibus penes se retinere libere et licite possint et valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus: salvâ semper auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Decretum irritans.

Derogat contrariis. § 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides adhibenda huiusmodi decreto. § 3. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII

1 Potius lege *anno II* (R. T.).

2 Quoad eleemosynas quaerendas pro locis Terrae Sanctae lege Const. CDLXXVI, *Salvatoris*, Urbani VIII, tom. XIV, pag. 370.

septembris MDCXLV, pontificatus nostri anno I[1].

Dat. die 23 septembris 1645, pontif. an. I.

XLI.

Prohibitio extrahendi seu commodandi pignora in Monte Pauperum Nominis Dei civitatis Neapolitanae[2].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. § 1. Conservationi et manutentioni pignorum cuiuscumque qualitatis et speciei in Monte Pauperum Nominis Dei nuncupato civitatis Neapolitanae, tam cum interesse quam sine interesse ad praesens depositorum et in futurum deponendorum, quantum cum Domino possumus, benigne consulere volentes, supplicationibus dilectorum filiorum gubernatorum et protectorum ipsius Montis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cetero quisquam, quavis auctoritate et potestate fungens, pignora in dicto Monte ad praesens deposita et in futurum ut supra deponenda a dicto Monte extrahere, seu quibusvis personis vel locis piis commodare, sive ut extrahantur seu commodentur permittere, quovis praetextu et ex quacumque causâ, ratione, vel occasione, audeat seu praesumat, sub excommunicationis ac restitutionis faciendae de suo proprio, in eventum amissionis alicuius rei commodatae, per contrafacientes eo ipso incurrendis poenis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus.

Derogatio contrariorum. § 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Copia huius decreti in loco visibili collocanda. § 3. Volumus autem, quod praesentis prohibitionis copia in valvis domus dicti Montis, seu alio perspicuo loco, ubi ab omnibus cerni possit, continuo affixa remaneat.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI septembris MDCXLV[1], pontificatus nostri anno I[2].

Dat. die 26 septembris 1645, pontif. anno I.

1 Potius lege *anno* II (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

XLII.

Facultas cappellanis maioribus regis Hispaniarum exercendi quamcumque iurisdictionem ecclesiasticam[3].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo,
Hispaniarum regi catholico,
Innocentius Papa X.

Charissime in Christo fili noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. Cum, sicut maiestatis tuae nomine nobis nuper expositum fuit, in tuis nunc et pro tempore existentibus Hispaniarum regnis multa saepe contingere possunt, in quibus pro salubri directione et animarum salute eorum qui in castris degunt et versantur, proque cognoscendis et decidendis inter eos causis et controversiis ad forum Ecclesiae pertinentibus, operâ et industriâ unius seu plurium personarum ecclesiasticarum opus sit, propterea quod non facile ad locorum Ordinarios aut ad nos et Sedem Apostolicam recursus haberi potest: idcirco nos, eiusdem maiestatis tuae supplicationibus nobis desuper humiliter porrectis inclinati, cappellanis maioribus exercituum huiusmodi a maiestate tuâ pro tempore deputatis facultatem ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum tribuimus, quoad bella prae-

Cappellanis maioribus quacumque iurisdictio ecclesiastica conceditur.

1 Aliud simile extat sub eâdem datâ pro bauco domus Annunciationis Beatae Mariae eiusdem civitatis.

2 Potius lege *anno* II (R. T.).

3 Ex Regest. in Secret. Brev.

sentia in dictis regnis duraverint, per se, vel alium, seu alios sacerdotes probos et idoneos ac praevio diligenti examine approbatos ab eis respective subdelegandos, omnem et quamcumque iurisdictionem ecclesiasticam in eos, qui ibi pro sacramentis ecclesiasticis militibus ministrandis pro tempore erunt, qui tamen in propriâ dioecesi, sub qua illorum Ordinarii iurisdictionem suam ordinariam in eos exercere possent, non sint, sive clerici etiam presbyteri seculares, seu quorumvis etiam Mendicantium Ordinum regulares fuerint, exercendi, perinde ac si quoad clericos seculares eorum veri praesules et pastores, quoad regulares vero illorum superiores generales essent, omnesque causas ecclesiasticas, profanas, civiles, criminales, mixtas, inter seu contra praedictas aut quascumque alias personas in dictis exercitibus commorantes, ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiam summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, solâ veritate inspectâ, audiendi et fine debito terminandi, contra inobedientes quoslibet censuras et poenas ecclesiasticas etiam saepius aggravandi, auxiliumque brachii secularis invocandi;

Et contra inobedientes possint poenas ecclesiasticas infligere.

§ 2. Praeterea eisdem cappellanis, ac presbyteris idoneis ab eorum Ordinariis approbandis,[1] confessiones quorumcumque dictorum exercituum et illorum utriusque sexus personarum audiendi, illasque a quibusvis excessibus et delictis quantumcumque gravibus et enormibus, ac etiam in casibus nobis et dictae Sedi specialiter reservatis, et ex contentis in litteris in die Coenae Domini legi solitis, haeresis, lesae maiestatis, conspirationis in personam vel Statum Romani Pontificis, delationis armorum et aliorum prohibitorum ad partes infidelium, falsificationis litterarum ac supplicationum apostolicarum, iniectionis manuum violentarum in clericos seu praelatos Ecclesiae, clausurae monasteriorum sanctimonialium ac iurisdictionis seu libertatis ecclesiasticae violationis exceptis, necnon a quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis propter praemissa per eos quomodolibet incursis, si id humiliter peticrint, in reservatis videlicet, semel in vitâ et in mortis articulo, in aliis vero casibus dictae Sedi non reservatis, quoties opportunum fuerit, iniunctâ indé eis pro modo culpae poenitentiâ salutari, in foro conscientiae tantum absolvendi (ita tamen ut in casibus, in quibus satisfactio foret necessaria, ea per se ipsos, vel, eis impeditis, per haeredes aut alios fieri debeat), necnon ecclesias et cappellas ac coemeteria et oratoria quomodolibet polluta in illis partibus, in quibus ipsi exercitus consederint, et per quoscumque idoneos ad id specialiter deputandos sacerdotes in dignitate ecclesiasticâ constitutos, aquâ tamen prius per aliquem catholicum antistitem ut moris est benedictâ, reconciliandi, ceteraque faciendi et exequendi in praemissis necessaria et quomodolibet opportuna.

Conceditur eisdem facultas audiendi confessiones exercituum, absolvendique a quocumque enormi peccato licet reservato Sanctae Sedi.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon Ordinum, quorum personae huiusmodi professae fuerint, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, Ordinibus praedictis vel eorum superioribus aut singularibus personis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat

Derogatio contrariorum.

1 Subintellige, ut supra, *facultatem tribuimus* (R. T.).

specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI septembris MDCXLV, pontificatus nostri anno I[1].

Dat. die 26 septembris 1645, pontif. anno 1.

XLIII.

Impositio perpetui silentii super controversiis pendentibus pro abbatiâ generali Ordinis S. Antonii Viennensis et illarum compositione[2].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Salvatoris et Domini Nostri Iesu Christi, qui charitas est et Deus Patris[3], vices, meritis licet imparibus, gerentes in terris, apostolicae auctoritatis nostrae partes in hoc libenter interponimus, ut inter christifideles praesertim quomodolibet Altissimo sub suavi eiusdem religionis iugo famulantes, subductis controversiarum anfractibus, sincera animarum concordia vigeat, et fraternae charitatis fervor exaestuet, ipsique, dissidiorum fomentis penitus extinctis, in pacis et tranquillitatis amoenitate quietius reddant Deo vota sua.

Extinguit controversias et lites super abbatiâ generali Ordinis sancti Antonii Viennensis. § 1. Volentes itaque controversias a pluribus annis inter dilectos filios Franciscum Marcherium et ei adhaerentes ex unâ, et alios religiosos Ordinis sancti Antonii Viennensis ex alterâ partibus, super abbatiâ generali eiusdem Ordinis vertentes, penitus extingui, damnaque et incommoda, quae ex diuturnitate litis huiusmodi hucusque provenerunt et ex ulteriore illius protractione proventura timentur, evitari, auditâ relatione et voto particularis congregationis nonnullorum dilectorum filiorum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium et Romanae curiae praelatorum ad hoc negotium discutiendum et examinandum specialiter a nobis deputatae, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, pro bono pacis et beneficio dicti Ordinis, controversias et lites super abbatiâ generali huiusmodi hactenus motas, ac coram praedictâ congregatione et quibusvis aliis tribunalibus et iudicibus indecisas pendentes, ab illis in statu et terminis in quibus reperiuntur ad nos harum serie avocamus, ac illas penitus et omnino supprimimus, extinguimus et abolemus.

De hac re silentium utrique parti imponit; § 2. Necnon utrique[1] parti desuper, tam in petitorio quam in possessorio, perpetuum silentium imponimus, ipsisque et eorum cuilibet super praemissis perpetuo os claudimus; totumque[2] negotium huiusmodi eo quo sequitur modo componimus, videlicet:

Solumque titulum abbatis, non vero generalis, concedit dimisso. § 3. Praedicto Francisco Marcherio permittimus, ut abbatis titulo, non tamen generalis, et ad honorem dumtaxat, imposterum perpetuo utatur:

Providet pro sustentatione et victu dictorum monachorum. § 3. Pro ipsis vero Francisci alimentis et congruâ sustentatione eidem de annuâ pensione scutorum octingentorum monetae romanae in Urbe persolvendâ eius vitâ durante responderi; quo vero ad socios, videlicet dilectos etiam filios Fabianum de Lastic, Lucam du Mas, Antonium Callumeum, et Ioannem Menin, qui cum eo Romam venerunt, et ibidem extra claustra degunt, eosdem recipi intra monasteria seu domos regulares praedicti Ordinis, ac ibidem per superiores et alios ad quos spectabit benevole tractari; quatenus autem, re mature discussâ, congregatio praedicta satius duxerit, pro maiori

1 Iterum lege *anno II* (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

3 Lege potius *Filius Patris*; vel, mutatâ interpunctione, *qui charitas est et Deus, Patris vices* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *utriusque* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *tutumque* (R. T.).

eiusdem Ordinis quiete aut alio rationabili respectu, ut ad claustra praedicta non redeant, tunc per eamdem congregationem illis aliquo modo decenter et opportune provideri, necnon in tali casu alimenta subministrari ad rationem centum scutorum annuorum eiusdem monetae romanae pro quolibet ipsorum, donec vixerit, vel intra claustra receptus et alimentatus non fuerit;

Tria millia monetae romanae scuta Francisco Marcherio pro sumptibus et debitis contractis solvi iubet.

§ 4. Praeterea (attentis ex unâ parte plurimis sumptibus et expensis per praedictum Franciscum Marcherium et socios post egressum e monasterio Viennensi, tam occasione litis, quam alimentorum ac etiam concordiae diu multumque agitatae, factis, ac aere alieno et debitis propterea contractis, ex alterâ vero parte diversis pecuniarum summis dicto Francisco Marcherio et sociis in pluribus vicibus ac variis temporibus per adversarios solutis, necnon aliis pecuniis et bonis mobilibus per eumdem Franciscum Marcherium, et respective per socios, tam in Gallia quam Romae ex monasteriis sancti Antonii Viennensis et de Urbe post litem motam habitis et receptis, ac in sui usum conversis, vel aliàs distractis) eidem Francisco Marcherio et sociis scuta tres millia praedictae monetae romanae pro unâ vice dumtaxat solvi, et tam huiusmodi solutionem quam annuas praestationes antedictas per mensam abbatialem sancti Antonii Viennensis fieri mandamus.

Eidem Marcherio et sociis concedit actionem pro solutione in quaecumque monasteria.

§ 5. Pro faciliori vero illarum exactione dictis Francisco Marcherio et sociis actionem nedum contra bona mensae praedictae, sed etiam quorumcumque aliorum monasteriorum eiusdem Ordinis ubicumque existentium concedimus, reservatâ tamen facultate aliis monasteriis huiusmodi se revalendi et indemnizandi contra bona dicti monasterii et abbatiae sancti Antonii Viennensis. Quantum vero attinet ad expensas in huiusmodi causâ hinc inde factas, utramque partem ab earum refectione absolvimus et liberamus.

Quod monachi possint factâ solutione novum abbatem generalem eligere.

§ 6. Ac demum religiosos conventuales sancti Antonii Viennensis, postquam praesentes nostras litteras acceptaverint, ac pecunias dicto Francisco Marcherio et sociis, ut praefertur, decretas persolverint, aut in sacro Monte Pietatis de Urbe eis solvendas deposuerint, ad electionem novi abbatis generalis, servatis servandis, procedere posse, ac easdem praesentes litteras validas firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus.

Decretum irritans.

Contrariis derogat.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ de non tollendo iure quaesito, et quibusvis aliis apostolicis, necnon in[1] universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, Ordinisque et monasteriorum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, spe-

1 Praeposit. *in* nos addimus (R. T.).

cialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI octobris MDCXLV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 11 octobris 1645, pontif. anno II.

XLIV.

Quod nullus monachus congregationis Cassinensis in decanum eligi possit, nisi prius in sacrâ theologiâ vel sacris canonibus consuetos cursus sine interruptione peregerit[1].

Innocentius Papa X, ad futuram rei memoriam.

Motiva. Cum, sicut dilectus filius procurator generalis congregationis Cassinensis Ordinis sancti Benedicti nobis nuper exponi fecit, a capitularibus proxime praeteriti capituli generalis eiusdem congregationis, quo illius monachi studio ferventius incumbant, et ad bonarum litterarum cognitionem impensius excitentur, factum fuerit decretum tenoris sequentis, videlicet:

Decretum capituli. « Nullus deinceps in decanum eligi possit, nisi prius in sacrâ theologiâ vel sacris canonibus consuetos cursus sine interruptione peregerit, earumque facultatum publicas conclusiones laudabiliter sustinuerit, habitâ de his omnibus in scriptis ac iuramento firmatâ ab iis lectoribus et praelatis, apud quos praedictis facultatibus insudaverit, attestatione a capitulo generali approbandâ; theologiae vero cursus nonnisi per integrum septennium, computato triennali cursu philosophiae, adimpleri possit; sacrorum etiam canonum per quadriennium. Huius tamen decreti obligatione non teneantur, nisi qui nondum sexennium in congregatione impleverint. Qui vero religionis ordine provectiores fuerint, studio moralis saltem theologiae incumbere debeant, nisi supradictos cursus et ipsi peregerint, aliàs in decanos eligi nequeant. Datum in monasterio S. Petri de Perusia, XV maii MDCXLV.

D. Gregorius ab Aretio, *cancell.* »;

Petitio procuratoris generalis pro decreti validitate. § 1. Quo vero decretum praeinsertum firmius subsistat et exactius observetur, idem procurator generalis dictae congregationis nomine illud per nos confirmari summopere desideret: nos, eumdem procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans. § 2. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter et inconcusse observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

1 De istorum monachorum congregatione, vide Const. CDXXXVI (*al.* 404), *Sancta Mater*, tom. XIV, pag. 284.

Adversa refutantur.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac eiusdem congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Decreto huic fides servanda.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae alicuius in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII novembris MDCXLV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 7 novembris 1645, pontif. anno II.

XLV.

Manilanae universitatis S. Thomae fundatio.

Innocentius Papa X, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

In supereminenti Apostolicae Sedis speculâ, meritis licet imparibus, disponente Domino constituti, et intra mentis nostrae arcana revolventes quantum ex litterarum studiis catholica fides augeatur, divini numinis cultus protendatur, veritas agnoscatur, ac iustitia colatur, ad ea, propter quae litterarum studia huiusmodi ubilibet excitentur et humiles personae eis incumbere desiderantes id efficere possint, libenter intendimus, et in eis nostrae sollicitudinis partes propensius impertimur, prout pia christifidelium, praesertim regali dignitate fulgentium, vota exposcunt, nosque, locorum qualitate pensatâ, in Domino conspicimus salubriter expedire.

Postulatio Hispaniarum regis pro fundatione universitatis in insulis Philippinis Ordinis Praedicatorum tribuendae administrationi.

§ 1. Cum itaque, sicut nomine carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholicici nobis nuper expositum fuit, in civitate Manilanâ in insulis Philippinis Indiarum occidentalium unum sub denominatione sancti Thomae collegium Ordinis fratrum sancti Dominici existat, in quo triginta alumni seculares educantur, et grammatica, rhetorica, logica, philosophia ac theologia scholastica et moralis docentur seu leguntur, magnâ cum incolarum illarum partium utilitate; civitas vero Manilana plusquam tribus leucarum millibus a vicinioribus studiorum generalium universitatibus nempe Limanâ et Mexicanâ distet; et propterea idem Philippus rex in collegio praedicto academiam per nos erigi et institui summopere desideret:

Scientiae recensentur, quibus illi populi navabunt operam.

§ 2. Nobis idcirco eiusdem Philippi regis nomine humiliter supplicatum fuit, quatenus, incolarum civitatis praedictae commodis et in bonis litteris institutioni consulendo, in dictâ civitate ac aedibus collegii praedicti accademiam, in qua religiosi dicti Ordinis grammaticam, rhetoricam, logicam, philosophiam et theologiam scholasticam et moralem publice profiterentur, ac iuvenes quoscumque docerent, apostolicâ auctoritate erigere et instituere, aliàsque in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Philippi regis voluntati annuitur.

§ 3. Nos igitur, piis eiusdem Philippi regis votis huiusmodi favorabiliter annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de nonnullorum dilectorum filiorum nostrorum S. R. E. cardinalium ac Romanae Curiae praelatorum desuper

a nobis deputatorum consilio, in praedictâ civitate Manilanâ, in aedibus dicti collegii ubi nunc scholae sunt, seu forsan in ampliorem formam construentur, academiam in qua religiosi dicti Ordinis grammaticam, rhetoricam, logicam, philosophiam, ac theologiam scholasticam et moralem publice profiteantur, et iuvenes quoscumque doceant, duraturam dumtaxat donec et quousque aliqua publica studii generalis universitas in dictâ civitate Manilanâ, seu illius provinciâ, apostolicâ auctoritate erecta fuerit, eâdem auctoritate, tenore praesentium, sine tamen cuiuscumque praeiudicio, erigimus et instituimus; ipsamque academiam, sic erectam et institutam, curae, regimini et administrationi dicti Ordinis et illius magistri generalis pro tempore existentis, seu ab eo deputandi, qui totius accademiae[1], illiusque rectori, magistris, scholasticis, aliisque praedictis universis et singulis, ut omnibus et quibuscumque privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, praerogativis, honoribus et praeeminentiis, huiusmodi accademiis, illarumque[2] pro tempore existentibus rectoribus, magistris, lectoribus, doctoribus, praeceptoribus, scholasticis, procuratoribus, bidellis, nunciis, officialibus, ministris et aliis personis in genere vel in specie quomodolibet concessis, non solum ad eorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter, in omnibus et per omnia, uti, potiri et gaudere;

Numerantur gradus ad quos promoveri poterunt illi, qui studia enixe colent.

§ 4. Et insuper rectori eiusdem academiae et collegii pro tempore existenti, ut, donec huiusmodi academia ut praemittitur duraverit, illos, quos in ipsâ academiâ sic erectâ per debitum tempus studuisse ac scientiâ et moribus idoneos esse repererit, in praedictis facultatibus, quae in dicto collegio ut praefertur docentur seu leguntur, ad baccalaureatus etiam formati, licentiaturae, laureae, ac doctoratus, necnon magisterii gradus (servatâ in omnibus et per omnia formâ decretorum Viennensis et Tridentini conciliorum, quibus in aliquo derogare non intendimus, et[1] alias laudabiles aliarum academiarum consuetudines) promovere, et ipsorum graduum insignia eis exhibere; utque ad dictos gradus sic per illum promoti postea publice privatimque etiam in omnibus aliis academiis et universitatibus studiorum generalium facultates praedictas interpretari et alios docere, de eis disputare, gradui seu gradibus huiusmodi convenientes actus exercere, necnon omnibus privilegiis, favoribus, gratiis, praerogativis et indultis, quibus alii in praedictis, seu aliis academiis, universitatibus, et alibi, iuxta illarum constitutiones et mores ad gradus praedictos promoti de iure vel consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt in futurum, in omnibus et per omnia, perinde ac si gradus in academiis seu universitatibus huiusmodi iuxta illarum mores et consuetudines rite suscepissent, uti, potiri et gaudere; necnon pro tempore existenti dicti Ordinis magistro generali, ut per se, vel dictorum collegii et sic erectae academiae rectorem, aut alium, vel alios, pro salubri et felici dictae academiae directione, ac rectoris, magistrorum, procuratorum, bidellorum, nunciorum et aliorum et[2] officialium muneribus et functionibus, modoque et formâ docendi et aliàs sua officia exercendi, et scholasticorum manutentione, quaecumque statuta et ordinationes, licita tamen et honesta ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis et constitutio-

Servatâ semper auctoritate conciliorum Viennensis et Tridentini.

1 Aliqua desunt, ex g. *rector existat, committimus, ipsique accademiae,* etc. (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *illamque* (R. T.).

1 Deest vox *iuxta,* vel aliter legendum (R. T.).

2 Particula *et* delenda videtur (R. T.).

nibus apostolicis non contraria edere et promulgare, eaque pro temporum, rerum et personarum qualitate mutare, corrigere et reformare, seu illa cassare et abrogare, et alia de novo edere, et super illorum observatione poenas eius arbitrio imponere, dictaeque academiae doctores, magistros, lectores, scholasticos, procuratores, bidellos, aliosque ministros et officiales eligere et amovere, seu electiones factas confirmare, libere et licite valeant, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus.

Decretum irritans.

§ 5. Praesentes nostras vero litteras validas, firmas et efficaces fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX novembris MDCXLV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 20 novembris 1645, pontif. anno II.

XLVI.

Confirmatio nonnullarum constitutionum Summorum Pontificum pro communi bono editarum, cum revocatione quarumdam gratiarum contra illarum dispositionem concessarum.

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Etsi ea, quae pluribus Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus pro bono communi provide sancita et saepius confirmata et innovata fuerunt, novae approbationis adiectione minime indigere videantur; quia tamen plerumque accidit, ut rerum vel maxime utilium, nisi crebro excitetur, sensim effluat memoria, ac etiam quia post editas et promulgatas constitutiones huiusmodi multa per nonnullos ex praedecessoribus praefatis quorumdam importunis precibus, ut verisimile est, inductos concessa fuisse comperimus, quae earumdem constitutionum vim non leviter infringere, et publicis commodis graviter officere, nostraeque et Sedis Apostolicae auctoritati aliquatenus detrahere dignoscuntur: hinc est quod nos, quibus agri dominici cura divinitus commissa est, ut iuxta Prophetam noxia evellamus et utilia plantemus[1], operae pretium facturos existimavimus, si iteratae confirmationis et innovationis ministerio easdem constitutiones ab oblivione vindicemus, et praedecessorum nostrorum sedulique patrisfamilias exemplo ea quae praeter aut contra salubrem constitutionum huiusmodi dispositionem et commune bonum nimiâ facilitate concessa fuerunt tamquam nociva zizania extirpemus, rati neminem aegre laturum suae privatae publicam utilitatem anteponi.

Motiva et rationes.

Nonnulli enumerantur Pontifices, qui constitutionum vim saepius confirmarunt.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Paulus Papa V praedecessor noster, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione suis, deque apostolicae potestatis plenitudine, nonnullorum etiam praedecessorum nostrorum, tunc suorum, et praesertim piae memoriae Pauli III, Iulii III, Pii V, et Clementis VIII, Romanorum Pontificum, vestigiis inhaerens, quascumque editas constitutiones exemptio-

1 Edit. Main. legit *plantemur* (R. T.).

num et immunitatum ac concessionum revocatorias confirmans, approbans et innovans, suâ perpetuo valiturâ constitutione, sub datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII decembris MDCV, pontificatus sui anno I, editâ, omnes et quascumque exemptiones et immunitates a solutione subsidii triennalis, quatrini carnis, taxarum equorum, tallearum, censuum, archivii, fogliettae, triremium, utensilium, necnon dohanarum, gabellarum, datiorum, impositionum et aliorum onerum cameralium quorumcumque, et quae etiam per communitates et universitates pro eorumdem onerum cameralium solutione et publicorum munerum supportatione indicta et imposita existebant, ac exigi solita erant, necnon ceteras gratias et concessiones, ac provisiones et assignationes super camerae apostolicae redditibus et iuribus, poenarum quoque maleficiorum applicationes, approbationes, ac illarum sive dohanarum et cancellariarum, tam civilium, quam criminalium, ac secretariarum et illarum emolumentorum, ac bonorum et iurium ipsius camerae, cuiusvis qualitatis et quantitatis, in praeiudicium ipsius camerae per quoscumque praedecessores nostros, tunc suos, et ipsummet Paulum V et Sedem Apostolicam, etiam motu proprio et consistorialiter, ac sanctae Romanae Ecclesiae camerarium et cameram praedictam, seu etiam legatos, vicelegatos, gubernatores, officiales et ministros quibusvis communitatibus, universitatibus, necnon familiis nobilibus, principibus, ducibus, marchionibus, comitibus et quibusvis aliis personis quacumque dignitate fulgentibus, etiam ratione guberniorum et aliorum officiorum et munerum eis commissorum, et ex quavis causâ, etiam in recompensam laborum, damnorum passorum, expensarum, vel meritorum, seu illorum intuitu, et aliâ quantumvis urgentissimâ et de necessitate exprimendâ causâ, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, et cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, etiamsi in appaltuum seu locationum cameralium instrumentis promissum et cautum esset eas observari debere, appaltatoresque et conductores ad illarum observationem teneri, ac aliàs quomodocumque et qualitercumque eousque in genere vel in specie concessas, datas, factas et emanatas, et inde sequuta quaecumque, etiam auctoritate iudicis, perpetuo revocavit, cassavit, sustulit, abrogavit et annullavit, ac viribus et effectu vacua perpetuo fore et esse, neque in possessorio neque in petitorio cuiquam suffragari posse seu debere, ac provisiones, assignationes, poenas maleficiorum, emolumenta, vectigalia et alias res, bona et iura praefata ex huiusmodi revocatione restituta, eidem camerae, et non aliis, quibus forsan locati et appaltati reperiebantur redditus et proventus dictae camerae, licet antequam exemptiones, concessiones et assignationes supradictae emanassent aliter dispositum fuisset, omnino deberi, ac ad illa omnia et singula cameram ipsam, necnon communitates et universitates pro gabellis et datiis ab eis exigi solitis pro dictorum onerum cameralium solutione et publicorum munerum supportatione, eo ipso, absque aliâ adeptâ seu recuperatâ possessione, restitutam et reintegratam, restitutasque et reintegratas fore et esse et censeri debere, decrevit et declaravit.

Exponit supra quo factae fuerint Constitutiones.

Quaecumque personarum conditio huiusmodi Constitutiones observare debebit.

Quid aliud Paulus V decreverit.

§ 2. Ac subinde idem Paulus V praedecessor, annonae et grasciae ubertati in Urbe et ecclesiasticâ ditione consulere cupiens, per aliam suam perpetuam constitutionem sub datum eâdem die XXIII decembris editam, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac matûrâ deliberatione suis, deque apostolicae potestatis pleni-

Aliud decretum supra annonam et grasciam a Paulo V emanatum.

dine, omnes et singulas recolendae memoriae Pii IV etiam praedecessoris nostri, tunc sui, ac Pii V et Gregorii XIII ac Clementis VIII praefatorum constitutiones et litteras, in quibusvis earum partibus, etiam quoad excommunicationis et alias ecclesiasticas censuras quantum attinet ad frumentorum, bladorum, leguminum et olei a Statu Ecclesiastico extractionem tantum, et, quoad ceteras poenas quascunque in eisdem constitutionibus et litteris contentas, non solum in quantum ad praemissorum, sed etiam in quantum ad aliarum rerum ad annonam et grasciam pertinentium exactionem[1] attinebat, perpetuo innovavit, confirmavit et approbavit, illasque, adversus quascumque revocationes, suspensiones, limitationes et moderationes, in pristinum et eum in quo antequam illae emanarent erant statum restituit, reposuit et plenarie reintegravit, omniaque et singula privilegia, licentias et facultates frumenta, blada, legumina, animalia, oleum et alia id genus tam annonam quam grasciam concernentia, etiam in propriis eorum praediis, possessionibus, agris et terris pro tempore recollecta, ex quibuscumque Status Ecclesiastici temporalis provinciis ac civitatibus, terris, castris et locis, eorumque territoriis et districtibus sibi ditionive ecclesiasticae mediate vel immediate quomodolibet subiectis extrahendi, quibusvis eousque concessa, approbata, confirmata et innovata, perpetuo revocavit, ac revocata, annullata, cassata, invalida, viribus et effectu vacua esse et fore, ac nemini ullatenus suffragari posse aut debere, decrevit.

Leges pro hoc decreto sanctae.

§ 3. Et deinde idem Paulus V praedecessor, per aliam eius constitutionem, etiam loca mediate Sedi Apostolicae subiecta in ultimo dictâ eius constitutione comprehendi declaravit, ac formam et modum dandi licentias extrahendi statuit.

1 Potius lege *extractionem* (R. T.).

Aliud decretum ab Urbano exanatum de officiis Romanae curiae.

§ 4. Postmodum recolendae memoriae Urbanus Papa VIII etiam praedecessor noster, pro indemnitate Sedis et camerae apostolicae, sua perpetuâ constitutione, quae incipit *Sanctissimus Dominus noster,* etc., omnes et quascumque facultates, indulta et privilegia disponendi quovis modo de officiis quibuscumque Romanae curiae ad collationem seu concessionem dictae Sedis quomodolibet pertinentibus, seu eorum pretio, absque speciali suo et successorum Romanorum Pontificum pro tempore existentium assensu et beneplacito de tempore dispositionis huiusmodi impetrando, revocavit.

Alia Constitutio eiusdem Urbani VIII refertur circa officia ad Sanctam Sedem pertinentia.

§ 5. Denique ab eodem Urbano praedecessore emanavit alia constitutio tenoris sequentis, videlicet:

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Superni benignitas Conditoris[1], cuius admirabili providentiâ cuncta reguntur, cum nullis nostris suffragantibus meritis nos ad sublime evexerit apostolicae dignitatis fastigium, universam reipublicae curam ad ipsius Dei laudem amplectentes, ad hoc, inter alia, nostrae pastoralis vigilantiae studium duximus adhibendum, ut officia tam Romanae curiae quam alia ad Sedem Apostolicam pertinentia a probatis viris exerceantur, ac illa personis idoneis modoque debito conferantur, camera nostra apostolica, quam, ob varias superiorum temporum causâs magno aere alieno conflato et eius aerario exhausto, in maximas reddituum et pecuniarum angustias incidisse comperimus, ab aere alieno ac angustiis huiusmodi, quantum in nobis est, sublevetur, frumentorum et aliarum rerum ad communem vitae usum pertinentium copia in hac Urbe nostrâ et reliquo Statu Ecclesiastico conservetur et vigeat, eiusdem Sedis auctoritas et Romanae curiae dignitas eluceat, ac per de-

1 Hanc iam habes in tom. XIII, pag. 222 (R.T.).

bitae reformationis et provisionis occursum, impedimentis quibuscumque sublatis, omnia prospere dirigantur, ac, iustitiâ duce, quod suum est uniquique tribuatur, felicique profectu virtus undique suscipiat incrementum.

Conqueritur praedicta officia viris minus idoneis fuisse collata.

§ 6. Cum itaque, inter cetera quae mentem nostram non modice perturbarunt atque perturbant, invenerimus pleraque Sedis et camerae praedictarum officia, seu munera, praesertim administrationem habentia, et quae amovibilia sunt et esse debent, tam in Urbe quam extra eam, contra eorum naturam et consuetudinem, per ambitionem et importunitatem (ut credimus) impetrantium, ad vitam et non solum unius verum plurium etiam personarum concessa fuisse, necnon super illis et aliis etiam Romanae curiae praedictae officiis etiam perpetuis coadiutorias cum futurâ coadiutorum successione factas et constitutas esse, quo fit ut eadem officia, quae antea personis benemeritis et idoneis, ac doctrinâ prudentiâ et consilio praeditis, experientiâque et aetate maturis concessa sunt, interdum ad personas minus idoneas coadiutoriarum nomine deveniant in Sedis et curiae huiusmodi dignitatis diminutionem et ipsorum officiorum detrimentum;

Plures Pontifices Constitutiones ediderunt circa ubertatem annonae in Urbe.

§ 7. Et (licet plerique Romani Pontifices praedecessores nostri et novissime felicis recordationis Paulus Papa V ad indemnitati camerae praedictae necnon communitatum et universitatum Status Ecclesiastici opportune[1] consulendum, ac etiam ad ubertatem annonae et grasciae in Urbe Statuque praedictis conservandum et augendum, plures constitutiones ediderint,

Constitutiones Pauli V circa immunitates a solutione gabellarum.

§ 8. Et inter alia idem Paulus praedecessor per binas suas in formâ Brevis editas constitutiones, in unâ videlicet et omnes et quascumque immunitates et exceptiones a solutione gabellarum, datiorum, impositionum et aliorum onerum cameralium quorumcumque, et quae etiam per communitates et universitates pro eorumdem onerum cameralium solutione et publicorum munerum supportatione indicta et imposita ac exigi solita erant,

Item circa provisiones super camerae redditibus.

§ 9. Necnon assignationes et provisiones super camerae praedictae redditibus et iuribus, poenarum quoque maleficiorum applicationes, appropriationes, ceterasque tam illarum et cancellariarum, sive bancharum civilium et criminalium, ac secretariarum et illarum emolumentorum, quam bonorum et[1] iurium eiusdem camerae, cuiusvis qualitatis et quantitatis, gratias et concessiones in praeiudicium ipsius camerae eatenus concessas et factas,

Alia Constitutio eiusdem Pontificis adversus licentias extrahendi omnis generis annonam extra Statum.

§ 10. Et in alterâ omnia et singula ac quaecumque privilegia, licentias et facultates frumenta, blada, legumina, animalia, oleum et alia tam annonam quam grasciam concernentia, etiam in propriis eorum praediis, possessionibus, agris et terrenis pro tempore collecta, ex quibuscumque Status nostri Ecclesiastici temporalis provinciis ac civitatibus, terris, castris et locis, eorumque territoriis et districtibus, nobis et S. R. E. mediate vel immediate quomodolibet subiectis, extrahendi similiter eatenus concessa, praeterquam quoad aliqua tunc expressa, ac aliàs modo et formâ in eisdem constitutionibus et litteris desuper expeditis contentis, revocaverit, et, praedecessorum suorum praedictorum constitutiones, ordinationes et litteras desuper expeditas et omnia in eis contenta perpetuo approbando, confirmando et innovando, illas et illa ex tunc de cetero observari mandaverit, ac frumenta, blada et legumina, oleum, animalia et alia praedicta extra Statum Ecclesiasticum extrahi sub excommunicationis

1 Male edit. Main. legit *opportunae* (R. T.).

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

et aliis gravissimis poenis de novo expresse prohibuerit;

Item cedula ad tollendam omnem dubitationem.

§ 11. Et postremo idem Paulus praedecessor, ad tollendam omnem dubitationem super ultimodictâ constitutione excitatam, per suam motus proprii cedulam die XXVI augusti anno Domini MDCVI publicatam sub ultimodictâ eius constitutione quaecumque loca S. R. E. mediate subiecta comprehendi et comprehensa fuisse et esse declaraverit, et, quatenus opus sit, illam cum omnibus in eâ contentis ad loca praedicta extenderit et ampliaverit, prout in eisdem constitutionibus et cedulâ latius continetur)

Attamen quidam obtinuerunt gratias contra praedictas Constitutiones.

§ 12. Nihilominus, cum acceperimus nonnullos, contra dictas constitutiones et litteras, easdem immunitates, exemptiones, privilegia, extrahendique facultates et gratias, quae antea eis concessa fuerant, confirmari et innovari, ac in pristinum restitui, ac respective tam ipsos quam alios, etiam communitates, universitates, collegia et loca diversa, et forsan maiora (et etiam quod in quibusdam provinciis, civitatibus et locis spolia archiepiscoporum, episcoporum et aliarum personarum ecclesiasticarum fieri et colligi non possint) ac alia privilegia, Sedi et camerae praedictis Romanique Pontificis supremae potestati ac eiusdem et Sedis et Romanae curiae dignitati et auctoritati praeiudicialia, sibi dari et concedi impetrasse et obtinuisse, seu potius extorsisse:

Quos abusus, corruptelas nominatas, Pontifex revocat.

§ 13. Nos, pro debito pastoralis officii, hos et alios abusus et corruptelas, necnon damna et praeiudicia, quae circa praemissa hactenus irrepserunt et facta sunt, ac quotidie augentur et fiunt, e medio tollere volentes, motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ et deliberatione nostris, ad de apostolicae potestatis plenitudine, hac perpetuo valiturâ constitutione, in primis omnes et quascumque ad quaevis officia et munera, etiam collegiata, etiam militaria, ac etiam venalia, tam perpetua quam temporalia, Sedis et Camerae Apostolicae, ac Romanae curiae, et tam in Urbe quam extra eam, et in quibusvis etiam Avenionensi, Bononiensi, Ferrariensi, Beneventanâ, aliisque civitatibus, terris, locis, dominiis et regnis, et ad nos Sedemque praedictam, nostramque et eiusdem Sedis collationem, concessionem et deputationem quomodolibet pertinentia, coadiutorias et coadiutorum quorumcumque deputationes, constitutiones, necnon eorumdem officiorum et munerum ad vitam plurium personarum seu aliud tempus vitam cuiusque illa obtinentium excedens concessiones, confirmationes et prorogationes, etiam in remunerationem laborum, meritorum, ac etiam praetextu expensarum factarum, damnorum passorum, seu illorum intuitu, aut ex quavis aliâ causâ per quosvis praedecessores nostros Romanos Pontifices, Sedemque praedictam et illius officiales, etiam motu simili et cum quibusvis decretis et clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis et aliàs quomodolibet ad favorem quarumcumque personarum factas et concessas, veluti quamdam imaginem haereditariae successionis repraesentantes, ac dictae Sedi, bonoque publico, ac ipsis officiis perniciosas, et quascumque litteras etiam sub plumbo et in aliâ quavis formâ expeditas, cum omnibus inde sequutis, quae hactenus tamen per obitum illa obtinentium aut aliam quamcumque vacationem effectum sortitae non sunt, necnon quoad illarum perpetuitatem quascumque concessiones, confirmationes, extensiones, seu prorogationes ad vitam officiorum et munerum, quorumcumque praesertim negotiorum et pecuniarum dictae camerae administrationem, vel causarum civilium seu criminalium cognitionem, advocationem, defensionem, seu etiam pro-

curationem et sollicitationem concernentium, ad collationem, concessionem, et[1] deputationem scilicet pro tempore Romani Pontificis Sedisque praedictae spectantium, quae a primaevâ eorum erectione seu ex inveteratâ consuetudine perpetua et ad vitam concedi solita seu collegialia non sunt, ac etiam ea quae extra Romanam curiam exercentur, per quoscumque praedecessores nostros Romanos Pontifices ac[2] nos Sedemque praedictam ex quavis causâ, etiam motu simili et ex certâ scientiâ, et de similis potestatis plenitudine, in favorem quarumvis personarum, cum quibusvis decretis et clausulis etiam insolitis et derogatoriarum derogatoriis, et aliàs quomodolibet factas, revocamus, ac irritas declaramus, itaut ius[3] in re, vel ad rem, sive in possessorio, sive in petitorio, etiamsi ad plures actus positivos et possessorios deventum fuerit, coadiutoribus et deputatis acquisitum dici aut censeri non possit, sed officia et munera praedicta libera sint et remaneant, ac ut prius libere conferri et concedi possint, aeque ac si coadiutoriae, et coadiutorum deputationes et constitutiones, ac eorumdem officiorum concessiones, extensiones et prorogationes minime factae fuissent, ac in futurum coadiutorias et coadiutorum deputationes, constitutiones et munerum praedictorum ad plurium vel unius vitam, contra primaevam eorum naturam et antiquam consuetudinem, concessiones, extensiones et prorogationes quascumque huiusmodi, tamquam apprime praeiudiciales, ac reipublicae bonoque gubernio damnosas, reprobamus, ac in posterum fieri prohibemus.

Officiorumque collationem Sedis Apostolicae dispositioni reservat.

§ 14. Quinimo omnia et singula officia, seu munera, tam in dictâ Urbe, quam extra eam, et etiam in quibusvis regnis et dominiis consistentia, pro quibus salaria de pecuniis camerae nostrae praedictae persolvuntur, seu quae negotiorum vel pecuniarum camerae praedictae administrationem, vel causarum tam civilium quam criminalium cognitionem, advocationem, defensionem, seu sollicitationem habent, per quosvis etiam Sedis Apostolicae et Romanae Ecclesiae officiales et eiusdem S. R. E. cardinales etiam de latere legatos conferri seu concedi solita (non tamen ea quae ab initio venalia, vacabilia et perpetua legitime erecta, ratione officiorum maiorum quae obtinent, eis specialiter assignata seu concessa sunt, in quibus aliquid innovare non intendimus), nostrae Romanorumque Pontificum successorum nostrorum dispositioni ita reservamus, ut ex nunc in perpetuum, et quandocumque, illa a nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus ad nutum, quibus libuerit, quibuscumque deputationibus et concessionibus per officiales etiam cardinales et legatos praedictos quibusvis personis quomodolibet hactenus factis et in posterum forsan faciendis minime obstantibus, dari et concedi possint.

Omnes concessiones contra praesentem formam nullas declarat.

§ 15. Cum nos ab omnibus officiorum coadiutoriis, et coadiutorum deputationibus huiusmodi, necnon ab eorumdem officiorum et munerum ad vitam plurium personarum sive etiam unius contra eorum primaevam institutionem seu antiquam consuetudinem concessionibus, deputationibus, confirmationibus et prorogationibus de cetero abstinere intendamus, et quae nobis licere non patimur, et videntur incongrua et praeiudicialia, successoribus nostris Romanis Pontificibus etiam indicamus, et sic neque eosdem successores nostros Romanos Pontifices similia concessuros esse arbitremur; ob id omnes et quascumque similes vel dissimiles concessiones, deputationes, confir-

1 Edit. Main. legit *ei* pro *et* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *ad* pro *ac* (R. T.).
3 Vocem *ius* nos addimus (R. T.).

mationes, extensiones et prorogationes, quae contra praesentium formam et tenorem a nobis et successoribus nostris praedictis quandocumque (quod non credimus) emanarent, per subreptionem, obreptionem, ac praeoccupationem potius extortas quam obtentas, ac nullas, nulliusque roboris et momenti fore et esse et censeri, neminique suffragari posse vel debere, aeque ac si factae et concessae non essent, decernimus et declaramus.

Pontificum praedecessorum circa praedicta constitutiones extendit.

§ 16. Praeterea, pro indemnitate camerae nostrae, ac ubertate annonae et grasciae tam in Urbe quam in toto Statu Ecclesiastico conservandâ, praedictorum Pauli V et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, illorumque constitutiones etiam opportune extendentes, motu, scientiâ et potestate similibus, omnes et quascumque immunitates et exemptiones a solutione subsidii triennalis, quatrini carnis, taxarum equorum, tallearum[1], censuum, archivii, fogliettae, triremium, utensilium, necnon dohanarum, gabellarum, datiorum, taxae portus Anconae, quatrinorum, tractarum, et aliarum impositionum, et onerum cameralium, et etiam eorum quae per communitates et universitates pro eorumdem onerum cameralium solutione et publicorum munerum supportatione ac pro viis et pontibus construendis et manutenendis seu aliàs indicta et imposita ac exigi solita sunt, ac etiam recipiendi et hospitandi milites et Sedis Apostolicae officiales, barigellos, executores, aliosque iustitiae ministros, eisque utensilia et alia necessaria subministrandi, ac aliorum quorumcumque, tam realium, quam personalium, seu mixtorum, ordinariorumque et extraordinariorum quorumcumque[2];

Omnia privilegia localia indemnitati camerae praeiudicialia irritat.

§ 17. Necnon omnia privilegia localia, ne scilicet in quibusdam civitatibus, locis et dominiis temporalibus, etiam Avenionensi, Bononiensi, Ferrariensi, Beneventanâ, seu aliis provinciis, civitatibus et locis, etiam privilegiatis et speciali notâ dignis (non tamen in Urbe praedictâ et eius districtu praeter et contra formam constitutionis eiusdem Pauli praedecessoris in favorem curialium et incolarum dictae Urbis editae, quam in suo robore permanere et omnino servari volumus) archiepiscoporum et episcoporum, et aliarum personarum ecclesiasticarum spolia fiant et colligantur, et commissarii et collectores spoliorum et iurium dictae camerae debitorum in eis non retineantur, vel ad ea non transmittantur, seu in illicitae negociationis, dispositionum contra constitutiones piae memoriae Pii Papae V etiam praedecessoris nostri in illegitimos factarum, apostatarum et clericorum extra residentiam decedentium seu aliis causis non procedatur; ac omnes etiam et singulas provisiones et assignationes super camerae praedictae redditibus et iuribus, poenarum quoque, maleficiorum et introituum applicationes, approbationes, necnon cancellariarum, notariatuum, seu bancarum civilium et criminalium, secretariarum et illarum emolumentorum, aliorumque iurium et bonorum stabilium camerae et communitatum praedictarum, cuiusvis qualitatis et quantitatis, gratias, concessiones et alienationes quascumque in praeiudicium earumdem camerae et communitatum;

Item indulta etc.

§ 18. Necnon indulta de bonis stabilibus et iuribus eiusdem camerae, in civitate nostrâ et districtu Ferrariensi seu alibi consistentibus, certis personis tantum infeudandis, per piae memoriae Gregorium Papam XIII etiam praedecessorem nostrum concessa,

Item licentias extrahendi annonam, etc.

§ 19. Ac omnia et singula privilegia, licentias et facultates frumenta, blada, le-

1 Edit. Main. habet *tollearum* (R. T.).

2 Male ed. Main. legit *quarumcumque* (R. T.).

gumina, animalia, oleum, olivas et alia quaecumque, tam annonam quam grasciam concernentia, etiam in propriis eorum praediis, possessionibus, agris et terrenis pro tempore recollecta, tam ad effectum extra Statum Ecclesiasticum, etiam ad loca mediate vel immediate Sedi Apostolicae subiecta, praeterquam ad Urbem praedictam asportandi, etiam tempore annonae difficultatis et pro usu proprio, vel ad effectum in eorum vel alienis quibusvis molendinis molendi, sive terrâ, sive mari, vel per aquam dulcem, ex quibuscumque Status nostri Ecclesiastici temporalis provinciis, ac etiam a dictâ Urbe, ac civitatibus, terris, castris et locis, eorumque territoriis et districtibus, nobis et dictae sanctae Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectis, extrahendi, aut illa ultra usum, contra tamen formam constitutionum et ordinationum apostolicarum et bannimentorum desuper editorum et edendorum, emendi, ac ut dicitur etiam incertandi[1], per quoscumque praedecessores nostros ac nos et Sedem praedictam, etiam motu proprio et consistorialiter, ac sanctae Romanae Ecclesiae camerarium, et cameram praedictam, seu etiam legatos, vicelegatos, gubernatores, officiales et ministros, quibusvis etiam Avenionensi, Ferrariensi, Beneventanae et aliis etiam speciali notâ dignis civitatibus, et illarum regiminibus, communitatibus et universitatibus, necnon familiis, nobilibus, principibus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, domicellis et quibusvis aliis personis, quacumque etiam episcopali, archiepiscopali, patriarchali et cardinalatus, aliâque tam seculari quam ecclesiasticâ dignitate fulgentibus, etiam ratione guberniorum et aliorum officiorum, et munerum eis commissorum, etiam pro se et filiis, eorumque haeredibus et descendentibus, necnon familiaribus et inservientibus, colonis etiam partiariis, laboratoribus et affictuariis, ac pro eorum civitatibus, terris, castris, villis, casalibus, praediis, vineis et aliis bonis stabilibus, fructibus, iuribus et actionibus, perpetuo vel ad tempus, ac in toto vel pro parte, etiam causâ emporiorum seu nundinarum etiam publicarum, aut aliàs, et ex quavis causâ, etiam in recompensam laborum, damnorum passorum, expensarum, vel meritorum, seu illorum intuitu, et aliâ quantumvis urgentissimâ ac de necessitate exprimendâ causâ, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiamsi in appaltuum seu locationum instrumentis promissum et cautum sit illas observari debere, appaltatoresque et conductores ad illarum observantiam teneri, ac illas quomodocumque et qualitercumque hactenus in genere vel in specie tam ante quam post eiusdem Pauli V et aliorum praefatorum[1] et quandocumque datas, factas, seu confirmatas, restitutas, reintegratas, aut aliàs concessas, et inde etiam auctoritate iudicis sequuta quaecumque, etiam perpetuo, ac motu, scientiâ et potestate similibus, revocamus et abrogamus.

Praedictas Constitutiones exemptionum, concessionum, gratiarum, etc. revocatorias approbat et confirmat.

§ 20. Necnon similis memoriae Pauli III, et Iulii etiam III, Pii V, Sixti V, praedictorum, ac Clementis VIII, similiter Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, et quae incipit *In maximis rerum difficultatibus*, per praedictum Paulum V praedecessorem, sub datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII decembris MDCV[2], Pontificatus sui anno I, editas constitutiones exemptionum, immunitatum, concessionum et gratiarum praedictarum revocatorias, ac recolendae memoriae Pii IV su-

1 Legendum potius *incettandi* (R. T.).

1 An aliquid desit iudicet lector scius (R. T.).

2 Male ed. Main. legit *1655* (R. T.).

per revocatione similium licentiarum et facultatum extrahendi frumenta, blada et legumina ex provinciis, terris et locis, dictae sanctae Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectis, quibusvis concessarum, ac prohibitione, ne a dictis provinciis, civitatibus, terris et locis frumenta, blada et legumina praedicta quicumque extraherent, ac Pii V per quam revocationem et prohibitionem eiusdem Pii Papae IV ad licentias et facultates quodcumque genus grasciae, etiam in carnibus, ovibus, agnis et aliis animalibus, necnon oleo, ac rebus aliis quibuscumque consistentis, extendit et ampliavit, et Gregorii XIII, pariter Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, per quam omnibus et singulis communitatibus, universitatibus, ac quibuscumque personis inhibuit, ne quovis praetextu directe vel indirecte cuiusvis generis frumenta, blada, legumina, atque animalia quaecumque extra Statum Ecclesiasticum extrahere et asportare auderent seu praesumerent, et eiusdem Gregorii XIII, sub datum die 1 maii MDLXXVIII[1] eodem sui Pontificatus anno VI, per quam, quod nulli, sibi et sanctae Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiecti, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existerent, etiamsi barones, domicelli, comites, marchiones, vel duces et domini in temporalibus existerent, sub excommunicationis maioris, ac laesae maiestatis criminis, dominiorum et bonorum suorum confiscationis, feudorum amissionis, et quorumvis privilegiorum suspensionis, ac aliis etiam pecuniariis arbitrio suo imponendis et applicandis, ac etiam in publicis edictis et proclamatibus per annonae praefectos pro tempore tam eatenus editis et emissis quam in futurum edendis et emittendis contentis, censuris et poenis, triticum, hordeum, legumina, ac omnis generis frumenta et fruges a terris et locis dicti Status Ecclesiastici, absque expressâ ipsius Gregorii praedecessoris et ab eo obtentâ in scriptis et eius manu signatâ licentiâ, extrahere vel extrahi facere, nullique ex praedictis eorum subditos et vassallos, aut alias quascumque personas, quominus triticum, hordeum, legumina, frumenta et fruges praedicta in quibusvis locis eis subiectis, quovis praetextu, etiam molturae, aut cuiusvis alterius oneris solutionis ad almam Urbem afferrent, prohibere, aut per se, vel alium, seu alios, directe vel indirecte, impedire auderent, quin[1] potius illis sic afferentibus omnem opem et favorem praestarent, ac nulli quamlibet tritici, hordei et legiminum, omnisque generis frumentorum et frugum quantitatem, nisi pro suo, suarumque familiarum unius anni dumtaxat usu, emere valerent, et contrafacientes poenas praedictas incurrisse declararentur et aggravarentur ipso facto, non obstantibus etiam privilegiis, indultis, litteris et gratiis apostolicis, quibusvis personis, civitatibus, terris et locis, in genere vel in specie, etiam ex causâ onerosâ concessis, statuit atque decrevit; ac dicti Clementis per quam praedicta omnia, demptâ ex illis excommunicationis poenâ, approbavit et confirmavit, nec non eiusdem Pauli V, per quam omnes et singulas Pii IV, Pii V, Gregorii XIII et Clementis VIII praedecessorum suorum constitutiones et litteras in quibuslibet earum partibus, etiam quoad excommunicationis et alias ecclesiasticas censuras, quantum attinet ad frumentorum, bladorum, leguminum, olei extractionem, innovavit, ac privilegia, licentias et facultates extrahendi praedicta revocavit, ac frumenta, hordea, legumina et alia annonam et grasciam concernentia, sub excommunicationis et aliis

1 Male ed. Main. legit *1579* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *quam* pro *quin* (R.T.).

censuris ecclesiasticis et poenis temporalibus supradictis, extra Statum Ecclesiasticum extrahi prohibuit; ac aliam per quam ultimodictam ipsius constitutionem, innovationem, prohibitionem et revocationem ad loca mediate Sedi Apostolicae[1] subiecta extendit et ampliavit, in quibuslibet earum partibus (demptis tamen ex illis poenâ excommunicationis et aliis censuris ecclesiasticis, praeterquam in casibus, in quibus extra Statum nostrum Ecclesiasticum, vel ad loca principum, ducum, marchionum, comitum, baronum et aliorum, quorum dominia in confinibus dicti Status nostri Ecclesiastici existunt, extractio mercimonii causâ fiet), motu, scientiâ et potestate paribus similiter perpetuo approbamus, confirmamus et innovamus, illasque, adversus quascumque revocationes, suspensiones, limitationes et moderationes, in pristinum et eum in quo antequam illae[2] emanarent erant statum restituimus, reponimus et plenarie reintegramus; illasque et earum singulas ab omnibus et singulis ad quos spectat sub temporalibus poenis praedictis in illis contentis inviolabiliter de cetero observari debere,

Emolumenta quaecumque camerae restitui mandat.

§ 21. Ac provisiones, assignationes, poenas maleficiorum, emolumenta, impositiones, gabellas, vectigalia, et alia[3] res, bona et iura praedicta, ex huiusmodi revocatione, prohibitione et constitutione restituta, eidem camerae, et respective communitatibus praedictis, et non aliis quibus forsan illarum redditus et proventus locati et appaltati reperiuntur, licet antequam exemptiones, concessiones, assignationes, et alia praedicta emanassent aliter dispositum fuerit, omnino deberi, ac ad illa omnia et singula cameram ipsam, nec non communitates et universitates, eo ipso, absque aliâ adeptâ seu recuperatâ possessione, restitutas et integratas fore et esse praecipimus, statuimus et ordinamus. Per praedicta autem non intendimus revocare exemptiones et immunitates quibuscumque personis ecclesiasticis, tam secularibus, quam regularibus, de iure competentes, minusque immunitates et exemptiones, ac extrahendi et alias facultates, applicationes, et alia, thesaurariis, appaltatoribus et conductoribus bonorum, introituum et iurium camerae nostrae ab ipsâ camerâ, seu aliis illius nomine, in appaltuum et locationum instrumentis et illorum ratione concessa.

Immunitates quasdam exceptas esse vult.

§ 22. Et insuper a revocationibus omnibus et singulis supradictis excipimus, et exceptas esse volumus et declaramus, immunitates, exemptiones, confirmationes, extensiones, prorogationes, facultates, privilegia, concessiones et alienationes quibusvis communitatibus, universitatibus et aliis quibuscumque data, facta et respective concessa in vim contractus ex causâ vere onerosâ, videlicet congruae et effectualis camerae apostolicae vel ipsis communitatibus legitime factae pecuniarum solutionis, vel ex aliis causis rationabilibus per nos cognoscendis et approbandis et etiam declarandis; quas causas omnes onerosas, nonnisi legitimas, ac licitas et honestas, prout de iure, approbare intendimus; et propterea illa obtinentes quicumque in eâdem camerâ, citato dilecto filio ipsius camerae commissario generali, illas verificare, in ipsâque camerâ examinari et admitti facere teneantur, etiamsi gratiae, concessiones, privilegia, litterae, instrumenta, ceteraque praedicta et alia in eâdem camerâ admissa et in eâ suisque libris fuerint et sint registrata, quatenus tamen causae onerosae praedictae pro vere onerosis et legitimis, ut supra, aliàs in eâdem camerâ verificatae ac a-

1 Male edit. Main. legit *Apostolica* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *illa* (R. R.).
3 In loco parallelo legitur *alias* (R. T.).

probatae et iudicatae non sint, quo casu ad iudicationem[1] tantum, non autem ad aliam verificationem, eosdem obtinentes teneri volumus.

Similiter illas cardinalibus cameralibus et palatinis concessas.

§ 23. Excipimus etiam immunitates et exemptiones dictae sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, ratione dignitatis cardinalatus, et cameralibus, qui in eâdem camera sederunt et sedent, concedi solitas, ac etiam exemptiones, quibus ad praesens praelati et officiales Romanae curiae, ac praelati domestici et cubicularii secreti et secretarii, ac alii familiares et continui commensales nostri et successorum nostrorum Pontificum in rotulo descripti,

Facultates testandi.

§ 24. Necnon facultates testandi de quibusvis bonis, etiam ubicumque sitis, et in illis eis ab intestato succedendi, dictis cardinalibus, ac nostris et Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum familiaribus et continuis commensalibus, etiamsi illi familiares postmodum esse desierint vel desinant, et aliis quibusvis etiam gratuito et quomodolibet tam per eosdem praedecessores quam etiam per nos concessas, et aliàs in omnibus et per omnia iuxta earumdem facultatum et litterarum desuper expeditarum formam ac tenorem, quem pro latissime expresso haberi volumus,

Privilegia consanguineorum.

§ 25. Necnon exemptiones, immunitates et privilegia quaecumque, quibus fratres, nepotes et consanguinei nostri, et pro tempore existentis Romani Pontificis viventis, fruuntur, potiuntur et gaudent,

Item quaedam alia.

§ 26. Ac demum illas ob numerum duodecim filiorum concessas, quas tamen ad terminos eiusdem Pii Papae IV et aliarum apostolicarum constitutionum super similium exemptionum declaratione editarum, et ad illas tantum et pro tempore et personis[4], ac eo modo et formâ quibus de iure communi illi[2] competunt, ac aliàs iuxta ipsius iuris communis et supradictarum et aliarum apostolicarum constitutionum dispositionem reducimus, neque aliter, quam ut praefertur, illis[3] sive in petitorio sive in possessorio suffragari volumus et decernimus.

Suam mentem aperit.

§ 27. Nostrae autem mentis fuisse et esse declaramus regulae cancellariae super revocatione indultorum superviventiae per nos editae nullatenus praeiudicare, quinimo eam quoad omnia in illâ comprehensa, ac omnes et quascumque personas quavis dignitate etiam cardinalitiâ fulgentes, confirmamus, et, quatenus opus sit, innovamus et extendimus.

Legatis praecipit circa poenas maleficiorum;

§ 28. Ceterum legatis et aliis omnibus officialibus praedictis, ad quos spectat seu in futurum quomodolibet spectabit, quatenus constitutionem Sixti V praedecessoris praedicti circa poenas maleficiorum editam, quam in omnibus et quoad omnia cum suis declarationibus postea factis innovamus, omnino observent,

Et baronibus.

§ 29. Omnibusque et singulis Sedis praedictae feudatariis, sive baronibus ei mediate vel immediate subiectis, ne reos[4] ad alias quam ad triremes Sedis Apostolicae transmittere audeant seu praesumant, praecipimus et inhibemus.

Prohibet thesaurariis ne provisiones contra praesentium formam admittant.

§ 30. Appaltatoribus vero, thesaurariis, depositariis, commissariis, exactoribus et ceteris agentibus et ministris camerae et communitatum praedictarum, ne, contra praesentium formam, provisiones, concessiones, assignationesque praedictas de cetero solvant, aut exemptiones, gratias et immunitates (nisi ut praefertur exceptas,

1 Aptius in loco parallelo, § 19 Constitutionis Urbani VIII, tom. XIII, pag. 230 *a*, legitur *indicationem* pro *iudicationem* (R. T.).

1 Legend. videtur *ad illas tantum pro tempore personas* (R. T.).

2 Potius legerem *illis* (R. T.).

3 Vocem *illis* addimus ex loco parallelo (R.T).

4 Perperam edit. Main. legit *nec eos* pro *ne reos*, ut legitur in loco parallelo (R. T.).

et eas quae in eâdem camerâ ex causâ onerosâ praedictâ, vel ex aliis rationabilibus causis, per nos, ut praefertur, cognoscendis et approbandis, seu etiam declarandis, illas concessas fuisse, citato commissario praedicto, verificatae et pro talibus in eâdem camerâ admissae fuerint) admittant, expresse prohibemus; et, si secus solverint vel admiserint solutiones huiusmodi ac exemptiones, illas nullatenus in eorum computis admitti volumus, sed eorum damno cessuras esse, quinimo eos ad refectionem damni teneri declaramus.

Prohibet in posterum fieri huiusmodi licentias.

§ 31. Ac deinceps, perpetuis futuris temporibus, nullos, licentiarum, facultatum et privilegiorum quorumcumque etiam ex causâ onerosâ ut praefertur concessorum vel concedendorum vigore, etiamsi extractionem propriâ auctoritate fieri posse illis permissum sit, extractiones frumentorum et aliorum praedictorum extra Statum nostrum praefatum, vel etiam ad loca mediate subiecta, et etiam a locis mediate subiectis extra dictum Statum, aliquo pacto facere [1] imposterum concedi posse aut debere, nisi chirographo manu nostrâ, aut Romani Pontificis pro tempore existentis, quoties extractio facienda erit, subsignato praecedente, alioquin licentias et facultates huiusmodi, aliàs quam chirographo praedicto praecedente, pro tempore concedendas, et extractiones faciendas, nullas nulliusque roboris et momenti fore et esse, ac ipsos extrahentes in poenas supradictas incidere, et ad illarum exequutionem contra illos irremissibiliter procedi posse et debere, volumus pariter et declaramus.

Abrogat omnia privilegia Romanae curiae praeiudicialia.

§ 32. Postremo omnia et quaecumque privilegia, facultates, indulta nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti in Statu temporali ratione supremae potestatis a iure vel per quasvis apostolicas constitutiones competentia seu reservata exercendi, aut[1] eidem supremae potestati ac superioritati nostrae et nostrorum tribunalium, officialium et iudicum Romanae curiae iurisdictioni et auctoritati praeiudicialia, omnibus et singulis supra nominatis, etiam ut praefertur qualificatis, ac etiam ut supra et aliàs quomodolibet concessa quaecumque (exceptis tamen iis, quae concessa sunt ex causâ vere onerosâ, scilicet congruae solutionis pecuniarum dictae camerae factae, aut ex investiturâ, vel immemorabili consuetudine inviolabiliter observatâ, vel ex aliis rationabilibus causis, per nos vel successores nostros cognoscendis, approbandis, seu etiam declarandis, competentia[2], quae etiam licet tollere non intendamus, tamen nostram et Romani Pontificis supremam potestatem, superioritatem, nostramque et eiusdem Romani Pontificis, nostrorumque Romanae curiae tribunalium, officialium et iudicum iurisdictionem praedictam impedire, aut contra illam, praeterquam in casibus a iure permissis, suffragari posse vel debere nolumus, nisi prius causa onerosa vel investitura, seu immemorabilis [3] praedicta in eâdem camerâ, citato commissario praedicto, legitime probata, verificata et iustificata, aliae vero causae rationabiles praedictae a nobis seu successoribus praedictis pro talibus cognitae, approbatae, seu declaratae fuerint) revocamus pariter et abrogamus; irritum et inane etiam decernentes quicquid secus super his a quoquam, quovis praetextu, occasione vel causâ, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 33. Non obstantibus praemissis, et, quatenus opus sit, nostrâ de non tollendo iure quaesito, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon

1 Supple ex loco parallelo *nec etiam similes extrahendi licentias et facultates* (R. T.).

1 Legerem *ut* pro *aut* (R. T.).

2 Aptius in l. parall. leg. *competentibus* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *immemorabili* (R. T. .

statutis, privilegiis, indultis, concessionibus, exemptionibus, immunitatibus, licentiis, facultatibus, deputationibus, confirmationibus, extensionibus, prorogationibus et litteris apostolicis, praedictis et quibusvis aliis, etiam ut praefertur seu aliàs qualificatis et speciali notâ et mentione dignis, etiam motu, scientiâ et potestate paribus, et etiam consistorialiter, et de eorumdem cardinalium consilio et assensu, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, etiam inexcogitabilibus et necessario exprimendis, etiam in vim contractus iurati cameralique obligatione vallati, et quovis alio robore et cautelâ firmatis, editis et seu factis, ac aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac pluries et iteratis vicibus confirmatis, approbatis et innovatis;

Non obstantibus quibuscumque.

§ 34. Quibus omnibus et singulis (etiamsi in eis caveatur expresse quod nullo unquam tempore sub similium vel dissimilium exemptionum, immunitatum, facultatum, licentiarum, concessionum, deputationum, confirmationum, extensionum, prorogationum, gratiarum, privilegiorum et alienationum revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis quibuscumque contrariis dispositionibus pro tempore edendis comprehendantur, sed semper ab illis exceptae, et, quoties illae emanarent, toties in pristinum et validissimum statum, etiam sub posteriori datâ per eos quibus concessa sunt eligendâ, restituta, reposita et plenarie reintegrata et de novo concessa sint et esse censeantur, necnon pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret), tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, specialiter et expresse ac latissime derogamus et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicari mandat.

§ 35. Ut autem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus et apostolicâ auctoritate decernimus, easdem praesentes ad valvas basilicae Principis Apostolorum, et cancellariae apostolicae, ac in acie Campi Florae per aliquem ex cursoribus nostris publicari, et illarum exempla ibidem affixa relinqui, quae sic publicatae et affixae omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant et arctent, ac si illorum unicuique personaliter notificatae et intimatae fuissent,

Fides transumptorum.

§ 36. Quodque earumdem praesentium transumptis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra habeatur, quae ipsis originalibus litteris haberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 37. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae reprobationis, reservationis, approbationis, confirmationis, restitutionis, repositionis, reintegrationis, praecepti, statuti, ordinationis, exceptionum, prohibitionum, revocationum, abrogationum, reductionis, inhibitionis, innovationum, declarationum, derogationis, voluntatum et decretorum infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXIV, XII kalendas novembris, pontificatus nostri anno II.

Constitutiones Pontificum, quae hic recensentur;

§ 38. Quapropter, ut ea quae a Paulo V et Urbano VIII praedecessoribus praefatis in eorum constitutionibus huiusmodi, necnon etiam ea quae a praedicto Clemente VIII praedecessore in aliâ suâ constitutione etiam in favorem eiusdem Sedis Apostolicae ac eius subditorum, quae incipit *Romanum decet Pontificem*, sub datum anno MDCI, pridie nonas iulii, pontificatus sui anno X editâ, et a Paulo V per suas quae incipiunt *Pastorale munus*, sub datum anno MDCXVII, XII kalendas decembris, pontificatus sui anno XIII, necnon a dicto Urbano VIII, praedecessoribus, per suas sub plumbo expeditas litteras quae incipiunt *Decens et aequum esse censemus*, sub datum anno MDCXXVII, kalendis iunii, pontificatus sui anno IV, confirmatâ, adeo provide sancita ac respective approbata et innovata fuerunt, eo firmius et exactius ut par est observentur, quo saepius iteratâ huius sanctae Sedis auctoritate comprobata fuerint, pro incumbenti nobis officii pastoralis debito providere volentes, necnon omnium et singularum constitutionum et litterarum superius relatarum et insertae respective ac omnium et singulorum in illis contentorum tenores et datas, etiam veriores, aliaque etiam necessario hîc exprimenda, praesentibus pro expressis et integre insertis habentes,

Approbat et confirmat.

§ 39. Motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione, tam primodictas constitutiones et ordinationes Pauli V ac Urbani VIII praedecessorum praedictorum, quam etiam praedictam constitutionem Clementis VIII, ac praedictas eorumdem Pauli V et Urbani VIII litteras dictae constitutionis praedicti Clementis VIII confirmatorias, ac etiam constitutionem recolendae memoriae Sixti Papae V itidem praedecessoris nostri de non offendendis birruariis et aliis iustitiae ministris et executoribus editam, illius quoque tenorem et datam etiam veriores praesentibus pro expressis habentes, cum omnibus et singulis in praedictis constitutionibus et earum qualibet contentis, apostolicâ auctoritate perpetuo confirmamus, approbamus et innovamus, eaque omnia et singula perpetuo, inviolabiliter et inconcusse observari, sub quibuscumque poenis respective expressis in illis et earum qualibet, scilicet etiam confiscationis bonorum et laesae maiestatis rebellionisque in primo capite, praecipimus et mandamus; praedictamque eiusdem Sixti V praedecessoris constitutionem etiam ad offendentes Romanae ac aliarum dicti nostri Status Ecclesiastici curiarum cursores et mandatarios ac quoscumque alios officiales et ministros in omnibus et per omnia extendimus et ampliamus.

Quaecumque in contrarium revocat.

§ 40. Ac omnia et quaecumque privilegia, facultates, licentias, exemptiones, immunitates, coadiutorias, provisiones, assignationes et gratias quocumque nomine nuncupatas, per Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac dictam Sedem Apostolicam, et quosvis Sedis et camerae praedictarum officiales et ministros quacumque auctoritate et potestate fungentes, etiam S. R. E. cardinales, etiam eiusdem S. R. E. camerarios, etiam de latere legatos, ceterosque etiam speciali nomine et expressione dignos ac specialem ad id facultatem habentes, quibusvis rebuspublicis, nationibus, regnis, provinciis, communitatibus, universitatibus, civitatibus, terris et locis ac personis, in praedictis constitutionibus et litteris nominatis et specificatis, ac etiam prout in illis exprimitur qualificatis, et quibuscumque aliis quacumque qualitate, statu, gradu, conditione, praerogativâ et dignitate, etiam ecclesiasticâ, etiam S. R. E. cardinalatus, ac qualibet aliâ etiam mundanâ dignitate,

etiam imperiali, regali, ducali, et aliâ quacumque praeditis, etiam individuam mentionem et expressionem necessario requirentibus, hactenus, praeter aut contra tenores, formas et verba earumdem constitutionum et cuiuslibet earum, seu aliàs illarum et cuiuslibet earum dispositioni quomodolibet repugnantia, aut illis quae praedicti praedecessores per suas constitutiones huiusmodi revocarunt neminique suffragari voluerunt similia, sive ad vitam, sive ad tempus, sive in perpetuum, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac de unanimi venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium assensu et voto, etiam cum specificâ earumdem constitutionum et litterarum derogatione, et aliàs quomodolibet, facta, concessa, emanata, factasque, concessas, emanatas, et iteratis vicibus ac pluries confirmata, approbata et innovata, confirmatasque, approbatas et innovatas (quibusdam, quae dicti praedecessores exceperunt, exceptis), eorum omnium et singulorum tenores praesentibus similiter pro plene expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, perpetuo revocamus, cassamus, irritamus, abolemus, abrogamus et annullamus, viribusque et effectu evacuamus, ac revocata, cassata, irrita, abolita, abrogata, annullata, viribusque et effectu vacua esse et perpetuo fore, perinde ac si nunquam emanassent, eaque imposterum nemini sive in petitorio sive in possessorio, etiam summariissimo, et aliàs quomodolibet, suffragari nunquam posse aut debere, decernimus et declaramus.

Et facultates factas cuilibet familiae subditae,

§ 41. Praeterea licentias et facultates cuilibet familiae subditae, ac cuicumque subdito, etiam ut praemittitur ac aliàs quomodolibet qualificato, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine, ac aliàs quomodolibet concessas, in propriis civitatibus, terris, castris, locis et territoriis imponendi et solvendi tales [1], etiam pecuniarias, ac concedendi quascumque impunitates quibusvis delinquentibus, sive etiam reis cuiuscumque status, gradus, dignitatis et conditionis existentibus,

Item potestates circa bannitos,

§ 42. Necnon facultates, auctoritates et potestates quoscumque bannitos et facinorosos ac delinquentes et reos (quibusvis personis etiam ut praemittitur qualificatis, ratione civitatum, terrarum, castrorum et locorum ac dominiorum et territoriorum quorumcumque ad eas quomodolibet et quandocumque, etiam ratione ecclesiarum, abbatiarum, monasteriorum et aliorum quorumlibet beneficiorum, tam secularium quam regularium, quae in titulum, administrationem seu commendam aut aliàs obtinent, spectantium subditos) etiam pro excessibus extra civitates, terras, castra, loca, dominia et territoria huiusmodi commissis condemnatos seu condemnandos, ac etiam non subditos, pro criminibus, delictis et excessibus quibuscumque, et pro quavis gravissimâ causâ, etiam criminis laesae maiestatis, et pro aliis magis qualificatis et atrocioribus, ac etiam non habitâ pace, in civitatibus, terris, castris, locis, dominiis et territoriis huiusmodi dumtaxat commissis vel committendis, aut aliàs quacumque de causâ etiam capitaliter bannitos seu condemnatos, vel imposterum pro tempore banniendos seu condemnandos, etiam postquam banniti et condemnati fuerint per iudices et iustitiae ministros ipsarum civitatum, terrarum, castrorum, locorum, dominiorum, territoriorum huiusmodi ad triremes vel alias quascumque poenas corporis afflictivas, ac bonorum et facultatum in toto vel in parte distractivas et privativas, etiam capitaliter et in ultimi supplicii poenam,

1 Nescio an legerem *taleas* pro *tales* (R. T.).

et ipsâ parte aliquo modo non concordatâ, arbitrio earumdem personarum, et quando illis ita videbitur, tam per viam revisionis causae, vel compositionis, aut commutationis et moderationis poenae, quam ex merâ gratiâ, in foro fori absolvendi, et ad patriam, famam, gradus, honores, dignitates et officia ac bona quaecumque, etiam fisco incorporata, prout eisdem personis libuerit, ac in pristinum et eum in quo ante patrata delicta aut sequutam condemnationem reperiebantur statum, sine Romani Pontificis pro tempore existentis aut cuiusvis alterius personae etiam apostolici de latere legati licentiâ, restituendi, reponendi et plenarie reintegrandi, ac omnem inhabilitatem et infamiam abolendi, atque nedum erga facinorosos et eos[1] ac alios huius generis homines supradictos bannitos et condemnatos, ac banniendos et condemnandos, ut praefertur, sed etiam erga carceratos et quacumque de causâ in posterum per iudices et iustitiae ministros civitatum, terrarum, castrorum, dominiorum et territoriorum praedictorum, ac per iudices etiam totius Status Ecclesiastici, necnon gubernatorem et alios iudices et tribunalia Urbis, quoad subditos praedictarum personarum, ut praemittitur, pro quibuscumque etiam ut praefertur ac etiam magis qualificatis et atrocioribus etiam laesae maiestatis delictis et excessibus quibuscumque, tam in civitatibus, terris, castris, locis, dominiis et territoriis praefatis, quam extra illa in Statu Ecclesiastico, seu alibi, ac etiam in Urbe, per subditos suos, necnon etiam per non subditos, pro similibus delictis et criminibus in eisdem civitatibus, terris, castris, locis, dominiis et territoriis commissis carceratos et carcerandos, ac ex quacumque causâ detentos et arrestatos, ac per iudices et iustitiae ministros civitatum, terrarum, castrorum, locorum, dominiorum et territoriorum praedictorum condemnatos seu condemnandos, tam ante quam post sententiam et condemnationem, sive poenam, etiam capitalem, et ultimi supplicii, ac etiam triremium, seu aliam quamcumque, ut praefertur, corporis afflictivam, ac bonorum et facultatum in toto vel in parte distractivam et privativam, ac etiam post realem transmissionem factam seu quandocumque faciendam ad triremes, et dum inibi damnati ad certum tempus seu ad vitam morantur, facultatibus, auctoritatibus et potestatibus supradictis pariformiter et absque ullâ prorsus differentiâ in omnibus et per omnia semper ubique, etiam in ipsis carceribus et triremibus, utendi, easque exercendi et exequendi, necnon homines huiusmodi delinquentes, reos, accusatos, carceratos et sponte constitutos, processatos, ac eos et quoscumque alios, etiam ad triremes condemnatos et actu remiges, etiam condemnationis seu relegationis tempore nondum finito, et accusandos sive arrestandos, vel de crimine quocumque supradicto suspectos, delatos et deferendos, ab omnibus illis pro tempore imputatis et contra eos delatis criminibus huiusmodi absolvendi, gratiandi, liberandi, poenas remittendi, commutandi, moderandi, cum quibusvis desuper componendi, compositiones taxandi, et sic absolutos, gratiatos, liberatos et remissos ad patriam, famam, honores et bona quaecumque, et in pristinum statum restituendi, omnemque infamiam et inhabilitatem abolendi facultates,

Quascumque exemptiones,

§ 43. Ac ulterius quascumque exemptiones, seu comprehensionis exclusiones, aut non comprehendendi declarationes et exceptiones a constitutionibus recolendae memoriae Iulii Papae III, ac dicti Sixti V, et aliorum quorumvis Pontificum Roma-

1 Nescio an legendum *reos* pro *eos* (R. T.).

norum etiam praedecessorum nostrorum, quocumque tempore super bannitorum seu condemnatorum et aliorum delinquentium in dictis constitutionibus expressorum receptatione editis, illarum tenores et datas, etiam veriores, praesentibus similiter pro expressis habentes, quantum attinet ad bannitorum seu condemnatorum et delinquentium huiusmodi receptationem, et seu consilii, victualium, auxilii, favoris ac pro singulari certamine faciendo loci praestationem, et quamcumque aliam contraventionem, poenarumque in huiusmodi constitutionibus impositarum remissiones et condonationes,

Alienandi facultates,

§ 44. Necnon facultates alienandi quocumque titulo bona immobilia, sive iurisdictionalia, sive non iurisdictionalia, et mere allodialia, in Statu nostro Ecclesiastico praefato existentia, absque nostrâ et Sedis Apostolicae licentiâ in forenses et extraneos,

Licentias aedificandi castra etc.,

§ 45. Licentias quoque et facultates aedificandi castra etiam diruta, seu arces et fortalitia construendi in Statu Ecclesiastico immediato vel mediato[1] praedicto, absque nostrâ et Romani Pontificis pro tempore existentis praecedente licentiâ in scriptis obtinendâ, quibusvis personis, etiam ut praemittitur qualificatis, quacumque auctoritate, ac quoquomodo et qualitercumque, ac aliàs, ut supradictum est, concessas, ac semel et pluries confirmata et innovata[2], motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus etiam revocamus, cassamus, irritamus, abolemus, abrogamus, annullamus, viribusque et effectu evacuamus, ac revocata, cassa, irrita, abolita, abrogata, annullata, viribusque et effectu vacua esse et perpetuo fore, ac si nunquam emanassent, similiter decernimus et declaramus. Insuper, ad obviandum supplantationibus successorum, tollendamque haereditariae successionis imaginem in ecclesiasticis prohibitam, nos, quascumque mutuas cessiones ac resignationes ad invicem cum reservatione fructuum in toto vel in parte, tam in eâdem supplicatione seu eodem tempore, quam separatim et diversis temporibus etiam per menses et annos interpolàtis, ac etiamsi correspectivae non sint, nec censeri possint, inter quascumque personas quacumque qualitate, statu, gradu, conditione, praerogativâ, antelatione, praeeminentiâ et dignitate, etiam ecclesiasticâ, etiam cardinalatus S. R. E., praeditas, quandocumque factas, et à Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, et forsan a nobis, ex quacumque causâ etiam sustentationis admissas, de monasteriis etiam consistorialibus et electivis, etiam commendari solitis, ecclesiisque et beneficiis ecclesiasticis secularibus et regularibus cuiuscumque Ordinis, etiam sancti Ioannis Hierosolymitani et sancti Antonii Viennensis, quantumlibet qualificatis, ubique existentibus; supplicationesque, ac etiam motus proprii cedulas quibuscumque clausulis et decretis etiam insolitis et extraordinariis munitas super illis signatas, ac litteras apostolicas provisionum, seu commendarum desuper, etiam sub plumbo, etiam consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in favorem cuiuscumque personae ut supra qualificatae expeditas, etiamsi possessione sequutâ, vel aliàs cessiones seu resignationes huiusmodi fuerint sortitae plenarium effectum, et nullum ius penes cedentem seu resignantem remanserit, possessionesque adeptas et inde sequuta, etiamsi ille seu illi, ad cuius seu quorum favorem est facta cessio seu resignatio tituli cum reservatione fructuum ad favorem alterius, eumdem titulum seu titulos cum reservatione fructuum, seu iuris illos percipiendi, vel aliàs quomodolibet, etiam libere cesserit, seu

1 Iterum edit. Main. legit *immediato* (R. T.).
2 Legerem *confirmatas* et *innovatas* (R. T.).

resignaverit, seu fructuum perceptionem et ius illos percipiendi alteri cesserit, seu cesserint, et cessiones seu resignationes huiusmodi suum in aliquâ parte seu in totum fuerint sortitae effectum, illarum omnium et singularum tenores etiam hîc pro expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, similiter revocamus, irritamus, cassamus et annullamus, ac pro revocatis, cassatis et annullatis ac etiam infectis haberi volumus, ac si non emanassent; monasteriaque, ecclesias, et alia ut praemittitur cessa vel resignata cum reservatione fructuum, non ex personâ cessionarii, vel resignatarii, seu alterius, sed per obitum vel aliàs quovis modo ex personâ primi cedentis vel resignantis, omnino vere et non ficte vacare, ita quod, secutâ quandocumque praefatâ vacatione ex personâ primo loco cedentis vel resignantis, tunc monasteria, ecclesiae, seu alia praefata conferri possint et debeant, ipsique cessionarii et resignatarii et alii quicumque praedicti illorum fructus, et quaecumque alia cedentibus vel resignantibus aliàs reservata, non possint nec valeant unquam habere nec percipere, nec in eis aliquo modo se intromittere, decernimus et mandamus. Declarantes quod, si unus ex illis, inter quos mutua cessio seu resignatio cum reservatione fructuum in parte vel in totum, sive eodem sive diverso tempore, ut supra, facta praecessit, postmodum ad favorem alterius unam seu plures cessiones vel resignationes cum reservatione fructuum, sive motu proprio, sive ad partis supplicationem, et aliàs quovis modo, in totum vel in parte fecerit, seu in futurum faciat, etiam has omnes cessiones seu resignationes sub hac nostrâ revocatione comprehendi.

Clausulas praeservationis apponit.

§ 46. Decernentes praesentes litteras, ac omnia et singula in illis contenta, etiam ex eo quod quicumque in praemissis seu eorum aliquo interesse habentes, vel habere quomodolibet praetendentes, illis nullatenus consenserint, et ad hoc citati aut auditi non fuerint, minusque causae, propter quas eaedem praesentes emanarunt, deductae, verificatae, seu aliàs sufficienter aut etiam nullatenus iustificatae fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato et substantiali, aut ex quovis alio capite, a iure, vel facto, aut statuto seu consuetudine resultante, vel praescriptionis etiam quadraginta annorum et ultra, aut quocumque alio colore, praetextu et causâ, etiam in corpore iuris clausis, aut quod de voluntate nostrâ huiusmodi et aliis superius expressis seu relatis nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato vel concesso quempiam uti seu se iuvare in iudicio vel extra posse, neque ipsas praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium constitutionum et ordinationum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet factis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari,

Clausula *sublata*.

§ 47. Sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque

iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae camerarios et de latere legatos et nuntios, et alios quavis auctoritate et potestate fungentes, nunc et pro tempore existentes, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi seu interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 48. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ de non tollendo iure quaesito, ac apostolicis, necnon in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, concessionibus, exemptionibus, immunitatibus, licentiis, facultatibus, deputationibus, confirmationibus, extensionibus, prorogationibus, chirographis, cedulis motuum propriorum, et litteris apostolicis, praedictis et quibusvis aliis, etiam ut praefertur seu aliàs quomodolibet qualificatis, ac speciali notâ et mentione dignis, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, et de eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consilio et unanimi consensu, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, etiam inexcogitabilibus et necessario exprimendis, etiam in vim contractus iurati cameralique obligatione vallati, et quovis alio robore et cautelâ firmatis, editis, et seu factis et emanatis, ac aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac pluries et iteratis vicibus confirmatis, approbatis et innovatis, necnon omnibus illis, quae praedicti praedecessores in eorum constitutionibus et litteris supra expressis voluerunt non obstare;

Clausula derogatoria.

§ 49. Quibus omnibus et singulis (etiamsi in eis caveatur expresse quod nullo unquam tempore sub similium vel dissimilium exemptionum, immunitatum, facultatum, licentiarum, concessionum, deputationum, confirmationum, extensionum, prorogationum, indultorum, privilegiorum, et assignationum et gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis quibuscumque contrariis dispositionibus pro tempore edendis comprehendantur, sed semper ab illis exceptae, et, quoties illa[1] emanarent, toties in pristinum et validissimum statum, etiam sub posteriori datâ per eos quibus concessa sunt eligendâ, restituta, reposita et plenarie reintegrata, et de novo concessa sint et esse censeantur, necnon, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret), tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, specialiter et expresse ac latissime derogamus, et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicationis forma.

§ 50. Ut autem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus et apostolicâ auctoritate decerni-

1 Aptius lege *illae* (R. T.).

mus easdem praesentes litteras ad valvas basilicae Principis Apostolorum, et cancellariae apostolicae, ac in acie Campi Florae de Urbe per aliquem ex cursoribus nostris publicari, et illarum exempla ibidem affixa relinqui, quae sic publicatae et affixae omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant et arctent, ac si illorum unicuique personaliter notificatae et intimatae fuissent;

Transumptis credi iubet.

§ 51. Quodque earumdem praesentium transumptis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVII novembris MDCXLV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 27 novembris 1645, pontif. anno II.

XLVII.

Confirmatio decreti archiepiscopi Valentinensis super contributione ecclesiasticorum cum laicis pro manutentione mille et ducentorum militum pro defensione limitum regni Valentiae ab invasione hostili [1].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Exponitur decretum archiepiscopi Valentini.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum trium statuum seu stabilimentorum universi regni Valentiae nobis expositum fuit, quod ad eorum instantiam venerabilis frater archiepiscopus Valentinensis, de consilio et assensu dilectorum etiam filiorum capituli ecclesiae Valentinensis, et aliàs sub certis modo et formâ tunc expressis, decrevit, ut omnes personae ecclesiasticae civitatis et dioecesis Valentinensis unâ cum laicis concurrere deberent in sisis, gabellis, impositionibus, aut aliis modis eligendis pro colligendis pecuniis necessariis ad manutentionem mille et ducentorum militum, spatio quatuor mensium abinde decurrendorum dumtaxat, pro defendendis limitibus dicti regni Valentiae, principatui Cathaloniae et regno Aragoniae, inter quae viget bellum, contermini, ab invasione hostili et damnis quae[1] inde personae, loca et bona tam ecclesiasticorum quam secularium pati possent, reservatâ tamen nostrâ et huius Sanctae Sedis approbatione intra octo menses impetrandâ, et aliàs prout in decreto eiusdem archiepiscopi desuper emanato uberius dicitur contineri.

Supplicatio pro approbatione eiusdem decreti.

§ 2. Quapropter nomine eorumdem exponentium fuit nobis humiliter supplicatum, ut desuper auctoritatem nostram interponere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatur decretum archiepiscopi Valentini.

§ 3. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus, favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium controversiis iurisdictionalibus praepositorum, quibus hoc negocium examinandum commisimus, consilio, decretum dicti archiepiscopi, ut praefertur, factum super contributione dictarum personarum ecclesiasticarum pro manutentione praedictorum mille et ducentorum militum per dictos quatuor

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Male edit. Main. legit *qui* (R. T.).

menses ad praescriptum caput *Pervenit* de immunitate ecclesiarum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, convalidamus.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die II decembris MDCXLV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 2 decembris 1645, pontif. anno II.

XLVIII.

Statutum ut congregatio generalis in Societate Iesu celebretur singulo novennio, neque illius celebratio per generalem, aut congregationem particularem vel generalem, impediri, vel ultra novennium differri possit[1].

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Congregatio generalis in Societate Iesu singulo novennio celebranda.

§ 1. Prospero felicique statui Societatis Iesu, quae viris pietate et doctrinâ insignibus referta uberes in vineâ Domini fructus iugiter producit, pro pastorali nostrâ sollicitudine consulere volentes, auditâ desuper dilectorum filiorum presbyterorum regularium eiusdem Societatis ad praesens in Urbe generaliter pro faciendâ novi propositi generalis electione congregatorum sententiâ, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ut in posterum perpetuis futuris temporibus congregatio generalis in praedictâ Societate singulo quoque novennio computando semper a celebratione ultimae congregationis generalis haberi et celebrari omnino debeat, ita quod illius celebratio nullo modo, nec ex quavis causâ, sive per praepositum generalem pro tempore existentem, sive per quamcumque congregationem particularem vel generalem, impediri, vel ultra novennium huiusmodi differri seu prorogari possit;

Creatio novorum assistentium in praedictâ congregatione generali.

§ 2. Praeterea ut, quotiescumque habebitur et celebrabitur congregatio generalis huiusmodi, toties novi assistentes, ab illis plane diversi qui praecedente novennio assistentium huiusmodi muneribus functi fuerint, eligi, seu assumi et deputari; ac demum, ut omnes et singuli eiusdem Societatis provinciales, visitatores, praepositi, rectores, superiores locales et alii officiales iurisdictionem seu superioritatem habentes quomodolibet nuncupati, exceptis magistris novitiorum, et[1] eorum respective muneribus, superioritatibus, ministeriis, administrationibus et officiis praedictis quomodocumque nuncupatis per triennium dumtaxat durare debeant, eaque elapso triennio huiusmodi eo ipso vacent et vacare censeantur, ipsosque[2] ad alia quaevis eiusdem Societatis munera, superioritates, ministeria, administrationes et officia praedicta quomodolibet nuncupata, etiam viceprovincialis, seu vicepraepositi, vel vicerectoris, nullatenus eligi seu assumi vel deputari va-

Reliqui superiores, exceptis magistris novitiorum, per triennium tantum durare debent.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

1 Pro *et* videtur potius *in* esse legendum (R.T.).
2 Potius lege *ipsique* (R. T.).

leant, nisi per annum cum dimidio saltem a fine dicti triennii computandum a praedictis muneribus, superioritatibus, ministeriis, administrationibus et officiis praedictis cessaverint, tenore praesentium statuimus, mandamus, praecipimus et ordinamus.

Haec non observantibus poenae infliguntur.

§ 5. Decernentes praemissa omnia et singula in perpetuum inviolabiliter, sub excommunicationis latae sententiae, ac suspensionis a divinis, privationis vocis activae et passivae, ac officiorum quorumlibet, inhabilitatisque ad illa et alia quaevis imposterum obtinenda poenis, ipso facto, absque aliâ declaratione, tam per mandantes, procurantes, eligentes et deputantes, quam recipientes et exequentes, irremissibiliter incurrendis, observari debere, neque adversus illa, seu illorum aliquod, praesentemque nostram constitutionem per praepositum generalem pro tempore existentem, aut quamcumque congregationem, etiam generalem, vel quemlibet alium superiorem et officialem dictae Societatis, aut nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis, Sedisque Apostolicae nuncios, vel S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et quosvis alios quacumque potestate fungentes, unquam dispensari, disponi vel derogari posse, et quamcumque dispensationem, dispositionem et derogationem adversus eadem praemissa, seu eorum aliquod, praesentemque constitutionem, per praedictos, seu ipsorum aliquem, pro tempore quomodolibet factam, sive concessam, nullam prorsus, ac nulliter et subreptitie obreptitieque extortam fore et esse ac censeri et haberi, neminique ullatenus suffragari debere, praesentesque litteras de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae, seu quocumque alio quantumvis substantiali et expressam mentionem requirente defectu, ac ex quocumque titulo, praetextu, causâ, occasione et capite, etiam in corpore iuris clauso, notari, impugnari, redargui, rescindi, ad viam et terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, vel quodvis aliud iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, vel etiam motu simili concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti minime posse; sed easdem praesentes semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et quosvis alios quacumque potestate fungentes, nunc et et pro tempore existentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Irritatur quaelibet super his dispensatio vel derogatio,

§ 5. Non obstantibus quibusvis apostolicis, et praesertim felicis recordationis Gregorii XIV unâ quae incipit *Ecclesiae catholicae,* sub datum XXVIII iunii, et aliâ quae incipit *Exponi nobis,* sub datum XX augusti MDXCI, pontificatus sui anno I, ac piae memoriae Pauli V, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, quae incipit *Quantum Religio,* de anno MDCVI, pontificatus sui anno II, aliisque in favorem dictae Societatis, vel circa illum[1] seu eius regimen, ac etiam in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, universalibus[2], et, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, necnon praedictae Societa-

Contraria removentur.

1 Potius lege *illam* (R. T.).

2 An vox *universalibus* conveniat, nescio (R.T).

tis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Societati, illiusque superioribus et personis, ac locis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulas apponit. § 7. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die I ianuarii MDCXLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 1 ianuarii 1646, pontif. anno II.

XLIX.

Carmelitae Discalceati in processionibus et aliis actibus publicis eâdem fruuntur praecedentiâ ac Carmelitae Calceati, dummodo incedant sub eâdem cruce cum ipsis Calceatis; aliàs tenentur servare constitutionem Gregorii XIII desuper editam [1].

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis officii nobis divinitus iniuncti assidua sollicitudo nos admonet ut ad ea semper intendamus per quae regularium personarum quarumlibet quieti consulitur. Prooemium.

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius procurator generalis Ordinis fratrum Discalceatorum B. Mariae Virginis de Monte Carmelo primitivae observantiae congregationis Hispaniarum nobis nuper exponi fecit, nonnulli alii regulares in partibus Hispaniarum, non obstantibus habitu, regulâ, professione, ac denominatione seu titulo a diversis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris atque etiam ab universo populo christiano ubique dari solitis eisdem fratribus Discalceatis dicti Ordinis Carmelitici, ausu temerario, contra decreta seu declarationes felicis recordationis Clementis VIII, sub datum XX augusti MDCII, Pauli V etiam, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, sub datâ II septembris anni etiam MDCV, emanata, contendunt Ordinem praedictum non esse unam eamdemque religionem cum fratribus Carmelitis Calceatis, neque unum ex quatuor Mendicantium Ordinibus, neque etiam eosdem fratres Discalceatos huiusmodi in comitiis, processionibus et aliis actibus publicis debere cum eisdem Carmelitis Calceatis unitos, mixtos et incorporatos incedere: nobis Motiva.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

propterea idem procurator generalis humiliter supplicari fecit, ut de opportuno circa decreta seu declarationes huiusmodi remedio providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Carmelitis Discalceatis in processionibus sub eâdem cruce cum Calceatis incedere conceditur.

§ 2. Nos igitur, eumdem procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, praefata decreta eorumdem Clementis et Pauli praedecessorum (modo tamen dicti fratres Discalceati cum eisdem fratribus Carmelitis Calceatis sub eâdem cruce incedant, sin minus servetur constitutio sanctae memoriae Gregorii Papae XIII etiam praedecessoris nostri super praecedentiâ inter regulares diversarum religionum), apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ tamen semper auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Aliàs inter ipsos servetur praecedentia.

Clausulae apponuntur.

§ 3. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis ad quos spectat et pro tempore spectabit inviolabiliter observari, sicque ab omnibus pariter et singulis censeri, reputari, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Poenas iungit non obedientibus.

§ 4. Quocirca venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ac dilectis filiis nostris et Apostolicae Sedis nunciis, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte eorumdem fratrum Discalceatorum dictae congregationis Hispaniarum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ eos praemissis omnibus et singulis, iuxta praesentium tenorem, pacifice frui et gaudere; non permittentes eos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet molestari; contradictores quoslibet et rebelles, ac praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogat contrariis.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 4. Volumus autem, et auctoritate praedictâ decernimus, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub an-

nulo Piscatoris, die IV ianuarii MDCXLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 4 ianuarii 1646, pontif. anno II.

L.

Ut alumni collegii Anglorum Duacensis possint promoveri ad ordines, etiam maiores et presbyteratus, absque titulo et patrimonio, cum dispensatione aliquarum irregularitatum [1].

Dilecto filio, moderno et pro tempore existenti rectori collegii Anglorum Duacensis,

Innocentius Papa X.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Privilegia concedunter alumnis Collegii Anglorum Duacen.

§ 1. De tuâ singulari fide, prudentiâ et doctrinâ plurimum in Domino confidentes, ea tibi benigne concedenda duximus, quae infrascripti collegii et alumnorum illius commodo et utilitati profutura esse cognoscimus. De venerabilium itaque fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum consilio, ad quindecim annos proximos dumtaxat, et interim quamdiu rectoris munere in dicto collegio Anglorum Duacensi fungeris, quo ipsius scholares alumni, post longos studiorum labores, sacerdotali ministerio, pro loci et temporis necessitate, fungi, ac functionibus sacris assuescere, ac ecclesiae dicti collegii officia divina praestare, seu uti operarii fructuosius mitti valeant, eisdem alumnis, ut, de tuo consensu, et examine praecedente, et absque litteris dimissoriis suorum Ordinariorum, et non obstante quocumque natalium defectu, super quo cum illis gratiose dispensamus, clericali militiae adscribi, et aliquibus quatuor, etiam feriatis, et continuis vel interpolatis seu unicâ, diebus ad quatuor minores, necnon tribus dominicis vel aliis festivis pariter continuis vel interpolatis diebus, etiam absque ullo beneficii et patrimonii titulo, ad sacros et presbyteratus ordines extra tempora a iure statuta, et anni curriculo non expectato, nec servatis interstitiis a sacro Concilio Tridentino designatis, et absque eo quod, antequam de uno ad alium Ordinem promoveantur, in primo quoque suscepto ministrare aut alicuius ecclesiae servitio adscribi teneantur, promoveri, et promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare, libere et licite valeant;

§ 2. Necnon tibi, ut per te, vel confessorem idoneum, quem duxeris eligendum, singulos alumnos praedictos a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, quas ipsi pro tempore quomodolibet incurrerint, et a quibusvis peccatis, excessibus et delictis quantumvis gravibus et enormibus, etiam in casibus in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis (conspirationis in personam vel Statum Romani Pontificis, falsitatis litterarum et scripturarum apostolicarum, delationis armorum et aliorum prohibitorum ad partes infidelium, iniectionis manuum violentarum in praelatos dumtaxat exceptis), absolvere, ac pro commissis poenitentiam salutarem et alia iniungenda eis iniungere, et cum eis super irregularitate per eos quomodolibet (praeterquam occasione homicidii voluntarii, bigamiae et haeresis[1]) contractâ dispensare, libere et licite valeas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, facultatem concedimus et indulgemus. Praesentibus post lapsum dictorum quindecim annorum minime valituris.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac in uni- Derogatio contrariorum.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Edit. Main. legit *haeresi* (R. T.).

versalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI februarii MDCXLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 16 februarii 1646, pontif. anno II.

LI.

Constitutio super recessu S. R. E. cardinalium a Statu Ecclesiastico sine licentiâ Summi Pontificis, et reditu eorum, qui sine licentiâ huiusmodi recesserunt, ad Romanam curiam[1].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Cum, iuxta sacrorum canonum dispositionem, venerabiles fratres nostri sanctae Romanae Ecclesiae cardinales in partem sollicitudinis apostolicae sint vocati ut Romano Pontifici pro tempore existenti personaliter assistant et in regimine universalis Ecclesiae eorum operam praestent, dicanturque pars corporis et membra ipsius Pontificis, ac diversis ecclesiis almae Urbis pro eorum cardinalatus titulo seu diaconiâ praeficiantur, et propterea apud eumdem Romanum Pontificem in Romanâ curiâ residere teneantur, merito iam pridem nonnulli Romani Pontifices praedecessores nostri, provide considerantes quam indecens et detestabile sit quod cardinales locum et mansionem adeo sublimem contra eorum officii debitum deserant, et, quod culpabilius est, non obtentâ ipsius Pontificis pro tempore existentis licentiâ, a Statu Ecclesiastico discedant, varias constitutiones et decreta recessum huiusmodi prohibentia sub diversis poenis etiam per Romanos Pontifices pro tempore existentes arbitrandis ediderunt.

Causae huius Constitutionis.

§ 1. Quia vero desuper satis provisum non esse experientiâ docemur, et ne tam perniciosum malum in dies crescere contingat opportuniora remedia adhibere decrevimus, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuâ constitutione statuimus, decernimus et declaramus, ut omnes et singuli eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales nunc et pro tempore existentes, qui non obtentâ a nobis et Romano Pontifice pro tempore existente licentiâ extra temporalem Status Ecclesiastici ditionem imposterum se transferrent[1], statim et eo ipso, absque aliquâ iudicis vel alterius praecedente declaratione, omnibus et quibuscumque privilegiis, immunitatibus, exemptionibus et indultis, etiam conferendi beneficia ecclesiastica, necnon transferendi pensiones seu fructus ecclesiasticos etiam loco pensionum reservatos, ac testandi et disponendi, sibi quomodolibet a Sede Apostolicâ concessis, privati sint et existant;

Statuit ne cardinales extra Statum Ecclesiasticum sine licentiâ Summi Pontificis recedant.

§ 2. Ac insuper etiam poenam interdicti ingressus Ecclesiae eo ipso pariter absque aliquâ declaratione incurrant; necnon etiam aliis per nos et successores nostros Romanos Pontifices quovis modo arbitrandis poenis subiaceant; et ad sequestrum omnium et singulorum fructuum, redditurum, proventuum, iurium, obventionum et emolumentorum universorum, tam quorumcumque officiorum et munerum, etiam maiorum, etiam consistorialiter concessorum, specialique notâ et expressione dignorum, quae quomodolibet, etiam ex titulo vere oneroso, quam monasteriorum et aliorum quorumcumque beneficiorum secularium et quorumvis

Contravenientibus poenas imponit.

1 Aliam Constitutionem edidit Urbanus VIII circa cardinalium ab Urbe discessum ultra quadraginta milliaria.

1 Aptius lege *transferent* (R. T.).

Ordinum etiam S. Antonii Viennensis et hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani regularium, etiam iurisdictionem sive spiritualem sive temporalem habentium, quae in titulum, commendam, administrationem et aliàs quovis modo obtinent et pro tempore obtinebunt, necnon pensionum super quibusvis fructibus ecclesiasticis, ex quavis causâ, etiam alimentorum et sustentationis, ac aliàs quomodolibet eis assignatarum, et fructuum ecclesiasticorum etiam loco pensionum ipsis reservatorum deveniri, etiam sine aliquâ citatione, intimatione vel declaratione, possit et debeat. Et, si praedicti cardinales per sex menses, quos pro tribus canonicis monitionibus, peremptoriisque dilationibus et terminis assignamus, a die eorum recessus huiusmodi computandos, ad Romanam curiam personaliter et cum effectu non redierint, ultra poenas et alia supradicta, ac cumulative cum illis, etiam eo ipso, ut praemittitur, incurrant poenas privationis omnium et singulorum fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum et emolumentorum universorum, tam quorumcumque officiorum et munerum, etiam maiorum, etiam consistorialiter concessorum, specialique notâ et expressione dignorum, quae quomodolibet etiam ex titulo vere oneroso, quam monasteriorum et aliorum quorumcumque beneficiorum secularium et quorumvis Ordinum etiam S. Antonii Viennensis et hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani regularium, quae in titulum, commendam, administrationem et aliàs quovis modo obtinent et pro tempore obtinebunt, necnon pensionum super quibusvis fructibus ecclesiasticis ex quavis causâ etiam alimentorum et sustentationis ac aliàs quomodolibet eis assignatorum, et fructuum ecclesiasticorum etiam loco pensionum ipsis reservatorum, nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio libere, et absque eo quod ius aliquod titularibus acquiratur, distribuendorum et disponendorum. Quod si, lapsis praedictis sex mensibus, per alios sex menses immediate sequentes, quos pariter pro tribus canonicis monitionibus peremptoriisque dilationibus et terminis assignamus et assignatos esse volumus, adhuc abfuerint, et in termino horum ultimodictorum sex mensium ad Romanam curiam personaliter et cum effectu non redierint, cumulative cum omnibus et singulis supradictis poenis etiam poenam privationis ipsorum praedictorum omnium et singulorum officiorum et munerum, etiam maiorum, etiam consistorialiter et aliàs quomodolibet etiam titulo oneroso ut praefertur concessorum, monasteriorumque et beneficiorum secularium, quantumvis ut supra qualificatorum, et fructuum et pensionum[1], etiam loco pensionum reservatorum, nostro pariter et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio libere, et absque eo quod ius aliquod, ut praemittitur, titularibus acquiratur, distribuendorum et disponendorum, eo ipso itidem et absque aliâ declaratione incurrant.

Statutum circa cardinales, qui ante praesentem Constitutionem sine licentiâ Summi Pontificis discesserunt.

§ 3. Cardinales autem illi, qui ante emanatam praesentem constitutionem non obtentâ a nobis praedictâ licentiâ extra temporalem Status Ecclesiastici ditionem iam se transtulerunt (salvis et firmis remanentibus omnibus per nos seu alios de mandato nostro desuper quomodolibet hactenus gestis et factis, ac in futurum gerendis et faciendis), si infra sex menses a die publicationis praesentis constitutionis, hîc in Urbe, ut infra, faciendae, decurrendos, quos similiter pro tribus canonicis monitionibus peremptoriisque dilationibus et terminis assignamus, personaliter et cum effectu ad Romanam curiam non redierint, eo ipso itidem absque aliâ declaratione incidant in poenas

1 Pro *et pensionum* leg. *ecclesiasticorum* (R.T).

interdicti ingressus ecclesiae et privationis facultatis testandi et disponendi, omniumque privilegiorum et indultorum praedictorum, ac fructuum, officiorum et munerum, etiam maiorum, etiam consistorialiter, ac etiam titulo oneroso concessorum, atque pensionum, monasteriorum et aliorum quorumcumque supra expressorum; et, si lapsis praedictis sex mensibus, iidem cardinales, qui ut praefertur iam extra dictum Statum Ecclesiasticum sine nostrâ licentiâ se transtulerunt, infra alios sex menses immediate sequentes, quos etiam pro tribus canonicis monitionibus et terminis ut supra assignamus, ad Romanam curiam personaliter et cum effectu non redierint, insuper poenam privationis praedictorum officiorum et munerum, etiam maiorum, etiam consistorialiter, ac etiam titulo oneroso concessorum, atque monasteriorum, beneficiorum et aliorum quorumcumque supra expressorum pariformiter incurrant.

Alias poenas addit.

§ 4. Si autem, tam cardinales, qui iam sine nostrâ licentiâ, ut praemittitur, extra Statum Ecclesiasticum se transtulerunt, quam illi quos in futurum, ut supra, extra eumdem Statum absque nostrâ et pro tempore existentis Romani Pontificis licentiâ se transferre contigerit, per alios tres menses immediate sequentes, quos pariter pro tribus canonicis monitionibus peremptoriisque dilationibus et terminis assignamus, et sic in totum infra quindecim menses, personaliter et cum effectu ad Romanam curiam non redierint, decernimus deveniri posse ad alias poenas etiam quantumlibet maiores et graviores, ac individuâ mentione specialique notâ dignas, per nos et successores nostros Romanos Pontifices declarandas, ac etiam usque ad poenam privationis dignitatis cardinalatus inclusive. Ac demum, ut de cetero, tam ad praesens, quam perpetuis futuris temporibus, cum aliquem ex eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, nunc et pro tempore existentibus, absque dictâ nostrâ et pro tempore existentis Romani Pontificis licentiâ, ut supra, extra Statum praedictum se transferre contigerit, idem cardinalis in officiis, muneribus, legationibus, praefecturis, guberniis, protectionibus ordinum seu congregationum regularium, archiconfraternitatum, seu confraternitatum, collegiorum, monasteriorum, hospitalium et aliorum piorum locorum quorumcumque, necnon administratione tituli, vel diaconiae, ac etiam episcopatus sui, cardinalatus, ac quarumcumque aliarum ecclesiarum, etiam cathedralium, metropolitanarum et patriarchalium, quarum respectu aliquam iurisdictionem exercet, ac quorumcumque monasteriorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, ut praemittitur, et aliàs quomodolibet qualificatorum, illorumque iurisdictionis tam spiritualis quam temporalis, et generaliter in omnibus et quibuscumque muneribus, etiam speciali notâ et individuâ expressione dignis, sibi a praedictâ Sede Apostolicâ iniunctis et commissis, cardinalem vel praelatum aut alium quemcumque substituere et subrogare (non obstantibus quibusvis facultatibus, licentiis et indultis desuper etiam motu simili ac etiam consistorialiter et aliàs quomodolibet hactenus concessis et deinceps concedendis) nullo modo possit et valeat, perpetuo similiter statuimus, decernimus et declaramus, facultatesque ac licentias et indulta praedicta, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, ad hunc effectum, a die quo extra dictum Statum recesserint[1] non obtentâ prius dictâ licentiâ, cassamus, irritamus, viribusque et effectu evacuamus, ac pro non concessis, perinde ac si de illis nunquam cogitatum fuisset, haberi volumus.

1 Potius lege *recesserit* (R. T.).

Excusationes tollit.

§ 5. Ab omnium autem et singularum poenarum tam supra expressarum quam etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices quomodolibet declarandarum incursu nolumus posse aliquem se excusare praetextu vel ratione cuiuscumque servitii seu negotii quorumcumque principum, etiam imperatoris et regum, aut rerumpublicarum, regnorum, provinciarum, nec ratione cuiuslibet iussionis vel mandati eorum vel earum quandocumque vel quomodocumque facti vel faciendi, aut distantiae locorum, vel ratione cuiuscumque alterius causae vel occasionis, etiam publicae, aut aliàs favorabilis, etiam in corpore iuris seu constitutionum apostolicarum clausae, nisi huiusmodi causa seu causae in corpore iuris clausae coram nobis et Romano Pontifice pro tempore existente allegata seu allegatae, probataque seu probatae, ac expresse admissa seu admissae fuerint. Ac ulterius nolumus posse aliquem per quemcumque, etiam per collegium cardinalium huiusmodi, etiam Sede Apostolicâ vacante, absolvi, seu etiam per viam gratiae seu iustitiae restitui, sed omnimodam cognitionem, absolutionem, relaxationem, restitutionem, reintegrationem, rehabilitationem et quamcumque aliam dispensationem seu dispositionem super praemissis, et eorum quolibet, nobis et pro tempore existenti Romano Pontifici privative quoad omnes reservamus. Ceterum per easdem praesentes non intendimus in aliquo derogare constitutioni a felicis recordationis Urbano Papa VIII etiam praedecessore nostro super residentiâ patriarcharum, primatum, archiepiscoporum et episcoporum, etiam cardinalium, editae.

Clausula praeservativa.

§ 6. Decernentes praesentes litteras, omniaque et singula in eis contenta, de subreptionis, obreptionis, aut cuiuscumque nullitatis vel invaliditatis vitio, intentionisque nostrae, ac quocumque alio defectu quantumlibet substantiali, etiam ex eo quod in praemissis quomodolibet interesse habentes seu habere praetendentes et praesertim eiusdem S. R. E. cardinales praemissis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, solemnitatesque et quaevis alia servanda et adimplenda nullatenus servata et adimpleta, causaeque, propter quas eaedem praesentes emanarunt, adductae, verificatae, seu aliàs sufficienter aut etiam in aliquo iustificatae non fuerint, ac quocumque alio colore, praetextu, occasione et capite, etiam in corpore iuris clausis, et ex aliâ quacumque quantumvis rationabili, iustâ et privilegiatâ causâ, etiam necessario exprimendâ, a quoquam notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, vel aliud quodvis iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, seu etiam motu simili ac etiam consistorialiter concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti nullo unquam tempore posse, neque easdem praesentes, et quaecumque contenta in illis, sub similium vel dissimilium constitutionum et dispositionum, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, ac etiam consistorialiter, aut aliàs quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores successoresque nostros ac etiam per nos factarum et faciendarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, pro tempore quomodolibet factis, comprehendi, sed semper ab illis excepta, perpetuoque valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari, perinde ac si consistorio nostro secreto de eorum-

dem venerabilium fratrum nostrorum consilio et unanimi assensu emanassent,

Clausula *sub-*

§ 7. Sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sedis praedictae nuncios, necnon eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et quoscumque alios quavis auctoritate et potestate fungentes, nunc et pro tempore existentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, declarandi, interpretandi et definiendi facultate, ubique iudicari, interpretari, declarari et definiri debere, ita ut, si unquam aliquod dubium seu haesitatio super praemissis seu eorum aliquo oriri vel suscitari contingat, nullus praeter nos ac Romanos Pontifices successores nostros possit praesentes litteras quovis modo interpretari et declarare, irritumque et inane quicquid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit.

Contrariis derogat.

§ 8. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis universalibus, provincialibus et synodalibus editis et edendis, ac cancellariae apostolicae regulis, etiam, quatenus opus sit, illâ de non tollendo iure quaesito, necnon sacri dictorum cardinalium collegii et quibusvis aliis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, licentiis, facultatibus, indultis et litteris apostolicis, eidem collegio ac quibusvis cardinalibus et aliis quibuscumque, sub quibusvis verborum tenoribus et formis, ac cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, et aliis efficacioribus et insolitis clausulis et decretis, etiam irritantibus, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, et aliàs quomodolibet, et ex quacumque causâ etiam hîc forsan necessario exprimendâ, in contrarium concessis, emanatis, confirmatis et pluries approvatis, necnon omnibus et singulis, quae praedicti praedecessores in dictis suis constitutionibus et decretis voluerunt non obstare; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis habentes, ad effectum praemissorum specialiter, expresse et plenissime derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicationis forma.

§ 9. Ut autem eaedem praesentes et in eis contenta quaecumque ad omnium notitiam deducantur, et ne aliquis illorum ignorantiam praetendere possit,

Affigi et publicari mandat.

§ 10. Volumus, quod eaedem praesentes per aliquem seu aliquos ex cursoribus nostris ad valvas basilicae Principis Apostolorum, et cancellariae apostolicae, et in acie Campi Florae de Urbe publicentur, et earum copiae ibidem affigantur et affixae relinquantur, quae sic publicatae et affixae omnes et singulos quos concernunt arctent et afficiant, non secus ac si eorum unicuique personaliter intimatae et notificatae fuissent,

Transumptis credi iubet.

§ 11. Quodque earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique locorum adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX februarii MDCXLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 19 februarii 1646, pontif. anno II.

LII.

Confirmatio concordiae super iure et formâ transportandi cadavera ad ecclesias regularium, super solutione quartae funeralis et sepulturâ impuberum, initae inter clerum secularem et regularem dioecesis Maioricensis[1].

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Ex iniuncto nobis apostolici muneris debito ad ea libenter intendimus, per quae personarum ecclesiasticarum tam secularium quam regularium quarumlibet quieti opportune consulitur, et illis quae propterea inter eas concorditer facta sunt, ut firmius subsistant, libenter, cum a nobis petitur, apostolicae confirmationis robur adiicimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causae huius Constitutionis. § 1. Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum rectorum parochialium ecclesiarum necnon cleri et regularium Maioricensis civitatis et dioecesis nobis expositum fuit, quod aliàs [postquam (exortis variis litibus et controversiis, inter dilectos etiam filios capitulum et canonicos ecclesiae Maioricensis clerum secularem et rectores parochialium ecclesiarum civitatis et dioecesis praefatarum ex unâ, necnon inter sancti Antonii de sancto Antonio Viennensi et Praedicatorum ac Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum provinciae Maioricensis ac B. Mariae de Monte Carmelo et Eremitarum sancti Augustini necnon Sanctissimae Trinitatis et B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum ac Minimorum sancti Francisci de Paula respective Ordinum fratres et religiosos partibus ex alterâ, super iure et formâ sepeliendi cadavera defunctorum qui in ipsorum regularium ecclesiis sepulturam sibi elegerunt, coram venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositis, ac super quartâ funerali et sepulturâ impuberum, coram congregatione etiam venerabilium fratrum nostrorum eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum) tandem, post nonnulla decreta desuper ab eisdem cardinalibus emanata, partes praefatae litibus et controversiis huiusmodi, etiam indecisis pendentibus, operâ et ministerio certorum procuratorum ad id electorum, et sufficientibus facultatibus suffultorum, praevio diligenti desuper habito tractatu, negotioque huiusmodi saepe saepius ab ipsis partibus hinc inde diu et mature considerato, ut iurgiis et contentionibus obviam iretur, sumptibusque et expensis parceretur, ad certam et amicabilem inter se devenerunt concordiâm et compositionem tenoris qui sequitur, videlicet:

Hic refertur concordia, de qua in rubricâ. § 2. « Noverint universi quod nos doctor Ioannes Baptista Caforteza, sacrista, doctor Marcus Antonius Cotoner, canonici cathedralis ecclesiae Maioricensis, electi ab admodum illustrissimo et reverendissimo capitulo eiusdem ecclesiae mediante resolutione capitulari habitâ die XIII aprilis MDCXXXIX, doctor Franciscus Lompard, olim rector ecclesiae loci de Porrers, doctor Michaël Villanova, rector parochialis ecclesiae S. Iacobi praesentis civitatis, Michaël Ioannes Sala, beneficiatus in sede et in parochiali S. Crucis, Marcus Antonius Forteza, beneficiatus in parochiali in ecclesiâ S. Michaëlis, electi me-

1 Refertur de verbo ad verbum praedicta concordia inter clerum secularem et regularem in hac eâdem Constitutione § 2 et seqq.

diante resolutione habitâ die XII septembris MDCXXXVI in congregatione eâdem die celebratâ de licentiâ illustrissimi ac reverendissimi domini don fratris Ioannis de Santander episcopi tunc Maioricensis, quae quidem resolutio congregationis in actis penes notarium infrascriptum et in ecclesiasticâ curiâ reconditis reperitur, ex unâ, et ex aliâ nos frater Antonius Rubi Ordinis Praedicatorum, S. Theologiae magister, et frater Iulianus Ginard, Ordinis sancti Francisci de Observantia lector iubilatus, pater provinciae, ac sanctae inquisitionis qualificator, habentes ad infrascripta commissionem et specialem potestatem, ille pro omnibus monasteriis Ordinis sancti Dominici, hic pro conventibus totius provinciae et hospitalis S. Antonii Viennensis, necnon monasteriorum B. Mariae Carmelitarum, et omnium Ordinis S. Augustini, Sanctissimae Trinitatis, ac S. Catharinae eiusdem Ordinis, B. Mariae de Mercede, et omnium Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, ut constat instrumentis publicis receptis die XVI decembris MDCXLIII et die VIII iunii MDCXLIV per discretum Iacobum Pujol notarium publicum, de quibus ego notarius infrascriptus fidem facio, scientes et attendentes inter curatos et clericos seculares ex unâ, et regulares ex aliâ partibus motas fuisse varias lites, tam super formâ sepeliendi cadavera defunctorum, quam etiam super solutione quartae funeralis, et ad instandum resolutionem praedictarum litium ab utrâque parte fuisse missos syndicos et procuratores, qui Romae coram sacris congregationibus cardinalium comparerent, et ad illorum instantiam motas fuisse sequentes controversias:

Contentio parochorum adversus regulares.

§ 3. In primis contendebant parochi inhibendum esse regularibus, ne procederent amplius ad sepulturam in casibus sibi permissis per se ipsos tantum processionaliter cruce elevatâ, sed cum interventu parochi, vel eo prius convocato, allegantes decretum sacrae congregationis regularium de anno MDCIV;

Allegatio regularium adversus parochos.

§ 4. Sed regulares contra allegabant pacta et conventiones de sepeliendo per seipsos tantum et ingrediendi[1] parochias ac[2] levanda cadavera cruce elevatâ et processionaliter, dicentes se non esse sub regulâ, sed potius sub exceptione decreti concilii Lateranensis sub Leone X pro cuius observatione emanatum fuit dictum decretum sacrae congregationis, sibique etiam suffragari consuetudinem immemorabilem, et quod stabat pro regularibus relatio illustrissimi et reverendissimi episcopi Maioricensis ex commissione sacrae congregationis Regularium, et allegabatur Breve Papa Pii V super confirmationem consuetudinis praedictae et pactorum et conventionum, datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV februarii MDLXVII, quod incipit *Eaque concordia*, iunctâ praesertim eiusdem Brevis observantiâ; dicebatur enim per subsecutam observantiam insurgere eiusdem Brevis indubitatam iustificationem, qua iustificatione supposità, non posse dubitari de veritate narratorum in eodem Brevi et illorum probatione: sed sacra congregatio praedicta, auditis partibus, et allegatis hinc inde ponderatis, die XIX iunii anni MDCXLIII fuit in voto, quod partes plenius iura sua deducant in eâdem sacrâ congregatione, et mandavit interim nihil innovari, et iuxta huiusmodi decretum episcopo praefato litteras dedit:

Aliae inter praefatos controversiae recensentur.

§ 5. Aliae controversiae agebantur in sacrâ congregatione eminentissimorum interpretum sacri Concilii Tridentini:

I. An dicti regulares teneantur solvere integram quartam funeralium parochis;

II. De quibus solvi debeat quarta praedicta;

1 Legerem *ingrediendo* (R. T.).

2 Forsan *ad* pro *ac* legendum (R. T.).

Parochi pro se allegabant Clementinam *Dudum, de Sepultur.*, § *Verum*, et concordiam quamdam de anno MCCCXXXIX initam, ut ipsi asserebant, inter ipsos parochos et fratres Dominicanos conventus S. Dominici huius civitatis, in qua concordiâ Dominicani promittebant solvere dictam quartam funeralem iuxta praescriptum constitutionis Bonifacii Papae VIII incipientis *Super cathedram*, necnon quamdam, ut asserebant, constitutionem eiusdem Bonifacii VIII de anno MCCXCIII, quae incipit *Olim gravibus,* datam[1] Avinione, sive melius Anagnii, pontificatus sui anno VIII, in favorem parochorum contra regulares Ss. Dominici et Francisci praefatae civitatis pro observantiâ alterius constitutionis, incipientis *Super cathedram*, in dictâ Clementinâ *Dudum, de Sepultur.*, insertae, quam etiam asserebant confirmasse Clementem Papam VI per quamdam aliam constitutionem insertam in aliâ assertâ constitutione Clementis Papae VII, datâ Avinione, V kalendas augusti, pontificatus sui anno XII, quae incipit *Tenore quorumdam*; regulares vero allegabant consuetudinem legitimam restringentem dictam Clementinam *Dudum* ad sola funeralia, et etiam patentissima privilegia eximentia a dictâ solutione quartae cum derogatione expressâ dictarum constitutionum *Dudum, de Sepultur.*, Viennensis Concilii, et *Super cathedram* Bonifacii praedicti, necnon concordiarum, etiam auctoritate apostolicâ, iuramento, vel qualibet aliâ firmitate roboratarum, tandem se esse in legitimâ possessione et consuetudine solvendi tantum quartam partem cerae intorstitiorum, respectu monasteriorum solventium, respectu vero aliorum, scilicet a quadraginta annis citra confirmationem Concilii Tridentini aedificatorum, nihil omnino solvere:

1 Edit. Main. legit *datum* (R. T.).

§ 6. Super quibus, auditis partibus, sacra congregatio respondit:

Sacra congregatio cardinalium sacri Concilii Tridentini praedictis controversiis respondet.

Ad I. Regulares praefatos, teneri solvere iuxta praescriptum Clementinae *Dudum, de Sepultur.*, § *Verum*;

Ad II. Teneri solvere ex his quae disponuntur in dictâ Clementinâ, nisi concurrat legitima consuetudo ad favorem ipsorum solvendi solummodo quartam partem ex intorstitiis tantum, seu ex aliâ particulari re: quod decretum, instantibus regularibus praedictis, suspensum fuit, quia regulares petebant a dictâ sacrâ congregatione, utrum praedictum decretum loqueretur de omnibus monasteriis indiscriminatim, scilicet, tam de his quae sunt aedificata a quadraginta annis ante confirmationem Tridentini, et sunt in consuetudine solvendi tantum quartam partem ex intorstitiis, quam de aliis aedificatis a quadraginta annis citra confirmationem Tridentini; asserebant etiam dicti regulares pro se habere valida et patentissima privilegia eximentia dicta monasteria aedificata a quadraginta annis citra dictam confirmationem Concilii a solutione quartae et quintae funeralium:

III controversia. An filii impuberes, dum alibi sepulchra maiorum non extant, debeant sepeliri in eorum propriâ parochiali ecclesiâ;

Respondit sacra congregatio, filios impuberes, si non extant sepulchra maiorum, sepeliendos esse in propriâ parochiali ecclesiâ:

IV. An mater pro filiis impuberibus possit eligere sepulturam;

Respondit sacra congregatio, non licere matribus eligere sepulturam pro filiis impuberibus, cessante legitimâ consuetudine:

V. An liceat regularibus sepelire in suis ecclesiis confratres laicos, qui sepulturam non elegerunt;

Respondit sacra congregatio, confra-

tres laicos, si non praecedat eorum electio sepulturae, sepeliendos esse in eorum propriâ parochiali ecclesiâ:

Summus Pontifex consulit sedandis iurgiis inter clerum secularem et regularem.

§ 7. Attendentes nos praedicti electi tam admodum illustrissimi capituli, curatorum et clericorum secularium, quam regularium, inter praefatos utriusque partis syndicos et procuratores in Romanâ Curiâ (ad obviandum iurgiis, sedandum scandala et excusandum sumptus qui ex longissimis litium et dubiorum anfractibus sperabantur, de consilio praestantissimorum Romanae Curiae advocatorum, ac intervenientibus ad id eminentissimo domino cardinali Caesarino Ponenti, illustrissimoque domino Francisco Pauluccio congregationis Concilii secretario, et perillustribus dominis Armindo Riccio et Stephano Fabretto iuris utriusque doctoribus, ac utriusque causae procuratoribus, illo pro parte parochorum, hoc pro parte regularium, de consensu reverendissimi domini Marci Antonii Forteza, causam pro dictis parochis in Romanâ Curiâ agentis, et admodum reverendi patris fratris Benedicti Ferrer, sacrae theologiae magistri, ac sanctae Inquisitionis qualificatoris Ordinis Praedicatorum, agentis pro Dominicanis, et reverendi patris fratris Ioannis Baptistae Mestre Ordinis sancti Francisci, sacrae theologiae lectoris, agentis pro ceteris regularibus dictae dioecesis) actum fuisse de concordiâ praedictarum litium, et nos, habitis quamplurimis colloquiis, saepe saepius rebus mature consideratis et perpensis, in unam convenisse concordiam (quae proposita fuit congregationi habitae die XXVIII aprilis anni currentis, in qua astiterunt admodum illustre capitulum ecclesiae cathedralis et omnes curati ac syndici omnium communitatum ecclesiarum secularium praesentis insulae, in qua congregatione fuit pro maiori parte approbata praedicta concordia, et commissum nobis praedictis electis capituli, curatorum et clericorum secularium, ut pro parte totius cleri illam admitteremus, ut de dictâ approbatione et commissione constat in actis celebrationis dictae congregationis penes notarium infrascriptum, et in ecclesiasticâ curiâ reconditis); scientes etiam eamdem potestatem nobis attributam fuisse a praeposito et communitate clericorum secularium loci de Civitadella insulae Minoricensis[1] instrumento publico mediante recepto die II maii anni currentis per Ioannem Companny notarium publicum, de quo ego notarius infrascriptus fidem facio; et expresse declarantes, quod in hac concordiâ comprehenduntur parochi et clerici locorum de Mahò et Layor insulae Maioricensis, si infra quatuor menses, penes notarium infrascriptum, eam ratam habuerint: nos etiam praedicti regularium electi utentes facultatibus nobis attributis, ut supra, confitemur inter nos partes praedictas, et nominibus supra expressis deventum fuisse ad concordiam praefatarum litium in modum sequentem:

Forma concordiae.

§ 8. Respectu causae convocationis parochi, quae agebatur in sacrâ congregatione regularium, concordatum fuit quod omnes regulares possint per se ipsos tantum absque interventu parochi atque clericorum secularium processionaliter cruce elevatâ incedere, et, parochis non vocatis nec requisitis, eorum parochias ingredi, indeque ad sua monasteria levare et efferre corpora defunctorum, qui apud ipsos regulares elegerint sepeliri, prout hactenus consuetum fuit; atque adeo in hoc nihil esse innovandum, exceptis regularibus sex conventuum, scilicet Ordinis Praedicatorum sancti Dominici locorum de Monacor, Pollensa et Inca, ac Minorum sancti Francisci de Petra, sancti Augustini de Falantig, et Minimorum sancti

1 Vide an legendum *Maioricensis* R. T.).

Francisci de Paula de Campos, qui iuxta pacta in limine fundationis non possunt absque interventu parochi et cleri exire ad supradicta; et in sex praedictis locis, et si in aliis extra hanc civitatem fuerint vocati parochus et clerus secularis ad associanda cadavera in ecclesiis regularium sepelienda, regulares adeant ecclesiam parochialem, fiatque processio sicut in cathedrali in funeribus generalissimis, et quando parochus et clerici seculares voluntarie vocabuntur pro associatione funeris, singuli clerici non possint plusquam duos solidos, et ministri, scilicet hebdomadarius, diaconus, subdiaconus et duo primicerii, quatuor solidos pro suis stipendiis recipere.

Respectu primae et secundae controversiae quartae funeralium concordatum fuit, quod ea regularium praedictorum monasteria, quae sunt aedificata a quadraginta annis ante confirmationem Tridentini, et sunt in consuetudine solvendi tantum quartam partem ex interstitiis, eamdem solvant, et quartam partem de pane et candelis, quae, dum missa conventualis praesente cadavere cantatur, offeruntur, cum quinque solidis pro rectoris cerâ quae comburitur dum missa canitur, ut usque adhuc solitum est; et nunc de novo additur, ut deinceps de panno, quod vulgo dicitur *drap de cos de friseta negra*, de libris, ensibus et habitibus militaribus quartam partem dare teneantur, et unum de quatuor cereis, quos quatuor regulares iuxta feretrum defuncti deferre solent; de reliquis autem obventionibus, nempe de habitu regulari, de sudario, de sindone, de arcâ, de panno serico, seu de aliâ particulari re confraternitatum laicorum seu conventuum ipsorum regularium, de duobus cereis duorum acolytorum crucem comitantium, de aliis cereis, seu candelis, quae dantur ad manus regularium, de eleemosynis pro missis, anniversariis, responsis, vel aliis divinis officiis, piisque deprecationibus pro defunctis eisdem celebrandis, de legatis absolute, vel ad certos usus, vel etiam datis, qualitercumque donatis toti monasterio, seu alicui ex regularibus, et de quavis aliâ re particulari, nihil omnino solvere teneantur: illa vero monasteria quae sunt aedificata post Concilium Tridentinum nihil solvere teneantur, nisi aliter concordatum fuerit cum ipsis a principio fundationis monasteriorum, aut postea, quo casu standum erit concordiae legitimae.

Respectu tertiae et quartae controversiae concordatum fuit, quod, iuxta constitutionem synodi Maioricensis de anno MDCXXXVI, possint patres eligere sepulturam pro filiis impuberibus, non vero matres:

Tandem concordatum fuit praedictas conventiones et concordias ad petitionem ambarum partium approbandas esse a sacris congregationibus Regularium et Concilii, et confirmandas a sanctissimo domino nostro Papa cum clausulis necessariis pro maiori robore dictae concordiae, et decreto irritante[1] si secus a quocumque et quandocumque contigerit attentari; et quod committatur Ordinario Maioricensi omnimoda iurisdictio pro observantiâ dictae concordiae; non obstantibus quibuscumque privilegiis exemptionis regularium.

Hanc itaque concordiam et transactionem, omniaque in illa contenta, inviolabiliter observari, nos electi praedicti pro utrâque parte promittimus, eamque admittimus et approbamus, et a primâ lineâ usque ad ultimam acceptamus, ac approbari, laudari et confirmari promittimus et nos obbligamus; super quibus omnibus et singulis supradictis

1 Edit. Main. legit *decreti irritantis* (R. T.).

sic complendis, tenendis et inviolabiliter observandis obligamus utraque pars nostrum alteri ab invicem mutuo et vicissim omnia et singula bona nostra, scilicet nos electi praedicti bona dictorum rectorum et cleri, et nos dicti regulares bona dictorum conventuum mobilia et immobilia, praesentia et ubique futura.

Quod fuit actum in praesenti civitate Maioricensi, die videlicet XIII mensis augusti, anno a Nativitate Domini MDCXLIV. Signa †††† nostra, Ioannis Baptistae Caforteza, domini doctoris presbyteri, canonici et sacristae ecclesiae sedis Maioricensis et ceterorum electorum; signa †† nostra fratris Antonii Rubi Ordinis Praedicatorum et fratris Iuliani Ginard Ordinis sancti Francisci de Observantiâ, nomine antedicto transigentium et concordantium praedictorum, qui haec laudamus, concedimus et firmamus. Testes (in quorum praesentiâ firmarunt dicti doctores Ioannes Baptista Caforteza sacrista, Marcus Antonius Cotoner canonicus, Franciscus Lompard et Marcus Antonius Fortezza presbyteri, pater frater Antonius Rubi et pater frater Iulianus Ginard) sunt Gabriel Gantallops, studens, et Petrus Ferrer, ecclesiasticae curiae nuntius. Testes vero firmae dicti doctoris Michaëlis Villanova presbyteri rectoris S. Iacobi, qui firmavit die eâdem, fuere reverendus Michaël Sagarra presbyter, et Sebastianus Carbonellius dictae curiae ecclesiasticae nuntius »]

Decretum sacrae Congregationis S. R. E. cardinalium negotiis episcoporum et regularium praepositorum.

§ 9. Subinde, per eosdem exponentes supplicato primodictis cardinalibus huiusmodi ut praemissa confirmarent, ab eisdem cardinalibus emanavit decretum infrascriptum, videlicet:

« Sacra congregatio S. R. E. cardinalium negotiis et consultatoribus episcoporum et regularium praeposita, eminentissimo cardinali S. Caeciliae referente, censuit, quoad primum punctum, circa formam transportandi cadavera ad ecclesias regularium, concordiam posse confirmari, prout praesenti decreto confirmat: quoad reliqua vero, partes ad sacram congregationem Concilii remittit.

Romae, XXV novembris MDCXLIV.

M. cardinalis GINETTUS archiepiscopus Patracensis, secretarius ».

Postmodum vero, per eosdem primodictos cardinales remissis ad secundodictorum cardinalium praefatam congregationem certis aliis punctis et capitibus in dictâ praeinsertâ concordiâ expressis pro illorum confirmatione, iidem secundodicti [1] cardinales pariter decreverunt ut infra, videlicet:

« Die IV februarii MDCXLV. Sacra congregatio eminentissimorum cardinalium Concilii Tridentini interpretum, praeviâ revisione ac relatione in eâdem sacrâ congregatione per eminentissimos cardinales Cornelium et Ginettum, censuit, confirmationem supradictae concordiae, quoad decreta eiusdem sacrae congregationis, posse concedi, si sanctissimus Dominus noster annuat.

E. cardinalis, episcopus Sabinensis.

Loco † sigilli.

F. PAULUTIUS, sacrae congreg. secr. ».

Petitio confirmationis.

§ 10. Cum autem firmiora sint ea quae Sedis Apostolicae patrocinio roborantur, idcirco praefati capitulum et canonici, clerus et parochi huiusmodi dictorumque Ordinum superiores nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Summus Pontifex confirmat et approbat praedictam concordiam.

§ 11. Nos igitur, eosdem exponentes et supplicantes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommuni-

1 Edit. Main. legit *secundi dicti* (R. T.).

cationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concordiam praeinsertam et desuper confectum instrumentum, seu scripturas, iuxta praeinserta dictarum duarum congregationum decreta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici vel censeri possint, supplemus: salvâ tamen semper auctoritate utriusque congregationis cardinalium huiusmodi.

Clausulas praeservativas apponit.

§ 12. Decernentes praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis, aut obreptionis, vel nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae defectu, aut quovis alio ex capite, etiam in corpore iuris clauso, seu occasione vel causâ, quantumvis privilegiatâ, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci ullatenus posse, sed illas semper et perpetuo validas et efficaces fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos nunc quomodolibet spectat et spectabit, ac spectare et pertinere poterit in futurum, perpetuo, firmiter, inviolabiliter et inconcusse observari et adimpleri debere,

Clausula sublatae.

§ 13. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, ac Sedis Apostolicae nuntios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quocirca venerabili fratri episcopo Maioricensi, ac dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte exponentium et supplicantium praefatorum fratrum fuerint requisiti, vel eorum alter fuerit requisitus, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos praemissorum effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes eos desuper quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles, praemissisque non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si fuerit opus, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 14. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ de non tollendo iure quaesito, aliisque cancellariae nostrae apostolicae regulis, ac quibusvis apostolicis, necnon in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis et edendis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, dictaeque Maioricensis ac aliarum ecclesiarum, ac domorum, seu locorum regularium, dictaeque provinciae, ac Ordinum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quo-

que, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 15. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII februarii MDCXLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 22 februarii 1646, pontif. anno II.

LIII.

Breve apostolicum de solvendis decimis per regulares[1].

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Nuper, pro parte venerabilium fratrum archiepiscoporum et episcoporum necnon dilectorum filiorum totius cleri regni Poloniae,[1] dilectum etiam filium Matthaeum Ioannem Iudickii, archidiaconum Pomeraniensem nuncupatum in ecclesiâ Vladislaviensi, eiusdem cleri in curiâ Romanâ agentem, nobis expositum fuit, quod aliàs, et sub die XVII iunii anni proxime praeteriti MDCXLV, in causâ decimarum eiusdem regni, a venerabilibus etiam fratribus nostris S. R. E. cardinalibus sacri Concilii Tridentini intrerpretibus emanavit decretum, quod nos subinde sub die mensis iulii eiusdem anni in consistorio nostro secreto approbavimus, tenoris qui sequitur, videlicet:

Refertur decretum S. R. E. cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum circa materiam, de qua in rubrica.

§ 1. « In causâ decimarum regni Poloniae, die XVII iunii MDCXLIII[2] sacra congregatio eminentissimorum cardinalium Concilii Tridentini interpretum, iterum atque iterum auditis regularibus, et praecipue patribus Societatis Iesu, eorumque iuribus et privilegiis mature discussis, censuit, ab eisdem patribus et aliis regularibus solvendas esse parochis et aliis beneficiatis regni Poloniae decimas, quae solvebantur a laicis priusquam bona in ipsorum patrum et aliorum regularium proprietatem fuerunt translata, firmis tamen remanentibus transactionibus desuper factis: quod decretum emanavit praeviâ exhibitione factâ ab ipsis patribus, cui etiam decreto postea consenserunt, prout et agens cleri regni Poloniae. Die vero XXXI iulii MDCXLV, sanctissimus Dominus noster, eminentissimo cardinali praefecto referente, in consistorio approbavit.

F. cardinalis episcopus Portuensis.

Summus Pontifex apostolica confirmatione praedictum decretum confirmat.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, exponentes praefati decretum praeinsertum, quo firmius subsistat et exactius observetur, apostolicae nostrae

lii Tridentini interpretum, quod refertur in hac Constitutione, § 1.

2 Ex praedictis legendum foret *1645* (R. T.).

3 Deesse videtur praeposit. *per* (R. T.).

confirmationis patrocinio communiri summopere desiderent: idcirco nos, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibusque illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, et omnes ac singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, salvâ tamen semper auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Clausula praeservativa.

§ 3. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, quos illae concernunt, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequtores deputat.

§ 4. Quocirca dilecto filio nostro et Sedis Apostolicae in eodem regno pro tempore commoranti nuntio per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte exponentium praefatorum, seu alicuius eorum, desuper requisiti fuerint[1], solemniter publicari, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens faciat auctoritate nostrâ illos praemissorum omnium commodo et effectu pacifice frui et gaudere, non permittens illos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet molestari,

Contravenientibus poenas imponit.

§ 5. Contradictores quoslibet et rebelles, ac praemissis non parentes, per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria removet.

§ 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ipsius Societatis, aliorumque regularium ordinum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, ipsi Societati aliisque regularibus ordinibus seu institutis praefatis, illorumque domibus, etiam professis, collegiis, monasteriis et aliis locis regularibus, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio

1 Potius lege *requisitus fuerit* (R. T.).

habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXV februarii MDCXLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. 25 februarii 1646, pontif. anno II.

LIV.

Revocatio Brevis Urbani VIII, quo prohibetur auditoribus Rotae Maceratensis, ne in causis civitatis Camerinensis summam centum scutorum monetae aut illius valorem non excedentibus se se intromitterent contra formam Bullae Sixti V super institutione tribunalis Rotae Maceratensis [1].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. § 1. Circumspecta in omnibus Romani Pontificis providentia interdum quae rationabilibus de causis aliàs provide statuta et ordinata fuerunt, si progressu temporis incommodum aliquod afferre noscantur, aliis non minus iustis ex causis tollit et revocat, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

Motiva Constitutionis. § 2. Cum itaque, sicut dilecti filii communitas et homines civitatis nostrae Maceratensis nobis exponi fecerunt, aliàs, postquam a felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessore nostro emanarunt in simili formâ Brevis litterae tenoris subsequentis, videlicet, Urbanus Papa VIII, etc. (*reliqua prout in suo loco sub datum die* XXVIII *maii* MDCXXXVIII [2]), subinde habito per eosdem primodictos communitatem et homines ad eumdem Urbanum praedecessorem recursu pro earumdem illius praeinsertarum litterarum revocatione, stantibus et attentis falso inibi suppositis, idem Urbanus praedecessor dederit in mandatis, ut, si et postquam disputatum decisumque fuisset in sacro Rotae Romanae auditorio, an litterae similis memoriae Sixti Papae V etiam praedecessoris nostri sub plumbo super institutione tribunalis Rotae in praedictâ civitate Maceratensi expeditae eisdem praeinsertis litteris obstarent, dictae litterae praeinsertae revocarentur seu confirmarentur prout eiusdem Rotae Romanae auditores decidissent; postmodum autem disputato dubio huiusmodi in eodem sacri palatii apostolici tribunali decisum fuerit, omnes et singulas quorumcumque dictae provinciae locorum causas appellabiles, cuiuscumque summae et quantitatis forent et sint, et sic etiam infra scuta centum, esse per eosdem Rotae Maceratensis auditores cognoscendas; cupiantque propterea iidem exponentes per nos in praemissis opportune ut infra provideri:

Revocatio Brevis Urbani, VIII sub data XXVIII maii MDCXXXVIII. § 3. Idcirco nos, eosdem primodictos communitatem et homines specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas dicti Urbani praedecessoris litteras, cum omnibus et singulis in eis contentis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, revocamus, cassamus, irritamus et abolemus, viribus-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Ita edit. Main.; at citatas litteras Urbani VIII suo loco relatas fuisse non puto (R. T).

que et effectu evacuamus, ac pro revocatis, cassis, irritis, abolitis, viribusque et effectu evacuatis haberi, ipsisque secundodictis communitati et hominibus de cetero nullatenus suffragari posse vel debere volumus.

Clausula praeservativa. § 4. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, eisdemque primodictis communitati et hominibus suffragari, nec eos desuper a quoquam, quavis auctoritate fungente, molestari, perturbari vel inquietari posse vel debere, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam eiusdem sacri palatii auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, ipsius civitatis Camerinensis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, legibus, etiam municipalibus, stilis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die v martii MDCXLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 5 martii 1646, pontif. anno II.

LV.

Committitur nuncio Poloniae, ut procedat contra certos iudices laicos, qui condemnarunt episcopum Smolescensem excipientem de fori incompetentiâ in certas poenas pecuniarias, et banniverunt in contemptum ecclesiasticae immunitatis [1].

Venerabili fratri Ioanni archiepiscopo Adrianopolitano, nostro et Apostolicae Sedis in regno Poloniae nuncio,

Innocentius Papa X.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Facti expositio. § 1. Exponi nobis nuper fecit venerabilis frater Petrus episcopus Smolescensis, quod (ad instantiam dilecti filii Christophori Erechanouurekii iudicis terrestris Mscislaviensis uti actoris contra eumdem Petrum episcopum citatum de decretis contemptis tribunalitiis secularibus, quorum vigore dictus Christophorus in bona praedicti Petri episcopi intromitti debuisse praetendebatur, quod ipse Petrus episcopus omnibus modis impedivit, ac dictum Christophorum de huiusmodi decretis male obtentis citavit) iudices tribunalis secularis Smolescensis et Vilnensis, reiectâ exceptione eiusdem Petri episcopi per suum plenipotentem porrectâ, citationem pro parte eiusdem Petri episcopi factam contra dictum Christophorum cassarunt et annullarunt, forumque competens ante ipsorum tribunal agnoverunt et approbarunt; cumque dictus Petrus episcopus coram praedictis iudicibus ulterius procedere noluisset, ipsi iudices ei omnia iura abiudicarunt, et veluti contemptorem decretorum eorum condemnarunt, ipsumque Petrum episcopum bannitum pronunciarunt et declararunt, et exequutionem huiusmodi bannitionis ad charissimum in

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Christo filium nostrum Vladislauum Poloniae et Svetiae regem illustrem remiserunt, ac insuper, praetextu quod idem Petrus episcopus aliquoties in eorum iudiciis tribunalitiis forum ipsorum incompetens allegaverat et exceperat, ipsum mulctâ pecuniariâ, videlicet quingentorum florenorum, pro iis dictis iudicibus et praedicto Christophoro actore mulctarunt, ac, pro expensis et poenis pecuniariis per eumdem Petrum episcopum, ut praetenditur incursis, illas ex bonis ipsius repetendas et requirendas declararunt, ac in illius bona immobilia eumdem Christophorum iudicialiter immittendum iudicarunt, et aliàs prout in decreto et sententiâ eorumdem iudicum uberius dicitur contineri.

Motivum huius Constitutionis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, decretum et sententia huiusmodi contra praedictum Petrum episcopum a iudicibus laicis lata non minus iniusta quam nulla sit, et indemnitati episcopali et immunitati ecclesiasticae grave praeiudicium illatum fuerit, nobis propterea idem Petrus episcopus, qui personaliter ad Romanam curiam accessit, humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremus.

Excommunicatio infligitur certis iudicibus laicis, qui condemnarunt episcopum.

§ 3. Nos igitur, Christophori et aliorum iudicum praedictorum audaciam hac in re nequaquam impunitam relinqui volentes, ipsumque Petrum episcopum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut, si ita est, contra praedictum Christophorum, et iudices qui decretum et sententiam huiusmodi adversus dictum Petrum episcopum tulerunt, ac quoscumque eiusdem decreti et sententiae exequutores, uti immunitatis et libertatis ecclesiasticae manifestos violatores, usque ad sententiam definitivam et totalem illius exequutionem inclusive, simpliciter, summarie et de plano sine strepitu et figurâ iudicii, solâ facti veritate inspectâ, ipsisque Christophoro ac iudicibus et exequutoribus huiusmodi, tam coniunctim, quam divisim et separatim, etiam per edictum publicum, constito etiam summarie ac extraiudicialiter et quantum tibi sufficere videbitur de non tuto accessu, citatis, etiamsi vigore citationis huiusmodi aliquis extra suam dioecesim seu provinciam et ultra duas aut plures dietas in iudicium trahatur et evocetur, procedas, ac illos et eorum quemlibet in praemissis culpabiles repertos excommunicationis maioris vinculo innodes, seu in excommunicationem huiusmodi aliasque poenas et censuras ecclesiasticas a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis et praesertim in Bullâ in die Coenae Domini legi solitâ contra similia perpetrantes comminatas, inflictas et fulminatas incidisse declares, illosque excommunicatos publice denuncies, seu denunciari cures, ac a ceteris christifidelibus, donec a nobis et Apostolicâ Sede absolutionis beneficium meruerint obtinere, arctius evitari praecipias, poenasque et censuras huiusmodi, prout iustitia exegerit, aggraves et reaggraves, omni appellatione postpositâ, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

§ 4. Nos enim tibi desuper necessariam et quomodolibet opportunam facultatem et potestatem tribuimus et impertimur.

Contraria removet.

§ 5. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis, etiam

in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si Christophoro ac iudicibus et exequutoribus praedictis coniunctim vel divisim sit ab eâdem Sede indultum quod[1] extra loca suae originis aut suas dioeceses et provincias in iudicium evocari, quodque excommunicari, suspendi, vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x martii MDCXLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 10 martii 1646, pontif. anno II.

LVI.

Declaratio circa cognitionem causarum criminalium archiepiscoporum et episcoporum regni Poloniae[2].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. § 1. Aliàs a felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessore nostro emanarunt litterae in simili formâ Brevis tenoris sequentis, videlicet: *Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.* Singularia, atque eximia, etc. *reliqua ut in suo ordine*[1]).

Dubium exponitur. § 2. Cum autem, sicut accepimus, dubitetur, an causae criminales venerabilium fratrum archiepiscoporum et episcoporum praeinsertarum litterarum dispositione comprehensae censeantur:

Idem dubium de medio auferetur. § 3. Idcirco nos, ut omnis desuper dubitandi occasio cesset, motu proprio et ex certâ scientiâ nostris, mentis et intentionis eiusdem Urbani praedecessoris minime fuisse in praeinsertis litteris, earumque dispositione, causas criminales archiepiscoporum et episcoporum huiusmodi comprehendere, sed quoad illas servandam esse dispositionem decretorum sacri Concilii Tridentini, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contrariis derogatur. § 4. Non obstantibus, quatenus in aliquo adversentur, praeinsertis litteris huiusmodi, ac omnibus illis, quae in illis concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x martii MDCXLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 10 martii 1646, pontif. anno II.

LVII.

Committit nuntio Poloniae, ut limitet dioecesim Smolescensem iuxta assigna-

1 Coniunctionem *quod* nos addimus (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brevium.

1 Vide tom. XIV, pag. 360 (R. T.).

tiones a defuncto et moderno regibus Poloniae factas[1].

Venerabili fratri archiepiscopo Adrianopolitano, nostro et Apostolicae Sedis in regno Poloniae nuncio,

Innocentius Papa X,

Venerabilis frater,

salutem et apostolicam benedictionem.

Quid fecerit Urbanus VIII exponit.

§ 1. Aliàs felicis recordationis Urbanus Papa VIII praedecessor noster ecclesiam primariam sub invocatione Annunciationis Beatae Mariae Virginis intra muros Smolescenses in cathedralem ecclesiam erexit, eique Smolenscum et alia oppida, terminos, territoria, castra, villas et loca per tunc existentem Sedis Apostolicae in regno Poloniae nuncium designanda pro dioecesi concessit et assignavit, eidemque nuncio commisit et mandavit, ut praedictam dioecesim quantocitius limitari faceret, et aliàs prout in litteris eiusdem Urbani praedecessoris super erectione huiusmodi sub plumbo expeditis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

At limites dioecesis Smolescensis nuncio committit.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, limitatio dictae dioecesis, iuxta eiusdem Urbani praedecessoris mandatum, hactenus facta non fuerit: idcirco nos, illam quamprimum fieri volentes, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, per te, vel alium, seu alios, ad id a te deputandum, seu deputandos, eamdem dioecesim Smolescensem quamprimum, iuxta assignationes factas a clarae memoriae Sigismundo quondam et charissimo in Christo filio nostro Vladislao nunc vivente Poloniae et Sveciae regibus illustribus, ex nunc, et quoad eam partem dictae dioecesis quae iuxta dictas assignationes desumenda et dismembranda est ex dioecesi Vilnensi, ex nunc prout ex tunc, et e contra, postquam ecclesia Vilnensis per cessum vel decessum venerabilis fratris moderni episcopi Vilnensis vel aliàs ex eius personâ vacaverit, ita ut quoad partem huiusmodi limitatio dictae dioecesis Smolescensis effectum suum sortiatur et sortiri debeat dumtaxat postquam dicta ecclesia Vilnensis ut praefertur vacaverit, nisi idem modernus episcopus Vilnensis dismembrationi huiusmodi etiam ad praesens consentiat, auctoritate nostrâ apostolicâ limites, seu limitari ceteraque in praemissis et ad illorum effectum necessaria quomodolibet et opportuna fieri et executioni demandari cures et facias. Nos enim tibi desuper necessariam quomodolibet et opportunam facultatem impertimur.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus omnibus illis, quae dictus Urbanus praedecessor in praedictis suis litteris voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x martii MDCXLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 10 martii 1646, pontif. anno II.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

LVIII.

Breve reductionis in Congregationem religionis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum[1].

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Ea quae pro felici personarum regularium statu a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris constituta fuerunt, cum incommodum afferre, ac earumdem

1 Scholarum piarum regimen congregationi B. Mariae clericorum secularium commisit Paulus V Const. CCXLII, tom. XII, pag. 243; hoc autem regimen fuit postea demandatum congregationi Paulinae in Const. CCLXXXVII, ibid. pag. 382, et alia desuper concessa privilegia: quae omnia vide in indice, verbo *Clerici Matris Dei Scholarum Piarum*

personarum in viâ Domini profectui et tranquillitati obesse noscuntur, nostri muneris est provide moderari et immutare, prout temporum ratio suadet, et conspicimus salubriter in Domino expedire.

Paulus V instituit huiusmodi congregationem.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Paulus Papa V praedecessor noster per suas in simili formâ Brevis die VI martii MDCXVII expeditas litteras in domo piarum scholarum Urbis unam congregationem scholarum piarum ab uno praefecto regendam et gubernandam, quae de cetero perpetuis futuris temporibus Paulina Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum nuncupari, nec ultra viginti ab Urbe milliaria extendi, neque ullum locum, in quo scholae piae non essent, domibus novitiorum exceptis, habere, et qui eidem congregationi nomen dare voluissent, finitis duobus probationis annis, omnes, tam ad sacros et presbyteratus ordines promoti et clericali charactere dumtaxat insigniti, quam fratres operarii, tria simplicia vota, paupertatis videlicet, ac castitatis et obedientiae, super quibus a nemine praeterquam a Romano Pontifice pro tempore existente dispensari posset, emittere, ac gratis et nullo stipendio, mercede, salario, aut honorario recipiendo ad pueros in primis elementis, grammaticâ, computo, ac praecipue in fidei catholicae rudimentis erudiendos, bonis et piis moribus imbuendos, ac demum christiano more educandos, operam, laborem, ac studium conferre deberent, erexit et instituit; ita vero, quod qui simplex paupertatis votum, ut praefertur, emisissent, quandiu in praedictâ congregatione permansissent, cuiuscumque dominii, iuris et proprietatis incapaces essent, idemque paupertatis votum summam in iis paupertatem induceret, tam in particulari quam in communi, ita ut nihil omnino iuris haberent, sed nec habere aut acquirere quovis titulo possent in bonis seu ad bona quae vocantur immobilia vel quae pro immobilibus habentur; huic vero paupertati omnia ad eorum usum pertinentia, cibos, vestes, supellectilem, tam sacram quam profanam, statui et instituto convenientia, domos vero, hortos[1] contiguos domibus, ecclesias, sacristias, oratoria, ac scholas et huiusmodi immobilia, quae pariter usui eorum destinabantur, similiter convenientia, ut praefertur, et praeterea in dominio Romani Pontificis pro tempore existentis, mobilia vero in dominio ipsorum, in communi tamen, esse debere decrevit et declaravit: et deinde, cum tunc existentes sanctae Romanae Ecclesiae cardinales negotiis episcoporum et regularium praepositi, quibus piae memoriae Gregorius Papa XV, etiam praedecessor noster, negotium huiusmodi examinandum et sibi referendum commiserat, decreto per eos desuper facto censuissent, congregationem scholarum piarum huiusmodi, ut praefertur, erectam et institutam, posse in religionem trium votorum solemnium approbari, dictus Gregorius praedecessor per suas etiam in simili formâ Brevis die XVIII novembris MDCXXI expeditas litteras decretum praedictum approbavit et confirmavit, et aliàs prout in dictis eorumdem Pauli et Gregorii praedecessorum litteris[2], quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Causae huius Constitutionis.

§ 2. Cum autem, sicut nobis innotuit, graves in religione huiusmodi permutationes suscitatae fuissent et etiam nunc vigeant, ita ut pro sedandis illis operae pretium, ac e re eiusdem religionis summopere futurum sit, si illa in congregationem absque ullorum votorum emissione, ad instar instituti congregationis presbyterorum secularium Oratorii in ec-

1 Edit. Main. legit *hortus* (R. T.).

2 Etiam Gregor. XV litteras habes in tom. XII, pag. 627 (R. T.).

clesiâ S. Mariae in Vallicella de Urbe canonice erectae, S. Philippi Nerii nuncupatae, redigatur:

Religionem Pauperum Matris Dei etc. de qua in rubrica reducit summus Pontifex in congregationem.

§ 3. Hinc est quod nos, pro curâ nostrâ pastorali, eiusdem religionis tranquillitati, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, ac quorumdam dilectorum filiorum Romanae Curiae praelatorum, quibus hoc negotium examinandum commisimus, consilio, motu proprio, ac certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnibus et singulis religionis praedictae religiosis, etiam professis, tam sacerdotibus quam laicis, sive, ut vocant, operariis, facultatem transeundi ad quamcumque aliam religionem ab hac sanctâ Sede Apostolicâ approbatam, etiam laxiorem, in qua benevolos invenerint receptores, tenore praesentium concedimus et impertimur. Praeterea, ne de cetero ulli amplius in dictâ religione recipiantur, et ne iam recepti in novitiatibus degentes ad professionis emissionem admittantur, sub nullitatis receptionis et professionis huiusmodi aliisque nostri et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrii poenis, interdicimus et prohibemus. Ad haec omnes et singulos eiusdem religionis religiosos, cuiuscumque qualitatis existant, eorumque domos, scholas et loca quaecumque omnimodae Ordinariorum locorum in quibus reperiuntur iurisdictioni subiicimus et supponimus, sublatâ, tam dilecto filio Iosepho Calasantio, sive Matris Dei nuncupato, olim ministro generali religionis praedictae, quam aliis etiam auctoritate apostolicâ visitatoribus, ac superioribus deputatis domorum ministris, ceterisque inferioribus superioribus, omni et quacumque facultate et superioritate et iurisdictione tam in spiritualibus quam temporalibus erga praedictos religiosos, eorumque domos ac scholas et loca quaecumque; omnemque auctoritatem, superioritatem et iurisdictionem, quae penes ministrum generalem, visitatores apostolicos, aliosque superiores, ut praemittitur, residebat, totaliter et omnimode in Ordinarios locorum huiusmodi transferimus, ita ut religiosi praedicti nullam deinceps iurisdictionem, auctoritatem et superioritatem sibi usurpare possint, nisi illam quae iis fuerit ab Ordinariis ut supra demandata seu delegata. Religionem vero praedictam in congregationem similem instituto praedictae Congregationis Oratorii in dictâ ecclesiâ S. Mariae in Vallicella ut praefertur erectae, S. Philippi Nerii nuncupatae, absque ullorum votorum emissione regendam et gubernandam, iuxta tamen constitutiones primodicto instituto proportionabiles desuper iussu nostro edendas, redigimus et reducimus; ita tamen ut praedicti religiosi nunquam possint denominari presbyteri seu clerici Congregationis Oratorii, vel S. Philippi Nerii, nec pro talibus se gerere. Regimen autem et gubernium collegii Nazareni de eâdem Urbe dilectorum filiorum causarum palatii apostolici auditorum omnimodae dispositioni relinquimus; ita tamen, ut, quantum fieri possit, menti bonae memoriae Michaëlis Angeli cardinalis Nazareni nuncupati, praedicti collegii institutoris et erectoris, satisfiat.

Clausulae praeservativae.

§ 4. Praesentes quoque litteras et in eis contenta quaecumque semper et perpetuo valida, firma et efficacia fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere,

Clausula sublatâ.

§ 5. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus

super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus.

Contrariorum derogatio.

§ 6. Non obstantibus praedictis eorumdem praedecessoribus litteris, ac quibusvis aliis apostolicis, necnon in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac quacumque etiam ultimâ dicti Michaëlis Angeli cardinalis voluntate, quam quoad praemissa sufficienter et expresse commutamus, necnon dictae religionis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus et litteris apostolicis eidem religioni, illiusque praefecto et clericis, ac aliis quibuscumque in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI martii MDCXLVI, pontificatus anno II.

Dat. die 16 martii 1646, pontif. anno II.

LIX.

Commissio vicelegato Avenionensi pro componendis nonnullis controversiis super confinibus inter subditos nostros et regis christianissimi ortis[1].

Dilecto filio magistro Laurentio Corsio, nostro et Apostolicae Sedis in Statu nostro Avenionensi vicelegato,

Innocentius Papa X.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio motivi huius Constitutionis.

§ 1. Cum, sicut accepimus, inter nonnullos nostros et Apostolicae Sedis in isto Statu nostro Avenionensi ex unâ, ac charissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum regis christianissimi subditos partibus ex alterâ, nonnullae controversiae super confinibus (praetendentibus ambabus partibus quasdam insulas, in flumine Durentiae, quod dictum nostrum a praedicti Ludovici regis Statu dividit, existentes, ad se pertinere) vertantur, pro quibus componendis, ne in apertas inimicitias cum partium detrimento et Statuum praedictorum perturbatione erumpant, cum personis ab eodem Ludovico rege deputatis, seu deputandis tractandum est:

Conceditur facultas vicelegato Avenionensi componendi dictum dissidium.

§ 2. Hinc est quod nos, controversias huiusmodi quamprimum componi volentes, ac de tuâ fide, prudentiâ et in rebus gerendis solertiâ plurimum in Domino confisi, te in nostrum et Sedis Apostolicae commissarium ad praemissa peragenda cum facultate et auctoritate omnia et singula, quae ad huiusmodi controversias concordandas et componendas pro eorumdem subditorum ac Status nostrorum utilitate et commodo ac communi quiete expedire cognoveris, faciendi et gerendi, necnon unâ cum personâ seu personis ab eodem Ludovico rege ad id deputatâ seu deputandâ, vel deputatis seu deputandis, ad sententiam, aliosque actus, qui circa praemissa vobis necessarii videbuntur, etiam usque ad exequutionem sententiarum super praemissis ferendarum, etiam contra omnes et quoscumque alios desuper interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, deveniendi, easdemque controversias per viam amicabilis concordiae et compositionis, ita ut illae in omnibus et per omnia extinguantur, et in futurum nec ab unâ nec ab aliâ parte desuper reclametur, terminandi,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

et cum facultate alium seu alios cum praedictâ vel limitatâ facultate ad praemissa subdelegandi, illos toties quoties opus fuerit mutandi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, facimus, constituimus et deputamus; mandantes propterea omnibus et singulis gubernatoribus, locumtenentibus, capitaneis, syndicis, electis, universitatibus et hominibus et aliis officialibus dicti Status nostri Avenionensis, ut ad praemissorum effectum, cum a te requisiti fuerint, auxilium et favorem necessarium et opportunum tibi, vel[1] a te, ut praefertur, subdelegandis, omnino praestent et praestari faciant, mandatisque tuis in praemissis pareant et obediant; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV aprilis MDCXLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 14 aprilis 1646, pontif. anno II.

LX.

Confirmatio decreti Congregationis episcoporum et regularium pro fratribus Conventualibus et Observantibus sancti Francisci provinciae Valachiae[2].

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. § 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Sylvester de Castro Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum professor, quod aliàs, occasione nonnullarum praetensionum quae inter ipsos Conventuales cum dilectis pariter filiis fratribus dicti Ordinis Minorum eiusdem sancti Francisci de Observantiâ nuncupatis in provinciâ Valachiae transalpinae intercedebant, a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus negotiis episcoporum et regularium praepositis emanavit decretum tenoris sequentis, videlicet:

Decretum sacrae Congregationis episcoporum et regularium, circa materiam de qua in rubrica.

§ 2. « Praetendentibus fratribus Minoribus de Observantiâ ad se spectare conventum S. Mariae civitatis Fargovistae provinciae Valachiae, eo quia ostendebant illum ab antiquo tempore retinuisse unâ cum nonnullis bonis stabilibus ad eumdem conventum spectantibus, illosque fuisse annis retro elapsis spoliatos a Minoribus Conventualibus, ac proindè instantibus pro reintegratione; Conventualibus vero e converso allegantibus eorum religionem ab antiquissimo tempore et longe ante institutionem Minimorum[1] de Observantiâ introductam fuisse in antedictâ provinciâ, et praecipue in civitate Fargovistae possedisse dictum conventum S. Mariae Gratiarum, et licet ob Scitarum incursiones illum aliquando deserere coacti fuerint, attamen postea eumdem recuperasse, et a pluribus annis usque modo retinuisse, et propterea non posse super eo a quocumque molestari: negotio huiusmodi prius in sacrâ congregatione de Propaganda Fide, ac postea a sanctissimo Domino nostro huic sacrae congregationi negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae remisso, censuit eadem sacra congregatio, eminentissimo Carpineo referente (attentis potissimum supplicationibus christifidelium illarum partium, quorum aliqui pro Conventualibus et aliis pro Minoribus de Observantiâ instabant), utriusque Ordinis religiosis assignandum esse locum et ecclesiam peculiarem in eâdem civitate, prout virtute praesentis decreti assignat, modo infrascripto videlicet:

§ 3. Quod Conventuales retineant conventum ipsum S. Mariae unâ cum horto illi contigno, necnon vineam mino-

1 Particulam *vel* nos addimus (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Videtur legendum *Minorum* (R. T.).

ris capacitatis et mensurae, cum suis iuribus et pertinentiis universis; fratres vero de Observantiâ habere debeant vineam maiorem, prata, sylvas, ac cetera bona stabilia ad dictum conventum sanctae Mariae modo spectantia, pariter cum eorum universis iuribus et pertinentiis, ac etiam unâ cum antiquâ ecclesiâ iam derelictâ sub titulo S. Francisci in eâdem civitate existente ac eleemosynis sacrae congregationis de Propaganda Fide restaurandâ, cum parvo hospitio ad eorumdem fratrum habitationem infra annum vel biennium ad summum construendo. Romae, die XXVI ianuarii MDCXLVI.

M. Card. GINETTUS.

Loco ✝ sigilli.

H. Archiepiscopus Patracensis, *Secret.*

Petitur confirmatio supra dicti decreti.

§ 4. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Franciscus praemissa, quo firmius subsistant et exactius observentur, apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri summopere desideret:

§ 5. Idcirco nos, eumdem Franciscum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

Confirmatur praeinsertum decretum.

§ 6. Decretum praeinsertum, cum omnibus et singulis in eo contentis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, salvâ tamen semper auctoritate eorumdem cardinalium.

Clausulae praeservativae.

§ 7. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, quos illae concernunt et concernent in futurum, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria removet.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX aprilis MDCXLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 20 aprilis 1646, pontif. anno II.

LXI.

Dat facultatem magistratui et Reipublicae Ragusinae utendi sex millium scutorum in certas provisiones bellicas[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Motivum Constitutionis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii magistratus Reipublicae Ragusinae, quod ipsis, provide considerantibus se medios esse inter validissimos Turcarum tyranni exercitus, expedit saluti suae proprie [1] invigilare, ipsamque Rempublicam opportune munitam esse. Quia tamen proprii eiusdem Reipublicae redditus ad praemissa minime suppetunt, coguntur ipsi exponentes sibi eapropter opportuniore qua fieri potest ratione consulere. Quare, asserentes iidem exponentes in civitate Ragusinâ reperiri sex circiter scutorum millia, de quibus hactenus minime dispositum fuit, legata a diversis personis nobilibus et civibus Ragusinis sub diversis temporibus pro redimendis captivis, proque nonnullis pauperibus puellis seu virginibus matrimonio elocandis, ultra alias notabiles pecuniarum summas quae in eum effectum in dies erogantur: nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praesente imminentis periculi occasione licentiam praefatis sex millibus scutorum utendi, ut infra, concedere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 2. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, et attento imminenti periculo huiusmodi, eisdem exponentibus, quod ipsi praefatâ sex millium scutorum huiusmodi summâ uti, illaque[2] in armorum commeatus et aliorum ad dictae civitatis tuitionem et defensam necessariorum emptionem convertere et erogare libere et licite possint et valeant; factâ tamen prius per eamdem Rempublicam Ragusinam certâ assignatione pro reintegratione eiusdem summae praefatorum sex millium scutorum huiusmodi infra sexennium habendâ [1], apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Consulitur validitati praesentis Constitutionis.

§ 3. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et, quatenus opus sit, ipsius civitatis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, legibus, usibus et naturis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI maii MDCXLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 16 maii 1646, pontif. anno II.

LXII.

Declaratio circa solutionem ratae tangentis ecclesiasticos regni Sardiniae pro subsidio triremium regis catholici [2].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo,
Hispaniarum regi catholico,
Innocentius Papa X.

1 Aptius lege *propriae* (R. T.).
2 Ni malis legere *illamque* (R. T.).

1 Aptius lege *faciendâ* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. § 1. Aliàs emanarunt a felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessore nostro ad maiestatis tuae favorem litterae in simili formâ Brevis tenoris sequentis, videlicet: *a tergo:* Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico; *intus vero*: Urbanus Papa V, Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem. Eximia maiestatis tuae, etc. *(reliqua in suo ordine[1]).*

Motiva Constitutionis. § 2. Cum autem, sicut eiusdem maiestatis tuae nomine nobis nuper expositum fuit, quoniam praesentium temporum conditio exigit, ut triremes, pro quarum manutentione summa annua septuaginta millium scutorum huiusmodi ad decennium ut praefertur oblata fuit, non semper et continuo in portubus dicti regni Sardiniae maneant, sed ut aliis tuis manibus subsidio, quo opus erit et eiusdem maiestatis tuae servitium postulabit, ferendo iungantur, aut alio navigent, venerabiles fratres archiepiscopi, episcopi et aliae personae ecclesiasticae dicti regni ratam dictae summae eos tangentem, et ad quam vigore spontaneae eorum oblationis per praeinsertas litteras approbatae obligantur, solvere detrectent eo quod triremes praedictae tuitioni dicti regni continuo non assistunt, cum tamen ad effectum continuae assistentiae huiusmodi ratam huiusmodi obtulerint: nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Praescribitur ecclesiasticis regni Sardiniae solutio ratae, de qua in rubrica. § 3. Nos igitur, maiestatem tuam ob singularia in nos et Sedem praedictam merita amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod, licet triremes praefatae non sint semper et continuo in regno praedicto seu eius portubus, nihilominus archiepiscopi, episcopi et aliae personae ecclesiasticae eiusdem regni ad solutionem praedictae ratae eos tangentis, quam obtulerunt ut praefertur, et super qua oblatione auctoritas apostolica per praeinsertas litteras fuit interposita, obligati sint et teneantur, servatâ aliàs in omnibus et per omnia earumdem praeinsertarum litterarum formâ, dictâ auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contraria tollit. § 4. Non obstantibus praemissis, ac omnibus illis quae in praeinsertis litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI iunii MDCXLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 6 iunii 1646, pontif. anno II.

1 Vide tom. XIV, pag. 33 (R. T.).

LXIII.

Confirmatio assignationis bonorum stabilium et reddituum per magnum magistrum hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani factae pro manutenendis arcibus insulae Melitanae[1].

Innocentius Papa X, ad futuram rei memoriam.

Exordium. § 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Paulus Lascaris Castellar, magnus magister hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, quod ipse, provide con-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

siderans pro securitate et tuitione insulae Melitanae praeter munimenta, quae illi undequaque ipsius Ioannis Pauli magni magistri curâ iussuque adiecta fuerunt, necesse insuper esse eamdem insulam cibariis et provisionibus bellicis abunde instruere, id vero ex ordinariis communis aerarii eiusdem hospitalis redditibus, tam ob iniquam temporum conditionem, quam ob ingentes expensas quas hospitale praedictum facere oportuit, praesertim pro instruendâ insulâ huiusmodi rebus necessariis quando timebatur ne a classe Turcarum invaderetur, valde accisis, fieri minime posse,

Assignantur a magistro hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani bona stabilia et reditus, ut in rubrica.

§ 2. Propterea ipse Ioannes Paulus magnus magister, ut necessitatibus eiusdem insulae pro tempore occurrentibus uberius provisum sit, notabilem bonorum stabilium et annuorum reddituum diversis titulis ab eo acquisitorum quantitatem assignavit et applicavit, ut ex illorum fructibus in perpetuum arces et fortalitia dictae insulae rebus tam ad victum quam ad bellum necessariis copiose instruantur, cum variis conditionibus et declarationibus, prout plenius continetur in publico desuper confecto instrumento per consilium completum dicti hospitalis unanimiter, nemine discrepante, approbato, cuius tenor est qui sequitur, videlicet:

Decretum assignationis.

Frater Ioannes Paulus Lascaris Castellar, Dei gratiâ domus hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani et militaris Ordinis Sancti Sepulchri Dominici magister, humilis pauperum Iesu Christi custos, universis et singulis praesentes nostras litteras visuris, lecturis et audituris, salutem. Notum facimus, et in verbo veritatis attestamur, qualiter infrascriptum fundationis instrumentum extractum fuit ex libro conciliorum nostrae cancellariae, in quo similia notari et registrari solent, quod quidem in hanc publicam formam extrahi et redigi iussimus, ut ubique tam in iudicio quam extra eidem plena et indubitata fides adhibeatur, cuius tenor est qui sequitur, videlicet:

Nel nome della santissima ed individua Trinità, Padre, Figlio e Spirito Santo, e dell'immacolata Vergine Maria e del glorioso san Giovanni Battista nostro protettore. Amen. L'anno MDCXLV *ab Incarnatione*, conforme allo stilo della nostra cancellaria, e del MDCXLVI *a Nativitate*, secondo lo stilo ordinario, addì XV del mese di gennaio: Essendosi congregato il venerando consiglio compito della sacra religione dell'ospedale ed illustrissima milizia di S. Giovanni Gerosolimitano nella umilissima città Valletta dell'isola di Malta, suo convento, nella sala del palazzo magistrale, a suono di campana secondo l'uso di detta religione, e quivi ritrovatisi presenti l'eminentissimo e reverendissimo signore gran ministro della medesima religione e dell'Ordine di S. Sepolcro, il signore frà Giovanni Paolo Lascaris Castellar, prencipe di queste isole di Malta e Gozzo, e gl'illustrissimi signori gran commendatore frà Dionisio de Poulastron Laistlière, luogotenente di S. E. frà don Michele Giovanni Balaguer vescovo di Malta, frà Salvator Imbroll, priore della maggior chiesa conventuale, frà Carlo de Fassion S. Jaii, maresciallo, frà Francesco di Courselles Rouurarii, frà Francesco Piccolomini, ammiraglio, frà Cesare de Grollée Viraville, priore d'Alvernia, frà Enrico de Merles Beaucampo, priore di Tolosa, frà Ludovico Melzi, priore di Lombardia, frà Giovanni Battista Croce Lampugnano, priore di Venezia, frà Ruggiero Raineri, priore di Barletta, frà Pietro Anselmi, priore del baliaggio di S. Eufemia, frà Pietro de Fouq. la Nove, baglivo della Morea, frà D. Giovanni de Villaro el baglivo di Negroponte, e capitano generale delle galere, frà Giovanni Girolamo Salvago, priore del baliaggio di Venoza, frà

Melchior Dureta, baglivo di Maiorica, frà Enrico de Lattis Entraigues de Manuasca, frà Massimiliano Scliderer de Laxen, baglivo di Brandeburg, frà D. Tomaso de Hores, baglivo del S. Sepolcro, frà Bernardo Vecchietti, baglivo di Cremona, frà Blas Brandao, baglivo, frà D. Alvaro de Mela, baglivo, frà Enrico d'Estampes Valaneais, baglivo, frà Balthassar de Damandole, baglivo, il commendatore frà don Martino de Sesse, luogotenente del gran conservatore, il commendatore frà Francesco de Sonnenberg, luogotenente del gran conservatore d'Alemagna, il commendatore frà don Gasparo de Aldrete, luogotenente del gran cancelliero, il commendatore frà Nicolao de Paris Boisis, luogotenente del tesoro generale, il commendatore frà Fiorino Borso per la veneranda lingua d'Inghilterra, li commendatori frà Giacomo de Glandeves Couges e frà Onorato de Villanova Villaviella per la veneranda lingua di Provenza, li commendatori frà Annoto de Chattes Gessans e frà Giovanni de Forsat per la veneranda lingua d'Alvernia, li commendatori frà Claudio de Sanfalles e frà Enrico de Castellet Moiencourt per la veneranda lingua di Francia, li commendatori frà Flaminio Balbiani e frà D. Antonio Caraffa per la veneranda lingua d'Italia, li commendatori frà D. Michele Forellos y Semanat, e frà Rafael Cotoner per la venerabile lingua d'Aragona, Catalogna e Navarra, li commendatori frà Giovanni Battista Ossolinski e Paolo Enrico di Lutzau per la veneranda lingua d'Alemagna, li commendatori frà D. Giovanni de Sousa e frà D. Martin de Villalva per la veneranda lingua di Castiglia e Portogallo, li commendatori frà Francesco Mancini e fra Ascanio Azzone per la veneranda lingua d' Inghilterra, tutti consiglieri soliti intervenire e formare il venerando consiglio complito, detto eminentissimo signor gran ministro espose, che, avendo avuto sempre intenzione di giovare alla sua religione, e più che mai dopo l'assunzione sua alla suprema dignità del magisterio, per far conoscere il particolar affetto e gratitudine che gli deve, ha procurato di acquistare, come in effetto ha acquistato, in quest' isola di Malta ed in questa di Sicilia alcuni beni stabili, proventi, redditi ed entrate per applicarli in alcuna fondazione che ridondasse in utile e beneficio di detta religione e suo comune tesoro; ed appartenendo a detta eminenza, siccome appartengono, li grani trentacinque e piccoli cinque di barone in Palermo, che furono già del fu venerabile priore di S. Stefano frà don Carlo Valdina, come appare, secondo dicono, per contratto a favor suo stipulato della regia corte di Sicilia nell'officio di locotenente del regio protonotario sotto li XIV di marzo MDCXLI a ragione d'once novecento per ciascun grano, ed appartenendoli parimente la vigna che nel piano di Melazzo godeva e possedeva il suddetto venerabile de Valdina, come tutto appare per l'istromento di cessione e vendizione a favore di detta eminenza, a ordine del venerabile consiglio emanato sotto li III di novembre prossimo passato dalli venerabili procuratori del comun tesoro negli atti del notaro Lorenzo Prima, sotto li V del medesimo mese di novembre stipulato, e dopo sotto li VII di detto mese dal venerabile consiglio ratificato, per il prezzo di novantamila seicento venticinque scudi di dar dodeci per ogni scudo, cioè scudi diecimila per detta vigna, e scudi ottanta mila seicento venticinque di barone, come più largamente appare nelli suddetti decreti, atti ed instrumenti, alli quali in tutto e per tutto s'abbia relazione; e volendo applicar li suddetti grani e vigna e altri beni stabili, che appresso si specificheranno, e li proventi, redditi ed en-

trate delli suddetti grani, vigna e beni alla detta fondazione; e desiderando il mantenimento di sua religione e la difesa di queste isole e fortezze contro la potenza Ottomana che sempre la minaccia, tenendo per sicuro che con l'aiuto divino, mediante l'intercessione della B. V. Maria e del glorioso S. Giovanni Battista, se si ritrovano proviste di munizioni e viveri per qualsivoglia occasione d'assedio, resteranno frustrate le forze e speranze del nemico: applica, dona e assegna li suddetti beni con li loro proventi, rendite ed entrate a servizio e beneficio della medesima religione nella seguente forma e non in altra maniera:

Vuole e ordina primieramente che dall' infrascritti suoi esecutori dopo la sua morte si compri annualmente, dalli suddetti proventi ed entrate, di miglio fino a che ascenda alla quantità d'ottomila salme da tenersi conservato in uno o più magazzeni sotto tante chiavi, quanti saranno essi esecutori, senza che lo possano vendere tutto o parte, se non in una più che estrema necessità, o in occasione d' assedio, nè meno prevalersi di detto miglio in nessun altro caso per urgente ed urgentissimo che sia o possa essere; quando poi nelli suddetti due casi lo vendessero tutto o parte, debbano impiegare l'intiero prezzo, che si caverà di detta vendita, in compra d'altro tanto miglio fino alla suddetta quantità d'ottomila salme per conservarlo come sopra; e se a caso il prezzo che ne caveranno non sarà sufficiente, si supplisca in far la suddetta compra con li proventi, redditi ed entrate ordinarie di detti beni, acciocchè le suddette ottomila salme restino sempre per provisione.

Item: vuole ed ordina in oltre, che, dopo comprate le suddette otto mila salme di miglio, li esecutori di questa fondazione impieghino le suddette rendite, proventi ed entrate in compra di salnitro raffinato fino alla quantità di cinque mila cantara, comprando similmente, a proporzione del salnitro, il solfo e carbone necessario per fabricare polvere al bisogno, con che di detti cinque mila cantara di salnitro ed altri materiali non si possa prevaler la religione in nessun caso per urgente ed urgentissimo che sia fuor d' un assedio, e che si conservi con il zolfo e carbone in buoni magazzini sotto le chiavi di detti esecutori, li quali, passato l'assedio, dopo che la quantità del miglio sarà rifatta, impieghino le dette rendite, proventi ed entrate, in compra di tanto salnitro ed altri materiali, quanto si saranno consumati fino al rifar la suddetta quantità di cinque mila cantara.

Item: che, dopo comprata la predetta quantità d'ottomila salme di miglio e di cinque mila cantara di salnitro con li altri materiali per fabrica della polvere, le dette rendite, proventi ed entrate s'impieghino dalli esecutori in compra di moschetti, moschettoni con le armi nella canna della sua casa Lascaris, cioè sino alla quantità di due mila e cinquecento moschetti, e cinquecento moschettoni a fucile, quali tutti con li suoi fornimenti o bandoliere si devano conservare in una sala separata netti e puliti sotto le chiavi di detti esecutori, senza che d'essi si possa prevalere la religione se non in caso d'assedio; il quale passato, dopo che sarà rifatta la quantità di miglio, salnitro e materiali come sopra, doverranno li esecutori comprare altrettanti quanti saranno guasti, crepati o persi, sino al numero de' suddetti due mila cinque cento moschetti e cinquecento moschettoni.

Item: vuole ed ordina, che, comprato e ridotto in essere il suddetto miglio, salnitro ed altri materiali necessarî per fabricar polvere, ed il numero di moschetti e moschettoni con li loro fornimenti, come

sopra viene specificato, le suddette rendite, proventi ed entrate s'impieghino da detti esecutori in fabricare, accomodare e riparare le mura, fortificazioni e fossi della Floriana del marchese S. Angelo, città Valletta, Vittoriosa e Senglea.

Item: vuole ed ordina, che, dopo comprato il suddetto miglio, salnitro, altri materiali, moschetti e moschettoni, fatte riparare le mura, fortificazioni e fossi, le sopraddette rendite, proventi ed entrate s'impieghino da' suddetti esecutori in pagare la gente di capo della galera capitana, o d'altre della squadra di detta religione, secondo che le predette entrate saranno sufficienti, con questo però, che, quell'anno o anni che dette rendite s'impegneranno in detta paga, sopra il trinchetto della galera, o galere, che come sopra saranno pagati, s'albori un gagliardetto con le solite arme di detta eminenza, quando entreranno o staranno in alcun porto, e questo non per vana gloria o ambizione, ma con fine di stimolar gl'altri ad opere somiglianti.

Item: vuole ed ordina, che sempre, e quando alcun figlio o discendente in *perpetuum* dell'illustrissimo signor conte Giovanni Battista Lascaris Castellar, suo nipote, o delli signori Carlo Antonio Lascaris Castellar, e Gasparo Lascaris Castellar, suoi pronepoti, o essi Carlo Antonio e Gasparo volessero venir ad essere ricevuti nella religione, devano li esecutori della presente fondazione dare a ciascheduno di essi per una sola volta scudi mille d'oro, a fine ed effetto, che con quelli possano far fare le loro prove, trasferirsi in convento, e pagar al comun tesoro il solito passaggio. E che alli figli e discendenti per linea mascolina in *perpetuum* del detto illustrissimo signore Conte Giovanni Battista e delli signori Carlo Antonio e Gasparo Lascaris Castellar soprannominati, ed anco a loro medesimi venendo a pigliar l'abito, sieno gli esecutori di questa fondazione, qui sotto dichiarati, tenuti di pagar ogn' anno scudi cento cinquanta d'oro di tari quattordici per ciascheduno scudo ad ogn'uno di loro in tutto il tempo che dopo aver espressamente professato faranno residenza in convento, con che questo emolumento cessi subito che in qualsivoglia maniera entrino in rendita di qualunque commenda.

Item: la suddetta eminenza si riserva il poter assegnare sopra le dette rendite, proventi ed entrate, tanto in vita, quanto in *articulo mortis*, a favore d'uno o più religiosi dell'abito novizî o professi, ancorchè sieno incapaci per qualsivoglia capo a conseguir pensioni, conforme alli statuti ed ordinazioni di detta religione, la somma di mille scudi di questa moneta d'annua pensione per goderli vita durante *tantum* de' suddetti religiosi, novizî o professi, a chi gli assegnerà, senza che possano trasferirgli dopo la loro morte ad altra persona.

Item: vuole ed ordina, che quando poi le persone, a chi può spettare la suddetta vigna sita nella piana di Melazzo, la volessino redimere per la detta somma di dieci mila scudi, con pagare insieme li miglioramenti fatti e da farsi, ed in conformità delle condizioni con le quali è stata impegnata, allora tutto il prezzo, che da questo si caverà, debba da detti esecutori quanto prima essere impiegato in compra di beni stabili sicuri e fruttiferi per applicar le rendite ed entrate d'essi, senza che in cosa alcuna si possa diminuir il capitale in quello che di sopra viene da detta eminenza precisamente ordinato; e se la Regia Corte parimente volesse redimere li suddetti grani e piccioli di baroni in conformità delle condizioni con che furono concessi et assegnati al suddetto venerando de Valdina, il prezzo d'essi s'impieghi nella medesima

forma, che circa a quello della vigna viene parimente ordinato da sua eminenza.

Item: parimente assegna alla detta fondazione li seguenti beni con le loro entrate, acciocchè questi s'impieghino al medesimo effetto in essa contenuto, cioè: le sette botteghe attaccate al cemeterio della maggior chiesa conventuale, le otto botteghe delle boccierie, li magazzini alla prigione della Senglea, che tutti con le suddette botteghe sono stati fabbricati da detta eminenza; e parimente assegna tutti li diritti e proventi, che si caveranno dalli magazzini principiati a fabbricare nell'isoletta per commodità delle robe che faranno quarantena, che in breve, a Dio piacendo, saranno ridotti a perfezione.

Item: finalmente assegna alla predetta fondazione, in conformità della facoltà datagli per decreto del venerando consiglio sotto li VI novembre MDCXLIII emanato, al quale s'abbia relazione, il feudo di Budach, del quale tiene di già le tre parti acquistate, e sopra la quarta verte lite, e di più assegna il feudo della Tabria, caso che l'acquisterà, sopra di che si trova parimente già mossa lite. E si riserva detta eminenza il poter assegnare ed unire alla medesima fondazione altri beni stabili o rendite ed entrate da essa acquistati, o che per l'avvenire acquisterà.

E considerando, che il far vive tutte le entrate della religione, e tener conto particolare di queste tanto necessarie al suo mantenimento, a nessuno incumbe più che alli gran maestri, perciò la suddetta eminenza prega alli eminentissimi signori gran maestri suoi successori a volere pigliare la direzione e soprantendenza della presente fondazione, e nomina per esecutori d'essa li venerabili gran commendatore e baglivi conventuali o loro luogotenenti, che sono e saranno *pro tempore*, ed il venerabile baglivo frà Baltassar de Demandolx, e commendatore frà Giovanni Paolo Lascaris Castellar, suo maestro di casa e pronipote, e, per morte o difetto di esso commendatore Lascaris, al discendente dell'abito in *perpetuum* del detto illustrissimo signor Conte Giovanni Battista, e signori Carlo Antonio e Gasparo, o qualsivoglia d'essi che fosse dell'abito, preferendo sempre in questo il più propinquo, ed in caso d'ugualità, il più anziano di loro nella religione, ed in difetto dei suddetti, al commendatore più anziano che della venerabile lingua di Provenza si troverà in convento; ed ordina, che nella torre del magistral palazzo si metta una cassa con tante chiavi, quanti sono li detti esecutori, delle quali averà una ciascheduno d'essi, ed un'altra li eminentissimi signori gran maestri per conservar in quella il denaro, che in qualsivoglia modo si ricuperarà de' suddetti beni, rendite ed entrate, a fine ed effetto d'impiegarlo in quelle cose, che di sopra vengono ordinate, e non in altre, ancorchè siano urgenti, urgentissime ed inopinate.

E finalmente incarica le coscienze di tutti i sopraddetti esecutori, mentre per trascuraggine lasciassero di radunarsi insieme almeno una volta il mese per sollecitare l'esazione dell'entrate e trattare con ogni maggior vantaggio la compra delle provisioni e munizioni come sopra stabilite, le quali, dopo collocate in buoni magazzini, dovranno di tempo in tempo visitare, acciò per l'umido o altro accidente non vengano a deteriorarsi, come finalmente in una gran lunghezza di tempo interverrà al miglio; però intende e vuole, che in ogni caso tale si vada a poco a poco distribuendo e vendendo, e del ritratto se ne compri la medesima quantità del nuovo per rimpiazzarlo in luogo del vecchio. E per esecuzione di detta fondazione, e di tutte le cose in esse contenute, dà ai detti esecutori l'autorità e potestà necessaria opportuna, acciochè possano

fare tutti quelli atti, che si stimeranno giovevoli, utili e necessarî.

E si riserva in ultimo sua eminenza il poter aggiungere, diminuire ed alterare li suddetti patti e condizioni per l'intero stabilimento della presente fondazione, e non altrimenti, promettendo come promette con solenne stipulazione inviolabilmente in ogni tempo futuro osservare la presente fondazione e donazione, e quella aver rata e grata, rinunziando a qualsivoglia beneficio, favore ed ausilio, e qualsivoglia legge, costume ed osservanza, che ostassero in contrario, volendo che la presente donazione e fondazione e le cose in essa espresse abbiano perpetua validità ed inviolabile osservanza. E detti illustrissimi signori del venerando consiglio compito, d'unanime voto, con allegro e gratissimo animo l'hanno gradito, accettato ed approvato per sè e loro successori in nome della religione e convento in ogni miglior modo che possono, promettendo tutte le sopraddette cose, e ciascheduna d'esse sempre ed in ogni futuro tempo mantenere, ed averle rate e grate, e che non se gli contraverrà in alcuna direttamente o indirettamente per qualsivoglia causa e quesito colore, derogando a tutte e qualunque cose, che in qualsivoglia modo potessero ostare, e supplendo a tutti e qualsivoglia difetti, *tam iuris quam facti*, che potessero essere in ciò occorsi, e così tanto sua eminenza quanto tutti e ciascuno de' suddetti illustrissimi signori consiglieri hanno prestato il giuramento loro, poste le mani sopra la cro†ce del proprio abito, come s'usa in detta religione, di attendere ed osservare tutte e qualsivoglia delle cose premesse: Alle quali furono testimonî il commendatore frà Stefano de Badat, il dottore frà Francesco Deidie, il dottor frà Domenico Muscat, frà Annibale Megniez e frà Giacomo Perera Loreyro, cameriere di sua eminenza, chiamati e pregati per me frà Luca Bono, coadiutore del vicecancelliere in detta santa religione ed Ordine di S. Giovanni Gerosolimitano, che di volontà di sua eminenza e del venerando consiglio compito ho publicato il presente istromento di fondazione, la quale prima nel medesimo venerando consiglio compito accettata ed approvata da tutti li prenominati signori di esso con lo scrutinio delle palle, senza alcuna discrepanza, e fatto qui registrare nelli publici atti di questa cancellaria, essendo stata anco accettata dal venerando consiglio ordinario con lo scrutinio delle palle, *nemine discrepante*, sotto li XII del corrente mese.

Et quia ita se habet veritas, factâque fideli cum originali collatione, concordare comperimus: ideo in huius rei testimonium bulla nostra magistralis in cerâ nigrâ praesentibus est impressa.

Datum Melitae in conventu nostro, die XVI mensis ianuarii MDCXLV, *ab Incarnatione*, etc. Registrata in cancellarià.

V. LUCAS BONUS, coadiutor.

Loco † sigilli vicecancellarii.

Confirmatur praedictum instrumentum.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ea firmiora existant, quibus apostolicae confirmationis robur accedit, et ideo idem Ioannes Paulus praeinsertum instrumentum auctoritate nostrâ apostolicâ comprobari desideret: nos, sedulam eiusdem Ioannis Pauli magni magistri hac in re sollicitudinem et egregiam illius liberalitatem plurimum in Domino commendantes, ipsumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latîs, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolu-

tum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertum instrumentum, cum omnibus et singulis contentis in illo, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis vim et robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Consulitur validitati huius Constitutionis.

§ 4. Decernentes praesentes litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac inviolabiliter observari, sicque et non aliàs in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et extraordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac consilium et alia tribunalia dicti hospitalis, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Opposita quaecumque removet.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti hospitalis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV iunii MDCXLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 14 iunii 1646, pontif. anno II.

LXIV.

Innovatio Brevis Urbani VIII circa clericos coniugatos Melitanos[1].

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Constitutio Urbani VIII circa clericos coniugatos Melitanos non eximendos ab officiis militaribus.

§ 1. Aliàs a felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessore nostro emanarunt litterae in simili formâ Brevis tenoris sequentis, videlicet:

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam. Ne insulae Melitanae, firmissimi adversus immanissimos Turcas Italiae propugnaculi, adeo necessaria tuitio ullo modo negligatur, clericique coniugati eiusdem insulae privilegii clericalis praetextu solitas functiones militares pro defensione et custodiâ insulae huiusmodi obire detractent, quantum cum Domino possumus providere volentes, supplicationibus dilecti filii magni magistri hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani nobis desuper humiliter porrectis inclinati, eidem magno magistro nunc et pro tempore existenti, uti personae ecclesiasticae, omnes et singulos clericos coniugatos dictae insulae, ut equum tenere, si sufficientes ad id facultates habeant, et solitas functiones militares custodiasque facere pro defensione et custodiâ eiusdem insulae adversus Turcas et piratas debeant, quoad ista, ita ut ad tenendum equum et faciendum dictas functiones custodiasque respective possint opportunis iuris et facti remediis cogi a praedicto magno magistro, vel personâ ecclesiasticâ per eum deputandâ, in ceteris vero, iidem clerici coniugati venerabili fratri episcopo Melitano nunc et pro tempore existenti remaneant subiecti iuxta sacrorum canonum, constitutionum apostolicarum, sacrorumque conciliorum praesertim Tridentini decretorum dispositionem, apostolicâ auctoritate, te-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

nore praesentium, subiicimus; decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique hospitalis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem et in virtute sanctae obedientiae iniungimus praefato magno magistro nunc et pro tempore existenti, ut invigilare teneatur, ne priores, baiulivi, praeceptores, seu commendatarii, capitanei, aliique officiales et ministri dicti hospitalis quomodolibet qualificati, quoquo modo, nec ex quacumque causâ, concedant aliis ad praemissa obligatis exemptiones, *francos* nuncupatas, a praedictis oneribus et functionibus militaribus et custodiis ultra consuetum, praesertim ultra illas, seu illos, quae et qui solent, etiam in vim statutorum, seu stabilimentorum, ac ordinationum capitularium eiusdem hospitalis apostolicâ auctoritate confirmatorum, concedi illis qui actu inserviunt communi aerario, infirmariae, ac in quibuscumque aliis functionibus et servitiis hospitalis praedicti; prioribus vero, baiulivis, praeceptoribus, seu commendatariis, capitaneis, ceterisque praedictis, et aliis quibuscumque, sub amissionis antianitatis ac maioris excommunicationis poenis ipso facto incurrendis, ne quoquo modo vel ex quacumque causâ audeant praefatas exemptiones seu *francos* concedere, prohibemus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII iulii MDCXLIV, pontificatus nostri anno XXI.

§ 2. Cum autem firmiora existant, quibus iterata huiusmodi Sanctae Sedis accedit auctoritas, et propterea magnus magister praedictus praeinsertas litteras, quo exactius observentur, auctoritate nostrâ innovari desideret:

Confirmatio praedicti decreti.

§ 3. Nos, eiusdem magni magistri hac in re desiderio favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, easdem praeinsertas litteras, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, innovamus, ita tamen quod non concedantur per praedictum et pro tempore existentem magnum magistrum et quemlibet alium exemptiones ad tempus, vel ad vitam, aut aliàs cuicumque ad contenta in dictis litteris obligato, et quatenus concessae fuerint, praesertim perpetuae, seu ad vitam, omnino revocentur, et ex nunc

pro revocatis habeantur, quodque in eisdem litteris deleatur dictio *solitas* adiecta dictioni *functiones*, quam nihilominus nos pro deletâ ex nunc haberi volumus, perinde ac si eadem dictio *solitas* in illis nunquam apposita fuisset; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac magnum magistrum, consilium, aliaque tribunalia dicti hospitalis, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et quoscumque alios quavis auctoritate fungentes, nunc et pro tempore existentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus omnibus illis, quae in praeinsertis litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII iunii MDCXLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 17 iunii 1646, pontif. anno II.

LXV.

Confirmatio Brevis sanctissimi domini nostri Urbani Papae VIII circa licentiam alienandi bona immobilia canonicorum regularium congregationis Lateranensis pro summâ centum millium scutorum[1].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Aliàs emanarunt a felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessore nostro litterae in simili formâ Brevis, tenoris sequentis, videlicet:

Breve Urbani VIII circa licentiam, ut in rubricâ.

§ 1. *Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.* Ex iniuncto nobis desuper apostolicae servitutis officio ad ea, per quae monasteriorum et aliorum locorum regularium quorumlibet indemnitati, commodis, atque utilitati consulitur, libenter intendimus, ac desuper pastoralis officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout conspicimus salubriter in Domino expedire. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius modernus abbas monasterii B. Mariae de Pace nuncupatae de Urbe, canonicorum regularium congregationis Lateranensis et totius congregationis huiusmodi procurator generalis, quod congregatio praedicta multo aere alieno cum camerâ nostrâ apostolicâ, ratione montium cameralium nonnullorumque censuum pro solvendis montium suorum fructibus creatorum, contracto gravata reperitur; quod quidem aes[1] alienum varias ob causas hactenus dissolvere, ac supradictis oneribus cameralibus satisfacere, aliosque census super dictae congregationis bonis stabilibus de licentiâ Sedis Apostolicae impositos pro dictis[2] oneribus extinguere non potuit, nec cum ordinariis redditibus debita, quibus diversa dictae congregationis monasteria premuntur, persolvere posset. Nobis propterea dictus modernus abbas et procurator humiliter supplicari fecit, ut, pro liberandâ ab aere alieno aliisque oneribus huiusmodi congregatione praedictâ, sibi licentiam et facultatem bona immobilia ad monasteria congregationis huiusmodi spectantia pro summâ centum millium scutorum alienandi concedere, aliàsque desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, dictae congregationis necessitatibus, quantum cum Do-

1 Praedictum Breve refertur verbo tenus in hac Bulla § 1.

1 Perperam ed. Main. legit *et* pro *aes* (R. T.).
2 Verba *pro dictis* nos addimus (R. T.).

mino possumus, subvenire, praedictumque abbatem et procuratorem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, abbatibus generalibus et visitatoribus dictae Congregationis Lateranensis nunc et pro tempore existentibus, ut, cum approbatione dilecti filii nostri Francisci S. Laurentii in Damaso diaconi cardinalis Barberini nuncupati, S. R. E. vicecancellarii, nostri secundum carnem ex fratre germano nepotis, bona stabilia dictae congregationis pro summâ centum millium scutorum monetae romanae dumtaxat quibusvis personis meliorem conditionem offerentibus vendere et alienare) ita tamen ut pecuniae ex venditione huiusmodi proveniendae, deductis tamen expensis hac de causâ faciendis, in alios usus, quam extinctionis aeris alieni, quo quodlibet dictae congregationis monasterium gravatum existit, et pro maiori illius utilitate, nullo modo convertantur) libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, licentiam concedimus et impertimur. Non obstantibus felicis recordationis Pauli Papae II praedecessoris nostri de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon congregationis et monasteriorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX aprilis MDCXXXVII, pontificatus nostri anno XIV.

§ 2. Cum autem, sicut nobis nuper exponi fecit dilectus filius modernus abbas dicti monasterii S. Mariae de Pace ac congregationis praedictae procurator generalis, dilectus etiam filius noster Franciscus tituli S. Laurentii in Damaso presbyter cardinalis Barberinus nuncupatus, cuius approbatio in alienatione bonorum stabilium praedictorum iuxta praeinsertarum litterarum tenorem requiritur, a Romanâ Curiâ et toto Statu nostro Ecclesiastico absit: nobis propterea idem abbas et procurator generalis humiliter supplicari fecerit[1], ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, eumdem abbatem et procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praeinsertas litteras, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; necnon dilecto filio nostro Federico Ss. Viti et Modesti diacono cardinali Sfortiae nuncupato, dictae congregationis apud nos et Apostolicam Sedem comprotectori, facultatem praestandi consensum alienationi huiusmodi, quem dictus Franciscus cardinalis in vim earumdem litterarum adhibere deberet, servatâ aliàs in omnibus et per omnia illarum formâ, eâdem auctoritate, tenore praesentium, concedimus

Confirmatur praedictum decretum.

1 Aptius lege *fecit* (R. T).

et impertimur; decernentes ea, quae cum approbatione dicti Federici cardinalis comprotectoris in executionem dictarum litterarum fient, perinde valida, firma et efficacia existere et fore, ac si cum approbatione dicti Francisci cardinalis facta fuissent,

Causae praeservativae.

§ 3. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus omnibus illis, quae in praeinsertis litteris huiusmodi concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI iulii MDCXLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 31 iulii 1646, pontif. anno II.

LXVI.

Pro congregatione Cassinensi confirmatio decreti capitularis circa solutionem taxarum.

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Ea, quae pro religiosorum Ordinum quorumcumque felici directione prosperoque statu ab eorum superioribus in capitulis generalibus facta et ordinata fuisse noscuntur, ut firma et illibata persistant, libenter, cum a nobis petitur, apostolicae confirmationis robore communimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Motiva.

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Ludovicus Balbus, procurator generalis congregationis Cassinensis monachorum Ordinis sancti Benedicti, nobis nuper exponi fecit, anno superiori capitulares capituli generalis eiusdem congregationis tunc celebrati decreverint, quod ii ex dictae congregationis abbatibus, qui onera cameralia utcumque eorum monasteriorum tangentia procurariae romanae non solvissent, voce activâ in capitulo generali eiusdem congregationis subsequentis privati remanerent; et subinde experientia docuerit, decretum huiusmodi ad consequendum a singulo quoque dictae congregationis monasterio solitas taxas valde proficuum extitisse; proindeque capitulares capituli generalis eiusdem congregationis hocce praesenti anno celebrati ediderint decretum infrascriptum, tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum capitulare.

§ 2. « Ut tandem provideatur periculis et damnis imminentibus ob retardationem et omissionem solutionum debitarum per monasteria nostrae congregationis, tam procurariae generali romanae, quam capsae Venetiarum respective, committimus reverendissimo patri procuratori generali, ut a sanctissimo Domino curet per litteras in formâ Brevis prohiberi accessum ad capitulum generale, singulis futuris annis, illis praelatis, et cellerario privationem officii cellerariae, quorum monasteria suis debitis temporibus taxas et annuas debitas, necnon solutiones vel debita nuncupata *conto a parte*, non persolverint, tam ipsi procurariae, quam capsae Venetiarum, et, si contra praesens decretum accesserint ad locum capituli, suspendantur abbates per annum ab administratione abbatiae, nec liceat praedictis reverendissimo patri procuratori et capsario affirmari in suis computis se recepisse pecunias, quas effective non receperint, in virtute sanctae obedientiae ».

Datum Perusii die XXIX aprilis MDCXLVI.

Confirmat decretum.

§ 3. Idcirco dictus Ludovicus procurator generalis, quo praefata onera came-

ralia exacte (ut par est) persolvi possint, nobis humiliter supplicari fecit, ut praemissa confirmare de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, eumdem exponentem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, supensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans. § 3. Decernentes decretum huiusmodi in eâdem congregatione perpetuo observari debere, praesentesque nostras litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ipsius congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII augusti MDCXLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 28 augusti 1646, pontif. anno II.

LXVII.

Impositio decimarum ad summam quatuor centum millium scutorum pro Republica Veneta[1].

Venerabili fratri Angelo episcopo Ariminensi, moderno et pro tempore existenti nostro et Sedis Apostolicae in dominio Venetorum nuntio,

Innocentius Papa X.

Venerabilis frater,

salutem et apostolicam benedictionem.

Sacrosanctae militantis Ecclesiae regimini[2] per abundantiam divinae gratiae, nullo licet meritorum suffragio, praepositi, inter graves sollicitudines, quibus pro credito nobis apostolicae servitutis officio assidue premimur, ea est praecipua, quam continua pericula atque discrimina, quae a nefario Christi nominis hoste Turcarum tyranno principibus et populis christianis nunquam non impendent, nobis conficiunt. Quapropter, etsi Domini Dei exercituum, qui sponsam suam Ecclesiam sanctam protegit, praesidio potissimum confidamus, cogimur tamen pro debito pastoralis muneris in id omni cogitatione omnique curâ incumbere, ut provisionis nostrae ministerio adhibitis catholicorum principum viribus mala huiusmodi procul a populo cristiano arceantur. Proœmium.

§ 1. Cum vero plus satis constet eumdem impium Turcarum tyrannum nihil Motiva.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

2 Similem habes tom. XIV, pag. 105 (R. T.).

avidius quaerere quam christianos populos invadere et christianam religionem exterminando abominationem suam plantare et prorogare, eiusque vires, nostris facientibus peccatis, malo nostro admoniti cogamur timere omnique curâ et sollicitudine praecavere; multo magis castra Domini custodire et praemunire nos oportet, hoc praesertim tempore, cum idem Turcarum tyrannus ingentibus mari terràque copiis ditiones nobilissimae Reipublicae Venetorum invaserit. Quae, ut improbis eius conatibus resistere possit, cum magnos sumptus iugiter facere debeat:

Consulitur Reipublicae voluntati.

§ 2. Idcirco, felicis recordationis Clementis VIII et Pauli V, necnon Gregorii XV, ac Urbani VIII, aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, eamdem Rempublicam, id enixe flagitantem, ecclesiasticis auxiliis prompto libentique animo adiuvandam decrevimus, attendentes non solum nos eius unius saluti, verum etiam multorum, ac omnium Italiae populorum incolumitati consulere, cum ipsa sit magnum totius Italiae munimentum ac firmissimum maris Adriatici propugnaculum.

Spes Summi Pontificis.

§ 3. Quamobrem aequum et rationi consentaneum esse duximus eidem Reipublicae, eorumdem Clementis, ac Pauli, necnon Gregorii et Urbani praedecessorum exemplo, subsidio decimarum ex fructibus et redditibus totius cleri eiusdem Status Venetorum pro eisdem usibus ad certum tempus attribuendo subvenire, firmam in Domino fiduciam habentes fore, ut ea Respublica testificatione paternae voluntatis erga se nostrae non solum se se munitam et ad resistendum communi hosti paratam in dies magis conservet, sed etiam illum a suis finibus animose detrudat.

Imponit sexdecim decimas.

§ 4. Nos igitur, istis aliisque gravissimis et iustissimis de causis moti, motu proprio et ex certâ scientiâ ac de apostolicae potestatis plenitudine nostris, tenore praesentium, indicimus et imponimus sexdecim integras decimas omnium et quorumcumque fructuum, reddituum et proventuum quarumcumque ecclesiarum patriarchalium, archiepiscopalium, episcopalium, abbatialium, capitularium et conventualium, prioratuum quoque, praeposiurarum, praepositatuum, praeceptoriarum, canonicatuum, praebendarum, dignitatum, etiam maiorum ac principalium, personatuum, administrationum et officiorum, ceterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium, ac S. Benedicti, S. Augustini, Cluniacensium, Cisterciensium, Praemonstratensimu, S. Basilii, Silvestrinorum, et, qui proprietates redditusque certos ex privilegio apostolico vel aliàs possident, Mendicantium, et quorumvis aliorum Ordinum, utriusque sexus, et congregationum[1], non tamen earum quae inferius descriptae sunt, ac militiarum regularium in universo dominio dictae Reipublicae Venetorum existentium;

Alias sexdecim imponit.

§ 5. Ac insuper alias sexdecim decimas omnium et quarumcumque pensionum annuarum super fructibus, redditibus et proventibus supradictis assignatarum et assignandarum, ab omnibus et quibuscumque patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, ceterisque cuiuscumque status, gradus, dignitatis et conditionis personis (exceptis dumtaxat venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, necnon dilectis filiis fratribus hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, ac fratribus Mendicantibus praedictis, et insuper[1] beneficiis ecclesiasticis officio sacrae inquisitionis haereticae pravitatis in dicto dominio instituto unitis, annexis et applicatis, quos cardinales ac

Cardinalibus et fratribus hospitalis sancti Ioannis exceptis.

1 Edit. Main. habet *congregationis* (R. T.).

2 Perperam ed. Main. legit *super* pro *insuper*; vide loc. parall. tom. XIV, pag. 107 *a* (R. T.).

fratres hospitalis praedicti ac beneficia praedicto inquisitionis officio unita, in totum, fratres vero Mendicantes pro medietate dumtaxat ab eisdem decimis et illarum solutione immunes et exemptos esse volumus et decernimus) ecclesias, monasteria et beneficia, ac pensiones, seu fructus, aut illorum partem huiusmodi in eodem dominio quocumque iure ac titulo obtinentibus et obtenturis, necnon ab universis etiam oeconomis, commendatariis, atque administratoribus perpetuis et temporalibus, usufructuariis similiter fructus omnes vel illorum partem loco pensionum annuarum, vel pensiones et alia huiusmodi iura ex quacumque auctoritate apostolicâ in toto vel in parte reservata habentibus et habituris, sive secularibus, sive quorumcumque Ordinum, congregationum et militiarum praedictorum regularibus, et ab ipsis etiam ecclesiis, capitulis, conventibus, Ordinibus, congregationibus, personis, collegiis, militiis, massis, et locis praedictis quacumque amplissimâ et firmissimâ exemptione et immunitate reali, personali, vel mixtâ, antiquâ et immemorabili, pacificâ et continuâ, etiam ex titulo quantumvis oneroso suffultis, integraliter et cum effectu numerandas, persolvendas et consignandas. Ulterius[1], supradictis ex causis, ac exemplo Clementis et Pauli, ac Gregorii, necnon Urbani praedecessorum praedictorum adducti, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, imponimus et indicimus novem decimas omnium et quorumcumque fructuum, reddituum et proventuum ad Cassinensem, aliàs S. Iustinae de Padua, Lateranensium, Carthusiensium, Montis Oliveti, S. Salvatoris, Camaldulensium, S. Mariae Vallisumbrosae, S. Georgii in Alga Venetiarum, Caelestinorum et S. Hieronymi congregationes, earumque monasteria, abbatiales et conventuales aut alias mensas, prioratus, praeceptorias, praeposituras, beneficia et officia, cum curâ et sine curâ, membra, grangias et alia loca illis annexa in dicto dominio consistentia quovis modo pertinentium[1] (solvendas etiam per ipsas congregationes, eorumque[2] superiores, abbates, priores, praepositos, conventus, capitula et personas, ultra subsidia montis religionis, seu quatuor centum millium scutorum et quartae partis eorumdem fructuum, reddituum et proventuum, et alia onera, quae per Sedem Apostolicam eis imposita, aut aliàs persolvunt, seu persolvere promiserunt) similiter numerandas et persolvendas et cônsignandas secundum verum annuum valorem fructuum, reddituum et proventuum praedictorum. Et ad hunc effectum (licet felicis recordationis Pius V, nonnullis tunc causis adductus, et Clemens, necnon Paulus et Gregorius, praedecessores praedicti, etiam ex aliis tunc expressis causis, easdem congregationes a decimis super fructibus et redditibus ecclesiasticis deinceps ubivis etiam dominio Venetorum et ex quacumque causâ imponendis liberas et immunes fecerint) pari motu, scientiâ, auctoritate et de apostolicae potestatis plenitudine, quoad fructus, redditus et proventus ad ipsas congregationes et quamlibet earum in dicto dominio Venetorum spectantes, immunitates, exemptiones, ac omnes et quoscumque contractus, scripturas, conventiones, transactiones, concordias, pacta, instrumenta, obligationes, etiam in formâ camerae apostolicae, et iuramento vel aliâ quavis firmitate roborata, praesertim inter Pium et Clementem, ac Paulum, necnon Gregorium praedecessores praedictos et cameram apostolicam, et pro eâ S. R. E. camerarium, vel thesaura-

Nonnullis Ordinibus idem imponit.

1 Perperam edit. Main. absque ullâ interpunctione legit *consignan. ulterius*, etc. (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *pertinentia* (R. T.).

2 In loco parallelo legitur *earumque* (R. T.).

rium generalem, aliosve quoscumque tunc existentes, et eiusdem camerae ministros, quantumvis amplâ et sufficienti facultate ad praemissa facienda suffultos, ex unâ, et congregationes ultimodictas, illarumque procuratores, ex alterâ partibus, ac omnia et quaecumque privilegia, indulta, libertates, exemptiones, immunitates, hac de causâ in hunc usque diem eisdem congregationibus, etiam ex causâ et titulo oneroso, concessa, hac vice dumtaxat et ex causis supradictis, suspendimus, ac ipsis congregationibus quoad novem decimas praedictas hac vice ut praefertur suffragari nolumus, illa vero aliàs in suo robore permanere decernimus, ipsasque congregationes ex gravissimis causis praedictis novem decimis huiusmodi oneramus, et[1], quum ceteris secularibus et regularibus clericis personis eiusdem[2] dominii Venetorum sexdecim ut praefertur indixerimus, tali nostrae impositioni acquiescere, ac tacitas et contentas esse volumus.

Universos in hoc iussu compraendit.

§ 6. Universas vero et singulas personas quavis dignitate vel auctoritate fungentes, tam supradictas ecclesias, monasteria et beneficia quomodolibet obtinentes, ac pensiones, seu fructus, aut earum partem, sibi, ut praefertur, reservatas[3] percipientes, quam ultimodictas congregationes, et eorum unumquemque, tam coniunctim quam divisim, ad huiusmodi decimas in octo annis, binas videlicet decimas dumtaxat quolibet anno, et, quoad ultimodictas congregationes, singulas tantum decimas cum unâ octavâ parte alterius decimae, quoad dictos autem fratres Mendicantes singulas similiter decimas quotannis, durante octennio a die nostrae ad summi apostolatus apicem assumptionis, qua[4] ultima concessio per generalem impositionum similium decimarum revocationem a nobis tunc factam expiravit, inchoando, et ut sequitur finiendo, in certis terminis per te praefigendis integre persolvendas efficaciter teneri et vere obligatos esse, iisdemque pensionariis, aut eorum alicui, pensiones annuas praedictas quantumlibet exemptas, et sub quibusvis obligationibus, etiam in formâ camerae, et iuramento etiam de non contraveniendo, et forsan de non impetrando gratias nostras contra eos, et de non utendo concessis, firmatas, aut aliàs vallatas, et forsan aliis cautelis et decretis munitas, causam donationis super eisdem fructibus et pensionibus etiam medio cedularum banchi seu in formâ depositi habentibus, et intra octo annos praedictos habituris (etiamsi ipsi a quibus pensiones huiusmodi solvendae sunt iuri et actioni petendae et retinendae portionis aut ratae partis pensionarios tangentis iureiurando renunciaverint) ulla[1] privilegia aut indulgentias, sub quacumque verborum formâ aut expressione conceptâ, quoad hoc nullatenus suffragari volumus. Sicque et non aliter, in praedictis omnibus et singulis per[2] quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Constituuntur collectores et exactores dictarum decimarum.

§ 7. Ut autem huiusmodi decimae facilius exigantur, fraternitatem tuam, ac venerabilem fratrem patriarcham Venetiarum, et dilectum filium Hieronymum electum Madaurensem, pro tempore existentes, ad dictas decimas exigendas, du-

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *eiusdemque* (R. T.).
3 Male edit. Main. legit *reservatis* (R. T.).
4 Perperam edit. Main. legit *quam* (R. T.).

1 Male ed. Main. legit *ullo* pro *ulla* (R. T.).
2 Praeposit. *per* nos addimus (R. T.).

cique et dominio praefatis, sive eius ministris ad id specialiter deputatis, statim nullâ interpositâ morâ, et sine aliquâ prorsus diminutione, retentione aut detractione, etiam non detractis quinque pro centenario camerae nostrae praedictae in exactione talium decimarum applicari consuetis, integre consignandas, earumdem decimarum collectores et exactores per praesentes constituimus et deputamus, ac tibi et patriarchae Venetiarum ac electo Madaurensi, pro onere quod in exactione decimarum huiusmodi sustinebitis, quatuor millia scuta auri in auro ex eisdem decimis detrahenda, et illorum medietatem inter vos[1] pro aequali portione et quolibet anno eiusdem octennii pro ratâ distribuendam et dividendam, reliquam vero medietatem subcollectoribus et aliis exactoribus ac procuratoribus ad easdem decimas colligendas deputatis, etiam quolibet anno pro ratâ, habitâ ratione laboris et amplitudinis cuiuscumque civitatis et dioecesis, loco salarii seu stipendii et mercedis assignandam et distribuendam (ita tamen, ut non quotannis[2] integra summa eorumdem quatuor millium scutorum, pro ratâ quolibet anno, detrahatur, ac tam vos et quilibet vestrum, quam ipsi subcollectores et alii praefati, ratione fructuum ecclesiarum, quibus nunc praeesse dignoscimini, aut in posterum praefici, vel beneficiorum obtentorum, aut quae obtinere, necnon fructuum et pensionum reservatorum et assignatarum,[3] quos et quas vobis assignari posthac contigerit, decimas ipsas pro vestrâ et illorum ratâ, et illorum quemlibet tangente, integre et realiter persolvere omnino teneamini; et dictâ assignatione et distributione contenti esse debeatis, nec quidquam aliud vos et vestrum quilibet[1] praetendere possitis)[2] tibi et aliis praedictis a dictis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, electis, administratoribus, commendatariis, abbatibus, prioribus, praepositis, capitulis, conventibus et aliis personis (supra expressis exceptis) easdem decimas, ut praefertur per nos impositas, petendi, exigendi et colligendi, eisque[3], tam in genere, quam nominatim et in specie, ut illas solvant, sub privationis beneficiorum ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum, aliisque prout nobis[4] videbitur poenis, etiam pecuniariis, ac demum per sententias et censuras ecclesiasticas mandandi[5] et praecipiendi, ac, pro earumdem decimarum faciliori exactione, unum vel plures subcollectores (qui, si in dignitate eccclesiasticâ constituti sint, pari ac tu, vigore praesentium, facultate fungantur), per locorum Ordinarios in quacumque civitate et dioecesi et loco sibi subiecto pro tempore deputatos, approbandi; et si quis ex ipsis Ordinariis intra aliquem brevem terminum vestro arbitrio praefigendum viros idoneos ad id deputare neglexerit, tibi, etiam sine illorum consensu, tuo arbitrio illos libere deputandi, et deputatos amovendi, aliosque eorum loco, toties quoties tibi videbitur, substituendi et subrogandi, ac solvere recusantes et differentes, et generaliter contradictores quoslibet et rebelles, et ne decimae huiusmodi solvantur persuadentes directe vel indirecte, per ipsas censuras ecclesiasticas, et alia opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendi[6], auxiliumque brachii secularis contra eos ad hoc, si

1 Ed. Main. legit *inter vivos* pro *inter vos*(R. T).

2 Supple ex loco parallelo huiusmodi quatuor millia scuta, sed in toto octennio.

3 Adde partic. *aut* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *quemlibet* (R. T.).

2 Supple *assignamus; ac* (R. T.).

3 Perperam edit. Main. legit *eis quae* pro *eisque* (R. T.).

4 Forsan legendum *vobis* (R. T.).

5 Pessime edit. Main. legit *moderandi* pro *mandandi* (R. T.).

6 Male ed. Main. legit *compescendo* (R. T.).

opus fuerit, invocandi, solventes vero de solutis quietandi et liberandi, a censuris et poenis, quas dictâ occasione quomodolibet incurrerint, absolvendi, et generaliter omnia alia et singula in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria faciendi, ordinandi, mandandi et exequendi, plenam et liberam, auctoritate[1] et tenore praedictis, facultatem concedimus et potestatem.

Contrariis derogat.

§ 8. Non obstantibus regulâ nostrâ de non tollendo iure quaesito, ac aliis quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque;

Etiam indultis concessis archiepiscopis, patriarchis, etc.

§ 9. Aut si ipsis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, electis, administratoribus, commendatariis, abbatibus, prioribus, praepositis, capitulis, conventibus, congregationibus et aliis personis praedictis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint[1] per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; et quibuslibet aliis privilegiis et exemptionibus, etiam in corpore iuris clausis, ac litteris apostolicis, quibuscumque dignitatibus seu Ordinibus, specialiter vel generaliter, sub quacumque verborum formâ expressis[2], etiamsi motu proprio, ac de apostolicae plenitudine, et consistorialiter, ac etiam in vim contractus emanaverint, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda esset; quae eis quoad praemissa nolumus in aliquo suffragari.

1 Male ed. Main. legit *auctoritatem* (R. T.).
2 Edit. Main. habet *possit* (R. T.).
3 Vel legendum vel addendum *concessis* (R.T.).

Supellectiles ecclesiarum excipit.

§ 10. Volumus autem quod, iuxta ordinationem a Concilio Viennensi super hoc editam, calices, libri et alia ornamenta ecclesiarum, monasteriorum, beneficiorum et aliorum piorum locorum divino cultui dicata ex causâ pignoris vel aliâ occasione solutionis decimarum huiusmodi nullatenus capiantur, distrahantur, vel occupentur;

Transumptis credi mandat.

§ 11. Quodque praesentium litterarum transumptis, tuo vel alterius praelati ecclesiastici sigillo et publici notarii subscriptione munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX septembris MDCXLVI, pontificatus nostri anno II[1].

Dat. die 19 septembris 1646, pontif. an. II.

LXVIII.

Committit vicelegato Avenionensi, ac archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis, ut cogant redire ad suos Ordines illos regulares, qui ultra montes temere ad Ordinem Sancti Spiritus transierunt[2].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Exordium Constitutionis.

Iniuncti nobis divinitus apostolici muneris ratio postulat, ut regularium Ordinum in Ecclesiâ catholicâ pie institutorum decori disciplinaeque regularis conservationi consulamus, ac personarum religiosarum, quae de eo, in quo professionem emiserunt, ad alium Ordinem, non arctioris observantiae zelo, sed liberioris vitae cupiditate transeunt, temeritatem coërceamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

1 Legendum foret *anno III* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

Motiva.

§ 1. Cum itaque, sicut nobis nuper, pro parte dilectorum filiorum fratrum et religiosorum Ordinis Sancti Spiritus sub regulâ sancti Augustini, expositum fuit, aliàs et sub die XVII mensis februarii MDCXLV a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus negotiis episcoporum et regularium praepositis emanaverit quoddam decretum contra male translatos et receptos absque suorum superiorum legitimâ licentiâ de aliis Ordinibus et Religionibus in dictum Ordinem Sancti Spiritus a quibusdam pro generalibus dicti Ordinis ultra montes se gerentibus, vigore cuiusdam privilegii praedicto Ordini Sancti Spiritus a felicis recordationis Alexandro Papa IV praedecessore nostro concessi, et postea a pluribus Romanis Pontificibus etiam praedecessoribus nostris revocati, quod fuit et est in grave ipsorum exponentium et Ordinis Sancti Spiritus huiusmodi damnum et praeiudicium, non sine maximo aliorum religiosorum et secularium scandalo: nobis propterea exponentes praedicti humiliter supplicari fecerunt, ut desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Irritat et revocat.

§ 2. Nos igitur, eorumdem exponentium votis hac in re annuere et opportunum in praemissis remedium adhibere volentes, et singulares ipsorum exponentium personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de eorumdem cardinalium (qui, audito dilecto filio commendatore generali archihospitalis Sancti Spiritus in Saxia de Urbe, rem huiusmodi mature discusserunt) consilio, dilecto pariter filio nostro et Apostolicae Sedis in civitate et Statu nostro Avenionensi vicelegato, necnon venerabilibus fratribus archiepiscopis ac episcopis et aliis locorum Ordinariis, ad quos spectat, per praesentes committimus, ut, per cuncta loca ipsorum iurisdictionis, omnibus iuris remediis, ac etiam per ecclesiasticas censuras, quatenus opus fuerit, regulares quoscumque, qui, dimisso habitu Ordinis in quo professi sunt, praenominatum Sancti Spiritus ultra montes, ut supra, susceperunt, ad reassumendum habitum nulliter dimissum et ad redeundum ad claustra sui Ordinis auctoritate nostrâ apostolicâ cogant et compellant, similemque transitum in futurum sub poenis benevisis eâdem auctoritate prohibeant, salvâ semper auctoritate congregationis praedictorum cardinalium.

Contraria quaecumque tollit.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis, et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quorumvis Ordinum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fides habeatur.

§ 4. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra habeatur, quae praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV septembris MDCXLVI, pontificatus nostri anno II[1].

Dat. die 25 septembris 1646, pontif. anno II.

LXIX.

Confirmatio admissionis catholicorum Cantonis Glaronae in Helvetiâ ad participationem indulti nominandi ad beneficia ecclesiae oppidi Episcopicellae Moguntinae dioecesis[2].

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Romanum decet Pontificem illos christifideles, qui, inter haereticos constituti, impiis eorum erroribus sese contaminari non patiuntur, sed in avitâ catholicâ religione Sedisque Apostolicae obedientiâ et devotione constanter perseverant, et pro eiusdem religionis defensione, cum opus est, sanguinem fundere non detractant, specialibus favoribus et gratiis prosequi, ut ipsi hoc beneficio devincti, et ceteri eorum exemplo, ad promerendam eiusdem Sedis munificentiam in dies magis excitentur.

Motiva Constitutionis. § 1. Aliàs siquidem pro parte tunc existentium scultetorum et senatus quinque Cantonum Helvetiorum catholicorum, videlicet, Lucernae, Uraniae, Svitiae, Subsilvaniae et Tugii, Constantiensis dioecesis, provinciae Moguntinae, felicis recordationis Paulo Papae V praedecessori nostro exposito, quod cum haeretici[3] plurima oppida et insignes ecclesias ac praeclara monasteria occupassent, ac sui iuris fecissent, et inter alia oppidi[4] Episcopicellae, aliàs Biscozzellae vulgo nuncupatae, illiusque collegiatam ecclesiam ditionis temporalis scultetorum et senatus praedictorum per integrum triennium occupata detinuissent, eorumdemque scultetorum maiores, et senatus huiusmodi, sumptis armis, ac insigni divinitus relatâ victoriâ, oppidum et ecclesiam huiusmodi, sicut et alia sudore et sanguine suo pristinae libertati restituissent, aliqui Romani[1] praedecessores nostri eorumdem scultetorum praedecessoribus eorumque successoribus et senatui huiusmodi, ut dictae ecclesiae dignitates, etiam principales, ac canonicatus et praebendae[2], et forsan alia beneficia et officia in eâ consistentia, eorum pro tempore occurrente vacatione, per dilectos filios capitulum eiusdem ecclesiae dumtaxat, ad electionem seu nominationem aut praesentationem tunc et pro tempore existentium scultetorum et senatus huiusmodi, personis idoneis eiusdem ditionis conferri deberent, perpetuis futuris temporibus concesserant et indulserant; et licet ab inde et ab illo recuperationis tempore dignitates ac canonicatus et praebendae aliaque beneficia et officia ecclesiae huiusmodi per illius capitulum, ad eamdem electionem seu nominationem et praesentationem sicut praefertur, sine ullâ interruptione et impedimento eousque conferri consueverant, quia tamen sculteti et senatus praedicti de indulti seu gratiae concessionum huiusmodi litteris, ob earum inter tot calamitates combustionem seu aliam disperditionem, docere nequibant, idem Paulus praedecessor ius eligendi seu nominandi aut praesentandi et respective conferendi huiusmodi (ita tamen quod electio seu nominatio ad dignitatem eiusdem ecclesiae principalem Romano Pontifici pro tempore existente tantum fieri, et âb eo institutio seu confirmatio obtineri posset et deberet) approbavit et confirmavit, et aliàs prout in

1 Potius lege *anno III* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.
3 Male edit. Main. legit *haereticis* (R. T.).
4 Videtur legendum *oppidum* (R. T.).

1 Deest vox *Pontifices* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *praebendas* (R. T.).

eiusdem Pauli praedecessoris litteris sub plumbo desuper expeditis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Catholici Cantonis Glaronae in Helvetia admittuntur ab aliis quinque Cantonibus ad participationem ut in rubrica.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum catholicorum Reipublicae Glaronensis, unius ex Cantonibus catholicis Helvetiorum praedictorum, nobis nuper expositum fuit, ipsi apud quinque Cantones praedictos insteterint, ut eos ad participationem indulti eligendi seu nominandi aut praesentandi huiusmodi admittere valent[1], dictique quinque Cantones Glaronae[2] huiusmodi eiusdem indulti participes, perinde ac si a principio in illius concessione ac dictis litteris Pauli praedecessoris praedicti comprehensi essent, fecerint, cum eâ declaratione, quod penes ipsos catholicos dicti Cantonis Glaronae, ad primum quod vacaverit beneficium canonicatus ecclesiae praedictae, eligendi seu nominandi aut praesentandi ius foret, si tamen tunc temporis habilem et sufficientem ad talia beneficia habeant, quod etiam in futurum observari debebit, ut is, quem taliter promovebunt, civis Glaronensis sit, ac cum eâ conditione, ut in nullo dictis litteris vel quinque Cantonibus praefatis praeiudicetur, sed in eo quem ipsi constituerunt ordinis successu permaneant, et aliàs prout in scripturis desuper confectis plenius dicitur contineri:

Supplicatur pro confirmatione apostolicâ.

§ 3. Nobis propterea eorumdem catholicorum Cantonis Glaronae huiusmodi nomine fuit humiliter supplicatum, ut praemissa, quo firmius subsistant, apostolicâ auctoritate confirmare de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio praedictae admissionis.

§ 4. Nos igitur, exponentibus praefatis specialem gratiam facere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, admissionem eorumdem catholicorum Cantonis Glaronensis praefati ad participationem indulti et litterarum huiusmodi per dictos alios quinque Cantones ut praefertur factam, ac desuper confectas scripturas prout illam concernunt, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, servatâ tamen in omnibus et per omnia indulti et litterarum huiusmodi formâ, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis vim et robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§ 6. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dictis catholicis perpetuo plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria removet.

§ 7. Non obstantibus omnibus illis, quae in praefatis litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII octobris MDCXLVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 23 octobris 1646, pontif. anno III.

1 Videtur *vellent* pro *valent* esse legend. (R. T).
2 Deest *Cantonis catholicos* (R. T.).

LXX.

Prohibetur conservatoribus et prioribus capitum regionum Urbis ac officialibus et cappellanis populi romani, sub poenâ indignationis, quod imposterum possint mutare nec commodare cuiquam aliquid etiam minimum ex mobilibus et suppellectilibus dicti populi; et prohibitio huiusmodi notificari debeat singulis magistratibus in ingressu eorum officii[1].

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Prohibetur conservatoribus et prioribus dictis ut in rubricâ.

§ 1. Conservationi et manutentioni rerum et bonorum mobilium et suppellectilium palatii Capitolini, quantum cum Domino possumus, consultum esse cupientes, ne de cetero camerae almae Urbis nostrae conservatores ac priores capitum regionum dictae Urbis necnon officiales et cappellani populi romani, nunc et pro tempore existentes, sub indignationis nostrae poenâ, neve magister domus etiam pro tempore existens eiusdem palatii, etiam iussus et mandatum habens ab eisdem conservatoribus, sub amissionis eius officii ac refectionis damnorum poenis respective eo ipso absque ullâ aliâ declaratione per contrafacientes incurrendis, quoquo modo, ac sub quovis praetextu, causâ vel ingenio, cuivis personae quantumvis privilegiatae aliquod etiam minimum ex mobilibus seu suppellectilibus existentibus in eodem palatio, aut argenteis pro usu cappellae inservientibus, mutuare aut accomodare ullatenus possint vel debeant, audeantve seu praesumant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus.

Praescribitur notificatio huius prohibitionis.

§ 2. Volumus autem, quod prohitio huiusmodi omnibus et singulis magistratibus dicti populi in ingressu eorum officii per procuratorem fiscalem pro tempore existentem eiusdem populi romani notificetur.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac camerae et Urbis praefatarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stylis, usibus et naturis, necnon reformationibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII novembris MDCXLVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 23 novembris 1646, pontif. anno III.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

LXXI.

Declaratio, quod Brevia, a nonnullis religiosis religionis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum obtenta ad effectum assumendi habitum presbiterorum secularium, nisi illis utantur infra quatuor menses, censeantur revocata[1].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Aliàs, postquam nos, iustis ex causis adducti, religiosis religionis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum nuncupatis, etiam professis, tam sacerdotibus quam

1 Hic sanctissimus Pontifex reduxit in Congregationem religionem Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, ut apparet supra Const. LVIII, *Ea quae pro felici*, pag. 459, ubi indicavi tibi pleraque circa regimen huius congregationis.

laïcis, sive ut vocant operariis, facultatem transeundi ad quamcumque aliam religionem ab hac Sanctâ Sede approbatam, etiam laxiorem, in qua benevolos invenissent receptores, concesseramus, dictosque religiosos et eorum domos, scholas et loca quaecumque omnimodae Ordinariorum locorum iurisdictioni subieceramus, ac eamdem religionem in congregationem similem instituto Congregationis Oratorii in ecclesiâ S. Mariae in Vallicella nuncupatâ de Urbe erectae, absque ullâ votorum emissione, reduxeramus; postmodum, per nonnullos ex religiosis huiusmodi successive nobis exposito, quod ipsi habebant unde se extra domos regulares praedictae religionis alere poterant, propterea que habitum presbyteri secularis assumere, in eoque quoad vixissent extra praedictam religionem illiusque domos, sub Ordinariorum respective obedientiâ, permanere posse desiderabant:

Brevia obtenta a religiosis praedictis in rubricâ

§ 1. Nos, certis[1] tunc expressis, eorumdem religiosorum exponentium huiusmodi originariis et seu aliis locorum Ordinariis dedimus in mandatis, ut, constito sibi prius, quod quilibet ex dictis religiosis haberet, ut praefertur, unde se extra dictam religionem eiusque domos regulares vivere[2] posset, eisdem religiosis et eorum singulis assumendi habitum presbyteri secularis, in eoque extra dictam religionem illiusque domos sub Ordinariorum locorum, ubi pro tempore commorarentur, obedientiâ quoad vixissent permanendi licentiam auctoritate nostrâ apostolicâ concederent, et aliàs prout in diversis nostris in simili formâ Brevis desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem, sicut nomine religiosorum domus regularis S. Pantaleonis de eâdem Urbe religionis praedictae nobis nuper expositum fuit, pro bono eiusdem religionis expediat, ut illi religiosi, qui licentiam habitum praedictum presbyteri secularis assumendi a nobis obtinuerunt, litteras in simili formâ Brevis desuper ut praemittitur expeditas quamprimum debitae exequutioni demandari faciant, aut illis renuntient: idcirco nobis iidem domus praedictae religiosi humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Irritat et revocat post quatuor menses.

§ 2. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod omnes et singuli dictae religionis religiosi, qui hactenus a nobis licentiam assumendi habitum presbyteri secularis per praedictas nostras in eadem formâ Brevis litteras obtinuerunt ut praemittitur, infra quatuor menses, a die faciendae ut infra dicetur publicationis praesentium numerandos, litteris nostris praedictis omnino utantur et illas debitae executioni demandari faciant, alioquin elapsis quatuor mensibus huiusmodi litterae praedictae nullae, irritae ac revocatae sint et esse censeantur eo ipso, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium earumdem, statuimus, mandamus et ordinamus.

Clausulas praeservativas addit.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros, effectus sortiri et obtinere,

Clausula *sublatâ*.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum

1 Forsan *causis* legend. vel addend. (R. T.).

2 Potius lege *alere*, ut supra (R. T.).

palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 5. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae in eisdem litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Affigi et publicari mandat.

§ 6. Volumus autem, quod praesentes litterae in valvis ecclesiae Lateranensis ac basilicae Principis Apostolorum et in acie Campi Florae de Urbe publicentur et affigantur, quae sic publicatae et affixae omnes et singulos, quos illae concernunt, tam in Romanâ curiâ quam extra eam arctent et afficiant, ac si eorum unicuique personaliter intimatae fuissent;

Transumptis credi iubet.

§ 7. Quodque earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV decembris MDCXLVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 4 decembris 1646, pontif. anno III.

LXXII.

Deputatio vicelegati Avenionensis in commissarium apostolicum pro componendis differentiis vertentibus inter subditos comitatus Venaissini et principatus Auraicensis super confinibus [1].

Dilecto filio magistro Laurentio Corso, in utrâque signatura nostra referendario, Innocentius Papa X.

Dilecte fili,

salutem et apostolicam benedictionem.

Exponit causam Constitutionis.

§ 1. Cum ad componendas differentias, quae, ut accepimus, inter comitatum nostrum Venaissinum et principatum Aurazionensem seu Auraicensem super confinibus eorumdem comitatus et principatus vertuntur, personam fide, prudentiâ, doctrinâ, integritate et experientiâ praestantem, quae cum personâ seu personis ad hunc effectum a principatu praedicto deputatâ seu deputatis vel deputandâ seu deputandis conveniat, ipsasque differentias amicabiliter concordari curet, deputare decreverimus; idcirco, de fide, doctrinâ et in rebus agendis solertiâ et integritate tuâ plurimum in Domino confisi, te, qui etiam dilecti filii nostri Camilli S. Mariae in Domnica diaconi cardinalis Pamphilii nuncupati, nostri secundum carnem ex fratre germano nepotis, ac in nostris civitate Avenionensi et comitatu praedicto Venaissino in spiritualibus et temporalibus vicarii generalis, necnon in illis, ac in Viennensi, Arelatensi, Ebredunensi, Aquensi et Narbonensi provinciis, ac illis adiacentibus civitatibus, terris et locis, nostri et Sedis Apostolicae de latere legati, vicelegatus existis, in nostrum et Sedis praedictae ad praemissa peragenda commissarium, ut in rem praesentem te conferas, cum facultate et auctoritate omnia et singula, quae ad huiusmodi differentias [1] amicabiliter concordandas pro eiusdem Sedis honore et praedicti comitatus nostri dictique principatus communi quiete et commodo expedire cognoveris, faciendi, gerendi et exequendi, necnon terminos inter comitatus et principatus huiusmodi, in locis a te et deputato seu deputatis aut deputando vel deputandis ab eodem principatu declarandis, designandi et constituendi, necnon unum seu plures commissarium seu commissarios ad praemissa, seu eorum aliqua, cum praedictâ seu limitatâ facultate, toties quoties opus erit, substituendi et subdelegandi, auctoritate apostolicâ, te-

Commissarium eligit.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Male edit. Main. legit *differentia* (R. T.).

nore praesentium, constituimus et deputamus, ac tibi pro praemissis tractandis et conficiendis ius et auctoritatem necessariam et quomodolibet opportunam per praesentes concedimus, tribuimus et impertimur, et quidquid per te, seu a te substituendis vel delegandis[1], cum personâ seu personis a dicto principatu ut praefertur deputatâ vel deputatis ac deputandâ seu deputandis, circa praemissa concorditer actum gestumque fuerit, ratum et gratum nos habituros decernimus.

Contraria tollit

In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII decembris MDCXLVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 7 decembris 1646, pontif. anno III.

LXXIII.

Facultas et privilegia concessa suis cappellae pontificiae cappellanis.

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Causae Constitutionis.

Grata familiaritatis obsequia[2], quae dilecti filii Alexander Brunacchius, civitatis Castellanae; Horatius Bovius, Ferentinae, Franciscus Antonius Porticella, in sacrâ theologiâ magister, Berensis; Sebastianus Francus, iuris utriusque doctor, Anagninae; Ioannes Dominicus de Rubeis, iuris utriusque doctor, Materanensis; et Ioannes Antonius Barnabaeus, Perusinae, civitatum seu dioecesum respective, presbyteri, moderni cappellae nostrae pontificiae cappellani familiares nostri, nobis et Apostolicae Sedi hactenus impenderunt et adhuc solicitis studiis impendere non desistunt, necnon vitae ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus eorum personas tam familiari experientiâ quam etiam fide dignorum testimoniis iuvari percepimus, nos inducunt, ut illis reddamur ad gratiam liberales.

Liberat cappellanos pontificios a quacumque censurâ.

§ 1. Hinc est quod nos, volentes illos specialibus favoribus et gratiis prosequi, eosque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes,

Privilegia eisdem concessa numerantur.

§ 2. Motu proprio, non ad supradictorum Alexandri, Horatii, Francisci Antonii, Sebastiani, Ioannis Dominici, ac Ioannis Antonii, vel alicuius ipsorum, aut aliorum pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de merâ nostrâ deliberatione, ac certâ scientiâ, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, Alexandrum, Horatium, Franciscum Antonium, Sebastianum, Ioannem Dominicum et Ioannem Antonium praedictos, et illorum singulos, in nostros et Apostolicae Sedis notarios recipimus, ac sacri palatii et aulae Lateranensis comites, sine tamen dilectorum filiorum notariorum de numero participantium praeiudicio, necnon nobiles romanos, et Urbis Romae omniumque et singularum aliarum civitatum, terrarum et locorum sanctae Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectorum cives creamus et constituimus, ac in numerum et consortium aliorum nostrorum et eiusdem Sedis notariorum, necnon palatii et aulae comitum, ac nobilium romanorum, aliorumque civium civitatum et oppidorum praedictorum referimus et conscribimus, ipsisque, etiamsi habitum et rocchettum notariorum dictae Sedis iuxta decretum Lateranensis Concilii novissime celebrati non deferant, aut civitates hu-

1 Aptius lege *substituendos... delegandos* (R.T).

2 Similem formam concessionum vide in Constit. VI, Gregorii XV, tom. XII, pag. 510 seq. (R.T.).

iusmodi non incoluerint, nec unquam in eisdem civitatibus domicilium habuerint, ut omnibus et quibuscumque privilegiis, facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis et indultis, quibus ceteri omnes notarii nostri, etiam de numero participantium, necnon comites et nobiles, ac cives originarii, etiam in dignitatum, beneficiorum ecclesiasticorum et secularium, etiam ex personis romanorum originariorum vacantium, assequutione et exercitio, tam in Urbe, quam civitatibus praedictis, ac aliis, ubique locorum et gentium, necnon sessionem et conventum[1], utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad illorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter[1], ac si privilegia, facultates, exemptiones, gratiae et indulta pro ipsis emanassent (citra tamen exemptiones a Concilio Tridentino sublatas, ita ut nedum quoad criminalia, sed etiam quoad civilia subiaceant Ordinariis, ac, circa facultates legitimandi, ad gradus promovendi, ac notarios seu tabelliones creandi, aliaque huiusmodi privilegia a notariis Sedis Apostolicae et comitibus palatinis praetensa, ut illis supranominati cappellani familiares nostri nullibi uti valeant, ac irritum et inane existat, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari), uti, potiri et gaudere, ac in omnibus et singulis apostolicis, aliisque litteris, instrumentis et scripturis publicis et privatis, deinceps eorum nomine conficiendis, sese notarios, comites et nobiles, ac de nobili genere ex utroque parente creatos,

Ius civium in quacumque urbe eisdem tradit.

§ 3. Necnon romanos et aliarum civitatum cives, ut libuerit, inscribere, et se illis subscribere valeant; ac pro veris et non fictis notariis, comitibus et nobilibus, ac civibus habeantur, nihilque qualecumque illud fuerit cum iis expressionibus subreptitium, obreptitium, aut invalidum, sed illud idem efficax in omnibus et per omnia censeatur.

Quod possint retinere officia quoad vixerint.

§ 4. Ad haec, cum eisdem, ut quaecumque duo dissimilia, vel simplicia similia, sub singulis tribus tectis quarumcumque trium cathedralium, etiam metropolitanarum, aut aliarum ecclesiarum consistentia, etiamsi unum ex illis omnibus cum curâ, aut dignitas, etiam maior et principalis, canonicatus et praebenda, personatus, administratio, vel officium fuerit, et ad dignitatem, personatum, administrationem vel officium huiusmodi consueverit quis per electionem assumi, eique cura etiam iurisdictionalis immineat animarum, si eis aliàs canonice conferantur, aut eligantur, praesententur, vel aliàs assumantur ad illa, et instituantur in eis, recipere, et dummodo illa omnia, uno excepto, personalem residentiam non requirant, insimul quoad vixerint retinere;

Fructus beneficiorum poterunt percipere, licet personaliter non residеant.

§ 5. Necnon etiam, quamdiu nobis inservierint tantum, in beneficiis ecclesiasticis, non tamen parochialibus vel curam animarum parochianorum habentibus, per eos pro tempore obtentis, etiam de iure, statuto, fundatione, vel privilegio personalem residentiam requirentibus, etiamsi dignitates in metropolitanis, vel in[1] cathedralibus maiores, et in collegiatis ecclesiis huiusmodi principales fuerint, personaliter residere non teneantur, nec ad id per locorum Ordinarios, seu ecclesiarum earumdem capitula, aut quosvis alios, ad residendum interim in illis inviti compelli possint, omnesque et singulos illorum beneficiorum obtentorum fructus et

1 Comma istud *nec non sessionem et conventum* me non intelligere fateor; in loco parallelo legitur *sessionum et conventuum* (R.T.).

1 Praeposit. *in* nos addimus (R. T.).

redditus durante servitio praedicto cum eâ integritate (distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis) cum qua illos perciperent, si in eisdem ecclesiis sive locis personaliter residerent, percipere, exigere et levare, proviso tamen per eos, ut onera eisdem dignitatibus et beneficiis quovis modo incumbentia congrue supportentur;

Alia privilegia quibus frui poterunt.

§ 6. Necnon, etiamsi presbyteri fuerint, ac dignitates et officia obtinuerint, leges et iura civilia[1] etiam publice in scholis et universitatibus studiorum generalium ad quinquennium dumtaxat, dummodo iidem trigesimum aetatis annum non excesserint, audire, ac, si habiles et sufficientes reperti fuerint, etiam ad doctoratus gradum in huiusmodi facultate se promoveri facere, ipsaque iura etiam publice docere, atque iudicis, advocati et procuratoris officium in causis ecclesiasticis et civilibus tantum exercere libere et licite possint et valeant, de specialis dono gratiae dispensamus.

Poenam aliquorum delictorum pro cappellanis irritat.

§ 7. Liceat quoque ipsis, ac eorum singulis, aliquem idoneum et ab Ordinario loci approbatum presbyterum secularem, vel cuiusvis Ordinis regularem, in suum eligere confessorem, qui, vitâ[2] eis comite, eos et ipsorum singulos a quibusvis excommunicationis, sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, et per eos incursis, et quibus ipsos pro tempore illaqueari contigerit, etiamsi absolutio ad nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes specialiter vel generaliter reservata existat, ac in quorumcumque votorum[3] et Ecclesiae praeceptorum transgressionibus, homicidii casualis, manuum violentarum in quasvis personas etiam ecclesiasticas (non tamen episcopos, vel alios superiores praelatos) de praeterito iniectionibus, seu consilii vel favoris ad id praestationibus, ieiuniorum omissionibus (non tamen recitationis horarum canonicarum, aliorumque divinorum officiorum), ac denique ab omnibus et quibuscumque aliis eorum peccatis, criminibus, excessibus et delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam talibus propter quae Sedes praedicta merito consulenda foret, videlicet contentis in litteris die Coenae Domini publicari consuetis, semel tantum in vitâ et mortis articulo, in reliquis vero dictae Sedi quomodolibet reservatis, aliisque quibusvis casibus, semel in anno, confessionibus illorum diligenter auditis, sine tamen alicuius praeiudicio, praedictâ auctoritate apostolicâ absolvere, ac illis pro commissis poenitentiam pro modo culpae iniungere salutarem,

Votorum commutatio.

§ 8. Necnon vota quaecumque (ultramarino, visitationis liminum beatorum apostolorum Petri et Pauli, castitatisque et religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare,

§ 9. Ac etiam eisdem, eorumque singulis, ut quicumque locorum Ordinarii, vel canonici metropolitanarum[1], seu aliarum cathedralium ecclesiarum, aut personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae, tam in dictâ curiâ, quam extra eam, etiam ad id per eos aut eorum singulos coram notario et testibus fide dignis eligendi seu eligendae, quascumque pensiones annuas eis et eorum singulis super mensarum abbatialium, seu episcopalium, aut archiepiscopalium, et quorumcumque aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium et quorumvis Ordinum regularium, etiam san-

1 Improbe edit. Main. habet *legere, ut iura civilia* pro *leges et iura civilia* (R. T.).

2 Perperam edit. Main. legit *ita* pro *vitâ* (R.T).

3 Incredibili oscitantiâ et confusione ed. Main. legit *veterum* pro *votorum* (R. T.).

1 Male ed. Main. hab. *metropolitanorum* (R.T).

cti Ioannis Hierosolymitani, quomodocumque et qualitercumque qualificatorum, fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et distributionibus etiam quotidianis, seu illarum loco fructus, proventus, iura, obventiones, distributiones et emolumenta sibi nunc et pro tempore assignata et reservata quandocumque, simul vel successive, in toto vel in parte, usque ad summam centum ducatorum auri de camerâ, de eorumdem cappellanorum vel cuiuslibet ipsorum consensu, in toto vel in parte, etiam in mortis articulo, cassare et extinguere, ac postquam cassatae et extinctae fuerint, alias similes pensiones annuas super fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus, distributionibus, seu, illarum[1] loco, fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta huiusmodi, etiam usque ad summam praedictam, uni vel pluribus aliis personis, etiam per eosdem cappellanos et eorum singulos nominandis, etiam quaecumque, quodcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus, expectantibus, seu clericali charactere insigniri volentibus, similiter eis quoad vixerint, vel eorum legitimis procuratoribus, eisdem modo et formâ, quibus eisdem cappellanis assignatae, aut reservari seu assignari concessae seu concessi fuerint, etiam absque consensu easdem pensiones solvere debentium, ac pensiones et fructus, redditus, proventus, iura, obventiones, ac distributiones et emolumenta huiusmodi, etiamsi pluries cassatae et de novo assignatae fuerint, usque ad summam et quantitatem praedictam, ac aliàs cum omnibus et quibuscumque exemptionibus, privilegiis, decretis, clausulis, cautionibus, vinculis, obbligationibus et cautelis, ac etiam censuris et poenis in prioribus reservationibus huiusmodi concessis et contentis, integre persolvendas reservare, constituere et assignare,

§ 10. Necnon, ut iidem cappellani et eorum quilibet de omnibus et singulis domibus, praediis, possessionibus, terris et locis, etiam iurisdictionalibus, ceterisque bonis immobilibus et mobilibus (quae tamen non sint altaris vel altarium ecclesiarum ipsis cappellanis nostris praedictis commissarum ministerio, seu alicui speciali earumdem ecclesiarum divino cultui vel usui deputata) seque moventibus, cuiuscumque qualitatis, quantitatis, valoris, speciei, pretii et conditionis existentibus, ac iuribus et actionibus, ad eos, ratione ecclesiarum, etiam cathedralium et metropolitanarum, monasteriorum, prioratuum, praeposituraram, dignitatum et aliorum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine cura, secularium et quorumvis Ordinum regularium, quae ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis in titulum, commendam, administrationem, ac aliàs quomodolibet obtinuerint et obtinent et obtinebunt, ac fructuum, reddituum et proventuum ecclesiasticorum loco pensionum annuarum, pensionumque annuarum super similibus fructibus, redditibus et proventibus eis reservatorum et assignatarum, et reservandorum et assignandarum, quos et quas perceperint, percipiunt et percipient in futurum, necnon emolumentorum quorumcumque Romanae curiae officiorum, ac aliàs quomodolibet spectantibus et pertinentibus, ac etiam de dictis fructibus, redditibus, proventibus et pensionibus annuis, necnon eorum industriâ et labore quomodolibet et undecumque, licite[1] tamen, acquisitis et acquirendis, ac aliàs etiam de muneribus et officiis, quae exercuerint, ac eos exercere contigerit, et aliâ quavis occasione vel

Privilegia sequuntur.

1 Male etiam *illorum* pro *illarum* legit (R.T).

1 Perbelle (!) ed. Main. h. *tacite* pro *licite* (R.T).

causâ seu contemplatione ad eosdem perventis et perventuris, etiamsi in pecuniâ numeratâ, ac iocalibus, gemmis, aliisque pretiosioribus rebus consistant, tam in dictâ curiâ quam extra eam, ubique locorum, etiam penes beneficia ipsa existentibus (quorum omnium qualitates et veros etiam annuos valores, etiamsi talia forent, quae in generali appellatione bonorum vel suppellectilium non venirent, sed specialibus indigerent vocabulis, praesentibus, ac si specifice et sigillatim exprimerentur ac denotarentur, pro sufficienter expressis et declaratis haberi volumus), ac etiam de ipsis proventibus, ac pensionibus debitis ac debendis, ac nondum perceptis et exactis, etiamsi eorum solutionis aut perceptionis terminus nondum advenerit, pro illâ ratâ quae illis debita erit (constitutione declaratoriâ super fructibus et pecuniis non exactis, quae forsan ad successores in ipsis beneficiis spectare et pertinere deberent, non obstante) etiam ac cumulative cum quibusvis aliis similibus vel dissimilibus facultatibus habitis et habendis, usque ad summam ducentorum ducatorum auri similium dumtaxat, tam pro decentibus et honestis impensis funebribus, quam etiam pro remuneratione illorum qui eis viventibus servierint, etiam ultra servitii meritum, ac in ipsorum consanguineorum et affinium, ac quorumcumque piorum locorum favorem et usum, ac aliàs pro eorum arbitrio et voluntate absolutis, testari, ac testamento, codicillis, fideicommissis, legatis, donationibus, tam inter vivos, quam causâ mortis, ac aliis quibuscumque modis et titulis, scripturâ etiam minus solemni, etiam coram duobus vel tribus testibus, aut etiam cedulâ solâ eorum manu scriptâ, vel subscriptâ, ac aliàs in omnibus et per omnia, prout et quemadmodum eis videbitur, etiam in ipsâ curiâ, non tamen extra residentiam, et in mortis articulo, nullâ factâ mentione praesentis vel aliarum eis pro tempore concessarum similium facultatum, aut quod in vim illarum testari seu disponere velint et intendant, semel atque iterum et pluries disponere, statuere et ordinare, ita ut quidquid testatum, gestum, ordinatum, seu aliàs ab ipsis dispositum fuerit, etiam in vim simplicis distributionis, ac aliàs, omni meliori modo valeat et servari omnino debeat, ipsaque testamenta, codicillos, dispositiones, ordinationes, donationes, legata et statuta, etiam pluries et toties quoties eis videbitur, moderari, limitare, ac etiam in totum revocare, et alia de novo edere, etiam libere et licite valeant, plenam et liberam concedimus facultatem. Statuentes nihilominus et ordinantes, eisque pariter indulgentes, quod si contigerit ipsos ab intestato, et sine ullâ, vel minus validâ bonorum et rerum, ac fructuum, reddituum et proventuum praedictorum dispositione, in dictâ curiâ, vel extra eam, ac etiam sub[1] beneficia aut alia loca debitae ab eis residentiae personalis, etiam nullâ subsistente causâ, ab humanis decedere, omnia et singula eorum bona, res et iura, etiam ut praefertur qualificata, necnon spolia pro dictâ summâ, etiam ex praedictis et aliàs undecumque provenientia, ad cameram apostolicam seu in dictis beneficiis successores non pertineant, sed ad haeredes sanguinis eorumdem integre deveniant, et, illis deficientibus, inter eorum familiares, arbitrio personae seu personarum, quas ad id ipsi scripto nominaverint, distribuantur, nisi de illâ[2] dispositione vel intentione eorumdem scripturâ etiam minus solemni secus appareret, quam tunc velut efficacem ipsae personae, vel alii iudices, seu executores,

1 Pro *sub* legendum *extra* ex loco parallelo (R. T.).

2 Legendum *aliâ* pro *illâ* (R. T.).

omnino exequi et adimplere, illisque[1] sese conformare in omnibus et per omnia debeant.

Defectus supplet.

§ 11. Et nihilominus quaecumque huiusmodi testamenta, donationes, legata, dispositiones et alia forsan aliàs ab ipsis, etiam nullâ aut minus suffcienti facultate suffultis, de huiusmodi bonis, iuribus, actionibus, fructibus, pecuniis, iocalibus, aliisque rebus supradictis, etiam in favorem consanguineorum et affinium praedictorum, ac aliàs quomodolibet facta, cum omnibus inde sequutis, ac etiam ea quae per ipsos in futurum quomodolibet fient, ex nunc prout ex tunc et e contra, pro dictâ summâ ducentorum ducatorum dumtaxat, approbamus et confirmamus, omnesque et singulos iuris et facti, ac solemnitatum omissarum et omittendarum, necnon substantiales aliosque defectus quoscumque, si qui intervenerint in eisdem, etiamsi tales sint vel fuerint quod specialis, specifica de ipsis mentio habenda esset, supplemus.

Contraria removet.

§ 12. Non obstantibus praemissis, ac Lateranensis concilii etiam novissime[2] celebrati, etiam de certo notariorum numero, etiamsi ad illum nondum deventum fuerit, cui per hoc aliàs derogatum non intendimus, ac de consensu praestando in pensionibus, et quibusvis aliis, etiam per nos et Sedem praedictam quomodolibet editis et in posterum edendis cancellariae praedictae regulis, ac stylo in similibus hactenus servato, et piae memoriae Alexandri Papae VI etiam praedecessoris nostri tertiam partem bonorum ecclesiasticorum camerae praedictae deberi inter alia disponente, necnon eiusdem memoriae Bonifacii praedecessoris, per quam concessiones de fructibus in absentiâ percipiendis sine praefinitione temporis fieri prohibentur, ac quorumvis aliorum Romanorum Pontificum, etiam praedecessorum nostrorum, et quibusvis aliis apostolicis, ac in provincialibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon legibus imperialibus et aliis etiam municipalibus, tam Urbis, quam quarumvis aliarum civitatum et locorum, etiam in quibus cives originarii creati sunt, ac quarumvis ecclesiarum, monasteriorum, Ordinum et hospitalis praedicti, necnon quorumvis collegiorum et officiorum dictae curiae, ac regnorum, provinciarum et Urbis, ac aliarum civitatum et locorum, ac praedictae camerae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, etiamsi de illis servandis, et non impetrandis litteris apostolicis contra ea, nec etiam ab alio vel aliis impetratis aut aliàs quomodolibet concessis utendo, ipsi capellani per se vel eorum procuratores praestiterint forsan hactenus vel imposterum eos praestare contigerit iuramentum, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, dictis ecclesiis, monasteriis, Ordinibus et hospitali S. Ioannis Hierosolymitani, illorumque praesulibus, seu administratoribus et superioribus, ac magistris, praeceptoribus, prioribus, militibus, etiam antianis, capitulis et conventibus, civitatibus et locis, aliisque personis et particularibus, necnon archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis, etiam eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, ac dictae curiae officialibus, illorumque collegiis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac etiam nos et Sedem praedictam, etiam consistorialiter et de

1 Lege *illique* pro *illisque* (R. T.).
2 Edit. Main. habet *novissimo* (R. T.).

eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consilio, ac per modum statuti et constitutionis perpetuorum, ac motu et scientiâ paribus, deque apostolicae potestatis plenitudine, ad imperatoris, ac regum et reginarum, ducum, marchionum et aliorum principum instantiam, seu illorum contemplatione, in genere vel in specie, aut aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis et innovatis, et in posterum concedendis, confirmandis et innovandis, etiamsi in iis ac statutis et stabilimentis praedictis caveatur expresse vel tacite, quod Urbis nonnisi originariis civibus romanis, ac civium eorumdem filiis, aliarum vero partium beneficia, nisi per personas illustres, seu nobiles, ac etiam originarios cives, aut aliàs certo modo in illis expresse qualificatos, obtineri aut conferri possint, et nullus in civem Urbis aut civitatum, oppidorum, terrarum et locorum huiusmodi admitti, seu illorum privilegiis uti possint, nisi prius in dictis civitatibus, oppidis, terris et locis per certum tempus habitaverit, seu etiam in illis bona etiam stabilia forsan ad certum valorem ascendentia possideat, quodque praeceptoriae et alia beneficia quaecumque dicti hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, tam ex eius institutione, quam ex stabilimentorum praedictorum dispositione, non in titulum perpetuorum beneficiorum conferri, sed in commendam ad vitam concedendorum revocabiliter concedi debeant, et sic pensionibus, clericis secularibus aut aliis personis apostolicâ auctoritate reservandis, gravari non possint, quodque stabilimentis et privilegiis praedictis, etiam vigore causae[1] implicitae derogationis latissime extendendis[2], etiam per quascumque litteras apostolicas et quasvis etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores et insolitas clausulas, derogari non possit, nec derogatum censeatur, nisi derogatio huiusmodi de consilio dictorum cardinalium fiat, et tum demum ad id magistri et conventus praedictorum expressus accedat assensus, sintque litterae derogationis huiusmodi etiam per dictum magistrum subscriptae, ac eis et praedicto conventui per diversas in formâ Brevis aut alias litteras diversis temporibus cum certis intervallis praesentatas intimatae, et non aliàs, nec alio modo, et semper in huiusmodi litteris sic fiant, etiamsi de simili consilio derogationis sit apposita clausula[1], quod illarum effectum sortiantur de consensu magistri et conventus praedictorum, et non aliàs, aliter, nec alio modo; quibus omnibus et eorum singulis (etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio ad hoc servanda foret, et in eis caveatur expresse quod illis nullatenus derogari possit, quodque clausula implicitae derogationis in rescripto etiam motu proprio emanato apposita aliter in litteris exprimi vel extendi nequeat), illorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat, harum serie, in genere et in specie, ad effectum praemissorum, sufficienter et expresse, motu et scientiâ similibus, derogamus, ac derogatum esse decernimus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 13. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo

1 Potius lege *vigore et causâ* (R. T.).

2 Aptius in loc. parall. legit. *extendendae* (R.T).

1 Intelligat qui potest; forsan legendum: *et semper in omnibus litteris, quae sic fient, etiamsi de simili consilio, sit apposita clausula*, etc, (R. T.).

personae alicuius in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae;

Iuramenta praestare debent.

§ 14. Quodque, antequam gratiâ notariatus perfrui valeant, in manibus alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae professionem fidei iuxta articulos pridem a Sede praedictâ propositos emittere et solitum fidelitatis iuramentum omnino praestare teneantur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII ianuarii MDCXLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 18 ianuarii 1647, pontif. anno III.

LXXIV.

Confirmatio resolutionis congregationis cardinalium et praelatorum a Sanctissimo deputatae in negocio controverso inter monachos antiquae seu communis observantiae et monachos abstinentes Ordinis Cisterciensium, circa electionem abbatis generalis, aliorumque abbatum et officialium, ac esum carnium, et novitiorum receptionem[1].

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Salvatoris et Domini nostri Iesu Christi, qui charitas est et Deus pacis, vices meritis licet imparibus gerentes in terris, sinceram animorum concordiam inter christifideles quoslibet praesertim Altissimo sub suavi religionis iugo famulantes confovere studemus, et quae pro sopiendis litibus et controversiis inter eos ortis facta fuerunt, ne in recidivae contentionis scrupulum relabantur, libenter apostolicae confirmationis robore communimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Motiva huius confirmationis.

§ 1. Cum itaque, vertentibus aliàs inter dilectos filios abbates et monachos antiquae seu communis observantiae ex unâ, et vicarium generalem et abbates monachosque strictae observantiae, seu abstinentes nuncupatos, Ordinis Cisterciensium, partibus ex alterâ, quibusdam controversiis circa reformationem dicti Ordinis, iudices desuper a Sede Apostolicâ delegati per suam definitivam sententiam inter alia, ut asseritur, praedictis antiquis seu communis observantiae monachis vocem activam dumtaxat in electionibus abbatum Cistercii, capitis eiusdem Ordinis, Cabilonensis dioecesis, competere decreverint, ac quaedam circa esum carnium in eodem Ordine a centum et amplius annis etiam ex privilegio apostolico receptum, ac etiam circa receptionem novitiorum immutaverint, et propterea, praedictorum antiquorum seu communis observantiae monachorum se inde gravatos praetendentium nomine, habito ad nos recursu, negocioque nonnullis S. R. E. cardinalibus et Romanae curiae praelatis per nos commisso, tandem dilectus filius Attilius Petrasancta, abbas monasterii S. Crucis in Hierusalem de Urbe, dicti Ordinis ab utrâque parte procurator specialiter pro componendo iuxta mentem et voluntatem nostram negocio huiusmodi, acquieverit resolutioni seu determinationi per cardinales et praelatos praedictos in eodem negocio factae, videlicet: « Quod circa electionem abbatis generalis, aliorumque abbatum et officialium dicti Ordinis, ac esum carnium, et receptionem novitiorum servetur, prout, ante sententiam per dictos iudices latam, iuxta eiusdem Ordinis constitutiones etiam apostolicas servabatur » :

A censuris absolvit.

§ 2. Nos, inviolabili resolutionis seu determinationis huiusmodi, per dictum Attilium nomine ambarum partium acceptatae, firmitati, quantum cum Domino possumus,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Edit. Main. legit *illis* (R. R.).

consulere volentes, et singulares dictorum monachorum personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus dicti Attilii nobis desuper humiliter porrectis inclinati, resolutionem seu determinationem praedictam, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, ac illi[1] inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, ac ab utrâque dictarum partium perpetuo inviolabititer observari mandamus;

Confirmat prout in rubricâ.

§ 3. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 3. Non obstante quacumque litis pendentiâ, ac apostolicis, et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I februarii MDCXLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 1 februarii 1647, pontif. an. III.

1 Edit. Main. legit *illis* (R. T.).

LXXV.

Quod in Ordine fratrum Eremitarum sancti Augustini duo vel plures in primo vel secundo gradu consanguinei vel affines nullatenus simul conveniant et votare possint in capitulis aut congregationibus capitularibus, et multo minus definitorium simul ingredi[1].

Innocentius Papa X, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Iniuncti nobis a Domino pastoralis officii ratio postulat, ut his, quae pro felici statu et regimine Ordinum regularium in militante Ecclesiâ pie institutorum statuta fuerunt, quo exactius serventur, apostolici muniminis adiiciamus firmitatem, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Exponi siquidem nobis nuper

Supplicatio.

fecit dilectus filius Salvator Severinus de Fabiano, Camerinensis dioecesis, procurator generalis fratrum Eremitarum Ordinis sancti Augustini, quod quondam Andreas Fivizanus, Ordinis praedicti, dum viveret, prior generalis, pro felici eiusdem Ordinis gubernio inter cetera edidit decretum tenoris sequentis, videlicet:

Statutum.

§ 1. « Postremo, religiosam eligentium libertatem foventes, simulantes[2], humanasque relationes dissecantes, religionis beneficium prosequentes et ad nostras electiones transferentes, decernimus, ut deinceps in capitulis nostris pontificialibus aut

1 Istius Ordinis materiam habes ad Const. CCCV, *Aliàs*, Urbani VIII, tom. XIV, pag. 12.

2 Forsan legendum *simultates* (R. T.).

congregationibus, duos vel plures in primo vel secundo gradu consanguinei vel affines nullatenus simul conveniant et votare possint, et multo minus definitorium simul ingredi et concurrere, etiam ad tertium gradum, eodem biennio vel triennio valeant, nec tales in praedictis gradibus primo et secundo coniuncti, si fuerint sacerdotes vocem habentes, in eodem monasterio conventualiter degere possint, nisi communi patrum definitorii consensu per vota secreta accedente, scilicet in evidentibus casibus inevitabilis necessitatis; tum vero ille, cum quo fuerit dispensandum, toto dicto tempore intercedente, in eo conventu voce passivâ omnino careat, et activam in illis tantum electionibus aut propositionibus habeat, in quibus talis eius consanguineus non votaverit: quando autem duo vel plures huiusmodi consanguinei vel affines casu aliquo votum haberent, ille tantum, qui ratione officii digniorem locum habuerit, ad capitulum accedat, ceteri vero non accedant, nec accedere permittantur; ac, si contingat, quod multi non ratione officii, sed legis et privilegii concurrant, tunc professione antiquior, si voluerit, votare poterit ». Et infra: « Quare omnes electiones, deinceps contra hasce nostras ordinationes factas, nullas, irritas ac invalidas esse decernimus et declaramus, quibuscumque, in contrarium non obstantibus ».

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, licet decretum praedictum aliàs a felicis recordationis Clemente Papa VIII praedecessore nostro per suas in simili formâ Brevis litteras confirmatum, exequutionique demandatum fuerit, nihilominus, quia successu temporis observantia eiusdem decreti in aliquibus ex provinciis dicti Ordinis, variis sub praetextibus, etiam non usus, omissa, seu neglecta fuit, experientia vero doceat, ex desuetudine decreti huiusmodi perturbationes praesertim in electionibus superiorum et regimine domorum regularium eiusdem Ordinis maxime vigere: nobis propterea dictus Salvator procurator generalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

A censuris absolvit.

§ 3. Nos, eiusdem Salvatoris procuratoris generalis votis huiusmodi annuere volentes, ipsumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, praeinsertum dicti quondam Andreae Fivizani prioris generalis decretum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illique perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, dictumque decretum in toto Ordine praedicto et ubique terrarum servari, sub poenis in eodem decreto contentis, mandamus, salvâ semper auctoritate congregationis dictorum cardinalium; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus.

Confirmat decretum prout in rubricâ.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac aliis eiusdem Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII februarii MDCXLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 23 februarii 1647, pontif. anno III.

LXXVI.

Inserit Urbani VIII litteras incipientes: Exponi nobis nuper fecit; *confirmatque decretum sacrae congregationis cardinalium super negotiis regularium praepositorum, in quo fratribus Discalceatis Ordinis S. Mariae de Mercede, super ministerio redemptionis captivorum, ac iure quaerendi, eâdemque causâ eleemosynas colligendi, acceptandique donationes et legata quaecumque, ac superioris generalis electionem independenter a reverendissimo dicti Ordinis magistro generali faciendi, minime concedendam esse audientiam conceditur.*

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Patrum Calceatorum supplicatio.

§ 1. Aliàs a felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris sequentis, videlicet: *Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.* Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Perez de Munebrega, etc.[1]

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Ignatius Vindondo, procurator generalis eorumdem fratrum Calceatorum, nobis nuper exponi fecit, habito ad nos sub ipso pontificatus nostri principio ab eisdem fratribus Discalceatis recursu, ut de novo super praemissis audirentur, petitoque insuper sibi concedi facultatem eorum et dictae Congregationis superiorem generalem penitus et omnino independenter a dictis fratribus Calceatis eligendi; et negotio huiusmodi per nos remisso ad eosdem venerabiles fratres nostros eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositos, et tandem partibus praefatis hinc inde iussu nostro in congregatione eorumdem cardinalium auditis, illarumque iuribus accurate discussis, iidem cardinales, ut aliquando omne litis fomentum vel incentivum ex parte eorumdem fratrum Discalceatorum, de et super ministerio redemptionis captivorum, necnon iure quaerendi colligendique eâdem causâ eleemosynas, acceptandique donationes et legata quaecumque, ab ipsis, independenter a pro tempore existente magistro generali eorumdem fratrum Calceatorum, faciendi et respective exigendi[2], cessaret, ad relationem dilecti filii nostri Ioannis Baptistae tituli S. Sylvestri de Capite presbyteri cardinalis Paleotti nuncupati, fratribus Discalceatis huiusmodi super praemissis non esse dandam novam audientiam decreverint; praemissa vero, quo firmius subsistant et exactius observentur, idem Ignatius procurator generalis apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri summopere desideret:

Praecedens decretum con-

§ 2. Idcirco nos, eumdem Ignatium

1 Vide supra pag. 56 (R. T.).

2 Legerem *faciendo ... exigenda* (R. T.).

firmat et approbat hic Pontifex.

procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existat, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praefatum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis vim et robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ tamen semper auctoritate congregationis eorumdem cardinalium; decernentes illud necnon praesentes litteras valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, quos illa concernunt, et quomodolibet in futurum concernent, inviolabiliter et inconcusse observari,

Clausula *subalt.*

§ 3. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, ac Sedis Apostolicae nuntios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae Congregationis eorumdem fratrum Discalceatorum hactenus editis et edendis, ac circa ministerium redemptionis huiusmodi quoquo modo disponentibus statutis, constitutionibus et consuetudinibus, necnon omnibus et singulis illis quae iidem Gregorius et Urbanus praedecessores in suis litteris praedictis voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 4. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu, etc.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v martii MDCXLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 5 martii 1647, pontif. anno III.

LXXVII.

Quod in congregatione Cassinensi Ordinis sancti Benedicti ad officium cellerariatus decani tantum promoveantur [1].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

In his apostolicae nostrae sollicitudinis partes libenter interponimus, per quae religiosorum Ordinum quorumlibet felici statui opportune consulitur. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Ludovicus Balbus procurator generalis congregationis Cassinensis Ordinis sancti Benedicti, quod in constitutionibus eiusdem congregationis apostolicâ auctoritate confirmatis cautum reperitur, ut in cellerarios monasteriorum dictae congregationis nulli omnino praeter decanos eligantur.

§ 1. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, per abusum in eâdem congregatione introductum, administrationes officiorum cellerariatuum huiusmodi simplicibus sacerdotibus, qui non sint decani, sub titulo et nomine oeconomiae committi consueverint, quod directe constitutionibus praefatis et solito eiusdem congregationis repugnat, et ex

1 De istorum monachorum materiâ lege quae notavi ad Constit. CDXXXVI Urbani VIII, *Sancta Mater*, tom. XIV, pag. 284, et eiusdem Constit. DCII *Aliàs*, ibid., pag. 648.

quo graves perturbationes et incommoda in eâdem congregatione provenire possunt: nobis propterea idem Ludovicus procurator generalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat prout in rubricâ.

§ 2. Nos igitur, eumdem Ludovicum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, ut in posterum ad officium cellerariatus decani tantum promoveantur ad praescriptum praefatarum constitutionum eiusdem congregationis Cassinensis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, statuimus et ordinamus, salvâ tamen semper auctoritate congregationis eorumdem cardinalium. Decernentes quascumque electiones quorumcumque aliorum, quam ipsorum decanorum, ad officia cellerariatuum huiusmodi, de cetero quandocumque et quomodocumque aliàs quam iuxta praesentium litterarum formam et tenorem faciendas, nullas, irritas et inanes fore et esse, neminique suffragari posse, ac ipsas praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, quos illae concernunt et concernent in futurum, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumpti credi praecipi

§ 4. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV martii MDCXLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 15 martii 1647, pontif. anno III.

LXXVIII.

Commissio nuncio apud imperatorem ad fabricandum processum contra electum Tinnensem et eius familiares[1].

Dilecto filio, nostro et Apostolicae Sedis ad charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Romanorum regem illustrem in imperatorem electum nuncio,

Innocentius Papa X.

Dilecte fili,

salutem et apostolicam benedictionem.

Causae huius commissionis.

§ 1. Cum, sicut accepimus, dilectus filius Georgius de Bosna, Ordinis fratrum Mino-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

rum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum professor, electus Tinnensis, fabricationis monetae falsae insimuletur [1], nos delictum huiusmodi, quatenus idem Georgius illius culpabilis reperiatur, nequaquam impunitum remanere, idque diligenter cognosci, et processum desuper confici volentes, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut de praemissis diligentem cognitionem capias, et tam contra eumdem Georgium quam contra eius socium et duos illius familiares procedas, et processum seu processus fabrices et conficias, exactamque facti instructionem et informationem sumas, aliaque desuper necessaria et quomodolibet opportuna facias, geras, mandes et exequaris usque ad sententiam definitivam exclusive.

Concessio faciendi processus.

§ 2. Nos enim tibi eumdem Georgium, concurrentibus tamen contra eum legitimis indiciis, in aliquo monasterio dicti Ordinis, vel alio loco tibi beneviso, bene et diligenter custoditum retinendi, seu retineri et detineri faciendi, plenam et amplam facultatem, apostolicâ auctoritate, earumdem tenore praesentium, concedimus, absque eo quod ob praemissa ullam censuram ecclesiasticam aut irregularitatis notam incurras. Quod si quid etiam eâ in re contra dictum Georgium et alios praedictos resultabit, volumus, ut informationes et processus, quos desuper vigore praesentium ceperis et fabricaveris, in formâ authenticâ sub tuo sigillo clausas et clausos, ad nos tuto transmittas, ut quod in praemissis statuendum fuerit, maturâ adhibitâ deliberatione, decernamus.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae V [2] praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis etiam in aliis conciliis universalibus editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII martii MDCXLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 23 martii 1647, pontif. anno III.

1 Edit. Main. habet *insimulet* (R. T.).

2 Videtur more solito legendum *VIII* (R. T.).

LXXIX.

Confirmatio decreti trium statuum regni Valentiae circa manutentionem mille et ducentorum militum [2].

Charissimo in Christo filio nostro, Philippo Hispaniarum regi catholico, Innocentius Papa X.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Petitionis motiva.

Maiestatis tuae nomine nobis nuper expositum fuit, quod tria stabilimenta, seu tres status, ecclesiasticus [1], videlicet, militaris et regalis regni Valentiae in eorum parlamento seu comitiis generalibus unâ congregati de anno MDCXLV nuper elapso, provide considerantes eiusdem regni, bellis quae in eius finibus geruntur obnoxii, necessitates et pericula inde illi impendentia, pro eiusdem maiestatis tuae servitio mille et ducentos milites, pro sex

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Male edit. Main. legit *ecclesiasticos* (R. T.).

futuris ex tunc proxime tuorum in illis partibus exercituum in expeditionem eductionibus, sumptibus suis manutenere decreverunt, dummodò quoad ratam personas ecclesiasticas tangentem nostra et huius sanctae Sedis licentia accedat.

§ 1. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, hac in re de communi tam ecclesiasticorum quam laicorum salute et incolumitate agatur, evidensque urgeat necessitas, et laicorum facultates, praeteritis bellis exaustae, manutentioni militum huiusmodi non sufficiant: nobis propterea eiusdem maiestatis tuae nomine fuit humiliter supplicatum, ut in praemissis auctoritatem nostram interponere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Supplicationibus annuit.

§ 2. Nos igitur, maiestatem tuam, eximiis eius in nos et Sedem praedictam ita exigentibus meritis, specialis favore gratiae prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum dictorum trium stabilimentorum, seu statuum, circa praemissam manutentionem mille et ducentorum militum huiusmodi, etiam quoad ratam personas ecclesiasticas eâ in re tangentem et in dictis comitiis oblatam, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, ipsisque personis ecclesiasticis regni praedicti, ut ratam huiusmodi persolvere, ac tua maiestas seu ministri tui illam petere, exigere, recipere et levare, absque conscientiae seu censurarum et poenarum ecclesiasticarum incursu, libere et licite valeant, concedimus et indulgemus, necnon easdem personas ecclesiasticas, quatenus ipsi ratam huiusmodi iam solverint, ac eamdem maiestatem tuam et tuos ministros praedictos si eamdem ratam iam receperint, ab omnibus et singulis censuris et poenis per eos propterea quomodolibet incursis ad cautelam absolvimus et absolutos fore censemus et declaramus, tibique omne id quod a praedictis personis ecclesiasticis ratione dictae ratae hactenus exactum et perceptum fuit gratiose condonamus.

A censuris absolvit.

§ 3. Ceterum volumus, ut exactio ratae huiusmodi per personas etiam ecclesiasticas, a stabilimento seu statu ecclesiastico praedicto deputandas, non autem per seculares fiat.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxx martii MDCXLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 30 martii 1647, pontif. anno III.

LXXX.

Innovatio super prohibitione transitus fratrum Discalceatorum Ordinis beatae Mariae de Mercede Redemptionis captivorum ad fratres Calceatos eiusdem Ordinis.

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Motiva huius innovationis.

Cum, sicut nomine dilecti filii Ioannis a Regibus procuratoris generalis fratrum Discalceatorum Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis captivorum nobis nu-

per expositum fuit, quod dilectus pariter filius Ioannnes Suarez a S. Basilio, in dicto Ordine aliàs expresse professus, ad fratres Calceatos eiusdem Ordinis transierit absque Sedis Apostolicae licentiâ, et contra formam quarumdem in simili formâ Brevis litterarum a felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessore nostro, sub die XXIX ianuarii MDCXXVIII emanatarum, quibus inter alia decretum fuit, ut ex tunc de cetero perpetuis futuris temporibus nulli praedictorum fratrum Reformatorum seu Discalceatorum huiusmodi absque speciali dictae Sedis licentiâ ad eosdem fratres Calceatos quavis ex causâ, sub apostasiae et infamiae perpetuae notâ, necnon excommunicationis et privationis vocis activae e. passivae poenis, transire, minusve fratribus Calceatis praedictis illorumque superioribus eosdem fratres Reformatos seu Discalceatos de facto transeuntes, etiamsi novam professionem regularem emisissent, sub privationis suorum officiorum ac excommunicationis similiter poenis, recipere vel retinere ullo modo liceret, et aliàs prout in eisdem Urbani praedecessoris litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur; proindeque dictus Ioannes procurator generalis quemcumque transitum eorumdem fratrum Discalceatorum ad dictos Calceatos, absque beneplacito apostolico factum, nullum et irritum per nos declarari, aliàsque ut infra provideri summopere desideret:

Innovat prout in rubrica.

§ 1. Nos, eumdem procuratorem generalem huiusmodi specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus dicti procuratoris nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attentis narratis, ac auditis partibus, non licere fratribus Discalceatis beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum sub quovis praetextu transire ad fratres Calceatos eiusdem Ordinis, nec superioribus Calceatis eosdem Discalceatos recipere, nisi de expressâ licentia huius sanctae Sedis, et proinde, tam praedictum Ioannem Suarez, quam alios quoscumque, qui, non sequutâ[1] formâ earumdem dicti Urbani praedecessoris litterarum, a praedictis fratribus Discalceatis ad eosdem Calceatos transiverint, ad ipsos Reformatos, cum primum desuper moniti fuerint, redire, et fratres Calceatos, seu illorum superiores, ipsos Reformatos de facto transeuntes superioribus Reformatorum, seu ab eis deputandis, statim absque iudicis ministerio tradere et consignare teneri, sub censuris et poenis in eisdem dicti Urbani praedecessoris litteris contentis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus, salvâ tamen semper auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Decretum irritans.

§ 2. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet in futurum spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari,

§ 3. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de la-

1 Forsan legendum *servatâ* (R. T.).

tere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat. § 4. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae idem Urbanus praedecessor noster in suis litteris praedictis voluit non obstare; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat. § 5. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III aprilis MDCXLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 3 aprilis 1647, pontif. anno III.

LXXXI.

Quod fratres Ordinis Eremitarum sancti Augustini praecedant in processionibus et aliis actibus publicis fratres Ordinis Minorum sancti Francisci strictioris observantiae [1].

Innocentius Papa X, ad perpetuam rei memoriam.

Procemium. Romanus Pontifex, universalis Ecclesiae regimini divinâ disponente clementiâ praepositus, interdum ea, quae rationalibus ex causis a Sede Apostolicâ sancita sunt, ipsâ subinde rerum experientiâ suadente, et maioribus ex causis, alterat et immutat, in hisque pastoralis officii sui partes sollicite interponit, prout, locorum temporumque qualitatibus debite pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

Supplicatio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Malvenda, assistens Hispaniarum dilecti filii prioris generalis fratrum Ordinis Eremitarum sancti Augustini, quod, ortâ aliàs differentiâ super iure praecedendi in processionibus aliisque actibus publicis inter dilectos filios fratres Ordinis Minorum sancti Francisci Strictioris Observantiae nuncupatos loci de Vinaros ex unâ, et fratres primodicti Ordinis sancti Augustini eiusdem loci partibus ex alterâ, secundodicti fratres huiusmodi, ad confovendum ius suum, quasdam sub IX ianuarii MDCXXX, ac alias sub X iunii MDCXLIII, necnon reliquas in simili formâ Brevis litteras sub, diebus, XX, mensium, aprilis, annorum, MDCXLIV, respective, ad eorum favorem a felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessore nostro emanatas contra dispositionem constitutionis similis memoriae Gregorii Papae XIII etiam praedecessoris nostri, quae incipit *Pastoralis*, coram dilecto filio curiae causarum camerae apostolicae generali auditore executioni demandari institerunt et obtinuerunt, aliis etiam sententiis et decretis in partibus desuper subsecutis; cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, iidem primodicti fratres se desuper inauditos, et exinde non leviter gravatos fuisse et esse praetenderent, et eapropter ad venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales sacris ritibus praepositos recursum habuerint, cupiantque in praemissis sibi opportune provideri:

Transumptis credi iubet. § 2. Idcirco nos, ad uberes fructus, quos iidem primodicti[1] fratres in vineâ Domini in dies afferre noscuntur, paternae dirigentes considerationis intuitum, ipsumque Petrum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, cen-

1 Praecedentiam Ordinum Mendicantium inter se decrevit Gregorius XIII Constit. CLII *Exposcit*, tom. VIII, pag. 429.

1 Ed. Main. habet *pridicti* (R.T.).

suris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de consilio eorumdem cardinalium, qui negotium huiusmodi mature discusserunt, pluribus [1] auditis partibus in iure et in facto informantibus, et [2] relationem dilecti filii nostri Marci Antonii tituli S. Mariae de Pace presbyteri cardinalis Franciotti nuncupati, post longam earumdem Urbani praedecessoris litterarum huiusmodi discussionem de mandato nostro factam, praefatas dicti Urbani praedecessoris litteras ad terminos iuris, non solum in praesenti, sed etiam in quacumque simili causâ, tam in dicto loco de Vinaros, quam in aliis in eisdem litteris contentis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, reducimus, et denique ubique terrarum servandam esse eamdem dicti Gregorii praedecessoris constitutionem declaramus, statuimus et ordinamus; salvâ tamen semper auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes presentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, quos illae concernunt, et in futurum quomodolibet concernent, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, dictaeque Sedis nuntios, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

1 Videtur potius legendum *pluries* (R. T.).

2 Potius lege *ad* pro *et* (R. T.).

Exequutorum deputatio.

§ 4. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis, in quibus primodictorum fratrum huiusmodi domus regulares erectae sunt, sive in posterum erigentur, ac dilectis filiis eorum officialibus seu vicariis in spiritualibus generalibus, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte eorumdem primodictorum fratrum requisiti fuerint solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ praemissa omnia et singula ab eis, ad quos spectat et pro tempore spectabit in futurum, inviolabiliter observari, ac eosdem primodictos fratres praemissorum commodo et effectu quiete et pacifice ubique frui et gaudere, non permittentes illos desuper quomodolibet indebite molestari, perturbari, inquietari vel impediri,

Contravenientibus poenas imponit.

§ 5. Contradictores quoslibet et rebelles, aut aliàs in praemissis non parentes, seu sese quomodolibet opponentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus praefatis dicti Urbani praedecessoris litteris, necnon recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII etiam praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dictis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quorumvis Or-

dinum, congregationum et institutorum, illorumque domorum et locorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque [1] tenore et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel specie, et aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores [2] praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum praemissorum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 7. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII aprilis MDCXLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 13 aprilis 1647, pontif. anno III.

LXXXII.

Confirmatio decreti sacrae congregationis S. R. E cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae, quod conventus seu loca fratrum Ordinis Eremitarum sancti Augustini non possint occupari ab aliis regularibus, sub quovis titulo vel praetextu, etiam reformationis, nisi prioris generalis eorumdem Eremitarum accedente consensu [1].

Innocentius Papa X, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

In his apostolicae nostrae sollicitudinis partes libenter interponimus per quae religiosorum Ordinum quorumcumque felici statui opportune consuli cognoscimus.

Querelae fratrum Ordinis Eremitarum sancti Augustini adversus fratres Discalceatos eiusdem Ordinis.

§ 1. Exponi siquidem nobis fecit dilectus filius Salvator Severinus Fabrianensis, Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini procurator generalis, quod (licet aliàs a felicis recordationis Sixto IV, Leone X, diversisque aliis per quasdam suas sub plumbo, vel in aliâ formâ, et novissime a recolendae memoriae Urbano Papa VIII, Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, per suas in simili formâ Brevis de anno MDCXXVIII emanatas litteras, respective, dispositum mandatumque fuerit, ne fratres, seu alii regulares de Observantia vel Reformati nuncupati, dicti seu alterius Ordinis quocumque nomine censerentur, sub quovis titulo vel praetextu, etiam reformationis, monasteria, conventus, domus et alia regularia loca, quae ab ipsis primodictis fratribus Eremitis Ordinis sancti Augustini actu possidentur et inhabitantur, vexare, occupare, retinere, aut etiam sponte oblata acceptare, nisi pro tempore existentis prioris generalis primodicti Ordinis huiusmodi expressus [2] et in scriptis desuper accessisset assensus, sub excommunicationis Sedi Apostolicae reservatae aliisque forsan tunc

1 Legerem *sub quibuscumque verborum* pro pro *illis eorumque* (R. T.).

2 Male edit. Main. habet *tenoribus* (R. T.).

1 Fratrum sancti Augustini variae congregationes in unam Eremitarum sancti Augustini professionem et regularem observantiam univit olim Alexander IV in Constit. XXIX, *Licet ecclesiae*, tom. III, pag. 635; postea autem fratrum Eremitarum sancti Augustini Discalceatorum sive Reformatorum congregatio a Clemente VIII instituta fuit, ut legitur in eius Const. CCXX (*al.* 210), tom. XI, pag. 548.

2 Male edit. Main. legit *expressis* (R. T.).

expressis poenis, nullatenus umquam possent, auderent, seu praesumerent, decretumque fuerit, quidquid in contrarium praemissorum in futurum attentari aut a Sede praefatâ concedi vel impetrari sine praedicti pro tempore existentis primodicti Ordinis prioris generalis consensu contigisset, illud irritum, nullum et inane, nulliusque roboris aut momenti, ac pro infecto haberetur, nisi praefatis litteris eorumdem Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, non per clausulas generales, sed de verbo ad verbum, ipso priore generali et seu Ordine praefato desuper consentiente, derogatum fuisset) nihilominus dilecti filii fratres Discalceati Congregationis Franciae Ordinis sancti Augustini huiusmodi in dies eisdem praemissis contravenire non verentur, satagentes, non sine magno christifidelium offendiculo, ac regularium personarum perturbatione, monasteria, conventus, domos et alia regularia loca eorumdem primodictorum fratrum in toto ferè eiusdem regno Franciae occupare, prout inter alia novissime conventum Massiliensem occuparunt, suis fortasse constitutionibus, quàs novissimas vocant et asserunt auctoritate apostolicâ confirmatas, innixi, in quarum part. I, cap. V *De voto paupertatis* § II haec verba habentur: « Conventus autem S. P. N. Augustini licebit acceptare et reformare, ac in eis vices et ministeria aliorum religiosorum supplere ». Quare, per eumdem Salvatorem procuratorem generalem habito ad venerabiles fratres nostros sanctae Romanae Ecclesiae cardinales negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositos recursu, petitoque praefata verba earumdem constitutionum novissimarum (cum in illis generaliter apposita fuerint nullâ habitâ ratione de praemissis, et per dictas constitutiones, litterasque apostolicas, illarum confirmatorias praefatis earumdem Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum litteris nullatenus de verbo ad verbum derogatum fuerit, minusve desuper tunc existens primodicti Ordinis prior generalis consenserit, immo sedulo et expresse reclamaverit) nulla, cassa et irrita declarari, ab eisdem cardinalibus emanavit decretum tenoris sequentis, videlicet:

Decretum S. R. E. cardinalis adversus eosdem Discalceatos

§ 2. « Sacra congregatio sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, auditis saepius partibus, et et SS. D. N. annuente, censuit verba illa, quae leguntur in constitutionibus fratrum Discalceatorum sancti Augustini congregationis Galliae novissime impressis part. I, cap. V, *De voto paupertatis*, § II, videlicet, « Conventus autem S. P. N. Augustini licebit acceptare et reformare, ac in eis vices et ministeria aliorum religiosorum supplere », fuisse male et per errorem dictis constitutionibus, etiam in originali, apposita et inserta, ac proinde delenda fore et esse, prout, virtute praesentis decreti, tolli et deleri, ac pro non appositis haberi decernit et mandat, etc. ». Datum Romae XXIV martii MDCXLV.

M. cardinalis GINETTUS.

Loco † sigilli.

Quod confirmat hic sanctissimus Pontifex.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Salvator procurator generalis decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et exactius observetur, apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri summopere desideret[1], nos, eiusdem Salvatoris procuratoris generalis desiderio huiusmodi annuere, ipsumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis,

1 Edit. Main. legit *desiderat* (R. T.).

a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, salvâ tamen semper auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Clausula praeservativa.

§ 4. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, quos illae concernunt[1] quomodolibet in futurum, inviolabiliter et inconcusse observari,

Clausula *sublatâ*.

§ 5. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores deputat.

§ 6. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis dicti regni per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte primodictorum fratrum Eremitarum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos praemissorum omnium et singulorum commodo et effectu frui et gaudere, illaque ab omnibus ad quos spectat et in futurum spectabit, inviolabiliter observari, et debitae executioni demandari, non permittentes illos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet, indebite molestari,

Contravenientibus poenas imponit.

§ 7. Contradictores quomodolibet et rebelles, praemissisque non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria tollit.

§ 8. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon primodicti Ordinis, ipsiusque congregationis Galliae eorumdem fratrum Discalceatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, et praedictis constitutionibus novissimis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis dictae congregationi, illiusque superioribus et personis, ac quibusvis aliis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris,

1 Supple *aut concernent* (R. T.).

specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet. § 9. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV aprilis MDCXLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 25 aprilis 1647, pontif. anno III.

LXXXIII.

Declaratio Sanctissimi, quod collegium Hibernorum de Urbe, a bonae memoriae cardinale Ludovisio fundatum et dotatum, sit de iurepatronatus excellentissimi domini principis Ludovisii eiusque descendentium, cum diversis indultis [1].

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Inscrutabilis divinae providentiae altitudo, a qua bona opera cuncta procedunt, ea fidelium suorum animis quandoque suggerit, quae ad collegiorum institutionem, ac pauperum studiis litterarum incumbere volentium manutentionem noscuntur pertinere: unde nos, quibus ab eâdem providentiâ militantis Ecclesiae regimen est commissum, ipsorum fidelium, praesertim S. R. E. cardinalium pias voluntates ad id tendentes, ut votivos sortiantur effectus, apostolici favoris suffragio libenter prosequimur, ac desuper officii nostri partes interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Motiva huius declarationis. § 1. Cum itaque, sicut accepimus, bonae memoriae Ludovicus S. R. E. cardinalis Ludovisius nuncupatus, pro egregiâ suâ in Deum pietate et in proximum charitate, ut iuvenes catholici, ex regno Hiberniae, inter ceteras orbis provincias olim orthodoxae religionis cultu sincerâque erga Romanos Pontifices et hanc S. Sedem obedientiâ in primis conspicuo, nunc [1] autem (proh dolor!) haereticâ labe partim infecto, Romam tamquam ad communem christianorum matrem, patriâ, parentibus, bonisque relictis, auxilii et instructionis causâ confugientes, honeste recipi et sustentari, ac humanis divinisque litteris probe instrui possent, ut pietate, doctrinâ, moribusque catholicis imbuti, in patriam, ad conterraneos suos in viam salutis, a qua diaboli seductione misere aberrant verbo et exemplo reducendos, revertantur, unum collegium pro alendis iuvenibus Hibernis huiusmodi in Urbe praefatâ ex propriis suis bonis et facultatibus fundaverit et abunde dotaverit: nos, felici eiusdem collegii statui, illiusque alumnorum gubernio et directioni, quantum cum Domino possumus, consulere, ac dilectum filium nobilem virum Nicolaum Ludovisium principem Plumbini et Venusini, dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Constantiae Pamphiliae nostrae secundum carnem ex fratre germano nepotis coniugem, praefati Ludovici cardinalis fratrem germanum et haeredem universalem, eximiorum eius in nos et Sedem praedictam meritorum intuitu, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, motu pro-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Perperam edit. Main. legit *non* pro *nunc* (R.T).

prio, et ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, idem collegium, a dicto Ludovico cardinale fundatum et dotatum, ut praemittitur[1], esse et perpetuo fore de iurepatronatus praescripti Nicolai principis, eiusque descendentium per lineam masculinam de primogenito in primogenitum, seu illum qui iura[2] primogenituraе huiusmodi successerit, et, in defectum lineae masculinae, descendentium eiusdem Nicolai principis per lineam femininam, eâque etiam deficiente, suorum haeredum et successorum quorumcumque; ac iuspatronatus huiusmodi illis ex primaevâ, integrâ et omnimodâ fundatione et dotatione de bonis haereditariis dicti Ludovici cardinalis mere patrimonialibus factâ competere (ita ut ad ipsum Nicolaum principem et alios praedictos, servato ordine supra expresso, tamquam veros et indubitatos patronos eiusdem collegii ius nominandi omnes et singulos alumnos, qualitatibus infrascriptis praedictos, qui a pro tempore existente rectore dicti collegii sine ullâ tergiversatione admitti et recipi omnino debeant, privative quoad quosvis alios quocumque iure suffultos spectet et pertineat) tenore praesentium decernimus et declaramus, et, quatenus opus foret, eidem Nicolao principi et aliis praedictis iuspatronatus et nominandi alumnos huiusmodi reservamus; hortamurque in Domino ipsum Nicolaum principem, et eius descendentes et successores praedictos, quatenus in eam curam sedulo incumbant, ut voluntas dicti Ludovici cardinalis hac in re quam exactissime servetur, ipsique in eventum gravis scandali possint a dicto collegio dimittere et amovere illos alumnos, qui scandalo huiusmodi causam praebuerint; curent insuper ut in eodem collegio tot alumni manuteneantur, quot ex dote per dictum Ludovicum assignatâ honeste educari poterunt. Porro omnes et singulos alumnos in dictum collegium pro tempore recipiendos sequentibus qualitatibus praeditos esse et infrascripta requisita habere volumus, videlicet, ut ex dicto regno Hiberniae a parentibus catholicis et ex legitimo matrimonio nati, bonaeque conditionis et famae sint, fidem authenticam baptismi ab eis suscepti deferant, catholicaeque fidei, in quâ nati sunt, cultores semper extiterint, curam animarum non habeant, mente et corpore sani, linguâ expediti, facie decori, et ingenio ad philosophiae et theologiae studia apto[1] existant, neque monachi, neque religiosi, minusque apostatae fuerint, aetatem sexdecim annorum excedant, humaniorum litterarum et grammaticae studiis incubuerint;

Quòd debeant de vitâ ecclesiasticâ servanda iuramentum facere.

§ 2. Praeterea ut in dicto collegio theologiae et philosophiae ac graecis hebraicisque litteris pro uniuscuiusque captu dent operam, necnon in devotione et pietate, cantibusque et caeremoniis ecclesiasticis, prout melius ipsi rectori visum fuerit, se exerceant, teneantur quoque praestare singuli in eorum collegium praedictum admissione iuramentum de perseverando in vitâ ecclesiasticâ, seque, finitis studiis, ac etiam ante illorum finem si ita suis superioribus videbitur, in patriam prompto alacrique animo redituros, ut inibi procurandae animarum saluti sedulo vacent, quodque sacros et presbyteratus ordines suscipient quandocumque a suis superioribus iussi fuerint, victu item communi sibi a dicto collegio subministrando, necnon formâ et qualitate vestium sibi praescribendâ alumni praedicti omnino contenti esse debeant, regulasque seu constitutiones et ordinationes eiusdem collegii adamussim observent, se-

1 Male edit. Main. legit *permittitur* (R.T.).

2 Videretur legendum *iuri* (R. T.).

1 Forsan legendum *apti* (R. T.).

que illarum interpretationi a superioribus faciendae submittant et conforment; omnem vero pecuniam, quam secum in suâ ad collegium huiusmodi receptione adferent, teneantur deponere penes oeconomum dicti collegii, ut, cum eos in patriam reverti contigerit, ipsis pro viatico ac vestibus inserviet[1], nec in alios usus illam convertere possint.

Idem collegium ab omni iudicio externo liberat.

§ 3. Insuper ipsum collegium, ac illius pro tempore existentes alumnos, oeconomos, officiales et ministros, ac personas eorumque res et bona, mobilia et immobilia, praesentia et futura, cuiuscumque quantitatis, qualitatis, generis et speciei existentia, ab omni et quacumque nunc et pro tempore existentium dictae Urbis gubernatoris, senatoris, conservatorum, reformatorum, rectoris, universitatis studii generalis eiusdem Urbis, Ordinariorum locorum, ac nostri et Romani Pontificis pro tempore existentis in eâdem Urbe et illius districtu vicarii in spiritualibus generalis, necnon causarum curiae camerae apostolicae generalis auditoris, et quorumcumque nostrorum et Sedis Apostolicae legatorum ac vicelegatorum, necnon quarumcumque aliarum personarum ubilibet constitutarum, quavis auctoritate et potestate ac dignitate, tam ecclesiasticâ quam mundanâ, etiam cardinalatus, fungentium, et tribunalium quorumlibet visitatione, correctione, iurisdictione, dominio, superioritate et potestate perpetuo eximimus et liberamus, et sub nostrâ et pro tempore existentis Romani Pontificis protectione suscipimus, eidemque Sedi immediate subiicimus.

Quod alumni possint ad sacros ordines promoveri.

§ 4. Praeterea omnibus et singulis alumnis pro tempore existentibus collegii huiusmodi, ut etiam absque litteris dimissorialibus suorum Ordinariorum, sed cum solis rectoris eiusdem collegii testimonialibus litteris de eorum vitâ, moribus et idoneitate, etiam absque titulo beneficii ecclesiastici vel patrimonii, a quocumque quem maluerint catholico antistite gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente in suâ dioecesi residentes, vel in alienâ de dioecesani loci licentiâ pontificalia exercentis, clericali charactere insigniri, ac ad quatuor minores, etiam unico festivo, vel feriato, necnon ad sacros subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus ordines tribus dominicis, seu aliis festivis, continuis vel interpolatis, diebus, etiam extra tempora ad id a iure statuta, ac non servatis interstitiis a sacro Concilio Tridentino designatis, annique curriculo non expectato, etiamsi, antequam de uno ad alium ordinem promoveantur, in primo quoque suscepto ordine se non exercuerint, dummodo sint aetatis legitimae, nullumque aliud eis canonicum obstet impedimentum, servatisque aliàs servandis, promoveri, et promoti in susceptis sic per eos ordinibus huiusmodi, etiam in altaris ministerio, ministrare libere et licite possint et valeant; demum eisdem alumnis vere poenitentibus et confessis et sacrâ communione refectis in die eorum ingressus in praedictum collegium, necnon in articulo mortis constitutis, si pariter vere poenitentes et confessi ac sacrâ communione refecti, vel saltem contriti, nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

§ 5. Utque in paschate, praeviâ sacramentali confessione, sanctissimum Eucharistiae sacramentum in capellâ dicti collegii sumendo, praeceptoque[1] Ecclesiae satisfaciant indulgemus.

Clausulae praeservativae.

§ 6. Decernentes praesentes litteras, omniaque et singula in eis contenta, etiam

1 Legerem *inserviat* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *covertere* (R. T.).

1 Lege *praecepto* (R. T.).

ex eo quod quicumque in praemissis, seu eorum aliquo, interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, eis nullatenus consenserint, nec ad ea vocati et auditi, minusque causae, propter quas eaedem praesentes emanarunt, adductae, verificatae, seu aliàs sufficienter, aut etiam nullatenus iustificatae fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato et substantiali, sive etiam ex eo quod in praemissis, seu eorum aliquo, solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda servata et adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio capite, a iure vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliquâ resultante, aut quocumque alio colore, etiam in corpore iuris clauso, seu occasione vel causâ, etiam quantumvis iustâ, rationabili et privilegiatâ, etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostrâ huiusmodi et aliis superius expressis seu relatis nihil ullibi appareret seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, seu etiam suspendi, restringi, limitari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu etiam motu simili, ac etiam consistorialiter et aliàs quomodolibet concedi, aut sic impetrato vel concesso quempiam uti seu se iuvare in iudicio vel extra posse, neque ipsas praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, pro tempore, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices, Sedemque praedictam, etiam motu pari, ac etiam consistorialiter, et aliàs quomodolibet faciendis, comprehendi vel comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas esse et fore, et quoties illlae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub posteriori datâ per dictum Nicolaum principem, eiusque descendentes, ac haeredes et successores, necnon rectorem, alumnos, oeconomos, aliosque ministros dicti collegii pro tempore existentes quandocumque eligendâ concessas, perpetuoque validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari,

Sic iudicetur.

§ 7. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et nuncios, et alios quavis auctoritate et potestate fungentes, nunc et pro tempore existentes, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 8. Non obstantibus, quatenus in aliquo adversetur, praedicti Ludovici cardinalis etiam ultimâ voluntate, ac quibusvis apostolicis, et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, et, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, necnon felicis recordationis Pii Papae IV praedecessoris nostri de gratiis interesse ca-

merae apostolicae concernentibus in eâdem camerâ praesentandis et registrandis, necnon Urbis praedictae, et quibusvis aliis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Urbi illiusque studio, necnon vicario, gubernatori, senatori, conservatoribus, reformatoribus, rectori, Ordinariis, ac iudicibus praedictis, et quibusvis aliis, etiam speciali expressione dignis, etiam eiusdem S. R. E. cardinalibus, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII maii MDCXLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 22 maii 1647, pontif. anno III.

LXXXIV.

Breve pro religione sancti Basilii magni super convocatione vocalium ad capitulum generale et electione assistentium.

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Supplicatio. Cum, sicut pro parte dilectorum filiorum monachorum Ordinis sancti Basilii nobis nuper expositum fuit, in congregatione nonnullorum Romanae curiae praelatorum, aliàs per nos pro reformatione constitutionum eiusdem Ordinis deputatâ, inter alia capitula stabilitum fuerit decretum tenoris sequentis, videlicet,

Decretum capituli generalis. § 1. « De cetero ius non habeant accedendi ad capitulum generale Ordinis sancti Basilii, aut in eo suffragium ferendi, superiores prioratuum, nec magistri, nec illi quos appellant monasteriorum vocales, seu conventuales, sed personaliter accedere possint et debeant ac in electione abbatis generalis ceterisque actibus capitularibus vocem activam habere infrascripti dumtaxat, videlicet, abbas generalis, visitator provincialis et definitor unus pro qualibet provinciâ, procurator Ordinis, abbates seu priores cuiusque monasterii actu administrationem habentes, consultor, ac secretarius abbatis generalis; pro Terdonensi vero provinciâ tres definitores laici, praeter visitatorem provincialem et abbates; in capitulis vero generalibus, deinceps celebrandis post primum proxime futurum, habebunt etiam similem vocem duo assistentes abbatis generalis in quolibet generali capitulo eligendi, unus scilicet ex provinciis Italiae, alter ex provinciis Hispaniarum, qui in negotiis religionis votum consultivum habebunt, eisque a suis provinciis sumptus necessarii suppeditari debebunt; quod si aliquis ex abbatibus legitimo detineatur impedimento, quominus ad capitulum per

se ipsum accedere valeat, loco sui mittatur discretus a conventu eligendus, qui secum deferat litteras testimoniales suae electionis; loco vero visitatoris provincialis, aut definitoris itidem legitime impediti, mittatur alius eligendus a visitatore provinciali simul cum duobus definitoribus eiusdem provinciae, qui litteras similiter secum deferat, ut supra »;

Confirmat praefatum decretum.

§ 2. Decretum vero huiusmodi eidem Ordini maxime profuturum esse speretur, proindeque illud iidem praelati, auctoritate nostrâ apostolicâ confirmari posse statuerint: idcirco nos, qui felicem religiosorum Ordinum quorumlibet directionem sinceris desideramus affectibus, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit in futurum, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria removet.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quoad ea quae ipsis decreto et praesentibus adversantur, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, constitutionibusque praedictis, privilegiis quoque apostolicis eidem Ordini illiusque superioribus, monachis et personis quibuscumque, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 5. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV iunii MDCXLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 25 iunii 1647, pontif. anno III.

LXXXV.

Prorogatio concessionis partis fructuum bonorum ecclesiasticorum et monasteriorum in Palatinatu superiori, de-

functo imperatori factae, pro duce Bavariae ad quindecim annos[1].

Venerabili fratri archiepiscopo Capuano, moderno et pro tempore existenti apud carissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Romanorum regem illustrem in imperatorem electum nostro et Sedis Apostolicae nuncio,

Innocentius Papa X.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Apostolatus officium nobis meritis licet imparibus ex alto commissum postulat, ut, peculiarem omnium ecclesiarum et monasteriorum locorumque piorum curam gerentes, illorum restaurationi, ac felici eorumdem fructuum administrationi, quantum cum Domino possumus, opportune provideamus.

Causae huius Constitutionis. § 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Urbanus Papa VIII praedecessor noster, de venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum, S. R. E. cardinalium negotiis Palatinatus praepositorum consilio, per suas in simili formâ Brevis die XIII aprilis MDCXXVIII expeditas litteras, tunc existenti suo et Sedis Apostolicae apud clarae memoriae Ferdinandum Romanorum regem in imperatorem electum nuncio commisit et mandavit, ut ad decennium tunc proximum, per se ipsum, vel alias personas ecclesiasticas, sive seculares sive regulares sibi benevisas, fructus et reditus universos bonorum ecclesiasticorum antea occupatorum in Palatinatu superiori et inferiori, sine tamen praeiudicio aliarum concessionum a praedictà Sede factarum quamdiu duraverint, exigeret, ac dimidiam illorum partem eidem Ferdinando regi in imperatorem electo vel alteri personae ab ipso nominandae assignaret; aliam vero partem in ecclesiarum restaurationem, divinique cultus augmentum, animarum curam, religionis catholicae conservationem ac propagationem et aliàs in illis partibus distribuendam, prout ipse Urbanus praedecessor, personarum, rerum ac temporum qualitate pensatâ, salubriter in Domino expedire arbitratus fuisset, servaret; ceterum bona, a locorum Ordinariis aliisque ecclesiis et personis ecclesiasticis recuperata, atque tunc eorum mensis seu ecclesiis et beneficiis incorporata, sub praedictâ commissione et mandato minime intelligerentur comprehensa, sed eisdem Ordinariis, ecclesiis, seu beneficiis salva et illibata permanerent[1]: Et subinde idem Urbanus praedecessor per alias suas in eâdem formâ Brevis expeditas litteras sub datum die XXIV iulii MDCXXVIII eidem nuncio de eorumdem cardinalium consilio commisit et mandavit[2], ut, praedictis decem necnon duobus aliis immediate sequentibus annis durantibus, ex fructibus universis monasteriorum Palatinatus superioris dumtaxat, duas tertias partes eidem Ferdinando regi in imperatorem electo assignaret, reliquam vero tertiam partem in ecclesiarum restaurationem, divinique cultus augmentum,[3] curam, religionis catholicae conservationem et propagationem, ac aliàs in dictis partibus distribuendam, prout ipse Urbanus praedecessor, personarum, rerum et temporum qualitate pensatâ, salubriter in Domino expedire arbitratus fuisset, servaret; bona vero a locorum Ordinariis aliisque ecclesiis et personis ecclesiasticis recuperata, et tunc temporis eorum mensis seu ecclesiis et beneficiis incorporata, sub posterioribus commissione et mandato huiusmodi minime intelligantur comprehensa, sed eisdem Ordinariis, ecclesiis et beneficiis salva et illibata, necnon

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

1 Precedens Breve legitur in tom. XIV, pagina 231 (R. T.).

2 Sequentem expositionem habes etiam in tom. XIV, pag. 202 (R. T.).

3 Deest vox *animarum* (R. T.).

primodictae litterae in omnibus et per omnia firmae et in suo robore respective permanerent, ita ut praedictis duodecim annis (prioribus decem in eis litteris[2] computatis elapsis) omnes fructus liberi omnino remanerent: Ac postmodum idem Urbanus praedecessor de eorumdem cardinalium consilio per alias suas in simili formâ Brevis die IX augusti MDCXXXI expeditas litteras tunc existenti suo et dictae Sedis apud eumdem Ferdinandum regem in imperatorem electum nuncio commisit et mandavit, ut assignationem dimidiae partis fructuum ac reddituum universorum bonorum ecclesiasticorum antea occupatorum in Palatinatu superiori et inferiori, necnon assignationem duarum tertiarum partium fructuum huiusmodi universorum monasteriorum Palatinatus superioris dumtaxat, eidem Ferdinando regi in imperatorem electo, ut praefertur, factas, et desuper confectas litteras praedictas, ad alios tres annos a fine temporis in eisdem litteris praefixi computandos, et servatâ in omnibus et per omnia earumdem litterarum formâ, extenderet[1], et aliàs prout in singulis litteris praedictis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Prorogatio gratiae.

§ 2. Cum autem, sicut carissimus in Christo filius noster Ferdinandus Romanorum rex illustris in imperatorem electus, ac dilectus filius nobilis vir Maximilianus Bavariae dux, sacri Romani imperii princeps elector, nobis nuper exponi fecerunt, praedictae eiusdem Urbani praedecessoris litterae per dictum nuncium, servatâ illarum formâ, debitae exequutioni demandatae fuerint, et praedictus clarae memoriae Ferdinandus Romanorum rex in imperatorem electus omne ius et commodum sibi ex litteris huiusmodi et contentis in illis quoquomodo competens et proveniens quoad Palatinatum superiorem dumtaxat Maximiliano duci electori praedicto pro sublevandis aliquâ ex parte gravissimis belli pro religione catholicâ propugnandâ propagandâque susceptis[2] sumptibus cesserit; quindecim vero anni, ad quos assignationes in dictis litteris contentae duraverunt, iam expiraverint; et quia bella contra haereticos in Germania, pro quibus sustinendis eumdem Maximilianum ducem electorem quoties[3] sumptus sufferre oportet, etiam nunc vigent; utque etiam bonorum ecclesiasticorum et monasteriorum praedictorum conservationi opportune consulatur, Ferdinandus rex in imperatorem electus ac Maximilianus dux elector praedicti assignationem huiusmodi ad aliud nobis benevisum tempus extendi et prorogari summopere desiderent: nos, Ferdinandi regis in imperatorem electi ac Maximiliani ducis electoris votis in praemissis, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorum hac in parte supplicationibus inclinati, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium ac dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum per nos super huius negotii discussione deputatorum consilio, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut assignationem partis fructuum ac reddituum bonorum ecclesiasticorum et monasteriorum antea occupatorum, in Palatinatu superiori existentium, eidem clarae memoriae Ferdinando Romanorum regi in imperatorem electo factam et prorogatam, et per eum dicto Maximiliano duci electori cessam, ut praefertur, eidem Maximiliano duci ad quindecim annos dumtaxat a kalendis mensis ianuarii proxime praeteriti computandos, et servatâ in om-

1 Ex loco parallelo tom. XIV, pag. 202 *b* legerem *tamen* pro *litteris* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *extenderit* (R. T.).

1 Videretur legendum *suscepti* (R. T.).

2 Nescio quid legam pro *quoties* (R. T.).

nibus et per omnia praedictarum litterarum dicti Urbani praedecessoris formâ et dispositione, auctoritate nostrâ apostolicâ extendas et proroges, seu de novo concedas: aliam vero partem fructuum, atque reddituum praedictorum beneficiorum ecclesiasticorum et monasteriorum Palatinatus superioris huiusmodi in ecclesiarum restaurationem, divinique cultus augmentum, animarum curam, religionis catholicae conservationem et propagationem, ac aliàs in dictis partibus distribuendam, prout nos, personarum, rerum et temporum qualitate pensatâ, salubriter in Domino[1], serves; ceterum bona a locorum Ordinariis, aliisque ecclesiis et personis ecclesiasticis recuperata, atque ad praesens eorum mensis seu ecclesiis et beneficiis incorporata sub praesenti commissione et mandato minime intelligantur comprehensa, sed iisdem Ordinariis salva et illibata permaneant, ita ut, elapsis posterioribus quindecim annis huiusmodi, omnes fructus liberi omnino remaneant.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus omnibus illis, quae idem Urbanus praedecessor in dictis litteris voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v iulii MDCXLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 5 iulii 1647, pontif. anno III.

LXXXVI.

Subiectio castri Montisveteris Forosemproniensis dioecesis legationi Urbinatensi et gubernio civitatis Forosemproniensis[2].

1 Heic desunt verba *expedire iudicabimus* aut similia (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Motiva.

§ 1. Cum castrum Montisveteris, Forosemproniensis dioecesis, finitâ non ita pridem generatione ad quam ab hac sanctâ Sede olim in feudum vel emphyteusim concessum fuerat, ad nos et eamdem Sedem Romanamque Ecclesiam et cameram apostolicam legitime devolutum sit: hinc est quod nos, pro paternâ quam de nostris et Sedis praedictae subditis gerimus curâ, castri praedicti dilectorumque filiorum universitatis hominum illius prospero regimini et statui quantum cum Domino possumus consulere volentes, supplicationibus tam universitatis et hominum praedictorum quam dilectorum etiam filiorum civitatis et hominum civitatis nostrae Forosemproniensis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, castrum praescriptum, cuius territorium territorio praedictae civitatis conterminum, ut accepimus, existit, legationi Urbinatensi ac dilecto filio nostro nunc et pro tempore existenti in Statu nostro Urbinatensi de latere legato, necnon civitatis praedictae Forosemproniensis gubernio, et dilecto filio eius nunc et pro tempore gubernatori seu praetori, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, supponimus, subiicimus et subordinamus; his tamen legibus, videlicet: Quod in primis instantiis causarum civilium universitatis et hominum castri praedicti illiusque territorii procedat vicarius a dicto legato pro tempore existente in eodem castro deputandus, et appellationes in causis huiusmodi devolvantur ad gubernatorem seu praetorem dictae civitatis, remanente tamen appellantibus liberâ facultate recurrendi ad praedictum legatum, vel ad nos et Apostolicam Sedem, omisso medio: Praeterea in gravibus causis criminalibus, in quibus irroganda erit poena corporis afflictiva,

procedat gubernator seu praetor praedictus et in primâ instantiâ, praedictus vero vicarius non procedat nisi in causis damnorum datorum, et aliis similibus levioribus, in quibus non venit irroganda poena corporis afflictiva:

Decretum irritans. § 2. Demum ut territoria tam civitatis quam castri huiusmodi remaneant in perpetuum, prout hactenus fuerunt, separata et distincta, tam quoad onera et commoda, quam quoad cetera quaecumque, praeterquam subiectiones et subordinationem praedictam.

§ 3. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac civitatis et castri praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV iulii MDCXLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 15 iulii 1647, pontif. anno III.

LXXXVII.

Dissolutio unionis Congregationis Doctrinae Christianae in Franciâ e Congregatione Somaschae[1].

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Commissi nobis a Domino pastoralis officii ratio postulat, ut in his apostolicae nostrae sollicitudinis partes propensis studiis interponamus, per quae christifidelium quorumlibet, praesertim christianae pietatis et charitatis operibus ad procurandam suam et proximi salutem iugiter vacantium, felici statui opportune consuli censemus.

Causae huius dissolutionis. § 1. Cum itaque, sicut accepimus, aliàs, tempore pontificatus felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri, in civitate nostrâ, tunc suâ, Avenionensi, una pia diversarum personarum tam laicarum quam ecclesiasticarum regularium congregatio sub invocatione seu denominatione Doctrinae Christianae, gubernioque et directione nonnullâ[1] locorum presbyterorum secularium proborum et idoneorum, auctoritate ordinariâ, instituta, Congregationisque huiusmodi sic institutae peculiare institutum cathechismum praecipue plebem et rudes personas docendi, continenterque vivendi, ipsaque Congregatio a Sede Apostolicâ approbata et confirmata, variisque indulgentiarum aliarumque gratiarum specialium muneribus decorata respective fuerit, famâque pii instituti huiusmodi per regnum Franciae divulgatâ, nedum institutum praedictum in Provinciae nuncupatam[2], sed etiam

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Forsan legendum *nonnullorum* (R. T.).
3 Male edit. Main. legit *nuncupatur* (R. T.).

in alias eiusdem regni provincias (personis dictum institutum amplexis cathechismum, sive doctrinam christianam parvam, mediocrem et magnam docentibus, confessiones sacramentales audientibus, infirmos, hospitalia, carceresque et carceri mancipatos visitantibus, pagosque perlustrantibus, et cathecheses[1] habentibus, tam in ecclesiis, privatisque magnorum aedibus, in quibus copiosus est famulorum numerus, quam cum peregre ibant, lateque benedicente Domino) sese diffuderit[2]; et exinde, cum Congregatio huiusmodi formam regularis potius quam secularis instituti accepisse videretur, recolendae memoriae Paulus Papa V etiam praedecessor noster Congregationem Doctrinae Christianae praedictam Congregationi clericorum regularium Somaschae alias sancti Maioli[3] de Papia nuncupatae, per quasdam suas in simili formâ Brevis litteras de anno MDCXVI emanatas, debitaeque executioni demandatas[4], quarum tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso, apostolicâ auctoritate univerit, annexuerit et incorporaverit; ipsaque Congregatio Doctrinae Christianae sic eidem secundodictae Congregationi unita et incorporata multos religionis zelo ductos ad illius habitum regularem et professionem[5] eiusdem admiserit, ac complures domos, collegia, aliaque loca regularia acquisiverit; ab aliquot vero annis nonnulli ex dictae Doctrinae Christianae clerici unionem praedictam, tamquam invalide subreptitieque factam, variis ex causis, et praesertim occasione praemissae nullitatis mandati seu mandatorum procuratoriorum, cuius seu quorum vigore seu praetextu unio praedicta sic facta fuit, necnon ratione executionis litterarum apostolicarum super unione huiusmodi expeditarum, professionisque per quemdam Antonium Vigerium et nonnullos alios in eâdem Congregatione Doctrinae Christianae emissae, ac electionum illius superiorum, super quibus certa decreta emanarunt, impugnaverint; eâque de causâ pro dubiorum huiusmodi resolutione dictaeque unionis dissolutione dilecti filii Antonius Rosseau et Iacobus Bauciais, presbyteri primodictae Congregationis huiusmodi expresse professi, illius nomine ad almam Urbem nostram accesserint:

Facit dissolutionem Congregationis.

§ 2. Idcirco nos, ad uberes fructus, quos iidem clerici Congregationis Doctrinae Christianae huiusmodi in vineâ Domini in dies afferre noscuntur, paternae dirigentes considerationis intuitum, ipsorumque commodis et quieti quantum cum Domino possumus prospectum esse cupientes, ex venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis regularium praepositorum, quibus hoc negotium discutiendum examinandumque commisimus, sententiâ per eos nobis in consistorio nostro secreto relatâ, motu proprio, et ex certâ scientiâ meràque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas controversias et lites super primodictae Congregationis Doctrinae Christianae unione et incorporatione aliàs eidem secundodictae Congregationi ut praefertur factâ, coram iisdem cardinalibus et quibusvis aliis tribunalibus quomodolibet motas, et adhuc indecisas pendentes, ab eisdem cardinalibus et aliis tribunalibus praedictis, in statu et terminis in quibus illae reperiuntur, ad nos harum serie avocamus, illasque penitus et omnino supprimimus et extinguimus, ac abolemus, necnon utrique parti desuper perpetuum silentium imponimus; proque totius negotii huiusmodi compositione, tenore praesentium, unionem prae-

1 Male edit. Main. legit *cathechesimi* (R. T.).
2 Male etiam legit *diffuderint* (R. T.).
3 Male etiam habet *Najoli* (R. T.).
4 Eas vide in tom. XII, pag. 354 (R. T.).
5 Male edit. Main. legit *professionis* (R. T.).

dictam legitime factam, ipsosque clericos primodictae Congregationis Doctrinae Christianae esse veros regulares et professos declaramus; ipsam tamen unionem, ex causis animum nostrum moventibus, dissolvimus, dictosque clericos primodictae Congregationis Doctrinae Christianae iurisdictioni Ordinariorum locorum (qui in omnibus iis quae dicta exercitia spiritualia concernunt in instruendis populis, concionibus habendis, et in exercitio et administratione sacramentorum immediate procedere possint) supponimus et subiicimus; Quod autem ad bonorum temporalium eiusdem primodictae Congregationis administrationem, domorum gubernium, superiorum electiones, novitiorum receptiones, transgressiones, inobedientias, et alios domesticos excessus puniendos attinet, praemissa ad superiores locales, provinciales et generales gradatim spectare debere, Ordinariosque locorum sese in iis ingerere, aut executiones decretorum et sententiarum dictorum superiorum, nisi in casibus a iure permissis, suspendere nullatenus posse, nec bona eiusdem primodictae Congregationis per praesentes dissolutae, cum sic, ut praefertur, unita esset, legata, vel hactenus quomodolibet acquisita, et ubivis locorum, etiam in Statu Ecclesiastico dicti regni consistentia, eidem primodictae Congregationi sic dissolutae relinqui debere (non obstantibus quibuscumque, ac praecipue quod ipsi clerici regulares secundodictae Congregationis dictorum regularium Somaschae ad id vocati et auditi non fuerint); ipsamque [1] primodictam Congregationem nomen Doctrinae Christianae, et institutum primaevum docendi parvam, mediocrem et magnam doctrinam iuxta cathechismum romanum, ac pueros docendi, retinere debere volumus et mandamus; eamdemque primodictam Congregationem in suum pristinum, et eum, in quo ante unionem praedictam, iuxta laudabile eius institutum ab eodem Clemente praedecessore approbatum, quomodolibet erat, statum reponimus et restituimus, et plenarie reintegramus; institutumque huiusmodi de novo, quatenus opus sit, perpetuo approbamus, eique omnes indulgentias et gratias a dicto Clemente praedecessore concessas relinquimus, clericosque regulares in eâdem primodictâ Congregatione sic dissolutâ hactenus professos, quamdiu vixerint, ab eâdem Congregatione discedere, dimittique nullatenus posse, sed in eâ votis suis regularibus adstrictos permanere, ac sub obedientiâ Ordinariorum locorum, in quibus pro tempore degent, ut praefertur, esse debere; necnon superiorem generalem ipsius Congregationis sic dissolutae pro tempore existentem de consensu capituli generalis constitutiones pro bono et felici regimine ipsius primodictae Congregationis illiusque personarum et rerum tam spiritualium quam temporalium condere, ac conditas pro rerum et temporum qualitate variare, aut interpretari, ac aliàs de novo edere posse, dummodo tamen sacris canonibus et sacri Concilii Tridentini decretis necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariae [1], seu difformes non sint; ac postremo capitulum generale primodictae Congregationis huiusmodi sic dissolutae, pro formâ et regimine illius, ac superiorum tam generalis quam particularium electione, modo et formâ quibus ante dissolutionem huiusmodi procedi consueverat, in civitate Parisiensi mense novembris proxime venturo celebrandum, ac interim ipsam primodictam Congregationem a provinciali et aliis superioribus praesentibus regendam esse, earum-

1 Perperam ed. Main. legit *ipsam quod* (R.T).

1 Male ed. Main. legit *contraire* (R. T).

dem tenore praesentium itidem volumus, concedimusque et indulgemus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti clerici regulares dictae Congregationis Somaschae et alii quicumque in praemissis interesse habentes, vel habere quomodolibet praetendentes, ad eadem praemissa vocati et auditi non fuerint, minusque illis consenserint, nec causae, propter quas illae emanarunt, adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque causâ quantumvis legitimâ, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci posse; sed illa semper et perpetuo valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, dictaeque Sedis Apostolicae nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutorum deputatio.

§ 4. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis Parisiensi et Narbonensi, ac episcopo Electensi, seu dilectis filiis officialibus, etc., per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel per alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem clericorum sic dissolutae primodictae Congregationes huiusmodi fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ praemissa omnia et singula debitae executioni demandari, eosdemque clericos primodictae Congregationis huiusmodi illorum commodo et effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes illos desuper a quoquam, quavis auctoritate, indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles, praemissisque non parentes, per sententias, censuras et poenas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus piae memoriae Bonifacii Papae VIII pariter praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium[1] non trahatur, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis universalibus editis, ac dictarum Congregationum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie, aut aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clau-

1 Supple verba *ad iudicium* (R. T.).

sulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint[1] per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptis credi mandat.

§ 6. Volumus autem, quod praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, sigilloque personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in iudicio quam extra illud, habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX iulii MDCXLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 30 iulii 1647, pontif. anno III.

LXXXVIII.

Declaratio Sanctissimi circa praeservationem iurium Sedis Apostolicae quoad liberam dispositionem ecclesiarum, etiam cathedralium, monasteriorum et beneficiorum ecclesiasticorum civitatum et dioecesum Metensis, Tullensis et Virdunensis[2].

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Quamvis ecclesiae, etiam cathedrales, ac monasteria, prioratus et alia beneficia ecclesiastica, ac loca pia quaecumque quomodolibet nuncupata et qualificata civitatum et dioecesum Metensis, Tullensis et Virdunensis in Lotharingia ad liberam huius sanctae Sedis Apostolicae dispositionem semper spectaverint et pertinuerint, spectentque et pertineant; attamen, quia, ut nobis nuper innotuit, inter carissimos in Christo filios nostros Ferdinandum Romanorum regem in imperatorem electum et Ludovicum Francorum regem christianissimum, aliosque forsan principes, de paciscendo, transigendoque et concordando circa civitates et dioeceses praedictas fortasse cum aliquo iurium Sedi praedictae in praemissis competentium praeiudicio tractatur, seu tractari intenditur:

Summus Pontifex eximit iura Sanctae Sedis.

§ 2. Hinc est quod nos, qui ex debito pastoralis officii, nobis divinitus commissi, iura dictae Sedis tueri et illibata praeservare et conservare tenemur, eiusdem Sedis indemnitati hac in re, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, per quemcumque[1] actum, pactum, contractum, transactionem, concordiam et conventionem, etiam occasione armestitii, treguae, indutiarum, vel pacis[2] etiam universalis, inter praedictos et quoscumque alios, cuiusvis status, gradus, conditionis, qualitatis, dignitatis, potentiae et praeeminentiae existentes, ac respublicas et nationes quascumque, etiam quomodolibet nuncupatas et qualificatas, hactenus forsan circa civitates et dioeceses praedictas inita et facta, ac imposterum quandocumque ubicumque et quandocumque ineunda et facienda[3] nullum omnino etiam quantumvis minimum praeiudicium quibuslibet eiusdem

1 Verba *non possint* nos addimus (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Legerem *quaecumque* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *paces* (R. T.).
3 Male edit. Main. legit *cienda* (R. T.).

Sedis iuribus illi undecumque et quomodocumque praemissorum ratione competentibus, vel ab eâ praetensis, praeiudicium illatum esse, seu fuisse, aut in futurum ullo unquam tempore illatum dici, intelligi, seu censeri posse; sed iura huiusmodi semper et perpetuo integra, illaesa, intacta, illibata, inviolata, ac in nihilo diminuta, vel labefactata, tam in possessorio quam in petitorio, et aliàs quomodolibet remanere in omnibus et per omnia perinde ac si actus, pacta, contractus, transactiones, concordiae et conventiones huiusmodi nunquam emanassent, vel emanarent, ita ut per quemcumque temporis quantumlibet longissimi cursum quodcumque dictae Sedis Apostolicae praeiudicium nunquam censeatur approbatum, decernimus et declaramus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes quoque praesentes litteras, etiam ex eo quod praedicti et quicumque alii in praemissis interesse habentes, vel habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, neque vocati et auditi fuerint, vel ex aliâ quacumque causâ, praetextu, colore, ingenio et capite, etiam in corpore iuris clauso, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel alio quopiam quantumvis substantiali defectu notari, redargui, vel impugnari, aut in ius vel controversiam revocari, seu ad terminos iuris reduci nunquam posse, sed easdem praesentes semper validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et quoslibet alios quacumque auctoritate et potestate fungentes nunc et pro tempore existentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, nostrâ cancellariae regulâ de non tollendo iure quaesito, ac civitatum et dioecesum praedictarum, et quibusvis aliis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis[1] decretis, in genere vel in specie, etiam motu simili, ac etiam consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur et exprimerentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maio-

1 Vocem *aliis* nos addimus (R. T.).

rem, sub annulo Piscatoris, die XXIV augusti MDCXLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 24 augusti 1647, pontif. anno III.

LXXXIX.

Pro congregatione Lateranensi confirmatio decreti definitorii circa solutionem quindenniorum.

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius modernus abbas monasterii B. Mariae de Pace de Urbe, et procurator generalis Canonicorum Regularium congregationis Lateranensis Ordinis S. Augustini, quod in secundâ parte constitutionum eiusdem congregationis, apostolicâ auctoritate confirmatarum, cap. XXIV, inter alia statuitur et cavetur, ut omnes et singuli praelati dictae congregationis, quorum monasteria camerae nostrae apostolicae quindennia solvunt, sub suspensionis ab eorum praelaturis ad annum poenâ, quotannis in publicâ capsâ sui monasterii eam pecuniarum probatarum ratam et portionem, quam in fine cuiuslibet quindennii eidem camerae solvere tenentur, deponere debeant.

Decretum definitorii. § 1. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ob praesentes calamitates in Italia vigentes nonnulli eiusdem congregationis superiores reperti fuerint, qui, ex eorum negligentiâ et incuriâ, tempore [1], quo quindennia huiusmodi solvi debebant, ratas et portiones praedictas pecuniarum se tangentes minime deposuerant, ut praefertur, nedum cum eorum particularium, sed etiam totius ipsius congregationis huiusmodi monasteriorum damno et detrimento; proptereaque dilecti filii moderni abbas generalis, necnon visitatores et alii definitores eiusdem congregationis, habitis desuper variis tractatibus, maturâque consideratione adhibitâ, tandem unanimiter in proximâ praeteritâ eiusdem congregationis dietâ de mense maii praesentis anni celebratâ, pro bono publico eiusdem congregationis ediderint decretum infrascriptum, tenoris sequentis, videlicet

Absolvit oratores a censuris. § 2. In dietâ Arimini celebratâ die XXV maii MDCXLVII, sess. ultimâ, uti infra: «tandem reassumpto tractatu de provisione pro certâ solutione quindenniorum, conclusum fuit a reverendissimo definitorio, nemine discrepante, debere omnes praelatos, quorum monasteria habent onus quindenniorum, hinc ad festum Paschatis Resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi proxime futuri anni MDCXLVIII mittere, per litteras cambii, vel alio quovis modo certo et sine periculo, Romam in manibus reverendissimi patris procuratoris generalis totam illam quantitatem pecuniae, quae usque adhuc deposita fuit annis iam elapsis, et de cetero quolibet anno ante sabbatum sanctum similiter eidem patri procuratori generali pro tempore existenti mittent summam, quae depositari tenebitur ad ratam totius quindennii ad hoc ut serventur[1], solvendam suis loco et tempore, et contrafacientes declarantur privati ipso facto voce activâ et passivâ, et inhabiles ad omnes gradus, officia et dignitates, quemadmodum etiam declaratur idem pater procurator generalis pro tempore existens, sicut et illi, privatus voce activâ et passivâ ipso facto, et inhabilis ad omnes gradus, officia et dignitates, si partem aliquam, quantumvis minimam, praedictorum quindenniorum ausus fuerit in alium usum implicare, et nisi in fine suae administrationis et gubernii totam summam omnium quindenniorum receptorum consignaverit successori in bonâ

1 Edit. Main. legit *temporum* (R. T.).

1 Potius lege *servetur* (R. T.).

pecuniâ numeratâ eiusdem stampae cum confessione receptionis authenticâ; et ut magis negotium tam arduum convalidetur, decrevit per patrem procuratorem generalem praesentem impetrandum esse hinc ad supradictum tempus Paschae Resurrectionis a Sanctitate Domini Nostri Breve convalidationis ».

D. Theodorus Fantonus,
abbas, visitator et scriba.

Confirmatio decreti. § 3. Nobis propterea idem abbas et procurator generalis huiusmodi supplicari humiliter fecit, ut decretum praeinsertum, quo firmius subsistat et exactius observetur, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communire de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, eumdem abbatem et procuratorem generalem huiusmodi specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum praeinsertum cum omnibus et singulis in eo contentis, licitis tamen et honestis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans. § 4. Decernentes illud ac praesentes litteras valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum, sub poenis praedictis inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes iudicari et definiri, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat. § 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem congregationi, illiusque superioribus, et quibusvis personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat. § 6. Volumus autem, quod eaedem praesentes nostrae litterae in omnibus et singulis eiusdem congregationis capitulis generalibus et dietis, quae de cetero celebrari et haberi contigerit, legantur et legi debeant; quodque illarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII septembris MDCXLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 7 septembris 1647, pontif. an. III.

XC.

Breve exemptionis quorumdam suorum familiarium a spolio[1].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex gratiarum dispensator pro circumspectâ suâ providentiâ suos et Apostolicae Sedis devotos et fideles, praesertim illos, qui ei et Sedi praedictae grata familiaritatis obsequia iugiter impendunt, specialis benevolentiae favoribus complecti solet, prout, personarum qualitatibus debite pensatis, censet rationi et aequitati esse consentaneum.

Summus Pontifex eximit quosdam suos familiares a spolio, quorum familiarium nomina recensentur infra § 6.

§ 1. Hinc est quod nos, quorumdam familiarium nostrorum, quorum nomina infra sunt expressa, indemnitati quantum cum Domino possumus consulere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine (etiam praeter et ultra quascumque alias, similes vel dissimiles, generales vel speciales, gratias, facultates, exemptiones, indulta et privilegia eisdem familiaribus infra nominatis hactenus a nobis vel Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessas et concessa, et in posterum etiam a nobis et successoribus nostris Romanis pariter Pontificibus concedendas et concedenda, quas omnes et singulas, ac omnia et singula, perinde ac si illarum et illorum omnium tenores praesentibus expressi ac de verbo ad verbum inserti forent, in suo robore et firmitate remanere et esse, nec per illas aut illa eisdem praesentibus vel per praesentes illis in aliquo praeiudicari, vel eas seu ea invicem confundi, seu impediri, sed etiam, cumulative procedendo, unam seu unum per aliam seu aliud coadiuvari et suppleri posse et debere decernimus) eisdem familiaribus nostris infra nominatis et eorum cuilibet, quod eorum et cuiuslibet eorum haeredes, donatarii, legatarii et successores, tam ex testamento, seu aliâ dispositione, quam ab intestato ratione sanguinis, eis et cuilibet eorum succedentes, sive alii ab eis et eorum quolibet, eorumque et cuiuslibet eorum haeredibus, donatariis, legatariis et successoribus huiusmodi causam quomodolibet habentes quicumque, per camerarium nostrum pro tempore existentem, thesaurarium generalem, aut commissarium, vel spoliorum[1] iuriumque camerae apostolicae debitorum[2] collectores et subcollectores, sive alios quoscumque officiales et ministros ipsius camerae, seu quoscumque alios, tam ratione quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum quomodolibet nuncupatorum et qualitercumque qualificatorum, etiam personalem residentiam requirentium, per eos hactenus obtentorum et in posterum obtinendorum, cuiuscumque valoris et annui redditus etiam maximi, excessivi et inexcogitabilis existant, quam etiam ratione quarumcumque pensionum annuarum super quibusvis fructibus, redditibus et proventibus ecclesiasticis apostolicâ auctoritate eis hactenus reservatarum, seu in eos simili auctoritate translatarum, ac de cetero eâdem auctoritate eis reservandarum, aut in eos transferendarum, ad quamcumque summam etiam maximam et inexcogitabilem ascendant, nullo unquam tempore super rebus et bonis per eos et

1 Praeposit. *a* interiectam delemus (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *debitorem* (R. T.).

quemlibet eorum respective pro tempore relictis (etiamsi ab intestato et sine ullâ vel minus validâ bonorum suorum dispositione ipsi et eorum quilibet respective ubivis locorum in qualibet mundi parte tam continuâ quam interpolatâ illorum inibi mansione, ac etiam extra loca debitae residentiae, et etiamsi iter agendo ab humanis decedant) molestari, perturbari, aut inquietari nullatenus possint nec debeant (ita ut de omnibus et quibuscumque rebus et bonis suis, ac per eos et eorum quemlibet acquisitis et acquirendis, tam ex praedictis iam obtentis et obtinendis beneficiis, quam etiam ex praedictis eis iam reservatis seu reservandis, ac in eis translatis et transferendis pensionibus, ut praefertur, tam inter vivos, quam causâ mortis et in ultimâ voluntate, ac in favorem quorumcumque, non tamen personarum a iure prohibitarum et incapacium, disponere seu etiam ab intestato transmittere libere et licite possint et valeant) auctoritate praedictâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus; districtius inhibentes eisdem camerario, thesaurario, commissario, aliisque Sedis et camerae praedictarum officialibus et ministris, seu aliis quibuscumque, ne in bonis et rebus per eos et eorum quemlibet respective pro tempore relictis, beneficiorum vel pensionum huiusmodi occasione vel praetextu, manus iniicere, aut aliquam illorum descriptionem, seu inventarium, aut depositum, vel sequestrum, seu quid simile facere vel attentare quoquomodo audeant vel praesumant;

Decretum irritans. § 2. Ac decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, illisque et eorum cuilibet, ac haeredibus et successoribus eorum, aliisque praedictis, in omnibus et per omnia plenissime suffragari,

Clausula *sublatâ*. § 3. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, necnon praedictos camerarium, thesaurarium, commissarium, praesidentes, clericos et alios quoscumque camerae et Sedis praedictarum ministros et officiales, ac quosvis alios, etiam S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, ac Sedis praedictae nuntios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 4. Non obstantibus praemissis, ac, qualenus opus sit, regulâ nostrâ de non tollendo iure quaesito, nec non felicis recordationis Pii Papae IV praedecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse camerae praedictae concernentibus in eâdem camera praesentandis et registrari faciendis, ita ut praesentes inibi praesentari et registrari nullo unquam tempore necesse sit, et aliis etiam nostris, ac quibusvis apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, dictaeque camerae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem camerae, illiusque officialibus et ministris, ac quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac decretis etiam irritantibus, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, ac ex causâ et titulo onerosis, et in genere vel in specie, ac aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, ac pluries innovatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis

eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae alicuius in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

§ 6. *Nomina autem familiarium nostrorum praedictorum sunt quae sequuntur, videlicet*:

Praedictorum familiarium nomina recensentur.

Venerabilis frater Christophorus Signius, Bononiensis, archiepiscopus Tessalonicensis, ac basilicae Principis Apostolorum de Urbe canonicus, et palatii nostri apostolici praefectus; necnon dilecti filii magister Marcus Aurelius Maraldus Caesenatensis, in utrâque signaturâ nostrâ referendarius, breviumque nostrorum secretorum secretarius, et canonicus dictae basilicae, praelatusque domesticus noster; magister Franciscus Cherubinus, Senogalliensis dioecesis, etiam in utrâque signaturâ nostrâ referendarius, ac eiusdem basilicae canonicus et auditor, praelatusque domesticus noster; Lactantius de Lactantiis, Urbevetanus, canonicus basilicae praedictae, cubiculi nostri praefectus; Quintius de Bubalis, canonicus dictae basilicae, pincerna et cubicularius secretus noster; Gaspar de Simeonibus, Aquilanus, eiusdem basilicae canonicus, et secretarius litterarum nostrarum in formâ Brevis ad principes, et cubicularius secretus noster; Virgilius Spada de Brisichella, Faventinae dioecesis, eleemosynarius et cubicularius secretus noster; Ioseph Frenfanellus, Spoletanae dioecesis, basilicae praedictae canonicus, memorialium nobis porrectorum et sacri S. R. E. cardinalium collegii secretarius, ac clericus Italus archivii eiusdem sacri collegii custos, et cubicularius secretus noster; Constantinus Centoflorenius, Firmanae dioecesis, ecclesiae S. Ioannis in Laterano de Urbe canonicus, cubicularius secretus noster; Franciscus Sacchettus Mantuanus, abbas commendatarius S. Erasmi, dapifer et cubicularius secretus noster; Virgilius Rosarius Spoletanus, canonicus basilicae S. Mariae Maioris de Urbe, cubicularius secretus noster; Onuphrius de Hippolytis, Pistoriensis, in sacrâ theologiâ magister, canonicus dictae basilicae S. Mariae Maioris, et cubicularius secretus noster; Onuphrius Camporeus, Mutinensis, abbas commendatarius S. Bebbonis de Voghera, Dertonensis dioecesis, cubicularius secretus noster; Ioannes Gerinus, Florentinus, cubicularius secretus noster; Baccius Aldobrandinus, Florentinus, forerius maior, et cubicularius secretus noster; Camillus de Maximis, Romanus, cubicularius secretus noster; Paulus de Bubalis, Romanus, marchio terrae Fighini, Florentinae seu alterius dioecesis, omnium militum custodiae corporis nostri locumtenens generalis; Christophorus Pamphilius, Eugubinus, unius alae equitum levis armaturae custodiae praedictae capitaneus; Aloysius Costaguta, Ianuensis, alterius alae equitum levis armaturae eiusdem custodiae capitaneus; Gabriel Fonseca, Lusitanus, medicus et cubicularius secretus noster; Iulius Caesar Marsella, Soranae dioecesis, canonicus praedictae basilicae S. Mariae Maioris, et medicus,

cubicularius secretus noster; Hieronymus Lucius, iuris utriusque doctor, Urbevetanus, ecclesiae S. Laurentii in Damaso de Urbe, canonicus vestiarius noster; Bernardinus Sfortia, Tudertinae dioecesis, dictae basilicae Principis Apostolorum beneficiatus, caudatarius et cappellanus secretus noster; Ioannes Baptista Alferius, Senogalliensis dioecesis, canonicus dictae basilicae S. Mariae Maioris, crucifer et cappellanus secretus noster; Lucius Micinellus, Civitatis Castellanae, dictae basilicae Principis Apostolorum beneficiatus, cappellanus secretus noster; Iacobus Campius, dictae ecclesiae S. Ioannis in Laterano de Urbe canonicus, cappellanus secretus noster; Hiacynthus Sensasonus de Nursia, dictae basilicae Principis Apostolorum de Urbe beneficiatus, cappellanus secretus noster; Franciscus Canonici Mascambrunus, iuris utriusque doctor, de Apiro, Camerinensis dioecesis, civis Romanus, praedictae basilicae S. Mariae Maioris canonicus, et subdatarius noster; Petrus de Luciis, Albensis dioecesis, dictae basilicae Principis Apostolorum beneficiatus, et cubiculi nostri auditor; Stephanus Vandergores, Buscoducensis dictae basilicae Principis Apostolorum beneficiatus, et cubiculi nostri auditor; Michaël Angelus de Bonauguriis, Fanensis dioecesis, ecclesiae Ss. Celsi et Iuliani de Urbe canonicus, barbitonsor noster, et cubiculi nostri auditor; et Antonius Ghirlandarus, Pisanus, palatii nostri apostolici subpraefectus.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII septembris MDCXLVII, pontificatus nostri anno III[1].

Dat. die 27 septembris 1647, pontif. anno III.

1 Potius legendum *anno IV* (B. T.).

XCI.

Quod fratres laici Cappuccini Ordinis Minorum sancti Francisci vocem in electionibus habere possint[1].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius minister generalis fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum, quod aliàs (postquam felicis recordationis Pius Papa V praedecessor noster dictis fratribus vivae vocis oraculo concesserat seu declaraverat, ut fratres laici dicti Ordinis vocem in electionibus habere possent, non obstante Concilio Tridentino, sess. XXII, *De reformatione*, cap. IV, concessioque seu declaratio huiusmodi fuerat a capitulis generalibus dicti Ordinis limitata, videlicet, ut fratres laici huiusmodi a voce activâ et passivâ in electionibus praedictis exclusi forent tamdiu quamdiu integrum quadriennium in eodem Ordine complevissent) postmodum etiam recolendae memoriae Urbano Papa VIII, pariter praedecessori nostro, quia ex certis causis animum suum moventibus vivae vocis oracula huiusmodi revocaverat, supplicato, ut desuper opportune provideret, idem Urbanus praedecessor, huiusmodi supplicationibus inclinatus, quod fratres laici dictum Ordinem eatenus professi iuxta praedictam dictorum capitulorum generalium limitationem, ii vero, qui ex tunc de cetero habitum per fratres laicos huiusmodi gestari solitum suscepissent, et professionem per eosdem emitti consuetam emisissent regularem, postquam integro septennio a die suscepti per eos habitus huiusmodi in dicto Ordine degissent, vocem activam et passivam in electionibus praedictis, ad triginta dumtaxat

1 De his fratribus laicis notavi ad Constitutionem CCCXCVIII, *Nuper*, Urbani VIII, tom. XIV, pag. 220.

annos, habere libere et licite possent et valerent, apostolicâ auctoritate concessit et indulsit, et aliàs prout in suis in simili formâ Brevis litteris de anno MDCXXXVII desuper emanatis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis haberi voluimus[1], uberius continetur. Limitationem vero huiusmodi aegre ferens totus Ordo praedictus, et in eâ revocandâ in terminis expressis difficilem reperiens eumdem Urbanum praedecessorem, ab eo de novo constitutiones eiusdem Ordinis, prout iacent, apostolicâ auctoritate confirmari procuravit, obtinuitque, et ex huiusmodi confirmatione pristinum ius eorumdem fratrum laicorum, quoad electiones praedictas, illis restitutum fuisse et revixisse praetendit.

Confirmat prout in rubrica.

§ 1. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, multi ex fratribus huiusmodi in dubium revocaverint, an ex novâ earumdem constitutionum confirmatione praedictâ restitutioni iuris eligendi factae fratribus laicis huiusmodi fuerit et sit sufficienter et abunde cautum, nobis propterea idem minister generalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune, ut infra, providere et indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 2. Nos igitur, qui felicem dicti Ordinis statum et directionem sinceris desideramus affectibus, eumdem ministrum generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praefatas dicti Ordinis constitutiones, vocem et votum in electionibus concedentes fratribus laicis Cappuccinis huiusmodi in dicto Ordine, ab omnibus et singulis ad quos spectat et in futurum quomodolibet spectabit, inviolabiliter, et prout in eisdem constitutionibus continetur, observari et adimpleri debere, ac quoscumque Ordinis superiores, fratres et personas ad earumdem constitutionum observationem, quoad hoc, omnibus iuris et facti remediis cogi et compelli posse, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, et alios quosvis commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, irritumque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et mandamus.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae idem Urbanus praedecessor in suis litteris praedictis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 4. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX septembris MDCXLVII, pontificatus nostri anno III[1].

Dat. die 29 septembris 1647, pontif. anno III.

XCII.

Reservatio pensionis perpetuae ad favorem sacrosanctae patriarchalis eccle-

1 Oportet legere *volumus* (R. T.).

1 Oporteret legere *anno* IV (R. T.).

siae S. Mariae Maioris, de consensu maiestatis catholicae[1].

Innocentius Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Sacri apostolatus ministerio, meritis licet imparibus, divinâ dispositione praesidentes, ad ea, per quae nostrae provisionis auspiciis basilicae almae Urbis nostrae ac personae in illis divinis obsequiis iugiter insistentes congruis facultatibus pro earum debitâ manutentione onerumque eis incumbentium sublevamine communiri valeant, libenter intendimus, ac in his pastoralis officii nostri partes, etiam per pensionum perpetuarum reservationis ministerium, maxime dum id catholici reges exoptant, favorabiliter interponimus, prout, rerum, personarum et temporum circumstantiis debite pensatis, id in Domino conspicimus salubriter expedire. Cum itaque, sicut accepimus, carissimus in Christo filius noster Philippus IV Hispaniarum rex catholicus ad aliquod insigne et suâ regiâ maiestate ac liberalitate dignum opus pium hîc in Urbe fundandum et instituendum a multo tempore citra animum propensum habuerit, et ad hunc effectum ab initio anni Domini millesimi sexcentesimi quadragesimi quarti certam pecuniarum quantitatem, ex spoliis et vacantiis regni Siciliae ad ipsum Philippum regem spectantibus conflatam, in huiusmodi opus destinaverit; et successive hodie (in actu quo nos, ad praesentationem eiusdem Philippi regis, ecclesiae Mazzariensi, quae de eius iurepatronatus ex fundatione vel dotatione, seu privilegio apostolico cui non est hactenus in aliquo derogatum, existit, certo tunc expresso modo vacanti, de personâ venerabilis fratris nostri Didaci de Requesens, archiepiscopo[1] Carthaginensi, apostolicâ auctoritate providimus, ipsumque illi in episcopum praefecimus et pastorem) inter ceteras unam pensionem annuam perpetuam mille octingentorum scutorum monetae regni Siciliae, ad mentem dicti Philippi regis, et iuxta formam motus proprii per nos signandi distribuendam, super mensae episcopalis Mazzariensis fructibus, redditibus et proventibus, dictâ auctoritate, motu simili, reservari concedi obtinuerit, prout in cedulâ consistoriali desuper manu nostrâ signatâ plenius continetur; et novissime nobis, per dilectum filium Inicum Velez de Guevara comitem de Onnate suum apud nos oratorem, significari fecerit se summopere exoptare, ut nos, ultra praedictam mille octingentorum scutorum, iam ut praefertur reservatam, aliam pensionem similiter perpetuam bismille ducentorum scutorum similium super mensae episcopalis ecclesiae Cataniensis fructibus, redditibus et proventibus, quae itidem de iurepatronatus praedicti Philippi regis, ex fundatione vel dotatione, seu privilegio apostolico cui non est hactenus in aliquo derogatum, fore dignoscitur, quaeque ad praesens pastoris solatio destituta reperitur, similiter ad mentem eiusdem Philippi regis, et iuxta formam praesentium litterarum distribuendam, reservaremus;

Recensentur personae quibus scuta distribuuntur.

§ 1. Cumque dictus Philippus rex per eundem Inicum oratorem nobis etiam significari fecerit mentem et intentionem suam esse, ut tam haec quam illa mille octingentorum iam ut praefertur reservata pensiones huiusmodi, et sic in totum quatuor millia scuta annua ex dictis duabus pensionibus proventura, in beneficium patriarchalis basilicae S. Mariae Maioris de Urbe (quam, ob peculiarem, quem

1 Pensiones super ecclesiarum fructibus quando servari possint, vide Leonis X Const. *Supernae*, § 11, sub dat. v maii MDXIV, tom. V, pag. 604.

1 Videtur legendum *archiepiscopi Chartaginensis* (R. T.).

semper erga dictam Beatissimam Virginem Mariam sua regia maiestas gessit, devotionis, et dictam basilicam propensioris tutelae et protectionis quas profitetur, affectum, singulis aliis dictae Urbis piis et religiosis locis ad hunc actum iure optimo praeelegit), eiusque ministrorum, modo et formâ ac conditionibus et poenis infrascriptis, et non aliàs, aliter, nec alio modo, erogentur et expendantur; bismille et quadraginta[1] videlicet in duodecim portiones, quarum sex debeant constare ducentis et quinquaginta, reliquae vero sex centumquinquaginta scutis similibus pro qualibet, eaeque semper, ad praedicti Philippi regis eiusque successorum[2] Hispaniarum regum seu eorum apud hanc S. Sedem nunc et pro tempore existentium oratorum nominationem seu electionem, inter duodecim personas perpetuo distribuantur, quoad decem, videlicet, canonicis dictae basilicae non fixis, sed ad arbitrium regis seu oratoris huiusmodi pro tempore mutabilibus, quo vero ad alias duas portiones seu pensiones huiusmodi, praeposito cappellae ad praesepe a felicis recordationis Sixto V ac priori cappellae S. Mariae a piae memoriae Paulo etiam V, Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, in dictâ basilicâ respective fundatarum, seu uni cappellano primae et alteri cappellano secundae cappellarum huiusmodi, similiter, ut supra, ad praedicti Philippi regis seu eius oratoris nominationem eligendis et non fixis, sed, ut supra, mutabilibus, et nullus dictorum duodecim ullo unquam tempore possit habere nisi unam ex dictis duodecim portionibus, ipsorumque duodecim ad dictas duodecim portiones admittendorum electio et deputatio fiat ad vitam cum solis litteris patentibus seu diplomatibus, vel, ut vocant, cedulis praedicti Philippi regis, eiusque successorum Hispaniarum regum seu oratorum praedictorum,

1 Legend. *quadringenta*, ut patet ex seq. (R.T.).
2 Perperam ed. Main. leg. *successoribus* (R.T.).

§ 2. Nec portiones praedictae censeantur aliquo modo annexae canonicatibus et praebendis aut[1] praepositurae vel prioratui seu cappellaniis basilicae et cappellarum huiusmodi, si contingat aliquando per deputatos et electos ad portiones huiusmodi eorum canonicatus et praebendas aut praeposituram et prioratum vel cappellanias resignari, dimitti vel permutari, aut aliàs ex eorum personis illorum et illarum vacationes quomodolibet induci (seu defunctis illis, qui pro tempore ad dictas portiones[2] per quamcumque dimissionem eorumdem canonicatuum et praebendarum, seu praepositurae, seu prioratus vel cappellaniarum respective, aut aliàs quomodolibet vacantibus, vel amittentibus, et praedictis canonicatibus et praebendis, ac praepositurâ et prioratu, vel cappellanis[3] quomodolibet vacantibus), electio et deputatio ad dictas portiones seu pensiones aliorum canonicorum, ac praepositi et prioris, vel cappellanorum, in locum defunctorum vel dimittentium aut amittentium[4], spectet libere ad dictum regem seu oratorem cum solis patentibus seu diplomatibus vel cedulis cuiuslibet eorum, ut supra (possint tamen eligi et deputari ad portiones ducentorum et quinquaginta scutorum omnes illi tam canonici quam praepositus et prior, seu cappellani praedicti, qui reperiuntur electi ad minores portiones centum et quinquaginta, si sic dicto regi aut oratori videbitur; sed in tali casu eorum prior portio centum quinquaginta, per adeptionem portionis pinguioris, vacans remaneat liberae dispositioni regis seu oratoris, ut praefer-

Conceditur nominatio oratori regis, vel ipsi regi.

1 Male ed. Main. legit *ut* pro *aut* (R. T.).
2 Subde *erant electi*, aut simile (R. T.).
3 Legendum *cappellaniis* (R. T.).
4 Male edit. Main. legit *ammittentium* (R.T.).

tur, ad favorem alterius ut supra qualificati; hoc insuper addito, quod fructus dictarum portionum seu pensionum decurrendi a die vacationis illarum, usque ad diem quo fiet nova electio et nominatio personarum ad illas, transeant ad successores sic noviter electos et nominatos; et, praetextu dictarum duodecim portionum seu pensionum, canonicatus et praebenda, ac praepositura et prioratus, vel cappellaniae illorum, qui ad dictas portiones pro tempore electi et nominati erunt, pensionibus ecclesiasticis aut aliis oneribus etiam camerâlibus, ex quavis causâ, etiam quantumvis piâ, etiam motu simili, aut etiam consistorialiter gravari nequeant; et, si graventur de consensu illos vel illas obtinentium, statim ille, qui tali gravamini consenserit, suâ portione eo ipso[1], absque ullâ aliâ declaratione, privatus remaneat, alteri personae per regem seu oratorem huiusmodi ex hoc solum capite, modo quo supra, disponendâ);

Pro canonicis scuta mille quinquaginta applicantur.

§ 3. Alia vero mille et quinquaginta, scuta annua monetae dicti regni erogentur in usum distributionum quotidianarum repartiendarum inter omnes canonicos dictae basilicae, ac duos alios qui ex praeposito et priore aut cappellanis praedictis pro tempore erunt electi ad duas portiones praedictas si in dicti chori stallo horis canonicis interessentes de aliis distributionibus quotidianis ad capitulum spectantibus cum eodem capitulo participaverint, omnis quippe summa praedictorum millequinquaginta[2] scutorum horis totius anni, quibus divina officia et res sacrae in dictâ basilicâ capitulariter recitantur et celebrantur, assignanda est, ita ut cuique praedictarum horarum sive missarum aliqua portio seu distributio respondeat, cuius quantitas a capitulo dictae basilicae declaranda et determinanda est iuxta communem morem et consuetudinem ecclesiarum cathedralium, et dictae basilicae S. Mariae Maioris; et ab iis distributionibus, praeter supradictos, ceteri beneficiati et alii servientes choro dictae basilicae prorsus excludantur; praeterea[1] illi, qui ex canonicis et aliis duobus supradictis de mille et quinquaginta scutis praedictis participare voluerint, ultra servitium et personalem residentiam et assistentiam chori in praedictis officiis divinis et horis canonicis, teneantur etiam personaliter interesse solemni celebrationi trium missarum canonicalium in dictâ basilicâ singulis annis[2] solemnissimo ritu in diebus infradicendis decantandarum;

Distributiones huiusmodi fiant tribus diebus.

§ 4. Hae autem distributiones quotidianae a principio anni proxime sequentis initium habeant, ita ut semper unius anni anticipata dicta mille et quinquaginta scutorum exactio sequentis anni distributioni deserviat, ipsorumque mille et quinquaginta scutorum solutio fiat in tribus anni diebus, in quibus etiam, ut infra dicetur, dictae tres missae decantandae sunt; primus terminus dictae solutionis sit in die Nativitatis Beatae Mariae Virginis anni MDCXLIX, et tertius et ultimus illius anni in die sancti Idelfonsi, hoc est, XXIII ianuarii MDCL, et sic successive sequentibus annis; et qui non interfuerit dictis missis, pro unaquaque missâ cui personaliter non interfuerit, unam tertiam partem dictarum distributionum, et qui fuerit[3] in interessentiâ duarum sive omnium missarum, reliquas illius anni distributiones, quae sibi obvenissent ex dictis mille et quinquaginta scutis, respective amittât, licet in chori servitio et officiorum illius anni assistentia non defecisset[4]; haeque distributiones ita sint affectae servientibus

1 Perperam edit. Main. legit *ipse* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *1500* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *propterea* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *anno* (R. T.).
3 Legend. *defuerit* pro *fuerit*, ex Cherub. (R.T).
4 Aptius lege *assistentiâ non defuisset* (R. T.).

dumtaxat et interessentibus officiis divinis supradictis et praedictis tribus missis, ut quilibet tantum propter assistentiam dictarum trium missarum, ut praefertur, et pro residentiâ uniuscuiusque horae ex praedictis distributionem illi horae assignatam lucretur iuxta assignamentum seu appuntamentum, ut aiunt, et computum a praedictae basilicae et dictorum ecclesiasticorum computistis et chori appuntatoribus sive assignatoribus faciendam, nullusque absens, etiam ex causâ quantumvis legitimâ et privilegiatâ, etiam pro dictae basilicae servitio, aut qualibet aliâ maiori, etiam cum speciali Brevi Sedis Apostolicae, vel quae specialem et expressam mentionem requirat, quas omnes praesentibus pro expressis habemus, de illis ullo modo participare possit, exceptâ tamen causâ legitimae infirmitatis, si tamen de eâ constiterit per infirmi iuramentum, et portiones absentium a dictis divinis officiis, sive dictis tribus missis non interessentium, convertantur in usum sacristiae capituli;

Alia ducenta scuta beneficiatis assignantur.

§ 5. Alia autem ducenta scuta similia[1] distribuantur inter beneficiatos cappellanos nuncupatos tantum[2], etsi qui sint[3] alios clericos cappellanos seu ministros servitio chori dictae basilicae addictos, ipsique basilicae et illius choro actu inservientes, ac infrascriptum cappellanum regium pro tempore existentem, qui dictis tribus missis personaliter interfuerint, ac etiam inter cappellanos eiusdem cappellae Pauli V, qui ad praedictarum missarum interessentiam a capitulo in dictâ cappellâ admitti solent, non tamen inter canonicos et praepositum ac priorem, aut duos cappellanos praedictos, qui ad dictas portiones ut supra nominati, vel dictâ distributione mille et quinquaginta scutorum frui possunt, qui omnes et eorum singuli ab hac participatione semper exclusi intelligantur; et harum distributionum ducentorum scutorum tres aequales portiones fiant, quarum quaelibet in unâquaque dictarum trium festivitatum infradicendarum tantum inter supradictos, qui personaliter dictis tribus missis interfuerint, distribuendarum[1] servando formam, normam et quantitatem respective, quibus repartiuntur illis aliae distributiones quotidianae, quas ipsi nunc in dictâ basilicâ percipiunt, iuxta providam declarationem a capitulo dictae basilicae faciendam; eo tamen superaddicto, quod praedictis cappellanis dictae cappellae Pauli V non minor distributio assignetur, quam cappellanis choro dictae basilicae inservientibus assignanda est; et quoad dictas distributiones ducentorum scutorum initium et acquisitionem, solutionem et amissionem[2], iustificationemque et poenas eorum, qui praedictis tribus missis vel earum cuilibet non interfuerint[3], observetur idem, quod circa aliam distributionem mille et quinquaginta scutorum ordinatum et statutum fuit;

Scuta centum quinquaginta pro expensis.

§ 6. Alia item centum et quinquaginta scuta paria annuatim in subsidium expensarum cerae, musicae et cantorum arbitrio capituli distribuenda ratione dictarum trium missarum solemnium implicentur; reliqua tandem ducenta scuta similia, quae desunt ad perficiendam dictam summam quatuor millium scutorum, annuatim impendantur uni, qui actu sit presbyter, et qui, hac primâ vice exceptâ, semper sit ex gremio canonicorum, seu

Scuta ducenta regio cappellano.

1 Edit. Main. legit *simili* (R. T.).

2 Edit. Cherub. legit *inter beneficiatos capellanos et quoscumque clericos beneficiatos nuncupatos tantum* (R. T.).

3 Intelligat qui potest; ita fert etiam edit. Cherub.; forsan legendum: *et, si qui sint*, (inter) *alios* etc. (R. T.).

1 Legend. *distribuenda* vel *distribuetur* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *ammissionem* (R. T.).

3 Edit. Main. legit *interfuerit* (R. T.).

beneficiatorum, vel cappellanorum, aut clericorum dictae basilicae (cum quibus, ex nunc, prout ex tunc, ut hanc regiam cappellaniam obtinere, et eius onus simul cum quocumque alio dictorum canonicatuum et praebendarum, beneficiorum, aut cappellaniarum dictae basilicae subire possint et valeant, dispensamus),

Cappellanus regius erit amovibilis, et ex numero canonicorum.

§ 7. Qui cappellanus ab eodem rege, vel eius oratore, cum eius vel eorum cuiuslibet patentibus, seu diplomatibus, vel cedulis, ut supra, dumtaxat eligendus et nominandus, ac ad sui libitum etiam absque ullâ prorsus causâ, hac primâ nominatione dumtaxat exceptâ, removendus, semperque ad nutum dicti regis, seu eius oratoris, amovibilis sit, et regius cappellanus nuncupetur, et ei tamquam tali debitus honor ab omnibus dictae basilicae ministris impendatur, et in diebus, in quibus dictae tres missae solemnes celebrabuntur, ipse cappâ et rochetto vel superpellicello indutus, ad instar beneficiatorum dictae basilicae, decens stallum in choro sibi per capitulum assignandum habeat, et singulis diebus in praedicto altari, in quo dicta sacra imago Beatae Virginis reposita est et pro tempore fuerit, pro salute praedicti regis, ac suorum filiorum, ac sui regni spirituali et temporali prosperitate et augmento, unam missam, submissâ voce recitandam, per se ipsum, aut (cum legitime fuerit impeditus, quod tamen impedimentum per praedicti regis pro tempore existentis oratorem approbari debeat, eoque per modicum tempus et non ultra durante, seu interveniente causâ legitimae infirmitatis, quae ut supra per fidem iuratam ab ipsomet infirmo constet, sive in diebus in quibus dictus cappellanus ad alterius missae celebrationem ratione suorum canonicatus et praebendae vel beneficii aut cappellaniae adstrictus reperitur) per alium presbyterum (ex gremio dictae basilicae, vel ex his, qui choro dictae basilicae inserviunt, necessario a dicto cappellano eligendum, qui non minus, quam duorum iuliorum, ut aiunt, eleemosynam pro unaquâque missâ solvat) missam, aut missas, quas ipse ex dictis causis recitare non poterit, recitare teneatur et debeat;

Canonicus debet eligi a maiori capituli parte.

§ 8. Et ulterius etiam dicto regio cappellano[1], unâ cum canonico a maiori parte capituli et eius arbitrio eligendo et deputando, onus exigendi dicta quatuor millia scuta, non tamen propriis, sed dictae fundationis seu operis pii expensis et risico, et acceptâ suâ portione ac etiam ratâ distributionum quotidianarum iuxta computum per computatores chori dictae basilicae pro tempore faciendum distribuendarum, in se subire, et singulis annis capitulo et pro tempore existenti eiusdem regis oratori de per eum exactis, solutis et administratis rationem reddere, et de toto eo, quod infra annum circa id iuxta casuum exigentiam occurret dictum capitulum certiorare debeant et teneantur[2], ad quem effectum deponantur pecuniae in sacro monte pietatis, seu una arca tribus clavibus obserata, quarum una per canonicum antiquiorem capituli, et alia penes dictum cappellanum regium, et reliqua penes alium, quem ipsum capitulum eliget, in qua pecuniae praedictae custodiantur, conficienda, et intus eam tota summa pro tempore exacta reservanda erit;

Nomen cappellani regii electi primâ vice.

§ 9. In huiusmodi autem cappellanum regium hac primâ vice ad sui vitam electus et deputatus fuit a praedicti Philippi regis oratore, cum oneribus et honoribus supradictis, dilectus etiam filius Bernardinus Barberius presbyter Vintimiliensis dioecesis, licet non sit de gremio dicti capituli, seu ministrorum dictae basilicae,

1 Legendum *dictus regius cappellanus* (R.T.).

2 Aptius legeretur *debeat et teneatur;* sed in plurali numero includitur etiam canonicus eligendus a capitulo (R. T.).

et hoc propter servitia per eum hactenus regiae coronae praestita, et ob labores quos sustinuit in disponendâ et perficiendâ hac praesenti fundatione; ita tamen, ut ipse possit per se vel alium missas celebrare;

Alius redditus mille scutorum pro eâdem basilicâ.

§ 10. Summa denique reddituum, quae a dicto Philippo rege ab initio dicti anni MDCXLIV usque ad datam praesentium ad hunc effectum ex spoliis et ex vacantibus dicti regni Siciliae, ut praemittitur, destinata fuit, ponetur in multiplicum, donec ex eâ annuus redditus haberi possit, qui ad aliquam summam a dicto Philippo rege seu eius oratore destinandam, ac illis seu cuilibet illorum benevisam, non tamen mille scutis monetae minorem, ascendat, qui quidem redditus tunc erit implicandus in augmentum distributionum quotidianarum ministrorum chori dictae basilicae, pro praestando uniformi servitio dictae basilicae, quod a canonicis praestatur, et non aliter, seu alios quoscumque pios usus ad utilitatem dictae basilicae arbitrio praedicti Philippi regis seu eius oratoris convertendus seu assignandus;

Dies recensentur quibus missae cantari debent.

§ 11. Pro qua tamen fundatione, et memoriâ perpetuâ, praedicto capitulo basilicae S. Mariae Maioris, ac omnibus ecclesiasticis supradictis illud onus a praedicto Philippo rege respective et perpetuo iniungitur, ut scilicet singulis annis, incipiendo ab hoc praesenti anno, tres missas canonicales in altari praedictae imaginis Beatae Verginis, quod nunc est altare maius dictae cappellae Pauli V, in hoc igitur, vel in eo in quo pro tempore praedicta imago Beatae Virginis reposita invenietur, unam missam videlicet in die Nativitatis eiusdem Beatae Mariae Virginis, quae etiam nunc a multo tempore pro dicto rege celebratur, alteram in octavâ Omnium fidelium defunctorum, reliquam die XXIII mensis ianuarii, in festo videlicet S. Idelfonsi, quae ab anno proxime sequenti incipietur, pro dicti Philippi regis, eiusque successorum Hispaniarum regum, ac ipsorum coniugum et filiorum salute, ac successione, ac pro eorumdem, ac ipsorum praedecessorum animabus, ac demum pro praedicti Philippi regis regnorum temporali ac spirituali prosperitate et augmento, solemnissimo ritu, decantare et celebrare[1], non minori cultu et pompâ, sumptu et celebritate, ac numero musicorum et quantitate cerae, aliisque solemnibus, sed iisdem, aut maioribus his, quibus nunc dictam missam in die Nativitatis eiusdem Beatae Virginis pro eodem Philippo rege dictum capitulum celebrat et decantat (quarum solemnitatum et missarum expensae, etiamsi ultra assignationem, ad hunc effectum superius dictum, maior summa expendenda, vel si dicta assignatio non fuerit exacta, ab eodem capitulo anticipate solvendae, faciendae, aut supplendae sunt, uti absque ullâ assignatione sumptus dictae festivitatis et missae Nativitatis eiusdem Beatae Virginis iam a multo tempore usque nunc a capitulo fiunt); insuper capitulum et canonici praedicti aestivo tempore servitium chori eâdem formâ et eodem numero canonicorum quo hiemali tempore fieri solet facere teneantur, et ad id adstricti sint, alioquin distributiones tunc absentium in usum praedictae sacristiae convertantur; ac praepositus, prior, seu cappellani praedicti ad celebrationem trium missarum, per se, vel alium, seu alios, dictis tribus, videlicet Beatae Mariae Virginis, et octava Defunctorum, ac S. Idelfonsi diebus, etiam teneantur;

Ius paramentorum regio cappellano tributum.

§ 12. Ac capitulum et praedictus prior ac cappellani dictae cappellae Pauli V tenebuntur et adstricti erunt, ut supradictum est, in eorum sacrariis, seu sacristiis, ac in earum qualibet, prout ipsi regio cappellano videbitur, omnia para-

1 Subintellige verbum *teneantur*, quod postea sequitur (B. T.).

menta, ac alia quaecumque necessaria ad praedictam missam submissâ voce quotidie celebrandam in[1] dicto altari Beatae Mariae Virginis, et, si dictum altare impeditum fuerit, in alio altari sibi beneviso, absque ullo impedimento, cum omni decentiâ sufficienti, dicto regio capellano ministrari facere; et si id, vel aliquam eius partem, capitulum et omnes alii praedicti seu recusaverint, hancque fundationem et singula per dictum Philippum regem ut supra disposita non acceptaverint, seu illis acceptatis dictas tres missas in praedicto altari Beatae Virginis solemniter non decantaverint, haecque et alia omnia ut supra stabilita non adimpleverint, in quolibet ex casibus praedictis Hispaniarum regi pro tempore existenti liberum sit totam hanc fundationem, seu eius partem, ad sui libitum, a canonicis praeposito et priore seu cappellanis et aliis praedictis auferre, illamque in alias pias fundationes, applicationes, dotationes, electiones in dictâ basilicâ, seu cappellâ Pauli V, seu alios pios usus dictae basilicae, seu cultum dictae Beatae Virginis, arbitrio dicti regis, absque aliâ licentiâ, sub eisdem aut aliis oneribus dicto regi etiam benevisis, transmutare et transferre:

Pontifex basilicam S. Mariae Maioris praecipue affectu prosequitur.

§ 13. Nos igitur, regiam praedicti Philippi regis liberalitatem, suamque piissimam intentionem, ut supra dispositam, plurimum in Domino commendantes, et ob singularem quam[2] erga dictam Beatam Virginem et praedictam basilicam (quae unâ ex patriarchalibus Urbis ecclesiis existit, illarumque omnibus ac aliis plurimis privilegiis, praeeminentiis, indultis, favoribus et gratiis fruitur, potitur et gaudet) gerimus devotionis affectum, et ut illae ad debitum finem perducantur, exindeque dictae basilicae S. Mariae Maioris eiusque ministris tam magnus decor tamque evidens utilitas accrescat, quantum in nobis est, cooperari, simulque propensionem animi nostri erga dictum Philippum regem hoc novo testimonio patefacere volentes, ac capitulum, canonicos, praepositum, priorem Bernardinum, beneficiatos cappellanos et ministros huiusmodi, eorumque singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon quarumcumque aliarum similium vel dissimilium applicationum dicto capitulo hactenus factarum tenores, ac datum, etc., praesentibus pro expressis habentes,

A censuris absolvit.

Reservatio pensionum.

§ 14. Motu proprio, et ex certâ scientiâ nostrâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, supradictam mille octingentorum, iam ut praefertur reservari concessam, super qua, ut etiam accepimus, litterae apostolicae nondum expeditae sunt, super dictae mensae episcopalis Mazzariensis, etiam alteram, pensiones annuas et perpetuas (easque ab omni decimâ, quartâ, mediâ et quavis aliâ fructuum parte, subsidio etiam charitativo et excusato, ac quocumque alio tam ordinario quam extraordinario onere quomodolibet nuncupato, quavis auctoritate, et ex quavis causâ urgenti et urgentissimâ, etiam necessario exprimendâ, et pro reparatione ac fabricâ basilicae Principis Apostolorum de Urbe, cruciatâ sanctâ, et expeditione contra Turcas et alios fide catholicae hostes, ac pro seminario puerorum ecclesiastico, sustentatione et manutentione classis triremium, nunc quomodolibet impositis, et pro tempore ex causâ etiam quantumvis privilegiatâ et de necessitate exprimendâ imponendis, etiamsi in impo-

1 Praeposit. *in* addimus ex Cherub. (R. T.).
2 Aptius forsan legeretur *quem* (R. T.).

sitionibus huiusmodi caveatur expresse quod pensionarii quicumque etiam pensiones suas ab oneribus huiusmodi aut aliàs quantumvis exemptas habentes pro ratâ earumdem pensionum suarum aut aliàs contribuere teneantur, quam ratam Mazzariensis et Cataniensis ecclesiarum pro tempore existentes praesules seu administratores de earum fructibus, seu eorum proprio, solvere debeant, absque spe aliquid unquam postea repetendi, seu defalcandi, onusque ratae huiusmodi in se et successores suscipere debeant, et quidquid propterea solverint, remissum et donatum esse debeat, necnon belli, pestis, famis, sterilitatis, incendii, grandinis, pruinae, tempestatis, et cuiusvis alterius sinistri et inexcogitabilis ac insoliti casus, fortuiti eventus, ac aliàs in omnibus et per[1] omnia liberas, immunes et exemptas), bismille ducentorum scutorum similium, super dictae mensae episcopalis Cataniensis fructibus, redditibus et proventibus, iuribus, obventibus et emolumentis universis, tam certis quam incertis, etiamsi super utriusque mensarum huiusmodi seu alterius earum fructibus, redditibus et proventibus praedictis aliae pensiones annuae, etiam forsan perpetuae, aut ad vitam, vel aliàs, quarum quantitates praesentibus haberi volumus pro expressis, aliis personis reservatae seu reservari concessae sint, ad supradictum effectum dicto regio cappellano, vel ipsius legitimo procuratori, et non alteri personae nisi de ipsius regii cappellani consensu, per dictum Didacum episcopum eiusque successores, ac per pro tempore existentes Mazzariensis et Cataniensis ecclesiarum respective praesules seu administratores, in perpetuum, annis singulis, in duabus aequalibus solutionibus, pro unâ videlicet in Annunciationis, a proxime futurâ incipiendo, et alterâ medietatibus pensionum per praesentes reservandarum huiusmodi in Nativitatis Beatae Mariae Virginis festivitatibus, in tabulâ, seu alio banco civitatis Panormitanae, arbitrio cappellani et canonici praedictorum, sumptibus et expensis ac risico dictorum Mazzariensis et Cataniensis praesulum praesentium et pro tempore existentium, ad creditum capituli, sub dispositione dictorum cappellani et canonici eligendi (ita tamen, ut solutio huiusmodi in aliis reservationibus in exemplum adduci non possit), etiam praesentibus Didaco episcopo ac Mazzariensi et Cataniensi ecclesiarum huiusmodi pro tempore existentibus praesulibus seu administratoribus praedictis nequaquam intimatis neque praesentatis, integre persolvendas, apostolicâ auctoritate, earumdem tenore praesentium, reservamus, constituimus et assignamus singulis annis in usus supra narratos, ac aliàs modo et formâ supradictis, iuxta formam et intentionem praedicti Philippi regis ut supra expressam et declaratam, ac quandocumque, etiam post mille annos et ultra, in casu alicuius dubii seu controversiae, per ipsum Philippum regem et per pro tempore existentem Hispaniarum regem, seu eius oratorem, apertius exprimendam, ac etiam declarandam, et non aliàs, aliter, nec alio modo, ut supra, in perpetuum expendi, distribui et erogari volumus et mandamus.

Clausulas praeservativas apponit.

§ 15. Decernentes per solas praesentes litteras priorem pensionem mille octingentorum scutorum huiusmodi, etiamsi aliae litterae amplius non expediantur, probari et plenarie iustificari, et per eas ad utriusque pensionis huiusmodi exactionem suis debitis temporibus contra quoscumque procedi posse et debere; nec easdem praesentes de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae, aut quovis alio defectu notari ex quavis causâ, etiam quantumvis

1 Vocem *per* nos addimus (R. T.).

legitimâ et iuridicâ, etiam sub praetextu, quod dicta ecclesia Cataniensis ad praesens vacet, et pastore et legitimo defensore careat, seu etiam ex defectu totali aut non sufficientis consensus huic reservationi dicti Didaci episcopi, ac praesulum seu administratorum Mazzariensis et Cataniensis ecclesiarum huiusmodi, ac etiamsi dictae pensiones, unâ cum antiquis, tertiam partem fructuum dictarum mensarum respective excedant, et dictae praesentes pensiones in aliis reservationibus pensionum quomodolibet in futurum reservandarum, et in eis clausulâ forsan apponendâ *dummodo tertiam partem fructuum non excedat*, praesentes pensiones minime comprehendantur, neque de eis aliqua mentio fieri debeat, aut aliàs notari, impugnari, retractari, annullari, in ius vel controversiam vocari, ad viam et terminos iuris adduci, aut adversus illas quodcumque iuris vel gratiae et facti remedium impetrari, aut etiam motu simili concedi nullatenus posse, sed eas semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, neque eas (uti fundationem regiam continentes, et ad cultus divini et distributionum quotidianarum augmentum tendentes, et consequenter admodum privilegiatas) sub quibusvis revocationibus, suspensionibus et limitationibus, etiam derogatoriarum derogatorias clausulas, et decreta irritantia, quarum tenores etiam praesentibus haberi volumus pro expressis, in se continentibus, etiam motu pari, ac etiam consistorialiter emanatis et emanandis comprehendi, sed semper ab illis excipi, et quoties eas revocari aut limitari vel suspendi, seu eis derogari contigerit, toties in pristinum et validissimum statum, etiam sub datâ posteriori per regem seu eius oratorem pro tempore et quandocumque eligendâ, restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo concessas esse et fore, ac suffragari debere, in omnibus et per omnia, et quoad omnia supradicta, etiam perinde ac si pensiones praedictae in consistorio nostro secreto et ex iustâ et rationabili causâ reservatae fuissent,

Decretum irritans.

§ 16. Sicque et non aliàs in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et Sedis Apostolicae nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, definiendi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Decernentes insuper Didacum episcopum et pro tempore existentem Mazzariensis et Cataniensis ecclesiarum praesules seu administratores ad integram solutionem pensionum per praesentes reservatarum iuxta reservationis constitutionis et assignationis praedictarum tenorem fore efficaciter obligatos;

Interdicti poena non solventibus pensiones.

§ 17. Ac volentes, et eâdem auctoritate statuentes, quod illis ex Didaco episcopo et pro tempore existentibus Mazzariensis et Cataniensis ecclesiarum praesulibus seu administratoribus, qui in dictis festivitatibus, vel saltem intra triginta dies illarum singulas immediate sequentes, pensiones per praesentes reservatas, per eos tunc debitas, non persolverint cum effectu, lapsis diebus eisdem, ingressus ecclesiae interdictus existat, cuius interdicti relaxationem ii, donec cappellano regio vel eius procuratori praedicto de pensionibus per praesentes reservatis tunc debitis integre satisfactum aut aliàs secum vel cum dicto procuratore super hoc amicabiliter concordatum fuerit, praeterquam in mortis articulo constituti, nequeant obtinere; si vero per sex menses

dictos triginta dies immediate sequentes sub huiusmodi interdicto, animo, quod absit, permanserint indurato, et tunc effluxis mensibus eisdem a regimine et administratione ipsarum ecclesiarum Mazzariensis et Cataniensis perpetuo suspensi existant.

Executorum deputatio.

§ 18. Quocirca dilectis filiis causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, ac venerabilium fratrum nostrorum Panormitanorum et Montis Regalis archiepiscoporum vicariis in spiritualibus generalibus, motu simili per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, faciant auctoritate nostrâ pensiones per praesentes reservatas praedictas Bernardino, et pro tempore existenti cappellano regio, seu eius procuratori praedicto, iuxta reservationis, constitutionis, assignationis et decreti praedictarum[1] continentiam et tenorem, perpetuo integre persolvi; et nihilominus quemlibet ex Didaco episcopo, ac pro tempore existentibus Mazzariensis et Cathaniensis ecclesiarum praesulibus seu administratoribus, quem interdicti et suspensionis huiusmodi sententias incurrisse eis constiterit, quoties pro parte Bernardini, et pro tempore existentis cappellani regii huiusmodi fuerant[2] requisiti, tamdiu dominicis ac aliis festivis diebus in ecclesiis, dum maior inibi populi multitudo ad divina convenerit, interdictum et suspensum publice nuntient, et faciant ab aliis nuntiari, donec de pensionibus per praesentes reservatis huiusmodi tunc debitis fuerit integre satisfactum, ipseque interdictus et suspensus interdicti et suspensionis huiusmodi relaxationem meruerit obtinere;

Obstantia tollit.

§ 19. Contradictores per censuras ecclesiasticas, appellatione postpositâ, compescendo. Non obstantibus, quatenus opus sit, unâ, per quam dudum inter alia voluimus et ordinavimus, quod litterae reservationis vel assignationis, etiam motu pari, cuiusvis pensionis annuae super alicuius beneficii ecclesiastici fructibus expediri non possint, nisi de consensu illius, qui dictam pensionem persolvere tunc haberet; ac aliâ, per quam decrevimus et declaravimus nostrae intentionis fore, quod deinceps, per quamcumque signaturam et concessionem aut gratiam vel litteras apostolicas pro commissionibus seu mandatis aut declarationibus in quibusvis causis, etiamsi[1] motu simili, et ex certâ scientiâ, ac etiam ante motam litem, a nobis emanaverint, vel de mandato nostro faciendas, nulli ius sibi quaesitum quomodolibet tollatur; necnon aliis nostris et cancellariae apostolicae regulis de exprimendo vero valore; ac Lateranensis Concilii novissime celebrati pensiones annuas super fructibus mensarum episcopalium, nisi ex cessionis aut aliâ probabili causâ, reservari prohibentis; aliisque apostolicis, etiam in provincialibus, synodalibus et universalibus conciliis editis et edendis[2] specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus etiam contra pensiones perpetuas, et beneficia unius dioecesis uniri et assignari nequaquam posse disponentibus, ac Mazzariensis et Catanensis[3] ecclesiarum, ac etiam basilicae S. Mariae Maioris, et cappellae Pauli V praedictae, huiusmodi fundatione seu institutione si in aliquo obstet[4], ac etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, earum praesulibus, capitulis et personis concessis;

1 Aptius lege *praedictorum* (R.T.).
2 Potius lege *fuerint* (R. T.).

1 Ita ex Cherub.; edit. Main. legit *etiam* (R.T).
2 Vocem *edendis* addimus ex Cherub. (R. T.).
3 Voces *et Catanensis* addim. ex Cherub. (R.T).
4 Legerem *huiusmodi fundationi seu institutioni si in aliquo obstent* (R. T.).

Derogat contrariis.

§ 20. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut quaevis alia expressio habenda seu quaelibet alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso inserti forent, praesentibus etiam pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si Didaco episcopo, ac pro tempore existentibus Mazzariensis et Cathaniensis ecclesiarum praesulibus seu administratoribus, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod ad praestationem vel solutionem pensionis alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; et qualibet aliâ dictae Sedis indulgentiâ generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gratiae impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua ciusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Transumptorum fides.

§ 21. Volumus autem et eâdem apostolicâ auctoritate decernimus, quod praesentium litterarum transumptis, manu alicuius notarii publici et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, ac etiam impressis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae; quodque propter reservationem, constitutionem et assignationem pensionum per praesentes reservatarum, constitutarum et assignatarum huiusmodi, necnon alia praemissa, capitulum, canonici, praepositus, prior, seu cappellani, necnon alii ministri dictae patriarchalis basilicae praedicti, de cetero perpetuis futuris temporibus, ad solutionem alicuius quinquennii minime teneantur et ad id per clericos camerae et alios ministros et officiales de annatâ et quindenniis huiusmodi participantes vigore cuiusvis privilegii seu facultatum et indultorum apostolicorum, etiam titulo oneroso, ac aliàs quomodolibet concessorum (quorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso inserti forent, etiam praesentibus pro expressis haberi volumus) cogi vel compelli minime possint neque debeant.

Sanctio poenalis.

§ 22. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, reservationis, constitutionis, assignationis, statuti, decreti, voluntatis, mandati et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXLVII, nonis octobris, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 7 octobris 1647, pontif. anno IV.

Gratis de mandato Sanctissimi.

P. Tarsia.
G. Montmannus.
F. Mannuccius pro R.
N. Oregius.
S. Ugolinus.
O. Tomacellus.
I. C. Iacobillus pro mag.
Alphonsus Vidasun.
V. Bolognettus, pro ann. gratis de mandato Sanctissimi.
P. Favillottus, gratis de mandato Sanctissimi.
P. Favillottus, cap.
Curtius Testa.

Lodovicus Gioiell., cap.
Ioannes Baptista Rentius, gratis de mandato Sanctissimi.
Ioannes de Azevedo, gratis pro ann. de mandato Sanctissimi.
Ioannis Bespinius, gratis de mandato Sanctissimi.
Flaminius Marcellinus.
P. C. Pheus, cap.
Ioannis de Sernicolis.
P. Cioffus.
I. A. Ametus, capp., pro annatis gratis de mandato Sanctissimi.
Gratis de mandato Sanctissimi H. Odan.
F. Tamantinus.
C. Manuccius.

Loco † plumbi appensi.

Illustrissimi et reverendissimi domini canonici, quibus de mandato regiae catholicae maiestatis illustrissimus et excellentissimus dominus comes de Onnate apud Sanctam Sedem orator cedulas regias distribuit,

Iulius Rospigliosus, Pistoriensis, archiepiscopus Tarsensis, Hispaniarum nuncius apostolicus, pro cedulâ scutorum ducentum et quinquaginta;
Laurentius Sonantius, Reatinus, pro cedulâ scutorum ducentum et quinquaginta;
Ioannes Baptista Fidelius, Ripanus, pro cedulâ scutorum ducentum et quinquaginta;
Ilonuphrius Hippolytus, Pistoriensis, sanctissimi domini nostri intimus familiaris, pro cedulâ scutorum ducentum et triginta[1];
Franciscus Canonici Mascambrunus de Apiro, Picenus, utriusque signaturae referendarius, et signaturae Sanctissimi auditor et subdatarius, pro cedula scutorum ducentum et quinquaginta;
Ioannes Baptista Alferius de Monte Bodio, Picenus, sanctissimi domini nosteri familiaris, pro cedulâ scutorum centum quinquaginta;
Octavius Buccapadulius, Romanus, pro cedulâ scutorum centum et quinquaginta;
Iulius Caesar Marsella, Soranus, sanctissimi domini nosteri intimus familiaris, et physicus, pro cedulâ scutorum centum et quinquaginta;
Lucius Micinellus, sanctissimi domini nosteri familiaris, pro cedulâ scutorum centum et quinquaginta;
N., pro cedulâ scutorum ducentum[1] et quinquaginta.

1 Videtur legendum *quinquaginta* (R. T.).

XCIII.

Quod reservatio pensionis perpetuae super Mazariensi in Sicilia ad favorem S. Mariae Maioris de Urbe solvatur non in scutis, sed in ducatis, ad rationem tredecim tarenorum pro quolibet ducato.

Innocentius Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanum decet Pontificem gratias, a se praesertim catholicorum regum intuitu factas, iuxta eorumdem regum intentionem declarare, talique medio insignium ecclesiarum earumque ministrorum, praecipue almae Urbis, utilitati et quieti etiam consulere.

Satisfacit menti Philippi IV Hispaniarum regis.

§ 1. Hodie siquidem nos, menti et intentioni charissimi in Christo filii nostri Philippi IV Hispaniarum regis catholici, nobis per dictum filium nobilem virum Inicum Velez de Guevara, comitem de Onnate, suum apud nos oratorem, patefactae, satisfacere cupientes, in beneficium patriarchalis basilicae S. Mariae Maioris nuncupatae de Urbe, unam mille et octingentorum super Mazariensi et alteram pensiones annuas et perpetuas (easque a quocumque tam ordinario quam extra-

1 Ni legi debeat *centum* (R. T.).

ordinario onere quomodolibet nuncupato, ac aliàs certis aliis modo et formâ tunc expressis, liberas, immunes et exemptas) bis mille ducentorum scutorum monetae regni Siciliae super Cataniensis respective mensarum episcopalium (quarum ecclesiae de iurepatronatus dicti Philippi regis ex fundatione, vel dotatione, seu privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, esse dignoscuntur) respective fructibus, redditibus et proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis universis, tam certis quam incertis, singulis annis, in certos tunc narratos usus, ac aliàs modo et forma tunc expressis, iuxta intentionem dicti Philippi regis, et non aliàs, aliter, nec alio modo, in perpetuum expendendas, per alias nostras litteras motu proprio reservavimus, constituimus, assignavimus, prout in dictis litteris plenius continetur.

§ 2. Cum autem, sicut nobis melius innotuit, mens et intentio dicti Philippi regis fuerit et sit, ut pensiones praefatae, non in scutis, sed in ducatis, ad rationem tredecim tarenorum pro quolibet ducato huiusmodi monetae dicti regni Siciliae, per nos reservarentur, constituerentur et assignarentur, illaeque non tantum ab oneribus et gravaminibus in dictis litteris tunc expressis (sub quibus ob earum generalitatem virtualiter comprehensa dici posse videntur etiam donativa ordinaria et extraordinaria *tandae* et divini cultus nuncupata), sed etiam, ad quodcumque dubium removendum, a dictis donativis ordinariis et extraordinariis *tandis* et divino cultu nuncupatis specifice et expresse liberae, immunes et exemptae esse deberent:

Declaratio prout in rubricâ.

§ 3. Nos, propensionem animi nostri erga dictum Philippum regem etiam in hoc patefactam iri, simulque utilitati dictae basilicae, eiusque ministrorum per amplius consulere cupientes, ac dictarum litterarum totos et integros tenores praesentibus pro expressis ac totaliter insertis habentes, motu simili, non ad ipsius Philippi regis, aut ministrorum praefatorum, vel alterius pro eis nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed ex nostrâ merâ liberalitate, quod pensiones praefatae non in scutis, sed in ducatis, ad rationem tredecim tarenorum pro quolibet ducato huiusmodi monetae dicti regni Siciliae, perpetuo reservatae, constitutae et assignatae, ac etiam a dictis donativis ordinariis et extraordinariis *tandis* et divino cultu nuncupatis specifice et expresse liberae, immunes et exemptae sint et esse intelligantur, et non in scutis, prout in dictis litteris expressum fuit, sed in ducatis monetae dicti regni, ad rationem supradictam, perinde ac si in illis, et non in scutis praedictis, per nos reservatae, constitutae et assignatae fuissent, omnino persolvi debeant iuxta mentem et intentionem dicti Philippi regis, quibus, quoad hoc, nos conformare intendimus, salvâ tamen et illaesâ remanente in reliquis omnibus et singulis dictarum litterarum dispositione, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, etiam perpetuo decernimus et declaramus.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 5. Volumus autem, et eâdem apostolicâ auctoritate decernimus, quod praesentium litterarum transumptis, manu alicuius notarii publici et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, ac etiam impressis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, declarationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc

attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXLVII, nonis octobris, pontificatus nostri anno IV.

Dat. 7 octobris 1647, pontif. anno IV.

XCIV.

Subrogatio episcopi Laudensis ad exequutioni demandandum Breve Urbani VIII super contributione cleri et personarum ecclesiasticarum Status Mediolanensis[1].

Venerabili fratri moderno episcopo Laudensi,
Innocentius Papa X.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Breve Urbani PP. VIII.

Aliàs emanarunt a felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessore nostro litterae in simili formâ Brevis, tenoris sequentis, videlicet: *a tergo:* Venerabili fratri Clementi episcopo Interamensi; *intus vero*: Urbanus Papa VIII, venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. Ex illo die quo mirabilia faciens nobiscum Dominus militantis Ecclesiae suae principatum humilitati nostrae nullo licet meritorum suffragio credidit, etsi nihil antiquius habuerimus, quam ecclesiasticas personas, quas in visceribus gerimus charitatis, a quibusvis gravaminibus et oneribus immunes praeservare, nihilominus, dum ea quae publicae securitati tuendae opportuna sunt, nostrorum temporum conditionem, aliaque praemissa accuratissimâ aestimatione perpendimus, facere non possumus, quin, divino implorato praesidio, rectam sacrorum canonum normam aliquâ mansuetudine interdum deflectamus, ac nonnulla quamvis difficilia apostolicâ largitate benigne indulgeamus; hoc enim pacto efficitur, ut et christiana respublica maioribus eximatur incommodis, et quos novis augemus beneficiis ad debitum Apostolicae Sedi praestandum obsequium alacriores reddantur. Sane charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, qui etiam ducatus Mediolanensis in temporalibus dominus existit, nobis nuper exponi fecit, quod ipse, provide considerans ducatum huiusmodi nullis fere fortalitiis sive propugnaculis munitum existere, quo autem eumdem Statum tenuiori expensâ et minori militum praesidio tueatur, civitates Novarensem, Alexandrinam, Cremonensem et Laudensem, necnon loca Valentiae Padi et Mortarae in finibus eiusdem Status existentia munire decrevit. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, in muniendis civitatibus et locis praedictis ingenti pecuniarum vi opus, aerariumque ipsius Philippi regis valde exhaustum et attritum sit, ex munitioneque huiusmodi totius Status ac tam cleri quam populi securitati prospiciatur, communitatum vero et universitatum et hominum eiusdem Status, propter eorum inopiam praesertim ex bellis praeteritis contractam, ad totam impensam necessariam supportandam facultates non suppetant, nisi clerus et ecclesiastici quoque, qui ab omni genere onerum cameralium etiam exempti existunt, eo aliquid conferant: nobis propterea idem Philippus rex per dilectum filium Paulum Raudensem, fisci regii eiusdem ducatus Mediolanensis advocatum a dilecto pariter filio nobili viro Gomesio Suarez de Figueroa et Corduba Feriae duce Status Mediolanensis gubernatore ad nos hac de causâ missum, humiliter supplicari fecit, ut his rebus opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Exordium.

Petitio regis.

§ 1. Nos igitur, attendentes ex praemissis non solum communitatum et uni-

Concedit Pontifex.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

versitatum et hominum praedictorum, sed etiam personarum ecclesiasticarum locorumque piorum dicti Status, eorumque bonorum securitatem provenire[1], ac dicti Philippi regis petitionibus hac in parte, quantum cum Domino possumus, annuendum esse censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, quibus negotium huiusmodi mature examinandum ac nobis referendum commisimus, consilio, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, stantibus praemissis, ac vocatis clero et personis ecclesiasticis tam secularibus quam cuiusvis Ordinis regularibus, eidem clero et personis ecclesiasticis, tam secularibus (iis, quoad curata, quorum annui redditus summam quadraginta ducatorum auri de camerâ secundum comunem aestimationem non excedunt, necnon iis, quorum beneficiorum fructus in quotidianis distributionibus consistunt, qui pro tertiâ illarum parte tantum conferre debeant, dumtaxat exceptis) quam cuiuscumque etiam Mendicantium Ordinis, congregationis et societatis, etiam necessario exprimendorum, ac etiam duodecim illarum congregationum, quae cum camerâ apostolicâ tempore felicis recordationis Pii Papae V praedecessoris nostri de subsidio ordinario concordarunt, ac quarumcumque militiarum, etiam sancti Ioannis Hierosolymitani, regularibus, ac seminariorum et hospitalium quorumcumque, etiam actu hospitalitatem servantium, ceterorumque collegiorum ecclesiasiasticorum, necnon monasteriorum utriusque sexus, bona et redditus ac iura, cuiusvis qualitatis sint ac quocumque nomine nuncupentur, ac pensiones ecclesiasticas quantumvis liberas, immunes et exemptas percipiendas in eodem statu possidentibus, vel quasi, respective, ut pro undecimâ parte summae per laicos in id opus conferendae (quae tamen centum et quinquaginta millia scuta monetae romanae in totum non excedant[1]), in quinque annis ad minus, in fine cuiuslibet anni, ab anno videlicet MDCXXV incipiendo, ad rationem summae triginta millium scutorum similium, vel minoris[2], quolibet anno, nisi laici maiori gaudeant dilatione, quo lapsu[3] etiam ecclesiasticos eâdem etiam gaudere volumus pro ratâ suâ, iuxta taxam ante praefigendam, persolvendâ in expensas munitionis civitatum et locorum praedictorum contribuere libere et licite possint et valeant, auctoritate nostrâ apostolicâ, absque spe illius prorogationis, licentiam et facultatem concedas ac impartiaris. Dantes tibi plenam et liberam facultatem et auctoritatem taxam contributionis pro dictâ undecimâ parte, ex[4] dictis quinque seu ulterioribus annis huiusmodi durante[5], per ecclesiasticos seculares et regulares, ut praefertur, persolvendâ proportionabiliter faciendi et praescribendi, ac deinde huiusmodi taxam ab omnibus et singulis ad quos spectabit singulis annis, dicto quinquennio seu maiori tempore durante, exigi, et penes aliquem fide et facultatibus idoneum seu locum ecclesiasticum arbitrio tuo eligendum tutum et securum realiter deponi, et, ad ipsius Philippi regis, seu Gomesii praedicti, seu eius in gubernio huiusmodi successorum requisitionem, tuumque mandatum, deputatis munitionum civitatum et locorum praedictorum in dictum usum dumtaxat consignari procurandi (ita tamen, ut ab ecclesiasticis huiusmodi collatio non fiat, nisi factâ prius exactione et solutione ratae laicorum, ac operibus munitionum huiusmodi

1 Male edit. Main. legit *praevenire* (R. T.).

1 Aptius lege *excedat* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *minores* (R. T.).
3 Potius lege *casu* pro *lapsu* (R. T.).
4 Potius legerem *et* pro *ex* (R. T.).
5 Potius lege *durantibus* (R. T.).

inceptis, et pro ratâ constructis), quoscumque vero solvere recusantes vel differentes, etiam exemptos, et Apostolicae Sedi immediate subiectos, per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, cogendi et compescendi, ac demum omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria et quomodolibet opportuna faciendi, dicendi, gerendi et exequendi, aut auxilium brachii secularis ad hoc, si opus fuerit invocandi.

Exactio fiat per personas ecclesiasticas.

§ 2. Volumus autem, ut exactio contributionis, per dictos ecclesiasticos persolvendae, per personas similiter ecclesiasticas tantum, a te deputandas, fiat, rataque, a dictis ecclesiasticis, ut praefertur, percipienda, in alios usus, quam munitionum civitatum et locorum huiusmodi pro huiusmodi[1] pro quibus confertur nullatenus convertatur; super quo et tuam et dictorum Philippi regis et Gomesii gubernatoris necnon ministrorum ad id deputatorum sive deputandorum conscientiam oneramus; quodque, iuxta ordinationem concilii Viennensis, calices, libri, ceteraque ecclesiarum ornamenta divino cultui dicata ex causâ pignoris capi, recipi vel distrahi, aut aliàs quomodolibet occupari non debeant, ac praeterea, ut, ultra summam centum et quinquaginta millia scuta huiusmodi, nihil amplius ab iisdem personis ecclesiasticis exigatur, sub poenis in sacris canonibus contentis ipso iure incurrendis.

Contraria tollit.

§ 3. Non obstantibus quibuscumque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac ecclesiarum, monasteriorum Status huiusmodi, et Ordinum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, monasteriis et Ordinibus, eorumque capitulis, collegiis, superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Nihil per praesentes innovat.

§ 4. Per praesentes autem non intendimus quidquam innovare super portione, quam colonicam vocant, neque circa illam ullum praeiudicium quoquo modo inferre aut illatum esse ecclesiasticis, quominus possint et valeant ecclesiasticae libertatis et exemptionis iura occasione dictae portionis sibi eorumque ecclesiis, colonis et bonis competentia quandocumque et ubicumque omnibus iuris remediis, ac etiam per censuras ecclesiasticas, tueri et defendere, non secus ac si praesentes nullatenus emanassent; quodque expensae pro tuis et familiae tuae usibus occasione praemissorum subeundae per ministros laicos non autem per ecclesiasticos persolvantur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x maii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Desiderium Philippi regis pro executione.

§ 5. Cum autem, sicut pro parte eiusdem Philippi regis per dilectum filium Franciscum Redenascum, senatorem Mediolanensem, a dilecto filio nobili viro Bernardino Fernandez de Velasco et Tovar connestabili[1] Castellae, Status praedicti gubernatore, ad nos eâ de causâ missum,

1 Verba *pro huiusmodi* importune interiecta delenda (R. T.).

1 Ed. Main. legit *comestabili* (R. T.).

nobis nuper expositum fuit, praeinsertae litterae hactenus suum effectum sortitae et executioni demandatae minime fuerunt[1], et nihilominus fortificationes post datam praedictarum litterarum, tam in civitate Novariae, quam in aliis locis praedicti Status, factae existant impensis laicorum et regis, et propterea idem Philippus rex per nos desuper opportune providere desideret:

Annuit Innocentius

§ 6. Nos, eumdem Philippum regem, ob praeclara eius in nos et Apostolicam Sedem fidei et devotionis merita amplioris favore gratiae prosequi volentes, supplicationibus eiusdem Philippi regis nomine per eumdem Bernardinum gubernatorem nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium ac dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum, quibus hoc negotium examinandum commisimus, consilio, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, attento quod super expressis in praeinsertis litteris fuit a praedictis cardinalibus et praelatis adhibita matura causae cognitio et habita sufficiens informatio, ad executionem praeinsertarum litterarum absque aliâ iustificatione narratorum et clausularum et quorumcumque aliorum contentorum in illis (servato tamen termino quinque annorum, intra quos facienda erit contributio cleri et personarum ecclesiasticarum, qui terminus incipere debeat a die praesentationis praesentium litterarum coram te faciendae, ita ut personae ecclesiasticae praedictae teneantur et a te compellantur contribuere intra dictos annos summam centum quinquaginta millium scutorum monetae praedictae ad rationem triginta millium scutorum in fine cuiuslibet anni praedicti quinquennii) procedas in omnibus et per omnia perinde ac si illae tibi a principio personaliter directae fuissent, et, quidquid a praedictis ecclesiasticis ratione contributionis huiusmodi per personas ecclesiasticas a te deputandas exactum fuerit, tu praedicto Bernardino gubernatori, seu eius in officio gubernatoris huiusmodi successori, vel ab illis speciale ad id mandatum habentibus, consignes, seu consignari facias, ad effectum impendendi pro servitio Philippi regis et Status Mediolani praedictorum in refectionem praedictarum expensarum per regem et alios in praedictis fortificationibus factarum.

§ 7. Volumus autem quod ipsi ecclesiastici ab omni genere onerum cameralium eiusdem Status exempti existant, nec pro eis aliquo modo graventur.

Contrariorum derogatio.

§ 8. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX octobris MDCXLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 9 octobris 1647, pontif. anno III.

1 Aptius lege *fuerint* (R. T.).

XCV.

Pro religione Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis circa observantiam motusproprii editi ab Urbano Papa VIII, et revocationem consultoratus.

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Supplicatio

Aliàs, pro parte dilectorum filiorum Clericorum regularium congregationis Ministrantium Infirmis, venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositis exposito, quod aliàs (postquam a felicis recordationis Gregorio Papa XIV praedecessore nostro in suis litteris sub plumbo super approbatione

regulae eiusdem congregationis emanatis, forma regiminis illius stabilita, et inter alia dispositum fuerat, videlicet,

Forma regiminis istius congregationis.

§ 1. «Quod eiusdem Congregationis praefectus generalis duplex, quatuor vero consultores singuli simplex votum seu suffragium decisivum respective haberent, necnon unius[1] et eiusdem Congregationis professor constitueretur arbiter, qui in votorum paritate decideret»: et subinde etiam recolendae memoriae Urbanus Papa VIII pariter praedecessor, per quasdam suas in simili formâ Brevis litteras motu suo proprio expeditas praescripserat, ut in eâdem Congregatione, quae in quinque provincias, videlicet, Romanam et Hetruriae insimul, Siculam, Neapolitanam, Bononiensem et Mediolanensem divisa existit, ex illarum unâ praefectus generalis, et ex qualibet ex aliis quatuor provinciis huiusmodi unus consultor eligerentur, et sic successive per turnum in futuris electionibus praefectorum generalium et consultorum huiusmodi procederetur)

Laesiones illius.

§ 2. Postmodum, et transactis aliquot ab inde annis, idem Urbanus praedecessor dilectis filiis Fridiano Pierio primum et deinde Matthaeo Mortuello eiusdem Congregationis successive praefectis generalibus per quasdam alias binas suas in eâdem formâ Brevis litteras diversis temporibus emanatas, finito eorum praefecti generalis respective officio, indulsit ut, licet ex statutis regularibus eiusdem Congregationis apostolicâ auctoritate confirmatis cautum foret, quod nullus illius professor, nisi alicuius officii ratione id sibi iuris competeret, in consultâ generali, ac in capitulis, tam generalibus quam provincialibus, intermediis, necnon examinibus novitiorum semestribus votum haberet, seu illis interesse posset, nisi ad id a capitulis generalibus, provincialibus, vel localibus respective electus esset, nihilominus iidem Fridianus et Matthaeus, exacto eorum praefecti generalis huiusmodi officio, etiamsi, ut praefertur, electi non fuissent, quoad vixissent, tamquam consultores in capitulis, ac congregationibus et consultis, necnon examinibus praedictis votum decisivum habere, ac illis interesse libere et licite possent et valerent, perinde ac si ad id a capitulo generali electi fuissent; ex praefatâ vero eorumdem Fridiani et Matthaei in consultores huiusmodi adiunctione tolluntur ea, quae prius, intuitu iustitiae distributivae, statuta et ordinata fuerant, quandoquidem in eiusdem congregationis Romanâ et Hetruriae insimul duo, videlicet idem Fridianus et unus alius a capitulo generali, necnon similiter in Siculâ provinciis huiusmodi alii duo, nempe dictus Matthaeus necnon alius, consultores, a capitulo generali electi[1], respective sunt, et insuper quando in praefatis Romanâ et Hetruriae insimul necnon Siculâ provinciis huiusmodi praefectus generalis dictae Congregationis eligi debebit, inibi praefectus generalis et unus consultor futuri sunt, quod expresse primodictis eiusdem Urbani praedecessoris litteris repugnat; de quibus cum nulla facta fuerit mentio specialis, prout erat necessarium, quando binae ultimodictae eiusdem Urbani praedecessoris litterae consultoratuum perpetuorum ad eorumdem Fridiani et Matthaei favorem impetratae fuerunt, illae semper in eâdem Congregatione pro subreptitie impetratis habitae fuerunt;

§ 3. Praeterea, nec etiam idem Fridianus dicto Urbano praedecesori ullatenus exposuit laesionem, quae exinde officio arbitri proveniebat, qui, per adiunctionem et augmentum dicti consultoris cum voto decisivo, constituto septem votorum seu suffragiorum numero, ac aliàs, quia con-

1 Videretur legendum *unus* pro *unius* (R. T.).

1 Legendum foret *electus* (R. T.).

sequenter casus paritatis votorum evenire nullatenus poterat, iure sibi competenti decidendi cum voto suo in eventum paritatis privatus remanebat;

§ 4. Et, quoad eumdem Matthaeum, ultra supradicta, nec etiam ille eidem Urbano praedecessori mentionem fecit, cum ab eo se in consultorem perpetuum deputari obtinuit, quod eadem congregatio indulserat praeteritis et futuris pro tempore illius praefectis generalibus, expleto eorum officio, quod ipsi pro suâ spirituali quiete et consolatione, ac toties quoties sibi placuerit, quamlibet dictae Congregationis domum regularem, dummodo exinde ratione itineris Congregatio seu domus regularis huiusmodi sumptibus et expensis non gravetur, eligere et mutare possint, quodque immediate consultae generali eiusdem Congregationis subsint, et e domo exire sibique socium sibi benevisum assumere possint, praefectisque localibus praecedant, quodque capitula localia, provincialia, intermedia, scrutinia novitiorum et capitula generalia, perinde ac si ad id electi forent, ingredi possint, ipsisque titulus *paternitatis admodum reverendae* remaneat; et, licet idem Matthaeus ex oppositionibus sibi factis a praefecto generali praeterito eidem voto decisivo renunciaverit, progressu tamen temporis experientia docuit praemissa ad quietem et pacem comuneque bonum eiusdem Congregationis satis non fuisse nec esse; ac demum, cum consultoribus perpetuis huiusmodi cultus et observantia maior habeatur, quam ipsi praefecto generali, cuius officium ad sexennium dumtaxat durare consuevit, illius exinde auctoritas non leviter atteritur, et disciplinae regularis observationem efficaciter procurare nequit;

Petitio pro iis tollendis.

§ 5. Quare per eosdem exponentes, cupientes felici eiusdem Congregationis statui prospectum esse, et binas ultimodictas consultoratuum perpetuorum eorumdem Fridiani et Matthaei litteras revocari, eisdem cardinalibus supplicato, ut in praemissis opportune, ac aliàs, ut infra providerent: ab eisdem emanavit decretum tenoris sequentis, videlicet, « Sacra congregatio S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, auditis partibus, censuit servandam fore et esse constitutionem motus proprii sanctae memoriae Urbani Papae VIII editam XXIX aprilis MDCXXVIII, quae incipit *Romanus Pontifex*, etc., et revocanda Brevia consultoratus perpetui ad favorem patrum Fridiani et Matthaei contra formam praefati motus proprii subreptitie emanata, si ita sanctissimo Domino nostro placuerit ». Romae XXVII septembris MDCXLVII.

Decretum sacrae congregationis.

M. cardinalis GINETTUS.

§ 6. Cum autem, sicut iidem exponentes nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et exactius observetur, apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri summopere desiderent: idcirco nos, qui religiosorum Ordinum quorumcumque felicem directionem sinceris desideramus affectibus, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur

Confirmat Pontifex prout in rubrica.

adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ tamen in praemissis dumtaxat congregationis eorumdem cardinalium auctoritate.

Decretum irritans.

§ 7. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit in futurum, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem Congregationi, ac quibusvis illius superioribus et personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus clausulis, irritantibus, et aliis decretis, in genere vel in specie, aut aliàs quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 9. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX[1] octobris MDCXLVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 19 octobris 1647, pontif. an. IV.

XCVI.

Declaratio Sanctissimi, quod vigore indulti Urbani Papae VIII licuerit et liceat congregationis S. Mauri superioribus in capitulis generalibus quaecumque decreta, etc. condere, ac pro tempore innovare[2].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

Onerosa pastoralis officii cura humilitati nostrae a Domino commissa exigit, ut in his, per quae personarum regularium quieti et felici regimini consulitur, auctoritatis nostrae partes propensis studiis interponamus.

Motiva.

§ 1. Cum itaque (sicut dilectus filius Placidus de Simon, monachus expresse professus et procurator generalis Congregationis S. Mauri Ordinis sancti Benedicti in regno Franciae, nobis nuper exponi fecit), ut[3] licet in litteris felicis recordationis Urbani Papae VIII praedecessoris nostri, super confirmatione erectionis dictae Congregationis aliàs per recolendae memoriae Gregorium Papam XV etiam praedecessorem nostrum factae emanatis de anno MDCXXVII, superioribus

1 In edit. Cherub. legitur XXVI (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brevium.
3 Particula *ut* delenda (R. T.).

eiusdem Congregationis concessa fuerit facultas condendi in capitulis generalibus congregationis huiusmodi statuta et constitutiones pro bono regimine ipsius congregationis et condita immutandi et abrogandi; nihilominus, occasione novarum constitutionum eiusdem Congregationis editarum de anno MDCXXX et sequentibus, mota fuerit controversia per dilectos filios Placidum de Chemin et Bartholomaeum Corbeli, monachos dictae Congregationis, tam suo proprio, quam nomine dilecti pariter filii Pharonis de Chalus et nonnullorum aliorum monachorum Congregationis praedictae, super praedictâ facultate condendi propria et peculiaria statuta et ordinationes, tam pro regimine, quam pro observantiâ regulari eiusdem Congregationis, aliaque per monachos praedictos coram infrascriptis cardinalibus deducta fuerint: nobis propterea praedictus Placidus procurator nomine dictae Congregationis humiliter supplicari fecit, ut desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Annuit supplicationibus procuratoris.

§ 2. Nos igitur, votis eiusdem Placidi procuratoris huiusmodi annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus, episcoporum et regularium praepositorum (qui saepius partes unâ cum dicto Placido procuratore audierunt, licentiasque erectionis et confirmationis praedictarum, necnon iuramentum per novitios dictae Congregationis olim emitti solitum viderunt, iuraque et rationes utriusque partis in contradictorio iudicio per specialem congregationem desuper habitam diligenter examinarunt, nobisque relationem fecerunt) consilio, vigore indulti a praedicto Urbano praedecessore praedictae Congregationi de anno MDCXXVII ut praemittitur concessi licuisse et licere superioribus in capitulis generalibus praedicta et quaecumque alia decreta, constitutiones, declarationes et statuta, etiam propria et peculiaria, modo tamen sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis ac regulae sancti Benedicti non adversentur, condere, ac pro tempore innovare, alterare et immutare, sive etiam abrogare, prout magis in[1] Domino pro bono eiusdem Congregationis regimine et regulari disciplinâ conservandis et augendis iudicaverint expedire, ideoque omnes et singulos eiusdem Congregationis professos teneri et obligatos esse, sub praecepto sanctae obedientiae, aliisque poenis ab eorum superioribus appositis, seu apponendis, praedictas aliasque constitutiones et declarationes canonice ut supra factas, seu in futurum faciendas, acceptare, iisdemque pro viribus parere et se conformare, praemissis obiectionibus et allegationibus non obstantibus, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus; salvâ semper in praemissis tantum auctoritate congregationis dictorum cardinalium; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis apostolicis, necnon in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, Congregationis et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et

Contrariis derogat.

1 Praeposit. *in* nos addimus (R. T).

litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 4. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique adhibeatur, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX novembris MDCXLVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 9 novembris 1647, pontif. anno IV.

XCVII.

Indultum pro capitulis ecclesiarum metropolitanarum et cathedralium regni Portugalliae circa canonicos poenitentiarios, lectores, magistrales et doctorales dictarum ecclesiarum [1].

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Super universas orbis ecclesias ab Eo, qui cunctas [2] imperat, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, constituti, in his per quae ipsarum ecclesiarum, praesertim metropolitanarum et cathedralium, honori et commodis opportune consulitur, pastoralis officii nostri partes, cum a nobis petitur, libenter interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Supplicatio.

§ 1. Nuper siquidem nomine dilectorum filiorum decani et capituli ecclesiae Elborensis nobis expositum fuit, quod in ecclesiis metropolitanis et cathedralibus regni Portugalliae dudum, iuxta sacri Concilii Tridentini decreta, poenitentiarius, cum unione unius ex praebendis pro uno magistro vel doctore aut licentiato in sacrâ theologia vel iure canonico, institutus, necnon una lectoralis pro uno theologo lectore sacrae scripturae, et praeterea una doctoralis pro uno doctore aut licentiato in utroque vel altero iurium, ac alia praebenda magistralis respective nuncupatae [1] pro uno magistro seu licentiato in sacrâ theologiâ constitutae fuerunt.

Causae huius indulti.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, iuxta eiusdem Concilii Tridentini decreta, poenitentiario onus audiendi confessiones publice in ecclesiâ, theologo autem, canonicis praedictis, legendi et interpretandi sacram scripturam incumbat, magistralis vero et doctoralis canonici huiusmodi in praedictis ecclesiis eo fine instituti sint, ut hic suae ecclesiae in defendendis illius iuribus et in dandis capitulo suo aliisque ecclesiae suae ministris salubribus consiliis pro felici negotiorum eorumdem directione assistant, ille autem ut verbum Dei populo praedicet, et in his quae ad conscientiam pertinent recta consilia [2] capitulo et ministris suae ecclesiae praebeat, et proinde ipsos apud suas ecclesias assidue residere oporteat: contingit tamen interdum, ut nonnulli ex canonicis huiusmodi, variis praetextibus, et inter alios quod officio sanctae inquisitionis adversus haereticam pravitatem inserviant, ac etiam vigore indultorum sibi ab Apostolicâ Sede concessorum, ab ecclesiis suis absint, et nihilominus suorum canonicatuum et praebendarum fructus, redditus et proventus, ac etiam distributiones quo-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Videtur legendum *cunctis* (R. T.).

1 Male ed. Main. legit *nuncupatur* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *concilia* (R. T.).

tidianas integre, tamquam si residerent, percipere praetendant in grave ipsarum ecclesiarum detrimentum. Quare nomine eorumdem decani et capituli nobis humiliter supplicatum fuit, ut ecclesiarum huiusmodi et illarum capitulorum indemnitati in praemissis opportune consulere de benignitate apostolicâ dignaremur.

A censuris absolvit.

§ 3. Nos igitur, attendentes petitionem huiusmodi rationi esse consentaneam, ac exponentes praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium in totâ republicâ christianâ adversus haereticam pravitatem inquisitorum generalium ab hac sanctâ Sede Apostolicâ specialiter deputatorum consilio, omnibus et singulis capitulis metropolitanarum et aliarum cathedralium ecclesiarum regni Portugalliae praedictae, ut nullo unquam tempore canonicis paenitentiariis, lectoribus, magistralibus et doctoralibus suarum ecclesiarum pro tempore existentibus, ex quavis causâ, etiam praetextu quod officio sanctae inquisitionis inserviant, absentibus, etiamsi aliquod ab Apostolicâ Sede indultum desuper sine speciali capitulorum praedictorum consensu obtinuerint, fructus, redditus et proventus ac distributiones quotidianas suorum canonicatuum et praebendarum praestare minime teneantur, nec ad id inviti cogi, aut compelli, seu vigore litterarum apostolicarum, nisi in illis de praesenti indulto, de verbo ad verbum, specialis mentio fiat, interdici, suspendi vel excommunicari non possint, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, de speciali gratiâ indulgemus, ac praedictos canonicos poenitentiarios, lectores, magistrales et doctorales quavis de causâ, occasione, vel praetextu, etiam servitii dictae sanctae inquisitionis huiusmodi, a dictarum suarum ecclesiarum servitiis illis incumbentibus se quoquo modo eximere, ac super hoc quodcumque indultum, etiam a Sede Apostolicâ, nisi eorumdem capitulorum ad id expressus accederet assensus, impetrare, aut sibi quovis modo etiam motu proprio concesso uti vel frui nullatenus posse aut debere, nec illis in aliquo contra praesentium tenores suffragari, quinimo quandocumque contigerit pro tempore existentes canonicos poenitentiarios, lectores, magistrales et doctorales huiusmodi in aliis quam dictarum suarum ecclesiarum servitiis, etiam officii sanctae inquisitionis, etiam intra civitates in quibus ecclesiae praedictae existunt, occupari, canonicatus et praebendas[1] per eos obtentos in ecclesiis huiusmodi eo ipso vacare, ac aliis personis qualificatis per eos, ad quos eorum collatio pertinebit, libere conferri posse, sicque ab omnibus censeri, et ita et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, nostrosque et Sedis Apostolicae nuncios, ac quoscumque alios quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 4. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, dicti regni Por-

Exequutores deputat.

1 Male ed. Main. hab. *praebendae* (R. T.).

tugalliae, seu dilectis filiis officialibus ecclesiarum regni huiusmodi, per praesentes committimus et mandamus, ut ipsi, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum capitulorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ eadem capitula praemissorum huiusmodi effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes illa desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesiarum praedictarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam praedicto sanctae inquisitionis officio, et quibusvis aliis, in contrarium praemissorum, nunc et pro tempore, sub quibuscumque tenoribus et formis, quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores[1] praesentibus pro expressis habentes, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 7. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio vel extra ubique adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX decembris MDCXLVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 19 decembris 1647, pontif. anno IV.

1 Male edit. Main. legit *tenoribus* (R. T.).

XCVIII.

Mandatum inquisitori generali in regnis Hispaniarum, ne aliquid innovet in causâ contra Hieronymum a Villanova[1].

Venerabili fratri Didaco episcopo Placentino, provinciae Compostellanae contra haereticam pravitatem in regnis Hispaniarum generali inquisitori apostolicâ auctoritate deputato,

Innocentius Papa X.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Constitutionis exordium.

§ 1. Interpositâ ad nos ad Sedemque Apostolicam per dilectum filium Hieronymum a Villanovâ appellatione a sententiâ contra eum latâ ab inquisitione Toletanâ, causam appellationis praedictae commisimus uni ex venerabilibus fratribus Conchensi, Segobiensi et Calaguritano episcopis commissione manu nostrâ signatâ ac Brevi apostolico sub annulo Piscatoris expedito munitâ; et, licet appellationem et commissionem huiusmodi ad tui notitiam pervenisse non dubitemus, volumus tamen per apostolicas hasce nostras litteras de his omnibus te certiorem reddere, tibique mandare, prout per praesentes praecipimus et mandamus in virtute sanctae obedientiae, ne, huiusmodi appellationis causâ pendente, contra prae-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

dictum Hieronymum, illiusque advocatos, procuratores, sollicitatores, agentes, seu negociorum gestores, per te ipsum, inquisitores, consiliarios, fiscales, aliosque ministros tuos, quicumque illi sint, aliquid innovare vel attentare, neve quin commissio praedicta debitae exequutioni mandetur quoquo modo in iudicio vel extra te opponere vel contradicere praesumas, sub poenâ suspensionis ab exercitio pontificalium, interdicti ab ingressu ecclesiae, privationis muneris inquisitoris generalis ipso facto et absque aliâ declaratione incurrendis; quoad inquisitores vero, consiliarios, fiscales, aliosque ministros praedictos, excommunicationis latae sententiae ac privationis officiorum quomodocumque ad tribunal sancti officii spectantium ipso facto pariter et absque aliâ declaratione incurrendis; quorum omnium absolutionem respective nobis et Sedi Apostolicae reservamus. Nostrae enim intentionis esse, ut commissio praedicta suum plenarie consequatur effectum.

Sanctio poenalis.

Decretum irritans.

§ 2. Decernentes praesentes litteras de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae, aut alio quocumque etiam quantumvis substantiali defectu, et ex quacumque causâ notari, impugnari vel invalidari, neque adversus eas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut quodcumque aliud iuris, facti, vel gratiae remedium impetrari, seu concedi, ac concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti nunquam posse, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et quosvis alios quacumque auctoritate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus, quatenus opus sit, regulâ nostrâ de non tollendo iure quaesito, ac constitutionibus et indultis ac privilegiis apostolicis inquisitioni Hispaniarum a nostris praedecessoribus concessis, etiam clausulis derogatoriis ac derogatoriarum derogatoriis munitis, et praesertim felicis recordationis Sixti IV, Innocentii VIII, Julii II, Hadriani VI, Leonis X, Clementis VIII[1], Pauli III, Julii III, Pauli IV, Pii IV et Pii V, Gregorii XIII, Sixti V et aliorum Romanorum Pontificum nostrorum praedecessorum, quorum omnium tenores hîc pro expressis habentes, illis pro hac vice in hac parte derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x ianuarii MDCXLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 10 ianuarii 1648, pontif. anno IV.

XCIX.

Facultas nuncio Hispaniarum praesentandi inquisitori generali Hispaniarum Breve continens, ne ipse inquisitor generalis aliquid innovet in causâ Francisci a Villanovâ, cum aliis facultatibus opportunis[2].

Venerabili fratri Iulio archiepiscopo Tarsensi, nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum commoranti nuncio,

Innocentius Papa X.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§ 1. Cum unum Breve nos sub annulo Piscatoris expeditum, ac venerabili fratri Didaco, episcopo Placentino, provinciae Compostellanae contra haereticam pravi-

1 Forsan legendum *VIII* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

tatem in regnis Hispaniarum inquisitori generali auctoritate apostolicâ deputato, directum, tibi mitti fecerimus ad effectum ut tu Breve praedictum, nostro et Apostolicae Sedis nomine, eidem Didaco episcopo inquisitori generali praesentes, quod Breve est tenoris sequentis, videlicet, *a tergo*: Venerabili fratri Didaco episcopo Placentino provinciae Compostellanae contra haereticam pravitatem in regnis Hispaniarum inquisitori generali auctoritate apostolicâ deputato, *Intus vero:* Innocentius Papa X, venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. Interpositâ ad nos, etc. *(reliqua omittuntur, quia iam illa invenies in suo ordine sub datâ* X *ianuarii* MDCXLVIII[1]):

Conceditur possit legere et aperire Breve.

§ 2. Idcirco, pro faciliori eiusdem Brevis praesentatione faciendâ, motu proprio, certâque scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi ad peragenda et expedienda omnia et singula praemissa, ac quaecumque alia desuper necessaria et quomodolibet opportuna, facultatem plenam et amplam, atque etiam eamdem quae magistro cursorum nostrorum in Romanâ curiâ competit, quodque tu, etiam non exhibitis nec ostensis praesentibus nostris litteris, possis Breve praedictum aperire et perlegere, testibusque adhibendis ostendere, copiamque et transumptum illius sumere, ac illud cum iisdem vel aliis testibus auscultare et conferre, ipsumque Breve cum notario et testibus adhibendis, vel, si opus fuerit, etiam absque notario et testibus, prout occasio temporis et loci dictaverit, vel aliàs quemadmodum tibi videbitur, ipsi Didaco episcopo inquisitori generali, et aliis quibus opus erit, praesentare et intimare, et de praesentatione et intimatione huiusmodi ut praefertur faciendâ, et de aliis praemissis omnibus et singulis ceterisque necessariis et opportunis, tu instrumentum et instrumenta publica unum vel plura conficere, et tu, tamquam habens facultatem praedictam magistri cursorum nostrorum, relationem unam vel plures etiam in copiis praedicti Brevis per te extrahendis facere etiam possis et valeas, concedimus et impertimur, utque relationi seu relationibus tuis huiusmodi plena fides ubique in iudicio et extra illud absque aliis adminiculis omnino adhiberi debeat volumus et mandamus.

Confirmat prout in rubrica.

§ 3. Nos enim omnia et singula, quae vigore et aliàs pro exequutione praesentium nostrarum litterarum feceris, motu, scientiâ, et potestatis plenitudine similibus ex nunc approbamus et confirmamus, omnesque et singulos tam iuris quam facti et quarumcumque solemnitatum nec non quosvis alios etiam quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac cancellariae apostolicae regulis, etiam specialem derogationem ac mentionem requirentibus, et praesertim, quatenus opus sit, illâ de non tollendo iure quaesito, ac quibusvis legibus et sanctionibus etiam imperialibus et statutis etiam iuratis et apostolicâ auctoritate confirmatis et saepius approbatis tam Urbis quam quorumcumque aliorum locorum, et usibus ac stylo Romanae curiae ac quorumcumque locorum et quarumcumque curiarum, necnon consuetudinibus etiam longaevis et immemorabilibus, et omnibus aliis, quae in praeinserto Brevi nostro voluimus non obstare, ac privilegiis et indultis etiam apostolicis collegio cursorum, ac magistro illorum praedicto, et quibusvis aliis quomodolibet respective concessis, et aliàs competentibus, ceterisque contrariis quibuscumque, etiam habentibus decreta solita et clau-

1 Nempe Breve huiusmodi habes paulo ante, pag. 556 *b* (R. T.).

sulas etiam derogatoriarum derogatorias, ac aliàs quomodolibet praesentibus praeiudicialia et contraria; quorum omnium et singulorum tenores hîc pro expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis, ad effectum praemissorum, expresse derogamus.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI ianuarii MDCXLVIII[1], pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 11 ianuarii 1648, pontif. anno IV.

C.

Impositio decimae a clero et personis ecclesiasticis regnorum Castellae et Legionis regi catholico persolvendae.

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. § 1. Cum, sicut carissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus nobis nuper exponi fecit, ipse, pro fidei catholicae regnorumque et dominiorum suorum defensione, adeo gravia expensarum onera hactenus subire coactus fuerit, et ad praesens cogatur, ut non solum ordinarios et extraordinarios regnorum suorum redditus, verum etiam omnia illorum aeraria fere exhauserit, et propterea nobis humiliter supplicari fecerit, ut super ecclesiarum in suis regnis Castellae et Legionis ditionibusque et provinciis in eis comprehensis existentium peculio, Christique Domini patrimonio, aliquod subsidium in ipsius Philippi regis catholici subventionem imponere de benignitate apostolicâ dignaremur: nos, ad ingentia eiusdem Philippi regis maiorumque suorum erga religionem catholicam et hanc sanctam Sedem Apostolicam merita paternae dirigentes considerationis intuitum, ac horum contemplatione illum specialis favore gratiae prosequi volentes, supplicationibus dicti Philippi regis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de attributae nobis a Domino apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, indicimus et imponimus unam semel in duobus annis proximis, illorumque[1] nempe singulo pro medietate, persolvendam decimam, quae in totum ad summam octingentorum millium ducatorum monetae Hispaniae ascendat, iuxta ratam a venerabili fratre Iulio archiepiscopo Tarsensi, nostro et praedictae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio, taxandam, omnium fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum, emolumentorum, ac distributionum quotidianarum omnium ecclesiarum, archiepiscopalium, episcopalium, collegiatarum, parochialium, necnon monasteriorum et conventuum, ac etiam mensarum abbatialium, capitularium, tam cathedralium et metropolitanarum, quam quarumcumque collegiatarum ecclesiarum, necnon conventualium, prioratuum quoque, praeposituarum, praeceptoriarum, canonicatuum et prebendarum, dignitatum, personatuum, administrationum, etiam fabricae et officiorum, ceterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium, ac sancti Benedicti, sancti Augustini, Cluniacensium, Cisterciensium, Praemostratensium, ac quorumcumque aliorum Ordinum utriusque sexus, etiam Mendicantium annuos redditus habentium, tam virorum quam mulierum, necnon congregationum regularium, institutorum regularium, et societatum, etiam Iesu, et praeterea hospitalium, necnon B. Mariae Theutonicorum, S. Iacobi de Spatha, Alcantara, Calatrava, de Avis et Montesia, necnon S. Lazari et aliarum quarumcumque mi-

1 Male edit. Main. legit *1647* (R. T.).

1 Potius lege *illorum* (R. T.).

litiarum (exceptis tamen S. R. E. cardinalibus et fratribus militibus hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, qui pro sui tutelâ contra Turcas et alios infedeles alienis auxiliis quotidie indigent, et, quoad curata, iis quorum centum, quos vero ad simplicia beneficia ecclesiastica, iis quorum annui redditus viginti quatuor ducata auri de camerâ non excedunt) in praedictis Castellae et Legionis regnis, ditionibusque et provinciis in eis comprehensis existentium, ac similiter omnium pensionum super praemissis assignatarum et assignandarum, percipiendam et exigendam a quibuscumque archiepiscopis, episcopis, primatibus, praepositis, decanis, capitulis, canonicis, rectoribus, beneficiatis, abbatibus, prioribus, commendatariis, abbatissis, priorissis, fratribus, militibus, et aliis quocumque nomine nuncupatis, secularibus et regularibus, ceterisque, cuiuscumque dignitatis, status et conditionis existentibus, praefata quocumque iure, modo, occasione et titulo obtinentibus, seu detinentibus, et obtenturis, necnon oeconomis et administratoribus, perpetuis seu temporalibus, usufructuariis, ac fructus, pensiones, res et alia quaecumque huiusmodi iura et bona, ex quacumque causâ, quavis auctoritate, in toto vel in parte, sibi reservata aut concessa habentibus vel habituris, secularibus et regularibus ordinum, congregationum, militiarum et hospitalium praedictorum, necnon ab ipsis ecclesiis, capitulis, conventibus, ordinibus, congregationibus, collegiis, hospitalibus, militiis, mensis, massis et locis, quocumque privilegio et exemptione reali, personali et mixtâ, antiquâ et immemorabili, pacificâ et continuatâ suffultis, quos omnes (exceptis supradictis) collectoribus, ut infra deputandis[1], volumus decimam praedictam iuxta taxam praedictam infra duos annos proximos, illorum videlicet singulo pro medietate, persolvisse.

Decretum irritans.

§ 2. Decernentes nullas omnino exemptiones et immunitates exactionem huiusmodi impedire posse, sicque per quoscumque iudices ordinarios et commissarios, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores deputat.

§ 3. Ut autem supradicta diligenter et fideliter executioni demandentur, eumdem Iulium archiepiscopum modernum et pro tempore existentem nostrum et Sedis praedictae in dictis regnis Hispaniarum nuncium, cuius integritas et prudentia nobis iam pridem cognita est, et alias ecclesiasticas personas, si ita ei videbitur, ab eo nominandas, decimae praedictae collectores cum omnibus iurisdictionibus, quae aliis huiusmodi collectoribus de iure vel consuetudine quomodolibet competunt, auctoritate et tenore praedictis constituimus et deputamus; mandantes, ut quidquid inde, per se, vel personas ecclesiasticas praedictas, seu subcollectores suos, exegerit, id omne, redditâ prius sibi per personas deputandas huiusmodi praemissorum omnium ratione, thesaurario ipsius Philippi regis, in supradictos et non alios usus convertendum, consingari faciat; ac eidem nuncio plenam, liberam et amplam, ac absolutam potestatem taxam et repartimentum huiusmodi pro praedictâ summâ octingentorum millium ducatorum monetae Hispaniae dumtaxat conficiendâ, omni et quacumque appellatione, recursu, nullitatis dictione, ac in integrum resti-

1 Male prorsus edit. Main. parenthesi productâ legit *(exceptis supradictis collectoribus ut infra deputandis)* (R. T.).

tutione penitus remotis, faciendi et praescribendi, praedictos omnes ad decimam huiusmodi pro ratâ quemlibet iuxta praedictam taxam tangente persolvendam, etiam per edictum locis publicis affigendum, et sub censuris et poenis ecclesiasticis monendi et requirendi, non parentes, contumaces et fraudantes in censuras et poenas praedictas incidisse declarandi, proprietates, fructus, res et bona ipsorum apprehendendi et usque ad satisfactionem retinendi, contradictores, perturbatores, molestatores et rebelles quoscumque iis consilium, auxilium, vel favorem, publice vel occulte, quovis quaesito colore, praestantes, cuiuscumque dignitatis, gradus et ordinis fuerint, praedictis aliisque censuris et poenis ecclesiasticis, necnon pecuniariis, ceterisque iuris et facti remediis opportunis, compellendi, illasque etiam iteratis vicibus aggravandi, eos vero, qui debite satisfecerint, ab omnibus censuris et poenis supradictis in formâ Ecclesiae consuetâ absolvendi,

Concedit facultatem puniendi contravenientes.

§ 4. Praeterea quascumque personas ecclesiasticas in collectores et subcollectores, fide et facultatibus idoneos, in omnibus civitatibus, dioecesibus et provinciis regnorum praedictorum, quotquot expedierit, constituendi, eumque vel eos arbitrio suo revocandi, negligentes et morosos removendi, ac alium seu alios subrogandi, quotiescumque ei videbitur, in delinquentes et contumaces, per se, vel alium, seu alios, etiam simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figurâ iudicii, inquirendi, ac meritis poenis puniendi, modos et formas in praedictis servanda praescribendi, dubia quaecumque in praemissis forte oritura declarandi.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis editâ de duabus dietis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, monasteriorum, ordinum, congregationum, hospitalium et locorum piorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, quodque personis praedictis, eorumque ecclesiis et locis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a Sede praedictâ sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto, necnon personis, eorumque nominibus, cognominibus, ecclesiis, monasteriis, ordinibus et locis huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, in genere vel in specie, etiam S. R. E. camerario et aliis camerae apostolicae ministris, etiam ex causâ onerosâ, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, et solutiones decimarum aliter quam secundum antiquam taxam, et nisi in universali decimarum per orbem impositione fieri prohibentibus, necnon promissionibus, donationibus, obbligationibus, iuramentis, renunciationibus, vinculis et cautelis in assignatione praedictarum pensionum factis, quibus per impositionem decimae huiusmodi minime teneri, neque eis[1] quoad praemissa contra quemcumque locum habere declaramus, aliisque indultis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, cuiuscumque tenoris existant, per quae praesentibus non expressa, et totaliter non inserta, effectus eorum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, quae omnia contra praedicta nolumus cuiquam suffragari, ceterisque contrariis quibuscumque.

Prohibet suppellectiles ab ecclesiâ extrahi.

§ 6. In percipiendâ vero decimâ praedictâ piae memoriae Clementis Papae V

1 Legendum foret *ea* pro *eis* (R. T.).

etiam praedecessoris nostri in Concilio Viennensi editam constitutionem, ac praesertim, quod nec calices, nec libri, ceteraque ecclesiarum ornamenta, divino cultui dicata, aliave supellex ecclesiastica ex causâ pignoris capi, recipi, vel distrahi, aut aliàs quomodolibet occupari debeant, ubique praecipimus observari; quinimo volumus, ut illius occasione ecclesiae, monasteria, aliaque pia et sacra loca quaecumque debitis propterea non fraudentur obsequiis, ac divinus in his cultus et solitus Altissimo famulantium et ministrorum numerus nullatenus minuatur, nec eis quoquo modo iniuncta onera aut pia quae exerceri solent opera et officia nullo modo minuantur, seu negligantur, sed eorum congrue supportentur onera consueta, quodque, propter praedictam decimae impositionem, quibuscumque iuribus nostris et collegii S. R. E. cardinalium ac camerae nostrae apostolicae praefatae, quae ecclesiarum, monasteriorum et aliorum beneficiorum vacantium et vacaturorum solvi debuerint[1], in aliquo minime praeiudicetur.

Transumptorum fides.

§ 7. Praesentium vero litterarum exempla, etiam impressa, manu notarii publici subscripta, et alicuius personae in dignitate aliquâ ecclesiasticâ constitutae sigillo obsignata[2], eadem in iudicio et extra illud ubique locorum fides adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV ianuarii MDCXLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 25 ianuarii 1648, pontif. anno IV.

1 Potius legerem d*ebeant*, aut *deberent*, pro *debuerint* (R. T.).

2 Lege *exemplis... impressis... subscriptis... obsignatis* (R. T.).

CI.

Iubilaeum universale almae Urbi concessum ad divinam opem implorandam[1].

Innocentius Papa X,

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Inter plurimas easque gravissimas curas nostri pontificatus illa continenter anxit ac sollicitum habuit nostrum animum, qua late aspeximus assiduis bellorum motibus agitari ac premi christianum orbem.

Motiva.

§ 1. Siquidem commiserationem et lacrimas iugiter poscunt continuae per tot iam annos populorum caedes, urbiumque strages, ac tanta undique illata rebus sacris damna et catholicae religioni. Adeoque ipse christiani nominis hostis implacabilis Turcharum tyrannus, confidentior factus christianorum discordiis, vires atque animos sumit, stragemque et exitium minitatur Europae universae.

§ 2. Et quamquam nos, pro pastorali nostro munere ac paternâ erga omnes charitate, iam inde ab initio nostri pontificatus nullam humanam operam, quantum in nobis fuit, praetermisimus rebus componendis et conciliandis, eamque in dies adhibere conamur; divinam tamen opem in id implorandam et caeleste auxilium invocandum esse duximus, ut, afflictatione corporum et contritione[2] cordium aptas preces adiungentes, paratam in nos Dei iram placemus et avertamus: propitiatur enim Dominus cunctis, qui in toto corde requirunt eum.

§ 3. Hoc autem ut fructuosius et maiori cum spiritus ardore peragatur, ex veteri ecclesiae Romanae omnium matris et magistrae more in praesentibus ne-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Fors. legen. *afflictationi... contritioni* (R. T.).

cessitatibus eiusdem Ecclesiae thesauros, quorum dispensatores a Domino constituti sumus, proferre et elargissime erogare decrevimus.

§ 4. Itaque, ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, omnes et singulos utriusque sexus christifideles, tam in almâ Urbe nostrâ, quam alibi ubicumque locorum constitutos, apostolicâ auctoritate paterne enixeque requirimus, monemus et in Domino hortamur ad infrascripta devote peragendum et adimplendum, et ad Deum salvatorem nostrum orandum, ut[1] per viscera miscericordiae suae fidem catholicam protegere ab hostium conatibus et insidiis defendere, haeresim extirpare, principibus christianis pacem et veram concordiam donare, ac praecipue praesentibus Ecclesiae necessitatibus subvenire dignetur.

Indulgentias pro iubilaeo concedit omnibus christifidelibus.

§ 5. Nos enim, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus, meritis minime suffragantibus, contulit, universis et singulis christifidelibus in almâ Urbe praedictâ degentibus, qui solemnibus processionibus, quas feriâ quartâ ab ecclesiâ S. Susannae ad basilicam S. Mariae Maioris nuncupatae, et feriâ sextâ praesentis hebdomadae ab ecclesiâ nostri archihospitalis S. Spiritus in Saxia nuncupati ad basilicam Principis Apostolorum de Urbe, unâ cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, christianorumque regum et principum apud nos et Apostolicam Sedem oratoribus, omnibusque praelatis et proceribus, ac universo clero et populo agemus, aut alteri ex processionibus huiusmodi interfuerint, vel qui in eâdem seu immediate sequenti hebdomadâ dictas basilicas sive ecclesias saltem semel visitaverint, ibique devote ut supra Deum oraverint, necnon feriâ quartâ, sextâ et sabbato eiusdem vel sequentis hebdomadae ieiunaverint, atque peccata sua confessi sequenti saltem die dominico sanctissimum Eucharistiae sacramentum reverenter sumpserint, et eleemosynas ad libitum, prout charitas singulis suggesserit, fecerint, ceteris vero omnibus et singulis fidelibus extra Urbem existentibus in quibusvis civitatibus, terris et locis, qui processioni ab Ordinariis locorum, vel eorum vicariis, seu officialibus, vel de eorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos qui ibi curam animarum exercent, primâ vel secundâ hebdomada postquam ad eorum notitiam hae nostrae litterae devenerint indicendae et agendae interfuerint, vel ecclesiam seu ecclesias per eosdem designandas saltem semel visitaverint, ibique, ut supra, Deum oraverint, ac feriâ quartâ, sextâ et sabbato alterius[1] ex duabus hebdomadis ab eisdem deputandis ieiunaverint, pariterque peccata sua confessi ac sanctissimâ communione refecti fuerint, et eleemosynas similiter pro arbitrio suo fecerint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, sicut in anno iubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem concedi consuevit, tenore praesentium concedimus et elargimur. Navigantes vero aut iter agentes, ut, cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, et, loco interventus in processione, visitatâ ecclesiâ cathedrali, vel maiore, aut parochiali loci eiusdem domicilii, eamdem indulgentiam consequi possint et valeant;

Id etiam largitur regularibus utriusque sexus.

§ 6. Regularibus autem personis utriusque sexus etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque, tam laicis quam ecclesiasticis, secularibus vel

1 Edit. Main. legit *et* pro *ut* (R. T.).

1 Videretur legendum *alterutrius* (R. T.).

regularibus, etiam in carcere aut in captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, scilicet ieiunium, eleemosynam, ecclesiaeque seu ecclesiarum visitationem, ac interventum in processione et oratione, vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa confessarius, quem ut infra elegerint, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possint, eaque iniungere, quae[1] ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus.

Concedit ut universi catholici possint absolvi a quocumque confessario approbato a quocumque enormi crimine.

§ 7. Cupientes autem omnes christifideles participes fieri huius pretiosissimi thesauri, universis et singulis utriusque sexus, tam laicis quam ecclesiasticis, secularibus et regularibus cuiuscumque ordinis, congregationis et instituti licentiam concedimus et facultatem damus, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum confessarium tam secularem quam cuiusvis ordinis regularem ex approbatis a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quavis causâ latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis, quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive nobis et Sedi Apostolicae, etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, et aliàs per quascumque nostras aut Romanum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae et hac vice tantum (non tamen a crimine haeresis) absolvere et liberare valeant; et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iiunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentiâ salutari, aliisque eiusdem confessarii arbitrio iniungendis. Quapropter, tenore praesentium, in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus atque mandamus omnibus et quibuscumque venerabilibus fratribus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis, et aliis ecclesiarum praelatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum, eorumque vicariis et officialibus, vel, iis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut, cum praesentium litterarum transumpta aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ullâ morâ, retardatione, vel impedimento per suas ecclesias et dioeceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicent et publicari faciant, ac clericis et populis sibi subiectis solemnes processiones et supplicationes indicant[1] et celebrent, ecclesiamque seu ecclesias visitandas designent.

Excipit crimen haeresis.

§ 8. Non intendimus autem per praesentes super aliquâ irregularitate, publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquomodo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae;

§ 9. Neque etiam easdem praesentes iis, qui a nobis et Apostolicâ Sede, vel ab aliquo praelato, seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi infra tempus celebrationis huiusmodi iubilaei satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

Contrariis derogat.

§ 10. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici

1 Male edit. Main. legit *quo* pro *quae* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *indicent* (R. T.).

pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles iubilaei, indulgentiarum et facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum et Congregationum, sive institutorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem ordinibus, congregationibus et institutis, illorumque personis, quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac formam eorum traditam pro servatis[1] habentes, hac vice specialiter nominatim et expresse ad effectum praesentium derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 11. Ut autem praesentes nostrae, quae ad singula deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earumdem praesentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate aliquâ constitutae munitis, ubique locorum et gentium eadem prorsus fides adhibeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II martii MDCXLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 2 martii 1648, pontif. anno IV.

1 Potius lege *servatâ* (R. T.).

CII.

Quod fratres laici, seu conversi, Tertii Ordinis sancti Francisci congregationis Gallicanae, post quartum annum ab emissâ professione, habeant votum in electionibus [1].

Innocentius Papa X, ad perpetuam rei memoriam.

Decet Romanum Pontificem dissensionum et controversiarum materias inter ecclesiasticos, praesertim vero personas regulares, e medio tollere ac praecidere, prout in Domino salubriter conspicitur[2] expedire. Exordium.

§ 1. Cum itaque, sicut pro parte dilectorum filiorum Renati Parisiensis et Iustini Aurelianensis, fratrum laicorum seu conversorum antiquorum Tertii Ordinis sancti Francisci congregationis Galliae, procuratorum ceterorum fratrum laicorum, tam antiquorum quam novorum, provinciarum Franciae, sive S. Francisci et Lugdunensis, sive Ss. Ludovici et Elzearii Ordinis et Congregationis huiusmodi, nobis nuper expositum fuit, ipsi ius sibi competens vigore generalium constitutionum dictae congregationis, auctoritate apostolicâ confirmatarum, dandi votum seu suffragium in contractibus, et quibusdam aliis actibus capitularibus suorum conventuum declarari desiderent: Supplicatio.

§ 2. Idcirco nos, felici eorumdem fratrum laicorum statui, quantum nobis ex alto conceditur, consultum esse cupientes, ipsosque exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommu- A censuris absolvit.

1 De huiusmodi tertiariis lege, quae notavi ad Const. DCLIX (*al.* 625), *Nobis pro parte*, Urbani VIII, sup. pag. 3; et Const. DCCLXXIV (*al.* 721), *Cum sicut*, supra pag. 229, quoad indulgentiam plenariam perpetuam in eorumdem ecclesiis in festo Portiunculae.

2 Legerem *conspicit* (R. T.).

nicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, consilio (qui saepius eosdem exponentes nomine praedicto, et illis contradicentes sacerdotes, aliosque clericos earumdem provinciarum, eorumque procuratores in Urbe audierunt, necnon constitutiones generales praefatas, ac litteras apostolicas in simili formâ Brevis a sanctae memoriae Urbano Papa VIII praedecessore nostro de annis MDCXLI et MDCXLIV, pro fratribus oblatis ac novis laicis dictae congregationis desuper emanatas, viderunt), praefatis fratribus laicis, tantum antiquis, vigore earumdem constitutionum, et earum subsecutae observantiae, praefatum ius dandi votum in contractibus, et quibusdam aliis actibus capitularibus suorum conventuum, hactenus potuisse, ac posse competere, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus.

Declarat prout in rubricâ.

§ 3. Verum, pro bono pacis, et ad aequalitatem servandam inter fratres laicos antiquos et novos huiusmodi, et ad tollendam causam ulterioris dissidii, statuimus in posterum, ut omnes et singuli praedicti fratres laici dictarum provinciarum, post quartum annum ab emissâ professione, habeant votum decisivum in omnibus contractibus et aliis negotiis temporalibus gravioris momenti tam intra quam extra conventum ineundis, in quibus omnes sacerdotes et alii in sacris constituti, ex statutis ordinariis, seu ex laudabili consuetudine, intervenire solent aut debent; item vocem activam in electione vicarii, quando illum a conventu eligi contigerit, necnon in electione discretorum localium ad capitula mittendorum, ac in receptione quorumcumque novitiorum ad professionem; demum vocem passivam in electione provisoris seu procuratoris conventus tantum, non autem discretorum, in omnibus et per omnia iuxta formam praedictarum constitutionum generalium dictae congregationis a praefato Urbano praedecessore de anno MDCXXV confirmatarum, supranominatis litteris apostolicis non obstantibus, firmis tamen in reliquis permanentibus. Et ita per eos ad quos spectat observandum esse pariter statuimus et ordinamus, partibusque hinc inde perpetuum desuper silentium imponimus. Salvâ tamen semper in praemissis tantum auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Quod habeat vocem activam in electione vicarii.

§ 5. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ipsisque fratribus laicis plenissimè, in omnibus et per omnia suffragari,

Decretum irritans.

§ 6. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis dictae congregationis sacerdotibus, clericis et aliis personis, sub quibuscumque verbo-

Contraria tollit.

rum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis ac irritantibus clausulis, et aliis decretis, in genere vel in specie, et aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum praemissorum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 8. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI aprilis MDCXLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 6 aprilis 1648, pontif. anno IV.

CIII.

Erectio oppidi Rupellae in Gallia in episcopatum [1].

Innocentius Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Supplicatio.

In supereminenti militantis Ecclesiae solio et apostolicae potestatis plenitudine, summâ Redemptoris nostri benignitate, constituti, nunc in novis sedibus episcopalibus in irriguo ipsius militantis Ecclesiae agro plantandis et instituendis, nunc in dioecesis partibus dividendis, quandoque etiam in illis ex toto supprimendis et alio transferendis, pastoralis officii nostri partes, prout locorum et temporum rationes ac sublimium et excelsorum regum vota postulant, libenter conferimus, ut exinde divinus cultus et christifidelium devotio per amplius augeatur, animarumque salus subsequatur, ac in oppidis insignibus et populi multitudine refertis, atque eorumdem regum piâ et strenuâ operâ e manibus haereticorum non ita pridem vindicatis, plantetur radicitus christiana religio, et eorum dignioribus ecclesiis decoratorum incolae et habitatores, venerabilium praesulum doctrinâ et auctoritate suffulti, proficiant semper in fide, et, quod in temporalibus sunt adepti, non careant in spiritualibus incremento.

Causae huius erectionis.

§ 1. Dudum siquidem per nos accepto civitatem Malleacensem, valde exiguam, nullis moenibus cinctam, paucis domibus, aliis eversis, plerisque ruinosis, conflatam, aërem vero adeo insalubrem ob paludes undique adiacentes sortitam esse, ut pauci admodum incolae et omnes fere pauperes eam modo inhabitent, domumque pro episcopo nullam, neque conseptum vel dormitorium pro capitulo licet regulari Ordinis sancti Augustini Canonicorum Regularium, nullum monasterium aut collegium, nullum seminarium neque hospitale, sed unam tantum confraternitatem adesse ecclesiasticam, denique ipsam, extremam fere ruinam haereticorum iniuriâ passam, debitae structurae nunquam fuisse restitutam; hisque, atque aliis de causis, felicis recordationis Urbanum Papam V [2] praedecessorem nostrum ecclesiam ipsam ad oppidum Fontaniaci Comitis Malleacensis dioecesis transferri mandasse, et successive ipsam ecclesiam secularizasse, ipsam tamen translationem effectum sortiri nequivisse, rebus causisque aliter quam expositae fuerant sese habentibus,

Numerantur erectiones in hoc oppido faciendae.

§ 2. Nos [1] ex parte quidem ipsius ecclesiae et civitatis Malleacensis, quippe

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Indubium mihi est legendum esse *Non* pro *Nos* (R. T.).

2 Potius lege *VIII* (R. T.).

quae constanti veritate etiam nunc pro translatione militent, sed ex parte oppidi Fonteniaci multo angustioris atque inferioris reperti per quod dignitatem ad illud transferendam capere possit; e converso oppidum Rupellense, celebre ad Oceanum Aquitanicum emporium, ab ipsâ Malleacensi civitate septem aut octo leucis tantum distans, circuitu amplum, moenibus circumdatum, propugnaculis validum, domibus magnificum, habitatoribus, plerisque nobilibus, refertum, et opibus abundans existere, in eoque, praeter plures ecclesias, conventus et unum hospitale, adesse ecclesiam templum maius nuncupatam amplae ac elegantis et recentis structurae, qua[2], non minus quam oppidum in quo sita est, capessendae dignitatis episcopalis valde capax, parque videatur; et ex praemissis nomine charissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum et Navarrae regis christianissimi nobis supplicato, ut dignitatem episcopalem in civitate et ecclesiâ Malleacensi supprimendam[3], et oppidum Rupellensi ac eius ecclesiam templum maius nuncupatam huiusmodi in civitatem et cathedralem respective erigenda[4], ac ad eas sic erectas dotem et capitulum dictae ecclesiae Malleacensis transferre[5] de benignitate apostolicâ dignaremur:

§ 3. Nos, instantiam regis praedicti, negociumque suppressionis, erectionis et translationis huiusmodi, congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium rebus consistorialibus praepositorum examinandum et discutiendum commisimus.

Quid sacra congregatio stabiliverit.

§ 4. Cum autem congregatio ipsa sub die XXIX maii anni proxime praeteriti, re mature discussâ, ex iam dictis causis, ac etiam quia clarae memoriae Ludovicus X[1] eorumdem Francorum et Navarrae rex christianissimus, statim post oppidi Rupellae praedicti et illius habitatorum sub eius obedientiâ armis regiis factam redactionem, sedem episcopalem in illo meliori et commodiori qua potuisset viâ erigi procurare destinaverat, ac solemniter promiserat, confidens fore, ut, mediante tali erectione, oppidum ipsum, quod antea firmum haereticae pravitatis et haereticorum asilum extiterat, imposterum religionis catholicae, apostolicae et Romanae clarioribus signis ornatum, ac fidei catholicae propugnaculum redderetur, eâque ratione catholici ad illud habitandi causâ confluentes in eâdem fide catholicâ et orthodoxâ confirmarentur, et haeretici, si quos temporis necessitas illic remanere, indeque non dimitti suaderet, ad aulam[2] Christi facilius reducerentur, mandatum de transferendo praedicti[3] supranominati Urbani praedecessoris nostri, quod executioni eatenus demandatum ut praefertur non fuerat, revocari et circumscribi, ac dignitatem episcopalem in praedictis ecclesiâ et civitate Malleacensi supprimi, et, remanentibus perpetuo in ipsâ ecclesiâ sic suppressâ uno parocho ad exercitium curae animarum illius et aliquot aliis presbyteris ad divinum cultum inibi peragendum necessariis, arbitrio Ordinarii, praeviâque dismembratione dicti oppidi Rupellensis, ac insulae de Re, et territorii[4] d'Auluix, vulgo dicti, suis finibus terminati, ac centum circiter parochiis constantis, dicto oppido circumvicinorum, quae eatenus pars fuerunt dioecesis Xantonensis, ab ipsâ Xantonensi dioecesi, oppidum Rupellense et eius ecclesiam templum maius nuncupatam in civitatem et

2 Forsan legendum *quae* pro *qua* (R. T.).
3 Potius lege *supprimere* (R. T.).
4 Mallem *erigere* (R. T.).
5 Edit. Main. legit *transferri* (R. T.).

1 Legendum *XIII* (R. T.).
2 Videtur legendum *caulam* pro *aulam* (R. T.).
3 Potius lege *praedictum* (R. T.).
4 Male edit. Main. habet *territoriis* (R. T.).

cathedralem respective erigi, et ad cathedralem et civitatem sic erectas capitulum Malleacense cum eorum dignitatibus seu officiis, ac canonicatibus et praebendis, ac canonicatuum portionibus et redditibus, atque ipsius ecclesiae Malleacensis ornamentis pontificalibus, transferri, et Rupellensi episcopo pro tempore existenti ecclesiam templum maius nuncupatam pro cathedrali, et dotem ac redditus suppressae ecclesiae Malleacensis pro dote illius, ac civitatem Rupellensem, sic noviter erectas, pro civitate, insulamque de Re et territorium d'Auluix huiusmodi, necnon etiam oppidum et totam dioecesim Malleacensem, pro dioecesi respective assignari, ac episcopum Rupellensem pro tempore archiepiscopo Burdegalensi, prout erat suppositus episcopus Malleacensis, iure metropolitico supponi, ad supplicationem dicti Ludovici moderni regis, per nos respective posse decreverit, de consensu dilectorum filiorum nominatorum in episcopos tam Malleacensem quam Xantonensem, et capitulorum Malleacensis et Xantonensis ecclesiarum iam praestito, et quoad eosdem nominatos in episcopos iterum praestando postquam a Sede Apostolicâ provisi fuerint, prout in ipso decreto desuper emanato latius continetur:

§ 5. Nos, qui, auditâ ipsius decreti relatione, decretum ipsum confirmavimus et approbavimus, attendentes reipublicae christianae, et praesertim animarum dictorum locorum incolarum saluti, divinique cultus augmento plurimum expedire, ipsi quoque Ludovico moderno regi admodum gratum futurum, si contenta in ipso decreto ac pia et sancta ipsius defuncti regis Ludovici genitoris sui intentio quam citius suum effectum sortiantur[1], habitâ prius super his cum venerabilibus fratribus nostris eiusdem S. R. E. cardinalibus in consistorio nostro secreto deliberatione maturâ, de ipsorum fratrum consilio, et apostolicae potestatis plenitudine, attentâ praesertim ipsius Ludovici regis instantiâ, ad formam decreti congregationis huiusmodi, mandatum de transferendo praefati[1] supranominati Urbani praedecessoris huiusmodi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo revocamus et circumscribimus, et in praedictis ecclesiâ et civitate Malleacensi dignitatem episcopalem, ac dignitatis episcopalis et civitatis titulum respective etiam perpetuo supprimimus et extinguimus, et a dictâ dioecesi Xantonensi, ac pro tempore existentis episcopi Xantonensis omnimodâ iurisdictione, superioritate, visitatione, dominio, correctione et potestate, oppidum Rupellense et insulam de Re ac territorium d'Auluix huiusmodi, unâ cum illorum clero, populo et personis, monasteriis, piis locis, dignitatibus, cappellis et beneficiis ecclesiasticis secularibus et quorumvis Ordinum regularibus, ac illa conferendi aut aliàs de illis disponendi aliisque iuribus et actionibus super illis vel ad illa pro tempore existenti episcopo Xantonensi praedicto quomodolibet competentibus, similiter perpetuo dismembramus et separamus; iisque sic dismembratis et separatis ad omnipotentis Dei laudem et honorem, necnon militantis Ecclesiae exaltationem, oppidum Rupellense in civitatem Rupellensem nuncupandam, cum iuribus, honoribus et praeeminentiis quibus ceterae civitates illarum partium et earum cives utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, et eius ecclesiam templum maius nuncupatam huiuscemodi in cathedralem ecclesiam Rupellensem nuncupandam, et in eâ sedem episcopalem pro uno episcopo Rupellensi nuncupando,

1 Potius lege *sortiatur* (R. T.).

1 Potius lege *praefatum* (R. T.).

qui eidem ecclesiae illiusque civitati et dioecesi praesit, synodum convocet, evellat, destruat, aedificet et plantet, ac omnia et singula iura episcopalia habeat et exerceat, cum capitulo infrascripto, ac cum episcopali et capitulari mensi[1], ceterisque omnibus cathedralibus et pontificalibus insigniis, necnon iuribus, iurisdictionibus facultatibus praerogativis, privilegiis, honoribus, gratiis, favoribus et indultis, realibus, personalibus et mixtis, quibus aliae cathedrales ecclesiae illarum partium, earumque praesules, capitula et personae quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, perpetuo quoque respective erigimus et instituimus; ac oppidum Rupellense civitatis, ipsiusque incolas civium, necnon ecclesiam templum maius nuncupatam huiusmodi cathedralis ecclesiae honore, nomine, titulo et insigniis[2] decoramus; et ad eas sic erectas et institutas capitulum Malleacense, cum suâ mensâ capitulari, ac cum aliis supradictis omnibus (ita tamen, ut apud ipsam ecclesiam Malleacensem unus parochus ad curam animarum et aliquot alii presbyteri ad divinum cultum inibi peragendum necessarii, ut supra, pariter perpetuo remanere et manuteneri debeant ibidem) perpetuo transferimus, ac episcopo Rupellensi pro tempore existenti dictam ecclesiam templum maius nuncupatam pro cathedrali, ac dotem et redditus suppressae ecclesiae Malleacensis, pro dote illius, ac civitatem Rupellensem sic noviter erectas, pro civitate, insulamque de Re et territorium d'Auluix huiusmodi, necnon etiam oppidum et totam[3] dioecesim Malleaci, pro dioecesi, respective assignamus; et episcopum Rupellensem pro tempore existentem archiepiscopo Burdegalensi, quoad ius metropoliticum, prout supponitus erat episcopus Malleacensis, pariter perpetuo supponimus; necnon episcopo, ac capitulo et canonicis ecclesiae Rupellensis, capitulariter congregatis, et pro felici statu et salubri regimine et administratione dictae ecclesiae Rupellensis, ac illius personarum, necnon divinorum officiorum in illâ celebrandorum directione, quaecumque et qualiacumque statuta, constitutiones, ordinationes et decreta, licita tamen et honesta, sacrisque canonibus, praesertim vero Concilii Tridentini decretis minime contraria, facere, condere et edere, illaque toties, quoties pro personarum rerum et temporum qualitate et varietate et ipsius ecclesiae utilitate necessarium et opportunum fuerit, alterare, corrigere et in melius mutare, ac de novo condere et edere valeant (quae, postquam facta, condita, edita, alterata, correcta, mutata, ac etiam de novo condita et edita fuerint, apostolicâ auctoritate approbata et confirmata esse censeantur, et ab omnibus, ad quos spectabit, sub poenis in eis statuendis et comminandis, inviolabiliter observari debeant) plenam, liberam et amplam facultatem tribuimus et impertimur.

§ 6. Non obstantibus nostrâ per quam dudum inter alia voluimus, statuimus et ordinavimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum communem existimationem, tam beneficii uniendi, quam illius cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, quodque semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis interesse habentibus, idemque observaretur in erectionibus, dismembrationibus et applicationibus perpetuis, ac de iure quaesito non tollendo, necnon Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casi-

Contrariis derogat.

1 Certo legendum *mensis* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *insignis* (R.T.).
3 Edit. Main. legit *votam* (R. T.).

bus a iure permissis, fieri, et beneficia seu bona unius beneficiis seu bonis alterius dioecesis uniri respective prohibentis, aliisque apostolicis, etiam in provincialibus, synodalibus et universalibus conciliis editis et edendis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, ac Xantonensis, Malleacensis et Burdegalensis ecclesiarum, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem ecclesiis, illarumque praesulibus, capitulis et canonicis, aliisque superioribus et personis, in genere vel in specie, in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi aliàs pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut quaevis alia expressio habenda aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, eisdem praesentibus pro plene ac sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice tantum specialiter et expresse harum serie derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis. § 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae revocationis, circumscriptionis, suppressionis, extinctionis, dismembrationis, separationis, erectionis, institutionis, decorationis, translationis, assignationis, suppositionis, tributionis, impartitionis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXLVIII, IV nonas maii, pontificatus nostri anno IV.

Datum 4[1] maii 1648, anno IV.

CIV.

Confirmatio erectionis seminarii puerorum factae a Ioanne Palafox et Mendoza episcopo Angelopolitano in Indiis occidentalibus [2].

Innocentius episcopus, ad futuram rei memoriam.

Exordium. Ex debito supremi apostolatus officii, nobis divinitus commissi, iis, quae a catholicis antistitibus, pro piâ et religiosâ iuventutis educatione, ac in ecclesiasticis aliisque salutaribus disciplinis instructione, provide facta et instituta fuerunt, libenter, cum a nobis petitur, apostolici muniminis adiicimus firmitatem, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Supplicatio. § 1. Nuper siquidem pro parte venerabilis fratris Ioannis episcopi Angelopolitani in Indiis occidentalibus nobis expositum fuit, quod ipse in suâ civitate Angelopolitanâ unum seminarium clericorum sub invocatione seu denominatione S. Petri Principis Apostolorum fundavit, dotavit et erexit sub certis modo et formâ uberius expressis in instrumento erectionis huiusmodi, cuius tenor est, qui sequitur, videlicet:

Nos Ioannes de Palafox et Mendoza, Dei et Apostolicae Sedis gratiâ episcopus della Puebla Angelorum, novae Hispaniae visitator generalis, inhaerentes dispositioni sacrorum canonum et conciliorum et praecipue sacri oecumenici et generalis Concilii Tridentini, et volentes eius decreta exequi, quemadmodum mandat concilium provinciale Mexica-

1 Ed. Main. ad marginem habet *nonis* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

nense assiduaque hos[1] expetit commissae nobis ecclesiae sollicitudo, et urget summa pietas sacrae reverendae maiestatis, tenore praesentium fundamus, constituimus et stabilimus in hac civitate della Puebla Angelorum seminarium clericorum sub invocatione S. Petri Principis Apostolorum, assignantes pro illius fabricâ domum sitam prope ecclesiam cathedralem inter episcopale palatium et collegium S. Ioannis, et pro sustentatione alumnorum redditus annuos decem millium ponderum argentorum[2] ex contributionibus ecclesiarum et communitatum dioecesis solvendorum.

Huiusmodi fundatio fit modo et formâ sequentibus:

Forma huius fundationis.

Quod in seminario seu collegio S. Petri sustentari debeant triginta collegiales, et plus vel minus prout ex redditibus commode sustentari poterunt;

Quod huiusmodi collegiales, antequam adscribantur collegio, et in eo admittantur, debeant saltem sacrâ tonsurâ esse insigniti; quodque in actu receptionis promittant se sacrum presbyteratus ordinem esse suscepturos, et in casum contraventionis teneantur et obligati sint restituere seminario certam pecuniarum quantitatem ad rationem certae summae pro quolibet anno ratione alimentorum susceptorum, quodque in praedicto ingressu pro huiusmodi securitate teneantur cautionem praestare;

Quod collegiales debeant esse patrimoniales huius nostrae dioecesis; si vero in eâ non reperiantur, assumi debeant ex novâ Hispania, dummodo sint legitimi, et pauperes (non exclusis ditioribus[3] qui tamen suis sumptibus alantur et alimenta solvant ad rationem centum viginti quinque ponderum singulis annis, et Deo et ecclesiae inserviant) semper praeferendo dioecesanos (ut sunt Totonaci, Ottomites, Chocchi, Mistechi et Thapaneci ratione ideomatis istarum linguarum) ceteris etiamsi expertis in linguâ Mexicana; isti vero, qui callent linguam Mexicanam, praeferantur illam ignorantibus;

Perfectâ vero habitatione huius seminarii, seu collegii, ac etiam collegii S. Ioannis, quod erit infra annum, collegiales seu alumni eligantur, habentes aetatem undecim et[1] duodecim annorum, qui alantur usque ad annum decimumseptimum, in circa, in dicto collegio S. Petri unâ cum rectore per nos nominando, ex quibus duodecim unâ cum infanticulis seu monachellis ecclesiae induantur vestibus et cignis violaceis et unâ cum biretis quadratis, et praecipue quando incedunt cum superpelliceis seu cottis; quatuordecim vero ex istis, qui sunt de fundatione, accedant singulis diebus ad ecclesiam, ut eidem personaliter inserviant in divinis officiis, quibus absolutis, tam matutinis, quam vespertinis, statim ad collegium revertantur et subiiciantur in omnibus eidem rectori, eique consignari debeant vestes et insignia[2], ac salarium ab ecclesiâ dari solitum infanticulis disponendum in ipsorum usu et servitio;

Collegiales S. Petri, qui adiunguntur, sint eiusdem aetatis, et teneantur assistere ecclesiae tantum diebus festivis, quibus cessant lectiones; ceteris diebus vacent studiis litterariis, musicae, ac cantus ecclesiastici ab anno duodecimo usque ad decimum octavum, vel donec didicerint ad minus gramaticam, rhetoricam et cantum modulatum, et postea transferantur ad dictum collegium S. Ioannis situm ad latus in quo assistunt acolyti, et ibi in-

1 Lege potius *hoc* vel *nos* (R. T.).

2 Videtur legendum *argenteorum* (R. T.).

3 Pessime edit. Main. legit *ditionibus*) clausâ parenthesi (R. T.).

1 Aptius lege *aut* pro *et* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *insigna* (R. T.).

serviant in isto ministerio omnibus diebus festivis.

Ceteri vero vacent studiis maioribus, iuxta cuiuslibet inclinationem, sub nostrâ approbatione et examine, exercendo se in caeremoniis, cantu, theologiâ morali et in omnibus aliis, quae continentur in nostris constitutionibus editis pro collegio S. Ioannis, et cum iisdem habitu et insignibus, quibus usi fuere in dicto collegio;

Quando autem dicti collegiales acolyti fuerint promoti ad presbyteratus ordinem vacent conferentiis et studiis theologiae moralis, ac aliis exercitiis litterarum ecclesiasticarum huiusmodi, ut habiles fiant ad exercitium curae animarum et servitii ecclesiarum, et ad hoc habebunt a collegio pecuniam necessariam pro assumendo gradu baccalaureatus in scientiis maioribus, cum obligatione, quod, si in futurum acquirent redditus, debeant, deductâ congruâ sustentatione, collegio restituere id quod pro dicto gradu assumendo collegium insumpsit, et, quousque fiat pro eis peculiare collegium sub titulo S. Pauli, maneant in dicto collegio S. Ioannis;

Collegiales sacerdotes, quos *passantes* vocant, scilicet, quia semetipsis vacant studiis quibus vacarunt in scholis, in eodem habitu incedant cum superpelliceis, et in communitate intersint choro dictae ecclesiae diebus festivis, prout disponitur in nostris constitutionibus particularibus, ita ut in collegio S. Petri alantur parvuli ab anno XII usque ad XVII vacantes grammaticae et aliis artibus huic aetati convenientibus; ab anno vero XVIII usque ad XXIV in maioribus scientiis, philosophiâ, theologiâ et sacris canonibus et maioribus ministeriis in collegio S. Ioannis; et tandem, tamquam hospites, et exercentes se in maioribus operibus, theologiae moralis, et administrationis sacramentorum, in viros perfectos, in collegio S. Pauli; reservantes nobis facultatem mutandi et alterandi in dictis constitutionibus quidquid temporis qualitas suaserit; et, ut praedicta exequantur, intimetur praesens decretum et fundatio capitulo et decano nostrae cathedralis ecclesiae; et quantitas sexcentorum ponderum per ipsos solvenda quolibet anno, quae est aequalis quantitati impositae super nostrâ quartâ episcopali, solvatur in duobus terminis, scilicet in fine mensis februarii MDCXLV, et alium[1] in fine mensis augusti eiusdem anni, et sic deinceps, semper autem anticipatae, ita ut pro termino seu ratâ decurrente usque ad finem mensis augusti solvatur in fine mensis februarii, quod petitur[2] semper servetur in aliâ ratâ, seu terminis, et idem intimetur ceteris beneficiatis, curatis, vicariis et universo clero seculari et regulari, ut solvant singuli portionem suam pro arbitrio nostro infra tempora praedicta in manibus thesaurarii[3], a nobis ad id deputati, prout ex tunc mandamus, sub censuris et aliis poenis opportunis.

Datum in civitate Angelorum novae Hispaniae, die mensis augusti MDCXLIV.

Die II maii MDCXLVIII sacra congregatio[4] eminentissimorum cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit, si sanctissimo Domino nostro placuerit, supradictam erectionem seminarii, a Suâ Sanctitate remissam, et ab eâdem sacrâ congregatione examinatam, recognitam et emendatam, posse confirmari, servatâ tamen in regimine dicti seminarii formâ a sacro Concilio praescriptâ in cap. XVIII, sess.[5] XXIII, *De Reformatione*, et quod constitutiones, si quae[6] in futurum mutari seu alterari contigerit, non repugnent sacris canoni-

1 Nempe terminum; sed aptius lege *alio* (R.T).

2 Forsan *pariter* pro *petitur* legend.; at obscura lectio (R. T.).

3 Male edit. Main. legit *thesaurariis* (R.T.).

4 Edit. Main. legit *congregationis* (R. T.).

5 Edit. Main. pro *sess.* legit *seu* (R. T.).

6 Potius lege *quas* (R. T.).

bus, conciliis, nec constitutionibus apostolicis; non aliàs, aliter, nec alio modo.

PETRUS ALOYSIUS cardinalis CARAFA.
FRANCISCUS PAULUTIUS, S. C. C. secr.

Confirmat auctoritate apostolicâ.

§ 2. Cum autem ea firmiora sint, quibus apostolicae confirmationis robur adiicitur, nobis propterea eiusdem Ioannis episcopi nomine fuit humiliter supplicatum, ut praeinsertam seminarii huiusmodi fundationem et erectionem apostolicâ auctoritate confirmare de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, piis eiusdem Ioannis episcopi votis hac in re annuere volentes, ac pastoralem eius circa gregem sibi commissum sollicitudinem plurimum in Domino commendantes, ipsumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum, quibus hoc negocium examinandum commiseramus, consilio, praeinsertam seminarii praedicti fundationem et erectionem, ut praemittitur, factam, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, servatâ tamen in regimine dicti seminarii formâ a praedicto sacro concilio praescriptâ in cap. XVIII, sess. XX[1] *De Reformatione*, et cum hoc, quod constitutiones, si quas in futurum mutari seu alterari contingeret, non repugnent sacris canonibus, conciliis, nec constitutionibus apostolicis, non aliàs, aliter, nec alio modo, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus, salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis dictorum cardinalium.

A censuris absolvit.

§ 3. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, ac inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis universalibus editis, ac, quatenus opus sit, ecclesiae Angelopolitanae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Contraria tollit.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII maii MDCXLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 22 maii 1648, pontif. anno IV.

1 Potius lege XXIII, ut supra (B. T.).

CV.

Facultas provisoribus sanitatis civitatis Anconitanae procedendi contra transgessores ordinationum pro sanitate factarum, etiam ad capitalem sententiam[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Motiva.

§ 1. Cum, sicut accepimus, coram dilectis filiis provisoribus sanitatis civitatis nostrae Anconitanae introducta reperiatur causa contra quemdam nautam super falsificatione fidei et transgressione ordinationum pro conservatione sanitatis ibidem emanatarum, et[1] ab aliquibus in dubium revocetur facultas dictorum provisorum super formandis et terminandis processibus in delictis circa transgressionem dictarum ordinationum:

Approbat hanc facultatem.

§ 2. Nos, omne circa facultatem dictorum provisorum quoad praemissa dubium tollere, et litis et quaestionis materiam amputare volentes, necnon processuum et actorum aliorumque omnium circa praemissa factorum tenores praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac merâ deliberatione nostris, et de apostolicae potestatis plenitudine, processum, ac omnia et singula acta per eosdem provisores contra dictum nautam super transgressione praefatâ, necnon in eis contenta quaecumque, etiamsi poenam capitalem contineant, et ad eam sit deveniendum, tenore praesentium sanantes, quatenus opus sit, approbamus et confirmamus, omnesque et singulos iuris et facti etiam substantiales defectus in eis supplemus, ac eisdem provisoribus per praesentes committimus et mandamus, ut in causâ et causis praefatis, cum omnibus earum incidentibus, dependentibus, annexis et connexis, totoque negocio principali, tam contra dictum nautam, quam omnes et singulos praemissorum reos, et in praemissis complices, fautores et auxiliatores, aut aliàs quomodolibet delinquentes, ad ulteriora, cum participatione tamen dilecti filii gubernatoris eiusdem civitatis, etiam usque ad sententiam definitivam et illius exequutionem inclusive procedant.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes praesentes litteras etiam ex eo quod dictus nauta aut alii quicumque interesse habentes auditi et vocati non fuerint, de subreptionis aut obreptionis, aut intentionis nostrae, seu quocumque alio defectu, notari aut impugnari non posse, sed semper et perpetuo validas et efficaces fore, et per eos, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, observari debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium remotio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon privilegiis, gratiis et indultis, quibusvis personis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis approbatis et innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX iunii MDCXLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 9 iunii 1648, pontif. anno IV.

1 Coniunct. *et* nos addimus, vel postea legendum *revocatur* pro *revocetur* (R. T.).

CVI.

Erectio collegii Maronitarum in civitate Ravennatensi sub regimine congregationis de Propagandâ Fide cum solitis privilegiis similium collegiorum Pontificiorum[1].

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Quoniam divinae bonitati visum est humilitatem nostram turbulentissimis christianae reipublicae temporibus ad universalis Ecclesiae regimen vocare, ex eo tempore

Causae huius erectionis.

§ 1. Nos, eiusdem adiuvante gratiâ, ea potissimum, sicut officii nostri ratio po-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

stulat, cogitare et agere non destitimus, quae ad divinum ubique cultum propagandum, animarumque salutem procurandam cognovimus pertinere. In primis vero animo recolentes nationem Maronitarum, qui in Libani montibus degunt a multis seculis, sub S. R. E. obedientiâ et devotione fidem catholicam inter tot circumstantes infidelium et schismaticorum sectas retinere, nihil eidem nationi utilius et ad conservandam in illâ veram puramque fidem orthodoxam aptius existimamus, quam si pueri et adolescentes eiusdem nationis his in regionibus pie educentur, et divinis humanisque litteris, quibus operam dandi facultas deest in partibus illis gravi Turcarum tyrannide oppressis, sedulo instruantur.

Collegium instituit.

§ 2. Cum itaque, sicut accepimus, quondam Victorius Scialac, Aconensis, Maronita, pro catholicae fidei et erga suam nationem charitatis zelo ductus nonnulla certorum montium Romanae curiae non vacabilium loca pro instituendo in civitate nostrâ Ravennatensi uno Maronitarum collegio reliquerit, aliaque bona postmodum per congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotio Propagandae Fidei praepositorum, ad eumdem effectum, adiuncta fuerint: hinc est quod nos, opus hoc propagationi fidei utilissimum totis viribus, prout ex susceptae servitutis officio tenemur, promovere cupientes, de praedictae congregationis consilio, motu proprio, et ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ad Dei omnipotentis laudem, sanctaeque ipsius Ecclesiae incrementum, praecipuamque nationis Maronitarum salutem et commodum, in dictâ civitate Ravennatensi unum collegium pro adolescentibus nationis praedictae, sub invocatione S. Ephrem Syri, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus; illique sic erecto et instituto pro congruâ eius dote, ac alumnorum ex praedictâ natione in illo pro tempore educandorum et illis inservientium personarum sustentatione, onerumque illis[4] incumbentium supportatione, unam domum recens fabricatam in plateâ ecclesiae metropolitanae Ravennatensis, iuxta, ab uno, dictam plateam, et ab alio lateribus, bona seu aedes dilectorum filiorum comitum Petri et Alexandri de Ginanis, ac Caesaris de Turre, et aliorum, suos[2] notissimos fines sitam, necnon unam possessionem tornaturarum[3] quadraginta-novem circiter mensurae illarum partium, cum domo et aliis suis pertinentiis in territorio Ravennatensi in villâ de Gambellaria existentem divisam in sex petia, quorum unum viae publicae fluminis Ronci ac bonis dilecti filii Pompilii de Pompiliis et viae de Gambellara, alterum viae publicae et bonis dilecti etiam filii Ioannis de Peregrinis, tertium bonis ecclesiae S. Georgii et dicti Pompilii, quartum bonis dilectorum pariter filiorum comitum Iosephi et Francisci de Septem Castellis, quintum viae publicae ac bonis dilecti itidem filii Iulii Francisci Abiosi, et sextum bonis haeredum quondam Hieronymi Abiosi et quondam Marci Antonii de Pompiliis sunt respective contermina, necnon aliam tornaturarum[4] septuaginta-septem circiter in eodem territorio in villâ de Saterna, terrae arativae, arboratae et vineatae, cum domibus et aliis pertinentiis suis, in duo petia divisam possessionem, quorum unum sexaginta duarum tornaturarum viae publicae a duobus lateribus et bonis dicti Caesaris, alterum vero, quindecim tornaturarum circiter, viae de Sale nuncupatae ac bonis illorum de Barellis respective cohaerent, ac insuper

1 Aptius legeretur *illi* (R. T.).
2 Forsan *intra* legend. (R. T.).
3 Edit. Main. habet *tornaturam* (R. T.).
4 Edit. Main. habet *tornaturam* (R. T.).

novem fabricae secundae, et duo primae erectionum, necnon duo Ursini secundae erectionis, et quatuordecim novennalis, ac quadraginta salis tertiae erectionis montium non vacabilium Romanae curiae loca etiam perpetuo attribuimus, applicamus et appropriamus; ipsumque collegium ac illius pro tempore alumnos collegiales et personas omnimodae iurisdictioni, regimini et gubernio eiusdem congregationis, cum facultatibus eidem congregationi aliàs auctoritate apostolicâ concessis super collegiis Avenionensibus, itidem perpetuo subiicimus, supponimus et submittimus; et, quoniam fundatio et dotatio collegii huiusmodi maiori ex parte a praedictâ congregatione provenit, idcirco nos illud declaramus collegium pontificium, membrumque eiusdem congregationis, atque, uti tale, quod fruatur et utatur, ac uti, frui possit et debeat privilegiis ipsi congregationi auctoritate apostolicâ concessis et praesertim quoad forum, itaut rector, alumni et ministri quicumque eiusdem collegii pro tempore existentes, tam civiliter quam criminaliter, active et passive, conveniri non possint, et respondere non teneantur, nisi coram iudice a praedictâ congregatione deputando, necnon, quod quaecumque patentes, seu aliae litterae, chirographa, instrumenta, testamenta, codicilli et aliae quaecumque scripturae, quocumque nomine censeantur, necnon quaecumque litterae apostolicae, tam sub plumbo, quam in simili formâ Brevis, earumdem litterarum apostolicarum supplicationes super quibuscumque negotiis, rebusque et bonis, tam mobilibus quam immobilibus, ad dictum collegium quomodolibet spectantibus et pertinentibus, ac demum super quocumque interesse idem collegium quovis modo et ex quavis causâ concernente, pro tempore conficiendae et registrandae, necnon similiter quaecumque litterae, quas rectori et alumnis, ministrisque dicti collegii scribi, vel ab ipsis scriptas extra civitatem Ravennatensem mitti contigerit, gratis omnino et absque ullâ mercede, aut alicuius rei etiam quantumvis minimae solutione expediri, confici, registrari, tradi et mitti debeant, iuxta tenorem litterarum in simili formâ Brevis per felicis recordationis Gregorium Papam XV ad favorem dictae congregationis super praemissis die XIV decembris MDCXXII expeditarum; et generaliter, quod collegium huiusmodi illiusque rector, alumni et ministri quibuscumque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, facultatibus, gratiis et indultis, quibus cetera collegia pontificia, illorumque rectores, alumni et ministri quovis modo utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed principaliter et pariformiter, in omnibus et per omnia uti, frui, potiri et gaudere valeant; et praeterea, ut huius collegii alumni post studiorum labores ad succurrendum spiritualibus patriae necessitatibus alacriores reddantur, eisdem alumnis, ut, postquam per triennum continuum in eodem collegio manserint, sine aliquibus suorum Ordinariorum litteris dimissoriis, sed cum solis litteris testimonialibus dicti collegii rectoris pro tempore existentis de eorum vitâ et moribus, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, ad titulum missionis, sine aliquo beneficii vel patrimonii titulo, etiam extra tempora ad id a iure statuta, et intra annum, annique curriculo non expectato[1], minusque servatis ad id a sacro Concilio Tridentino designatis interstitiis, dummodo alia ab eodem Concilio requisita habeant, a quocumque, quem maluerint, catholico antistite gratiam et

Quod possint ad omnes sacros ordines promoveri.

1 Edit. Main. legit *spectato* (R. T.).

communionem Sedis Apostolicae habente in propriâ dioecesi residente, vel in alienâ de dioecesani loci licentiâ pontificalia exercente, si ad id aliàs reperiantur idonei, promoveri, et, postquam promoti fuerint, in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite possint; praeterea rectori pro tempore existenti dicti collegii, illos, qui in eodem collegio per continuum triennium, vel ultra, non autem citra, permanserint, et quos idem rector, praevio rigoroso examine, scientiâ ac moribus idoneos esse repererit, in philosophiâ, vel decretis, aut sacrâ theologiâ, ad baccalaureatus, licentiaturae, doctoratusque et magisterii gradus, servatâ formâ Concilii Viennensis, iuxta universitatis almae Urbis consuetudinem, seu aliàs, promovendi, et ipsorum graduum solita insignia exhibendi, eisque in facultatibus supra dictis sic promotis, ut illas legitime interpretari, ac de eis disputare, et quoscumque gradui seu gradibus huiusmodi convenientes usus[1] exercere, ac omnibus et singulis privilegiis, gratiis, favoribus, praerogativis et indultis, quibus alii, in praedictâ seu aliis universitatibus et alibi iuxta illius et aliarum universitatum huiusmodi constitutiones et mores ad gradus praedictos promoti, de iure vel consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri et gaudere possint et debeant, perinde ac si gradus praedictos in ipsâ universitate iuxta consuetudines et mores praedictos suscepissent, concedendi et indulgendi, plenam et liberam facultatem et auctoritatem, earumdem tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Indulgentias concedit.

§ 3. Ut vero temporibus commodis spiritualia munera quocumque[2] coniungamus, quibus fidelium devotio et merita crescere magis et augeri possint, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis scholaribus, rectoribus et ministris, qui in idem collegium recepti fuerint, in ipso ingressu, et deinde in exitu, siquidem confessi et contriti sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, atque etiam, si[4] in eodem collegio decedere eos ab humanis contigerit, in mortis articulo, ipsis quoque, ac ceteris utriusque sexus christifidelibus, vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui ecclesiam collegii praedicti die festo S. Ephrem a primis vesperis visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes proemia[2] omnia et singula ac praesentes nullo unquam tempore ex quibusvis causis de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel quocumque alio defectu notari, impugnari, redargui, retractari, seu etiam revocari, suspendi, restringi, limitari, aut in ius vel controversiam vocari, seu ad terminos iuris reduci posse, nec quemcumque ad easdem praesentes in camerâ apostolicâ, iuxta constitutionem piae memoriae Pii Papae IV etiam praedecessoris nostri desuper editam, aut aliàs quandocumque praestandum[3], insinuandum et registrari faciendum teneri, neque propterea illas irritas esse, sed omni meliori modo valere ac si constitutio praedicta et alia contraria minime emanassent; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam

1 Lege *actus* pro *usus* (R. T.).
2 Videtur *quoque* pro *quocumque* leg. (R. T.).
1 Edit. Main. legit *etiamsi* pro *etiam, si* (R.T).
2 Forsan *praemissa* pro *proemia* (R. T.).
3 Potius lege *praesentandum* (R. T.).

camerae apostolicae praesidentes clericos, aliosque ministros et officiales, ac eiusdem S. R. E. camerarium, vicecamerarium et causarum palatii apostolici auditores, et alios eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executores deputat.

§ 5. Quocirca venerabili fratri episcopo Cerviensi, ac dilectis filiis causarum curiae camerae apostolicae generali auditori necnon archidiacono ecclesiae Ravennatensis, motu pari mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes nostras litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte rectoris et alumnorum collegii huiusmodi fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, firmiter et inviolabiliter observari, ac rectorem et alumnos huiusmodi illis pacifice frui et gaudere; non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris vel facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo; ac censuras et poenas ipsas, servatâ formâ eiusdem Concilii Tridentini, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus nostrâ de gratiis ad instar non concedendis, ac quibuscumque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis universalibus editis, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis universitatibus, collegiis, eorumque rectoribus et personis, et quibuslibet aliis, etiam sub quibuslibet verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, et aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque;

§ 7. Aut si aliquibus communiter aut divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptis credi iubet.

§ 8. Volumus autem, quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo communi dicti collegii, aut alicuius curiae ecclesiasticae, seu personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis,

eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI iulii MDCXLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 6 iulii 1648, pontif. anno IV.

CVII.

Commissio episcopo et inquisitori generali Melitanis ut cogant etiam ecclesiasticos ad contributionem et extinctionem monetae aeneae[1].

Venerabili fratri episcopo Melitano, ac dilecto filio adversus haereticam pravitatem in insulâ Melitanâ inquisitori generali apostolicâ auctoritate deputato,

Innocentius Papa X.

Venerabilis frater, ac dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Enarratio causae.

Nuper pro parte dilectorum filiorum iuratorum et deputatorum universitatis et hominum insulae Melitanae nobis expositum fuit, quod, cum a decem annis citra plus solito Turcarum tyrannus eamdem insulam valido exercitu se infestare velle minaretur, dilecti filii magnus magister et conventus eiusdem hospitalis, ut eidem Turcarum tyranno resisterent, novas duplicatasque munitiones facere, et, post exaustum in illis dicti hospitalis aerarium, illud grandi aere alieno ex censuum impositione contracto obstringere, necnon insuper pro expensis, quae dilationem non patiebantur, monetam ex aere in pluribus vicibus usque ad summam ducentorum et quinquaginta sex millium scutorum, quae tota in opus munitionum huiusmodi erogata est, cudi facere coacti fuerunt. Cuius monetae postmodum, extinctâ scissâque parte aliquâ, cum ipsi magnus magister et conventus statuissent rationem inire qua residuum dictae monetae extinguerent, scindique facerent, de anno MDCXLV, invalescentibus ut cum maxime dicti Turcarum tyranni minis, collectoque per eum firmissimo exercitu, qui, donec ad insulam Cretensem movit, credebatur insulam praedictam aggressurus, oportuit eosdem magnum magistrum et conventum, quo formidatam et aliàs expertam obsidionem sustinere possent, novas et excessivas expensas facere, invectis introductisque aliunde in eamdem insulam brevissimo tempore maximâ commeatus aliarumque rerum ad bellum necessarium copiâ, ingentique militum exterorum manu, idque aere eiusdem hospitalis proprio, absque ullâ universitatis et hominum huiusmodi contributione; malueruntque magnus magister et conventus praefati bona et religiosos eiusdem hospitalis, duplicatis oneribus ordinariis super prioratuum, baiulivatuum, ac praeceptoriarum et commendarum eiusdem hospitalis fructibus et proventibus impositis, nec non censuum in almâ Urbe nostrâ, in civitate Ianuensi, Franciaeque regno, et alibi in aliquot centenis scutorum millibus creationibus et constitutionibus, quam universitatem et homines praefatos praegravare; unde tunc necesse fuit supersedere in dictae monetae aereae extinctione ab omnibus popularibus huiusmodi peroptatâ, propterea que; cum, ultra praedictam dictorum ducentum et quinquaginta sex millium scutorum summam, etiam alia consimilis moneta in aere pro summâ scutorum quadraginta millium causa[1] fuisset, et tantâ monetae aereae huiusmodi copiâ et quantitate factum est, ut usus monetae aureae et argenteae cessaret in eâdem insulâ; cuius ager, cum minime praeferat[2] quantum in sex menses sustentationi eorumdem universitatis et

1 Videtur certo legend. *cusa* pro *causa* (R. T.).
2 Forsan legendum *perferat* (R. T.).

hominum satis esse possit, sibique de omnibus ad victum necessariis in partibus exteris providendum sit, in quibus dicta moneta aerea repudiatur, cursumque non habet; propterea, ac aliàs, occasione dictae monetae aereae universitas et homines praefati non levia damna et incommoda hactenus passi sunt, et in dies patiuntur, cum pro cambio seu collybo monetae ad praesens triginta quinque scuta pro quolibet centenario solvantur, pretiaque rerum pro medietate ultra consuetum creverint; eâque de causâ iique[1] universitas et homines, destituti opportunitate quam habere solebant pecunias capiendi a negotiatoribus ad aliquod competens interesse ut sibi de frumentariâ ad eiusdem insulae sustentationem necessario providerent, et ignari quidnam hac in re consilii caperent, ad eumdem magnum magistrum eiusque consilium recursum habuerunt, illisque supplicarunt, ut eisdem universitati et hominibus, ne fame perirent, in curâ comparandi tritici subintrarent succederentque; quo onere per eosdem magnum magistrum et consilium assumpto, et ad frumenti emptionem sumptâ ad interesse notabili pecuniarum summâ, ob immensum alio gravi aere alieno[2] quo sese exsolvere nequit commune dicti hospitalis aerarium propter nimis diminutos illius redditus occasione praesentium motuum bellicorum inter princeps christianos excitatorum subsecutamque postmodum ingentem praesentis anni sterilitatem, pretium tritici adeo crevit, ut, computatis expensis et interesse, tumulus tritici mensurae illarum partium novemdecem, aut viginti circiter tarenis monetae pariter illarum partium eidem hospitali constet; quoniam vero compertum fuisset, esse impossibile, ut a personis particularibus triticum tanto pretio solveretur, ideo, ad supplicationem universitatis et hominum praedictorum, idem magnus magister tumulum frumenti solis duntaxat decem tarenis vendi fecit, propter quod idem universitas et homines gravissimum aes alienum cum eodem hospitali contraxerunt; quod eo maius erit quia ipsum hospitale per decretum expressum obligavit se per totum mensem augusti proximum frumenti pretium non aucturum.

Remedium collectae faciendae.

§ 1. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, iidem universitas et homines nullos redditus nullaque bona stabilia habeant, quae dissolvendo tam gravi suo aeri alieno, quod in eodem mense augusti ad summam centum et sexaginta millium scutorum circiter pervenire poterit, sufficiant, quamvis ipsi hospitali maxime opus sit, ut dictum suum creditum in pecuniâ numeratâ consequatur; nihilo tamen minus iidem magnus magister et consilium, miserti vicem[1] dictorum universitatis et hominum, damnumque quod illi continenter occasione dictae monetae aereae sustinent, decreverunt condonare, prout re ipsâ dictum suum creditum iisdem universitati et hominibus condonarunt, ita tamen, ut, si et postquam per eos summa pecuniarum eidem credito aequivalens collecta coactaque fuerit, ex eâ scindi tanta alia quantitas dictae monetae aereae debeat; quod decretum universitas et homines praefati summe gratum acceptumque habuerunt, et sub die XXVII februarii proxime praeteriti insimul congregati tres ex suo coetu deputarunt, quibus unanimiter amplam concesserunt facultatem ineundi rationem faciliorem levioremque, qua fiat una collecta generalis, per quam pecunia, quae eidem debito dissolvendo par sit, colligi, et tantumdem dictae mo-

1 Aptiori syntaxi lege *iidem* pro *iique* (R. T.).

2 Videretur legendum *ob immensum aliud grave aes alienum* (R. T.).

1 An vox *vicem* apta sit nescio (R. T.).

netae aereae scindi possit, cum hoc tamen, ut collecta huiusmodi semel dumtaxat et universaliter fiat, ita ut illa omnes et singulos, etiam exemptos, comprehendat, attento quod omnes indiscriminatim gavisi fuerunt, continuoque gaudent commodo supradicto vescendi frumento valde minori pretio, quam fuit emptum per idem hospitale.

Supplicatio. § 3 Quare nobis iidem iurati et deputati humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium controversiis iurisdictionalibus praepositorum consilio, vobis per praesentes concedimus facultatem ac committimus et mandamus, ut, pro extinctione monetae fabricatae ex aere, compellatis ad contribuendum etiam ecclesiasticos, tam seculares quam regulares, pro ratâ tamen commodo[1] particularis eorumdem per vos servatis servandis declarandi[2], salvâ tamen in praemissis semper auctoritate congregationis praedictorum cardinalium.

Annuit Pontifex.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam consiliaribus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam ecclesiasticis tam secularibus quam regularibus praefatis, ac etiam in favorem familiarium et officialium sancti inquisitionis officii et quorumvis aliorum etiam speciali mentione dignorum, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 4. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate aliquâ ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII iulii MDCXLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 17 iulii 1648, pontif. anno IV.

1 Videtur legendum *commodi* (R. T.).

2 Forsan *declarandâ*, nempe *ratâ* (R. T.).

CVIII.

Confirmatio erectionis academiae pro facultatibus theologiae, iuris canonici et philosophiae in civitate Burgensi[1], *cum solitis privilegiis similium academiarum, etc.* [2].

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. In supereminenti Apostolicae Sedis speculâ, meritis licet imparibus, disponente Domino constituti, et intra mentis nostrae arcana revolventes, quantum ex lit-

1 In textu dein legitur *Bambergensi* (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

terarum studiis catholica fides augeatur, divini nominis cultus protendatur, veritas agnoscatur, ac iustitia colatur, ad ea, per quae litterarum studia huiusmodi ubilibet excitentur, et personae eis incumbere desiderantes id commode efficere possint, libenter intendimus, et in iis nostrae sollicitudinis partes propensius impertimur, prout pia ecclesiasticorum praelatorum vota exposcunt, nosque, locorum qualitate pensatâ, in Domino conspicimus salubriter expedire.

Supplicatio.

§ 1. Sane, nomine venerabilis fratris Melchioris Octavii[1] episcopi Bambergensis, nobis nuper expositum fuit, quod ipse, ut sui dioecesani commodius philosophiae, necnon sacrae theologiae, ac sacrorum canonum studiis vacare possint, iisque imbuti ceteros erudire, et in avitâ catholicâ religione confirmare, seque haereticis, quibus civitas et dioecesis Bambergensis undique cinta est, eorumque falsis et erroneis opinionibus opponere valeant, unam in praedictâ civitate academiam, in qua duo theologiam scholasticam, unus sacram scripturam, unus casus conscientiae, et unus ius canonicum, necnon unus logicam, alius physicam, alius metaphysicam, et reliquus, professores, ethicas et mathematicas disciplinas praelegant et doceant, cum assignatione annui redditus mille tallerorum monetae illarum partium pro sustentatione eorumdem professorum, sub directione et regimine dilectorum filiorum praepositi generalis et clericorum regularium Societatis Iesu, de consensu dilectorum etiam filiorum capituli et canonicorum suae ecclesiae Bambergensis, fundavit et erexit.

A censuris absolvit et nonnulla privilegia accademiae concedit.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ipse Melchior Otto[1] episcopus, ut fundatio et erectio huiusmodi firmius subsistant, illam auctoritate apostolicâ confirmari, et, quo dicti dioecesani ad incumbendum gravius praedictis studiis incitentur, eamdem academiam specialibus favoribus et gratiis per nos decorari summopere desideret: nos, eiusdem Melchioris Ottonis episcopi piam in praemissis sollicitudinem plurimum in Domino commendantes, eiusque votis huiusmodi annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac erectionis et fundationis academiae huiusmodi, sic ut praefertur factae, tenores praesentibus pro expressis et insertis habentes, supplicationibus ipsius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, fundationem et erectionem praesentis academiae, per eumdem Melchiorem Ottonem episcopum ut praemittitur factam, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illique perpetuae inviolabilis apostolicae firmitatis vim et robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; necnon eidem academiae, illiusque pro tempore rectori, cancellario, doctoribus, lectoribus, magistris, scholasticis, bidellis, aliisque illius officialibus, ministris et personis, ut omnibus et quibuscumque privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, praerogativis, honoribus et praeeminentiis, huiusmodi academiis, illarumque pro tempore existentibus rectoribus, cancellariis, magistris, lectoribus, doctoribus, praeceptoribus, scholasticis, bidellis, officialibus, ministris et aliis personis, in genere vel in specie, tam apo-

1 Infra dicetur *Ottonis* (R. T.).

stolicâ, quam imperiali, regiâ aut ducali auctoritatibus, et aliàs pro tempore quomodolibet concessis, non solum ad eorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter, in omnibus et per omnia, uti, potiri et gaudere, et insuper rectori eiusdem academiae pro tempore existenti, ut illos, quos in ipsâ erectâ, ut praefertur, academiâ, vel etiam alibi in aliâ quavis catholicâ academiâ per debitum tempus studuisse, ac scientiâ et moribus idoneos esse repererit, in praedictis facultatibus theologiae, iuris canonici et philosophiae ad baccalaureatus, etiam formati, licentiaturae, laureae ac doctoratus, necnon magisterii gradus, servatâ in omnibus formâ decretorum Viennensis et Tridentini Conciliorum, quibus in aliquo derogare non intendimus, ac aliàs, iuxta aliarum academiarum consuetudines et erectae ut praefertur academiae statuta, promovere, et ipsorum graduum solita insignia eis exhibere, utque ad dictos gradus sic per illum promoti postea publice et privatim, etiam in omnibus aliis academiis et universitatibus studiorum generalium, facultates praedictas interpretari, et alios docere, et de eis disputare, gradui seu gradibus huiusmodi convenientes actus exercere, ac omnibus privilegiis, gratiis, favoribus, praerogativis et indultis, quibus alii[1] in praedictis academiis seu universitatibus et alibi iuxta illarum constitutiones et mores ad gradus praedictos promoti de iure vel consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt in futurum, in omnibus et per omnia, perinde ac si gradus ipsos in academiis seu universitatibus huiusmodi iuxta illarum mores et consuetudines rite suscepissent, uti, potiri et gaudere, necnon pro tempore existenti dictae societatis praeposito generali, ut, per se, vel academiae praedictae rectorem, aut alium seu alios, pro salubri dictae academiae directione, ac rectoris, cancellarii, lectorum, doctorum, magistrorum, bidellorum ac aliorum ministrorum et officialium muneribus et functionibus, modoque et formâ docendi, et aliàs sua officia exercendi, et scholasticorum instructione, quaecumque statuta et ordinationes, licita tamen et honesta ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis et constitutionibus apostolicis non contraria, edere et promulgare, eaque, pro temporum, rerum et personarum qualitate, mutare, corrigere et reformare, seu illa cassare et abrogare, et alia de novo edere, et super illorum observatione poenas eius arbitrio imponere, dictaeque universitatis doctores, magistros, lectores, scholasticos, bidellos, aliosque ministros et officiales eligere et amovere, seu electiones factas confirmare, libere et licite valeant, auctoritate et tenore praedictis etiam perpetuo concedimus et indulgemus; necnon redditum annuum praedictum, per eumdem Melchiorem Ottonem episcopum eidem academiae ut praefertur assignatum, ac si qua alia bona et redditus illi in futurum concedi contigerit, eidem academiae auctoritate et tenore similibus itidem perpetuo applicamus et appropriamus; praesentes vero nostras litteras de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae, aut alio quopiam defectu notari seu impugnari, infringi, limitari, seu in ius vel controversiam vocari, aut adversus eas quodcumque iuris et facti, vel iustitiae aut gratiae remedium intentari, impetrari vel concedi nullatenus unquam posse, sed illas semper et perpetuo, adversus quascumque impugnationes et exemptiones, validas et efficaces fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, sicque et non aliter in praemissis

1 Edit. Main. legit *aliis* (R. T.).

per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Decretum irritans.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliariis, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII iulii MDCXLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 18 iulii 1648, pontif. anno IV.

CIX.

Breve confirmationis privilegiorum hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani.

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Universalis Ecclesiae regimini per ineffabilem Divinae Sapientiae providentiam, meritis licet insufficientibus, praepositi, inter multiplices pastoralis officii curas, illam peculiari sollicitudine libenter amplectimur, qua privilegia, gratiae et indulta militiis et hospitalibus quibuslibet, ad maiorem Dei gloriam, suaeque Ecclesiae sanctae exaltationem, illius vero hostium profligationem pie provideque institutis, a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessa, quo maioris validitatis munimine subsistant, apostolicae confirmationis patrocinio muniuntur, prout, rerum temporumque qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Privilegia concessa hospitali S. Ioannis Hierosolymitani a Summis Pontificibus.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, aliàs felicis recordationis Leo X et Clemens VII, Paulus III, Pius IV et Pius V, Romani Pontifices praedecessores nostri, inter alia privilegia et indulta dilectis filiis magistro ac conventui hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani a Sede Apostolicâ concessa, eumdem et pro tempore existentem magnum magistrum, baiulivos, castellanum empostae, priores, praeceptores, milites, familiares, aliasque personas hospitalis huiusmodi, necnon eorum subditos, vassallos, colonos, servitores et alios in eorum obsequiis et dicti hospitalis beneficiis quomodolibet nuncupatis existentes, etiam presbyteros curam animarum exercentes, quamdiu illam exercerent, et in illorum obsequiis forent, illorumque animalia, praedia, domos, molendina et bona quaecumque, quae obtinebant, ac imposterum obtinerent et possiderent, a solutione et exactione decimarum, censuum, iurium, etiam synodalium et canonicarum portionum, seu charitativi subsidii, aut iucundi adventus, seu quartae, aut aliàs quomodolibet, aut aliorum quorumcumque onerum, sub certis modo et formâ, exemerint et liberaverint, prout in diversis ipsorum praedecessorum desuper confectis litteris plenius continetur;

Contra quorum tenorem huiusmodi hospitalis milites molestabantur ab Ordinariis.

§ 2. Et licet ipsi milites et aliae personae praedictae non debuissent a quoquam, contra dictorum privilegiorum tenorem, et formam molestari, perturbari, vel inquietari, cum ipsi non modo eorum facultatibus et fortunis[1], verum etiam sanguini

1 Edit. Main. habet *fortuniis* (R. T.).

et vitae pro tuitione[1] fidei catholicae non parcant[2]; nihilominus, cum diversi locorum Ordinarii, ac parochialium ecclesiarum rectores, et multae capitulares personae, id sibi omnino iuxta sacri Concilii Tridentini decreta licere asserentes, eosdem magnum magistrum, baiulivos, castellanum empostae, priores, praeceptores, milites et personas diversis oneribus contra eorum privilegia praegravarent, illosque ad decimas, census, subsidia, etiam charitativa, congruas portiones, iucundum adventum, pastor bonus, aut aliàs nuncupata onera, etiam iura synodalia, solvenda cogere praesumant[3], in maximum ipsius hospitalis detrimentum et gravamen; felicis recordationis Gregorius XIII, Sixtus V et Gregorius XIV, similiter praedecessores nostri, ex certâ scientiâ et apostolicâ potestatis plenitudine, omnia et singula privilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, libertates et alias gratias eisdem magno magistro et conventui quomodolibet concessa confirmantes, approbantes et innovantes, eos super praemissis quomodolibet molestari, inquietari, ac perturbari districtius prohibuerunt.

Dubium exortum circa haec privilegia sustulit Gregorius XIV.

§ 3. Et praeterea, cum, inter alia, felicis recordationis Pius Papa IV, etiam praedecessor noster, eisdem magno magistro et conventui, inter cetera privilegia, prioratus, baiulivatus, castellaniam empostae, commendas et alia eiusdem hospitalis beneficia libere uniendi et dismembrandi facultatem concessisset[4], et nihilominus a quibusdam quandoque dubitaretur, an, ante vel post mortem possessorum, unio seu dismembratio ipsa fieri posset, ac deberet, idem Gregorius praedecessor, ad tollendum omne dubium et ambiguitatem quae in praemissis in futurum oriri poterant, ut, quandocumque eis videretur, sive post[1] mortem possessorum, prioratus, baiulivatus, castellaniam empostae, et alia eiusdem hospitalis beneficia unire et dismembrare libere et licite possent et valerent, necnon omnia et singula privilegia et exemptiones praedictas[2] etiam ad confratres et donatos eiusdem hospitalis extendi deberent, decrevit, ac decretum et declarationem huiusmodi, aliaque praemissa, recolendae pariter memoriae Clemens VIII, Paulus V et Gregorius XV Romani Pontifices approbarunt et confirmarunt; novissimeque omnium felicis etiam recordationis Urbanus Papa VIII, praedecessor noster, omnia et singula privilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, libertates et alias gratias, eisdem magno magistro et conventui quomodolibet concessa, apostolicâ itidem auctoritate confirmavit et approbavit, et aliàs prout eorumdem novissimorum Pontificum praedecessorum litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

A censuris absolvit.

§ 4. Nos igitur, attendentes preclara eiusdem hospitalis erga fidem catholicam et Sedem Apostolicam merita, ac cupientes ut privilegia, exemptiones et gratiae eo firmius subsistant, quo saepius ab eâdem Sede confirmata extiterint, magnum magistrum, priores, baiulivos, castellanum empostae, praeceptores, milites et fratres, et eorum singulos, singularesque dicti hospitalis personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, necnon omnium et singulorum

1 Edit. Main. habet *tutitione* (R. T.).
2 Male edit. Main. habet *pareant* (R. T.).
3 Aptius legeretur *praesumerent* (R. T.).
4 Male edit. Main. legit *concessissent* (R. T.).

1 Videretur legendum *sive ante, sive post* (R.T).
2 Aptius lege *praedicta* vel *praedictae* (R.T.).

privilegiorum, indultorum, facultatum, exemptionum, immunitatum, libertatum et gratiarum per praedictos et alios quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros et Sedem Apostolicam hospitali praedicto, illiusque magno magistro, conventui et fratribus militibus, aliisque praedictis personis concessorum, ac litterarum desuper confectarum tenores praesentibus pro expressis habentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum consilio, motu proprio, non ad magni magistri et conventus huiusmodi, aut alicuius alterius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ, et de merâ nostrâ liberalitate, ac apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula privilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, libertates et alias gratias, eisdem magno magistro et conventui quomodolibet concessa (exceptis tamen decretis eiusdem Concilii Tridentini et constitutionibus apostolicis, necnon aliis, in quibus specifice eadem religio exprimitur et comprehendi disponitur, quae in suo robore et efficacia permaneant), tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis vim et robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulas praeservativas apponit.

§ 5. Decernentes praesentes litteras ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu, etiam ex eo quod laicorum Ordinarii ad id vocati non fuerint, notari, impugnari, vel invalidari minime posse, minusve sub quibuscumque similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, restrictionibus et derogationibus comprehendi posse, sed semper ab illis exceptas, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas esse,

Clausula *sublatâ*.

§ 6. Sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi seu interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ed definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 7. Quocirca dilectis filiis in regnis Hispaniarum et Neapolitano nostris et dictae Sedis Apostolicae pro tempore existentibus nunciis, ac curiae causarum camerae apostolicae generali auditori, seu cuivis alio eiusdem Sedis nuncio, seu internuncio, aut iurium et spoliorum camerae apostolicae debitorum collectori, in quibusvis regnis seu provinciis reipublicae christianae pro tempore commorantibus, per praesentes motu simili committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte eorumdem magni magistri et conventus fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ eosdem magnum magistrum et conventum confirmatione, approbatione, decreto, aliisque omnibus et singulis praemissis uti, frui aut gaudere, non permittentes eos per Ordinarium praedictos, aut quoscumque alios, contra praesentium tenorem, quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari;

Contravenientibus poenas imponit.

§ 8. Contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compe-

scendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si fuerit opus, auxilio brachii secularis.

Contrariis derogat. § 9. Non obstantibus piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, de unâ, et in concilio generali alterâ[1] de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, ac aliis quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, etiam praefatis locorum Ordinariis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu et scientiâ similibus, etiam consistorialiter, et de fratrum nostrorum consilio, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum praesentibus inserti forent, pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem. Eorumdem autem praedecessorum vestigiis inhaerentes volumus, quod (dicti Pii V, XXII septembris, anno VI, ac Gregorii XIII praedecessorum nostrorum litteris, sub annulo Piscatoris XXV novembris, anno XIX, pontificatuum suorum expeditis, in suo robore et efficaciâ permanentibus) praesentes litterae ecclesias et personas, in his quae ad curam animarum pertinent, in quibus decreta Concilii Tridentini huiusmodi omnino servari debere intendimus, minime comprehendant;

Fides transumptorum. § 10. Ac quod praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII iulii MDCXLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 18 iulii 1648, pontif. anno IV.

1 De more solito legitur *editâ* (R. T.).

CX.

Confirmatio aliquot responsorum congregationis sacri Concilii Tridentini ad quaedam dubia per capitulum ecclesiae Conchensis proposita circa visitationem episcopi et adhibitionem adiunctorum contra canonicos et capitulares dictae ecclesiae[1].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Expositio. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii capitulum et canonici ecclesiae Conchensis, quod, ad dirimendas certas

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

controversias, aliàs inter venerabilem fratrem episcopum Conchensem ex unâ, ipsosque exponentes partibus ex alterâ exortas, propositis in congregatione venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum dubiis infrascriptis, ad eorum singula iidem cardinales responderunt prout sequitur, videlicet:

Dubia quibus cardinales respondere debent.

I. An episcopus ex decreto sacri Concilii Tridentini teneatur adhibere adiunctos coniudices contra canonicos et capitulares suae ecclesiae cathedralis in revisione computorum et administrationis operum piorum, seu potius per se ipsum tam in actu visitationis quam extra in eos animadvertere, iuris ordine servato et processu compilato;

II. An episcopus, sive eius vicarius, vel alius visitator generalis ab episcopo delegatus, teneatur, dum visitat ecclesiam cathedralem et personas capitulares, adhibere adiunctos coniudices a capitulo quotannis eligendos, vel potius soli possint per se ipsos in concernentibus visitationem procedere, informationes sumere, corrigere et punire, nullâ tamen servatâ formâ iudicii, seu processu compilato;

III. An, ubi in actu visitationis dirimendum est crimen incontinentiae inveteratae, seu concubinatus inter aliquem ex capitularibus et mulierem solutam perpetratum, possit episcopus, sive eius vicarius, seu visitator generalis, contra dictam mulierem procedere, eamque, iuris ordine servato, ac processu compilato, punire, non obstante quod correus criminis sit persona capitularis et a dicto sacro Concilio in causis criminalibus privilegiata, ne contra ipsam sine adiunctis coniudicibus procedatur;

IV. An,[1] casu discordiae inter episcopum et adiunctos coniudices a capitulo deputatos, eligendus est tertius infra sex dierum spatium, debeat dictus tertius esse unus de capitularibus eiusdem ecclesiae, vel potius quilibet alius extraneus deputari possit:

1 Heic deest vox *quando* vel *si* (R. T.).

Die XXIII novembris MDCXLVII, sacra congregatio eminentissimorum cardinalium Concilii Tridentini interpretum ad supradicta dubia respondit, ut sequitur:

Cardinalium responsum.

Ad I. Episcopum posse sine coadiutoribus adiunctis computa et administrationem operum piorum a personis capitularibus exigere, si criminaliter in formâ iudicis contra eos non procedat;

Ad II. Episcopum posse in visitatione absque adiunctis coniudicibus ecclesiam cathedralem et capitulares visitare, eisque poenas imponere extraordinarias, quae magis morum correctionem, quam punitionem respiciant, non autem extra visitationem, nec quando contra capitulares ad poenas extraordinarias procederet;

Ad III. Contra mulierem in crimine incontinentiae seu concubinatus, ut supra expresso, posse per episcopum in actu visitationis absque coniudicibus adiunctis procedi;

Ad IV. Tertium, eligendum in casu discordiae, debere omnino esse capitularem.

PETRUS ALOYSIUS card. CARAFA.

Loco ✝ Sigilli.

FRANCISCUS PAULUTIUS S. C. C. Secr.

Supplicatio.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefati capitulum et canonici praemissa, quo firmius subsistant et inviolabiliter observentur, auctoritate apostolicâ per nos confirmari summopere desiderent:

A censuris absolvit.

§ 3. Idcirco nos, eorumdem capituli et canonicorum votis hac in re annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque eccle-

siasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinserta resolutiones et seu responsa eorumdem cardinalium, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, et inviolabiliter observari mandamus, salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes sic et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et Sedis Apostolicae nuncios, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus et specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon ecclesiae Conchensis, quatenus opus sit, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem ecclesiae ac quibusvis personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 6. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v augusti MDCXLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 5 augusti 1648, pontif. anno IV.

CXI.

Facultas regi catholico confirmandi applicationem mille ducatorum annuorum collegio Salamantinae militiae de Alcantara ab eo factam [1].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo, Hispaniarum regi catholico,

Innocentius Papa X.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Supplicatio.

§ 1. Maiestatis tuae nomine nobis nuper expositum fuit, quod ex quadam definitione militiae de Alcantara, Ordinis Cisterciensum, cuius tu administrator perpetuus apostolicâ auctoritate deputatus existis, decretum exequutione subsequutâ fuit, ut, ex annuis mensae magistralis et

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

praeceptoriarum seu commendarum dictae militiae redditibus, annuatim mille ducati monetae illarum partium respective et pro ratâ parte desumerentur et investirentur, investimentique huiusmodi fructus in fabricam ecclesiae conventus sancti Benedicti in civitate Salamantinensi eiusdem militiae erogarentur.

Causae huius facultatis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ob praesentes bellorum motus in regnis Hispaniarum, annui redditus dicti conventus ad sustentationem collegii, quod habet in universitate studii generalis Salamantinae, diminuti sunt, tuque, provide considerans quanti intersit, ut dictum collegium manuteneatur, mandaveris, ut praedicti mille ducati annui ad praesens, et donec praesentium temporum status et conditio melior fiat, in eiusdem collegii sustentationem applicentur, et postmodum illorum investimentum, iuxta definitionis praedictae destinationem, ad praedictum effectum continuetur:

§ 3. Nobis propterea eiusdem maiestatis tuae nomine humiliter supplicatum fuit, ut praemissa confirmare de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat prout in rubricâ.

§ 4. Nos igitur, te specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eidem maiestati tuae, applicationem dictorum mille ducatorum annuorum ad manutentionem dicti collegii per te, ut praefertur, factam, et seu fieri mandatam, durantibus bellorum motibus in dictis regnis, auctoritate nostrâ apostolicâ confirmandi et approbandi, illique apostolicae firmitatis robur adiiciendi, ac omnes et singulos, tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplendi, plenam et amplam facultatem, dictâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae militiae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV augusti MDCXLVIII[1], pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 15 augusti 1648, pontif. anno IV.

CXII.

Commissio apostolicae camerae contra senatum civitatis Messanensis illiusque senatores, ministros et alios, qui eripi fecerunt frumentum, quod ex orâ maritimâ Marchiae Anconitanae mari vehebatur ad portum Civitatis Veteris pro usu Romanae curiae, cum amplissimis facultatibus, etiam supponendi interdicto ecclesiastico praedictam civitatem, eiusque territorium[1].

Dilecto filio causarum curiae camerae nostrae apostolicae auditori generali,
Innocentius Papa X.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva huius commissionis.

§ 1. Innotuit nuper nobis, quod, cum de mense iulii proxime praeteriti, ut ur-

1 Ed. Main. habet *1647* sed puto esse errorem typographicum, alioquin legi etiam deberet *anno III*, at edit. Main. notat postea anno IV; ad marginem alius error est, nempe *5* augusti pro *15* (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brevium.

gentibus huius almae Urbis nostrae necessitatibus provideretur, fuissent, ad oram maritimam provinciae nostrae Marchiae Anconitanae, navi S. Petri nuncupatae, sub gubernio dilecti filii capitanei Ioannis Hensen, Belgae, imposita mille et ducenta rubra frumenti, iussu dilecti etiam filii tunc existentis praefecti annonae eiusdem Urbis pro usu ipsius annonae et Romanae curiae empta, et inde mari ad portum nostrum Civitatis Veteris vehenda, dilecti filii senatus civitatis Messanensis navem praedictam, per fretum Siculum transeuntem, ratibus armatis aggredi, illique iter impediri, ac eumdem Ioannem ad deducendam illam in portum dictae civitatis Messanensis violenter cogi et compelli, necnon frumentum ex eâdem nave auferri[1] (licet ipse Ioannes saepius tam aggressoribus quam dicto senatui declarasset et significasset, frumentum praedictum pro camerae nostrae apostolicae et annonae praedictae servitio, adeoque pro Romanae curiae usu transportari); ac insuper, quod, cum[2] antea, de mense ianuarii proxime praeteriti, alia duo milia et sexcenta rubra frumenti quae in navi S. Pauli nuncupatâ ex eâdem provinciâ Marchiae pro annonâ praedictâ per idem fretum vehebantur, senatus praedictus itidem, ut asseritur, auferri et eripi ausu temerario iusserunt, prout de facto ereptum fuit, excommunicationis sententiam, aliasque censuras et poenas ecclesiasticas a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis et praesertim illâ quotannis in die Coenae Domini legi solitâ contra impedientes seu invadentes eos qui victualia seu alia ad usum Romanae curiae necessaria adducunt, ac contra eos, qui ne ad praedictam curiam adducantur vel afferantur prohibent, impediunt, seu perturbant, inflictas et promulgatas, damnabiliter incurrendo.

1 Supple verbum *iusserunt*, ut postea (R. T.).
2 Particula *cum* nos addimus (R. T.).

Contra reos procedi vult etiam excommunicatione.

§ 2. Quapropter, cum non deceat tam graves reatus impunitos relinqui, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut causam et causas super omnibus et singulis praemissis, tam ad instantiam dilecti filii nostri et camerae praedictae commissarii generalis, quam per inquisitionem et ex officio, et aliàs omni meliori modo motas et movendas, cum suis incidentibus, emergentibus, annexis et connexis, totoque negotio principali, contra senatum praedictae civitatis Messanensis, illiusque senatores, aliasque particulares personas, ac ministros et quoscumque alios praemissorum quomodolibet culpabiles, quantumvis[1] numeri, ac cuiuscumque qualitatis, gradus, status, conditionis et dignitatis, etiam ecclesiasticae, etiam speciali mentione dignae, existant, summarie, simpliciter et de plano, sine figurâ et strepitu iudicii, solâque facti veritate inspectâ, etiam iuxta ordinarias tuas facultates procedendo, ipsisque, tam coniunctim quam divisim, etiam per edictum publicum, constituto itidem summarie ac extraiudicialiter, et quantum tibi sufficere videbitur, de non tuto accessu, citatis, cognoscas, audias, decidas et fine debito termines, ac senatum praedictum et particulares eius personas eorumque ministros et alios in praemissis culpabiles repertos in excommunicationem et alias censuras et poenas praedictas eo ipso incidisse declares, ac in illos excommunicationis sententiam, si et quatenus opus sit, feras et publices; sique[2] senatus praedictus intra competentem terminum per te arbitrio tuo praefigendum declarationi seu sententiae et publicationi per te faciendae seu ferendae non paruerint, tunc decla-

1 Forsan legendum *quantivis* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *sicque* (R. T.).

rationem et sententiam tuam aggravans civitatem Messanensem ac universum eius territorium interdicto ecclesiastico, tam locali quam personali et mixto, supponas, ac supposita et suppositum esse et fore nuncies et declares, illudque observari mandes; aliaque omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria quomodolibet speciali et individuâ mentione digna geras, facias et exequaris, ac executioni demandari cures, omni et quacumque etiam non frivolâ appellatione, reclamatione, recursu, nullitatis dictione, in integrum restitutione, aliisque remediis ordinariis et extraordinariis penitus et omnino remotis.

§ 3. Nos enim tibi desuper plenam, amplam, liberam et omnimodam facultatem et potestatem concedimus et impertimur.

Intimationem affigi mandat.

§ 4. Volumus autem, quod, semel intimato[1] tuo monitorio in valvis basilicae Principis Apostolorum et in acie Campi Florae de Urbe, ac insuper in civitatibus Beneventi et Terracinae, deinde contra non comparentes procedas, procedique mandes et iubeas per solam affixionem in eâdem acie campi Florae, et monitorium et citationes omnes et singulos, quos quomodolibet concernent, afficiant, ac si essent in quolibet actu personaliter moniti, citati et intimati.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis, et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, legibus quoque imperialibus et municipalibus, stylo curiae, necnon dictae civitatis Messanensis et quibusvis aliis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, civitati praedictae ac illius senatui, civibus et incolis, et quibuslibet aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse decernimus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si civitati, territorio, senatui, civibus, incolis et personis illius, et aliis praedictis, communiter aut divisim, fuerit a Sede Apostolicâ indultum, quod citari, seu in iudicium coram iudicibus de eorum consensu non deputatis, vel extra Siciliam aut civitatem praedictam seu loca suae habitationis evocari, et ad parendum aliqui[1] cogi vel compelli, aut quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam et individuam de indulto huiusmodi mentionem; et qualibet aliâ eiusdem Sedis indulgentiâ generali vel speciali, per quam praesentibus non insertam seu expressam effectus illarum impediri valeat quomo-

1 Ed. Main. legit *intimatio* (R. T.).

1 Forsan legendum *aliquò* pro *aliqui* (R. T.).

dolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV septembris MDCXLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 15 septembris 1648, pontif. anno IV.

CXIII.

Confirmatio Brevium Clementis VIII et Pauli V super erectione et privilegiis academiae oppidi Zamoschi Chelmensis dioecesis, et facultas dandi gradus etiam in theologiâ, etc.[1].

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Brevis Clementis VIII forma et tenor.

§ 1. Aliàs a felicis recordationis Clemente Papa VIII praedecessore nostro emanarunt litterae in simili formâ Brevis, tenoris sequentis, videlicet:

Clemens Papa VIII[2], *ad futuram rei memoriam.* Sedes apostolica, quam studiorum matrem et altricem esse decet, catholicas universitates studiorum generalium, ad studiorum commoditatem institutas, privilegiis et gratiis libenter exornat, prout temporum et locorum ratio postulat, ac aliàs in Domino salubriter conspicit expedire. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius nobilis vir Ioannes Zamoschi, magnus regni Poloniae cancellarius, ad studiosae iuventutis commodum[3], in eius oppido novo Zamosciae Chelmensis dioecesis universitatem studii generalis Hyppeikomen nomine illi imposito instituerit, ac annuos perpetuos mille florenorum redditus illi assignaverit, et iam quinque professores praeclaris ingeniis et non vulgari eruditione praeditos ex Cracoviensi academiâ illuc advocaverit, pluresque professores convocare, ac uberiores fructus assignare, cum litteris in eam operam dantes maiores faciant[1] progressus, intendat:

Clemens privilegia concedit academiae.

§ 2. Nos, universitatem praefatam, ex speciali nostrâ et Sedis Apostolicae beneficentiâ, privilegiis et gratiis exornare volentes, singulari ipsius Ioannis institutoris pietate ac animi magnitudine, ac praecipuâ in nos et Apostolicam Sedem observantiâ adducti, universitati praefatae, sic, ut praefertur, erectae, ac illius pro tempore rectori, magistris, professoribus, scholasticis et aliis quibuscumque personis, ut omnibus et singulis privilegiis, gratiis, indultis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, praerogativis, honoribus, praeeminentiis, favoribus et facultatibus, etiam circa doctores in artibus philosophiae, scientiâque civili et utroque iure, ac medicinâ et notarios creandos, aliosque studiorum gradus conferendos, et aliis quibuslibet, quibus aliae similium studiorum generalium universitates ubivis locorum et gentium institutae, illorum rectores, magistri, professores, scholastici et aliae personae de iure, usu, consuetudine aut aliàs quomodolibet, tam ex apostolicâ quam imperiali seu regali auctoritatibus, utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, atque uti, frui, potiri et gaudere[2] possint, valeant et debeant, utpote[3] in ipsâ universitate pro tempore ad gradus quoscumque promoti pari auctoritate, facultate et dignitate praefulgeant, iisdemque privilegiis, gratiis, honoribus et praerogativis perfruantur atque alii in aliis universitatibus promoti, itaut nulla inter eos fiat differentia, nec fictio locum habeat, auctoritate apostolicâ, tenore prae-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Erronee edit. Main. habet *VII* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *omnimodum* (R. T.).

1 Potius lege *facient* (R. T.).

2 Heic desunt verba *poterunt quomodolibet in futurum, uti, frui, potiri et gaudere* (R. T.).

3 Potius legendum *utque* (R. T.).

sentium, concedimus et indulgemus; ipsiusque universitatis rectori et administratoribus, ut pro universitatis felici regimine quaecumque statuta licita et honesta, ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis conformia, condere valeant, facultatem impertimur; eidem autem academiae venerabilem fratrem modernum et pro tempore existentem episcopum Chelmensem loci Ordinarium perpetuo praeficimus, ipsumque episcopum in eiusdem academiae perpetuum cancellarium constituimus et deputamus; utque eadem academia, eiusque lectores, officiales et scholares universi eidem episcopo Chelmensi tamquam eorum praefecto et cancellario perpetuo subesse ac parere, et in omnibus obedientiam praestare debeant et teneantur, neque successores dicti Ioannis Zamoski cancellarii in eodem oppido in administratione dictae academiae et illius bonorum quoquomodo se ingerere possint et valeant, sed illius gubernium, cura et administratio ad dictum episcopum Chelmensem privative quoad dictos successores perpetuo spectet et pertineat; idem vero episcopus et eius in dictâ ecclesiâ successores in primis teneantur omni studio curare, ut in eâdem academiâ catholica religio et obedientia Sedis Apostolicae conservetur; quodque si dicta academia, vel illius officiales, lectores et scholares a dictâ fide catholicâ et Sedis Apostolicae obedientiâ (quod Deus avertat) aliquo tempore defecerint, bona omnia a dicto Ioanne Zamoski cancellario eidem academiae donata ad praedictam ecclesiam Chelmensem eo ipso devolvantur, et devoluta esse censeantur, ac ex tunc de cetero in perpetuum spectent et pertineant, statuimus et ordinamus, et cum expressâ hac conditione privilegia et gratias supradictas, et non aliàs, nec alio modo, concessisse declaramus; sicque in praemissis omnibus per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, decernimus.

Derogat contrariis.

§ 3. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in universalibus et synodalibus ac provincialibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac quarumcumque universitatum studiorum generalium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis aliâ firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIX octobris MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Alia forma Brevis Pauli V.

§ 4. Et postmodum a recolendae memoriae Paulo Papa V etiam praedecessore nostro emanarunt aliae litterae in eâdem formâ Brevis, tenoris qui sequitur, videlicet:

Paulus Papa V, ad perpetuam rei memoriam. Sacri apostolatus ministerio, meritis licet imparibus, divinâ dispositione praesidentes, ea, quae pro catholicarum et collegiatarum ecclesiarum ac bonarum artium disciplinarum et scientiarum propagatione, personarum quoque in his studium, industriam et operam navantium congruâ sustentatione, onerumque illis incumbentium supportatione, necnon orthodoxae fidei conservatione cum divini cultus incremento per viros generis nobilitate pollentes et de fide catholicâ optime meritos provide facta et ordinata fuisse dicuntur, ut firma et illibata perpetuo subsistant, libenter, cum a nobis

petitur, apostolico praesidio communimus, ac desuper pastoralis officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout locorum, temporum et personarum ratio postulat, et nos conspicimus in Domino salubriter expedire.

Supplicatio

§ 5. Sane dilectus filius nobilis vir Thomas Zamoski, dominus in temporalibus oppidi de novo Zamoski Chelmensis dioecesis, nobis nuper exponi fecit, quod Ioannes etiam Zamoski eius genitor, et regni Poloniae dum vixit supremus cancellarius, provide perpendens universae reipublicae uberrimos et multiplices fructus ex litterarum studiis provenire, ac cupiens studia huiusmodi in eius patrio solo vigere, necnon, pro amplissimis gratiarum donis et muneribus sibi ab omnipotenti Deo bonorum omnium largitore benigne collatis, in devoti et grati erga illum animi testimonium, divinae suae maiestati debitae laudum[1] praeconia et salutaris hostiae sacrificia iugiter offerri et persolvi, habitâ desuper cum tunc existente episcopo Chelmensi loci Ordinario consultatione et maturâ deliberatione, ac de illius licentiâ et assensu, omni meliori modo et formâ quibus potuit, et quantum in se fuit, ad ipsius omnipotentis Dei laudem et gloriam, et salutiferae resurrectionis Domini nostri Iesu Christi memoriam, et sancti Thomae apostoli eiusdem resurrectionis praeclari testis honorem, dictique oppidi decorem et ornatum, in eodem oppido unam accademiam publicam pro illius, ac illorum oppidorum et locorum, tam temporali suo dominio subditorum, quam[2] aliorum quorumcumque, in pietate, morumque probitate, ac doctrinâ christianâ, in litteris humanioribus, tam graecis, quam latinis, necnon grammaticae, rhetoricae, dialecticae, logicae, philosophiae naturalis et moralis, physicae, methaphysicae, utriusque iuris prudentiae, theologiae, ceterisque artibus, disciplinis, scientiis et facultatibus licitis,[1] eru diendis, imbuendis et instruendis, unam quoque collegiatam ecclesiam cum capitulo, decano, custode, scholastico, ac certo canonicorum, vicariorum et ministrorum[2], qui eidem ecclesiae in divinis laudabiliter deservirent, fundavit et instituit, ac sumptuosis et magnificis aedificiis, structionibus, cathedris, scholis, suppellectilibus sacris et profanis, aliisque rebus ad accademiae et collegiatae ecclesiae huiusmodi respective usus necessariis luculenter instruxit et ornavit, congruisque redditibus annuis et perpetuis, ad ipsum Ioannem tunc legitime spectantibus, dotavit, necnon super prospero, ac felici statu, directione, progressu et stabilitate, tam accademiae, quam collegiatae ecclesiae huiusmodi, illarumque respective rectoris, lectorum, professorum, magistrorum, praeceptorum, scholarium, decani, custodis, scholastici, canonicorum, vicariorum, officialium et ministrorum qualitatibus, oneribus[3], obligationibus, fundationibus, mercedibus, salariis, ceterisque rebus in praemissis et circa ea necessariis et opportunis, plurima statuta, constitutiones, ordinationes et decreta condidit et praescripsit; quare dictus Thomas nobis humiliter supplicari fecit, quatenus fundationi, institutioni, dotationi, aliisque praedictis, pro illorum firmiori subsistentiâ et observantiâ, nostrae confirmationis robora adiicere, ac alia infra concedere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Annuit Pontifex.

§ 6. Nos igitur, qui fidelium quorumlibet votis, praesertim divinum cultum,

1 Vel lege *debita laudum* vel *debitae laudis* (R. T.).

2 Pessime edit. Main. habet *subditorumque* pro *subditorum, quam* (R. T.).

1 Deesse videtur *civibus* vel *iuvenibus* (R.T).

2 Deest vox *numero* (R. T.).

3 Edit. Main. legit *honeribus* pro qua posset etiam substitui *honoribus* (R. T.).

ac publicam utilitatem, ac commoditatem concernentibus libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, praedictum Thomam a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, necnon reddituum et bonorum per dictum Ioannem pro fundatione, institutione et dotatione praedictis donatorum et assignatorum qualitates et quantitates praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, easdem fundationem, institutionem et dotationem, ac, prout illas concernunt, omnia et singula, licita tamen et honesta sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis non contraria, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti, ac quarumcumque[1] solemnitatum, etiam substantialium, defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, illaque omnia et singula perpetuo valida et efficacia esse et fore, ac suos plenarios et integros effectus sortiri, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, dictaeque Sedis nuntios, ac locorum Ordinarios, iudicari et definiri debere decrevimus[2]; insuper academiae et collegiatae ecclesiae praedictis, earumque respective rectori, cancellario, professoribus, lectoribus praeceptoribus, magistris, scholaribus, capitulo, decano, custodi, scholastico, canonicis, vicariis, ministris, officialibus et personis, nunc et pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, praerogativis, honoribus, praeeminentiis, indultis, facultatibus et gratiis, quibus aliae similes accademiae et collegiatae ecclesiae, in dicto regno et ubicumque locorum institutae, et illarum rectores, cancellarii, professores, lectores, magistri, praeceptores, scholares, capitula, decani, custodes, scholastici, canonici, vicarii, ministri, officiales et personae de iure, usu, consuetudine, ac aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter, uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant, apostolicâ auctoritate et tenore praedictis perpetuo concedimus et indulgemus.

A quocumque excommunicationis incursu absolvit.

Pontifex approbat talem academiae fundationem atque confirmat.

Illisque officialibus honores et exemptiones ad instar academiarum aliarum concedit.

§ 7. Quocirca venerabilibus fratribus Gnesnensi et Leopoliensi archiepiscopis ac episcopo Promioliensi per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel per alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte ipsius Thomae necnon rectoris, cancellarii, professorum, rectorum, praeceptorum, magistrorum, scholarium, capituli, decani, custodis, scholastici, canonicorum, vicariorum, ministrorum, officialium et personarum huiusmodi nunc et pro tempore existentium fuerint requisiti, solemniter publicantes, necnon Thomae et aliis praedictis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ Thomam, aliosque praedictos praemissorum omnium et singulorum commodo et effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes illos desuper a quoquam,

Exequutores deputat.

1 Edit. Main. legit *quorumcumque* (R. T.).

2 Potius lege *decernimus* (R. T.).

quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria tollit.

§ 8. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, ac aliis quibusvis apostolicis, necnon in synodalibus, provincialibus et universalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac litteris piae memoriae Clementis Papae V etiam praedecessoris nostri per quas statuit et ordinavit, quod cura, gubernium et administratio dictae accademiae illiusque bonorum ad pro tempore existentem episcopum Chelmensem uti loci Ordinarium spectet et pertineat; quibus quidem litteris dicti Clementis praedecessoris quoad particulare statutum et ordinationem huiusmodi dumtaxat (eisdem litteris in reliquis omnibus, quae fundationi, institutioni et dotationi accademiae huiusmodi non adversantur in suo robore permansuris) specialiter et expresse harum serie derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Et administratio praedictae academiae episcopo Chelmensi committitur.

Fidei professio ab omnibus professoribus in primis emittenda.

§ 9. Volumus autem, quod professores, rectores, lectores, praeceptores, magistri, et quicumque alii in praedictâ accademiâ docentes, in primis et ante omnia catholicae fidei professionem, iuxta articulos pridem a Sede praedictâ propositos, in manibus pro tempore existentis rectoris seu cancellarii dictae accademiae, aut personae ad id ab eo deputandae, emittere, ac, etiam iureiurando interposito, quod nihil quicquam ab ipsa fide catholicâ devium seu alienum docebunt, aut interpretabuntur, promittere omnino debeant et teneantur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI septembris MDCXLVIII, pontificatus nostri anno IV[1].

Dat. die 26 septembris 1648, pontif. anno IV.

CXIV.

Suppressio officii vicarii generalis Congregationis Gallicanae Tertii Ordinis sancti Francisci[2].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

§ 1. Aliàs (felicis recordationis Urbano Papae VIII, praedecessori nostro, pro parte tunc existentis procuratoris generalis Congregationis Gallicanae Tertii Ordinis sancti Francisci de Poenitentiâ nuncupatae exposito, quod multa prae ceteris ipsius Congregationis statuta apostolicâ auctoritate confirmata electionem, durationem et auctoritatem visitatoris seu vicarii generalis dictae Congregationis concernentia reperiebantur, quodque ipsum visitatoris seu officium vicarii generalis huiusmodi auctoritate legitimâ institutum nullatenus apparebat) subinde idem Urbanus praedecessor noster, ut ea, quae institutionem ac statum visitatoris seu vicarii generalis huiusmodi concernebant, et quae ab illius directione dependebant, exacte accurateque expenderentur, tunc existentibus Carnotensi, Meldensi et Sylvanectensi episcopis, seu eorum officialibus dedit in mandatis, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, ac aliàs sub certis modo et formâ tunc expressis, institutionem ac statum officii visitatoris seu vicarii generalis praefati illiusque directionem diligenter ac mature exami-

1 Potius lege *an.* V (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

narent, partesque hinc inde in praemissis iuridice, prout occasio tulisset reique qualitas exegisset, audirent, illisque auditis, quae circa institutionem ac statum officii visitatoris seu vicarii generalis huiusmodi illiusque directionem reperissent, egissentque, illa et informationes desuper captas eidem Urbano praedecessori et Sedi Apostolicae referrent et transmitterent, ut, quod pro felici prosperoque dictae Congregationis eiusque provinciarum directione statuendum et ordinandum fuisset, maturâ consultatione adhibitâ, decernerent.

Causae seu vertentiae cognitio.

§ 2. Postmodum vero (eidem Urbano praedecessori exposito, quod praefati Carnotensis et Meldensis episcopi relationem et captas per eos informationes super praemissis ad eumdem Pontificem transmiserant, et ab eis a parte contrariâ ad eum appellatum fuerat) idem Urbanus praedecessor, ut negotium huiusmodi maturius discuteretur, illud, tum a nonnullis ex gravioribus Ordinis professoribus, tum ab aliquibus Romanae curiae praelatis, auditis pluries hinc inde partibus, examinari mandavit, eorumque auditâ desuper sententiâ, motu suo proprio, deque apostolicae potestatis plenitudine, et officium visitatoris seu vicarii generalis huiusmodi praefatum cum omnibus ab illo dependentibus illisque[1] connexis ad suum et Sedis praedictae beneplacitum suspendit, et, quousque ab eo vel dictâ Sede aliter in praemissis dispositum fuisset, illud pro non instituto ex tunc haberi voluit et mandavit; ac insuper, ut Tertius Ordo praefatus in regno Franciae prospere dirigeretur, motu et potestatis plenitudine similibus statuit et ordinavit, ut omnes et singulae fratrum praefatorum provinciae et ministri provinciales soli dumtaxat ministro generali Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia nuncupatorum pro tempore existenti unâ cum domo regulari seu conventu S. Mariae Miraculorum nuncupatae de Urbe fratrum Tertii Ordinis praefati immediate subessent, et ad dictum ministrum generalem, necnon pro tempore existentem apud Sedem eamdem dicti Ordinis protectorem, Romanamque curiam in casibus occurrentibus recurrere tenerentur, et aliàs prout in binis eiusdem Urbani praedecessoris in simili formâ Brevis litteris desuper de MDCXLI et MDCXLII annis respective emanatis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Urbanus officium visitatoris praedictum suspensum voluit.

§ 3. Cum autem, sicut accepimus, quietis dictae Congregationis plurimum interesit, ut supradictum visitatoris seu vicarii generalis huiusmodi officium, de cuius, ut praefertur, legitimâ constitutione hactenus non apparuit, minime remaneat amplius in suspenso, sed illud perpetuâ nostrâ deque[1] Sedis Apostolicae suppressione in futurum tollatur: idcirco nos, ad uberes fructus, quos iidem Tertii Ordinis praedicti fratres dictae Congregationis vel ab ipsius primordio in Ecclesiâ militanti magno cum reipublicae christianae spirituali commodo attulerunt et in dies afferre noscuntur, paterne dirigentes considerationis intuitum, et sperantes, Deo dante, quod eadem Congregatio felicioribus deinceps in vineâ Domini proficiet incrementis, necnon eosdem dicti Tertii Ordinis fratres specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, de

Pontifex hic officium praedictum supprimit.

1 Potius lege *illique* (R. T.).

1 Forsan *atque* pro *deque* legendum (R. T.).

venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis episcoporum et regularium praepositorum consilio, quibus praemissa examinanda specialiter demandavimus et commisimus, auditis partibus, et re mature discussâ, motu proprio, et ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, officium visitatoris seu vicarii generalis dictae Congregationis praefatum, quod vigore praedictarum litterarum, motu proprio, ut praefertur, ab eodem Urbano praedecessore emanatarum, in suspenso remanserat, tenore praesentium perpetuo supprimimus et tollimus, cum omnibus et singulis ipsius dependentiis, annexis et connexis; ipsamque Congregationem illiusque provincias et personas nunc et pro tempore existentes unâ cum praefatâ domo regulari B. Mariae Miraculorum de Urbe ministro generali Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum pro tempore existenti de cetero immediate subesse, et ad ipsum dumtaxat et ad hanc Sanctam Sedem recurrere respective debere et teneri (cum hoc tamen, quod pro tempore existens minister generalis eorumdem fratrum Minorum de Observantiâ provincias praedictas per se vel per suos speciales delegatos visitatores iuxta praescriptum statutorum generalium dicti Ordinis visitare, corrigere, ac in eis omnimodam superioris generalis iurisdictionem, toties quoties opus fuerit, exercere libere et licite possit et valeat) volumus et declaramus, perpetumque desuper silentium imponimus, salvâ tamen in praemissis semper auctoritate eorumdem cardinalium.

Ipsamque Congregationem ministro generali fratrum Minorum sancti Francisci subiicit.

§ 4. Decernentes praesentes litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, quos illae concernunt et concernent quomodolibet in futurum, inviolabiliter et inconcusse observari, sique per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, ac quosvis commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, dictaeque Sedis nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausula praeservativa et decretum irritans.

§ 5. Non obstantibus praemissis, aliisque quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae idem Urbanus praedecessor in suis litteris voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptorum fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I octobris MDCXLVIII, pontificatus nostri anno IV[1].

Dat. die 1 octobris 1648, pontif. an. IV.

CXV.

Prorogatio subsidii ad decennium pro Ferdinando magno duce Hetruriae.

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Aliàs, felicis recordationis Paulo Papae V praedecessori nostro pro parte tunc in humanis agentis bonae memoriae Cosmi Medices Hetruriae sibi subiectae magni ducis exposito, quod, cum pridem bonae etiam memoriae Ascanius episco-

Exordium.

1 Sed legendum *an.* V (R. T.).

pus Anglonensis, tunc apud bonae similiter memoriae Ferdinandum dicti Cosmi magni ducis genitorem et Hetruriae sibi subiectae pariter magnum ducem Sedis Apostolicae nuncius, cognovisset facultates laicorum expensis necessariis seu utilibus aggerum, fossatorum, viarum, acquaeductuum et aquarum diversionum per officiales seu deputatos ad officium fossatorum civitatis Pisarum in districtu, territorio et comitatu dictae civitatis faciendis non sufficere, clerum, tam secularem, quam regularem, personasque ecclesiasticas exemptas et milites militiae S. Stephani, ratione bonorum per eos in territorio, districtu et comitatu Pisarum possessorum, subsidium dictis expensis ad decennium tunc proximum conferre posse et debere, auctoritate apostolicâ sibi ad id specialiter delegatâ, concesserat et declaraverat, voluerat tamen et decreverat clerum, ecclesiasticas personas et milites praefatos ad aliquas expensas ministrorum dicti officii eorumque cancellariae ordinarias et extraordinarias nullo modo teneri, et aliàs prout latius in dicto decreto dicebatur contineri; et in eâdem expositione subiuncto, praefatorum fossatorum officium, propter expensas necessarias et utiles eatenus factas, grave aes alienum ad summam scutorum triginta millium ascendens contraxisse, novasque expensas in dies cogi facere, idem Paulus praedecessor, supplicationibus dicti Cosmi magni ducis eâ in parte tunc inclinatus, quod clerus, tam secularis, quam regularis, personaeque ecclesiasticae et exemptae, ac milites praedicti, ratione bonorum per eos in territorio, comitatu et districtu dictae civitatis possessorum, subsidium ad decennium modo et formâ in dicto decreto dicti Ascanii episcopi et nuncii praescriptis et iuxta illius tenorem conferre, ac officiales et deputati praedicti subsidium huiusmodi, eodem decennio durante, tutâ conscientiâ exigere possent, omnesque de clero, tam seculari, quam regulari, personaeque ecclesiasticae, etiam exemptae, ac milites S. Stephani, ratione bonorum, ut praefertur, per eos et quemlibet eorum possessorum, ad solutionem dicti subsidii cogi et compelli valeant[1], dictâ auctoritate concessarat decreveratque; et subinde decretum ab eo concessum huiusmodi ad aliud decennium extenderat et prorogaverat, seu de novo conderat; et postmodum, recolendae memoriae Urbano Papae VIII similiter praedecessori nostro pro parte dilecti filii nobilis viri Ferdinandi Hetruriae sibi subiectae magni ducis exposito, quod causae, propter quas praemissa concessa et decreta fuerant, etiam tunc vigebant, et propterea decennium ultimo concessum ad aliud tempus prorogari desiderabat; idem Urbanus praedecessor, supplicationibus dicti Ferdinandi magni ducis inclinatus, subinde, quod clerus, tam secularis, quam regularis, personaeque ecclesiasticae et exemptae, ac milites S. Stephani, ratione bonorum per eos in territorio, comitatu et districtu dictae civitatis possessorum, subsidium ad decennium a fine decennii ultimo prorogati seu concessi computandum, modo et formâ in praefato decreto dicti Ascanii episcopi et nuncii descriptis et iuxta illius tenorem, conferre, ac officiales et deputati praefati subsidium huiusmodi, decennio per eum concesso durante, exigere possent, omnesque de clero, tam seculari, quam regulari, personaeque ecclesiasticae et exemptae, ac milites sancti Stephani, ratione bonorum per eos, ut praefertur, et eorum quemlibet possessorum, ad solutionem dicti subsidii cogi et compelli possint[2], auctoritate apostolicâ similiter concessit et decrevit; voluit autem, quod iuxta illius decreti tenorem

1 Aptius lege *valerent* (R. T.).

2 Aptius legeretur *possent* (R. T.).

clerus, ecclesiasticaeque personae et exemptae, militesque praefati ad aliquas expensas ministrorum dicti officii eorumque cancellariae ordinarias vel extraordinarias nullatenus teneantur, quodque exactio subsidii praefati per vicarium pro tempore existentem archiepiscopi Pisarum eiusque curiae tantum apostolicâ auctoritate fieret, et dictis officialibus seu deputatis consignarentur, qui quidem officiales, seu deputati, eorumque ministri, libros rationum et computorum dicto vicario ac archidiacono ecclesiae Pisarum, necnon priori domus regularis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ Pisarum, similiter pro tempore existentibus, seu saltem duobus ex illis, quorum alter semper esset dictus prior, exhibere teneantur, ex quibus subsidium per dictos clerum et alios, ut supra, contribuendum dignosci comprehendique posset, pro exactione contra eos, ut praefertur, faciendâ; ac demum, eidem Urbano praedecessori per eumdem Ferdinandum magnum ducem iterum exposito, quod causae, propter quas praemissa concessa et decreta fuerant, etiam tunc vigebant, proptereaque idem Ferdinandus magnus dux in praemissis ulterius providere desiderabat, denuo idem Urbanus praedecessor subsidium huiusmodi, ipsumque decennium, ad aliud decennium modo et formâ in praefato eiusdem Ascanii episcopi et nuncii decreto, ac aliàs cum omnibus et singulis conditionibus, facultatibus, clausulis et decretis tunc expressis concessit, extendit et prorogavit, prout in diversis, tam ipsius Pauli, quam dicti Urbani praedecessorum in simili formâ Brebis respective desuper emanatis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Causae huius prorogationis.

§ 2. Cum autem, sicut idem Ferdinandus magnus dux nobis nuper exponi fecit, causae, propter quas eadem praemissa concessa et decreta aliàs, ut praefertur, fuerunt, etiam ad praesens vigeant[1], et propterea decennium ultimodictum ad aliud nobis benevisum tempus extendi et ampliari summopere desideret: nos, eiusdem Ferdinandi magni ducis huiusmodi supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum controversiis iurisdictionalibus praepositorum consilio, quod clerus, tam secularis, quam regularis, personaeque ecclesiasticae et exemptae, ac milites S. Stephani, ratione bonorum per eos in territorio, comitatu et districtu dictae civitatis possessorum, subsidium ad decennium a fine decennii ultimo per eumdem Urbanum praedecessorem concessi et seu prorogati computandum, modo et formâ in decreto dicti Ascanii episcopi et nuncii descriptis et iuxta illius tenorem[2] conferre, ac officiales seu deputati praefati subsidium huiusmodi decennio per praesentes a nobis concesso[3] durante, libere et tutâ conscientiâ exigere possint, omnesque de clero, tam seculari, quam regulari, personaeque ecclesiasticae et exemptae, ac milites S. Stephani, ratione bonorum per eos, ut praefertur, et eorum quemlibet possessorum, ad solutionem dicti subsidii cogi et compelli valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, similiter concedimus et decernimus.

Exemptio militum S. Stephani ab huiusmodi expensis.

§ 3. Volumus autem, quod, iuxta dicti decreti tenorem, clerus ecclesiasticaeque personae, et milites S. Stephani praefati ad aliquas expensas ministris dicti officii eiusque cancellariae ordinarias vel extraordinarias nullo modo teneantur; quodque exactio subsidii praefati per vicarium pro tempore existentem archiepiscopi Pisarum eiusque curiae tantum fiat,

1 Male edit. Main. legit *vigebant* (R. T.).
2 Edit. Main. habet *tenores* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *concessi* (R. T.).

et illius officialibus seu deputatis consignetur, qui quidem officiales, seu deputati, eorumque ministri libros rationum et computorum dicto vicario et archidiacono ecclesiae Pisarum, necnon priori domus Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum Pisarum similiter pro tempore existentibus, seu saltem duobus ex illis, quorum alter semper sit dictus prior, exhibere teneantur, ex quibus subsidium per dictos clerum, et alios, ut supra, contribuendum dignosci comprehendique posset[1] pro exactione contra eos, ut praefertur, faciendâ, salvâ tamen semper in praemissis auctoritate eorumdem cardinalium.

Contrariis non obstantibus.

§ 4. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae ipse Paulus et Urbanus, praedecessores praefati, respective in suis litteris huiusmodi voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die x octobris MDCXLVIII, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 10 octobris 1648, pontif. anno v.

CXVI.

Declaratio nullitatis articulorum nuperae pacis Germaniae religioni catholicae, Sedi Apostolicae, ecclesiis, aliisque lociis piis, ac personis et iuribus ecclesiasticis quomodolibet praeiudicialium[2].

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Zelo domus Dei animum nostrum assidue commovente, in eam praecipue curam sedulo incumbimus, ut orthodoxae fidei integritas, ac Ecclesiae catholicae dignitas et auctoritas ubique sarta tecta conservetur, neve eorum, qui quaerunt sua potius quam quae Dei sunt, facto iura ecclesiastica, quorum assertores a Domino constituti sumus, aliquod detrimentum accipiant, nosque, supremo iudici rationem villicationis nostrae reddituri, negligentiae in creditâ nobis administratione arguamur.

Articuli pacis Germaniae religioni catholicae Sedique Apostolicae praeiudiciales.

§ 1. Sane cum intimo doloris sensu accepimus, quod per complures unius Osnabrugis, die VI augusti praesentis anni MDCXLVIII, inter charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Romanum regem in imperatorem electum cum suis foederatis et adherentibus ex unâ, ac Svecos cum eorum itidem foederatis et adhaerentibus ex alterâ, necnon alterius pacis Monasterii Westphaliae, die XXIV octobris eiusdem anni MDCXLVIII, inter eumdem Ferdinandum regem in imperatorem electum cum suis pariter foederatis et adherentibus ex unâ, atque charissimum etiam in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum regem christianissimum cum suis similiter foederatis ex alterâ partibus, respective initarum, articulos gravissima religioni catholicae, divino cultui, Sedi Apostolicae, et Romanae ac inferioribus ecclesiis, ordinique ecclesiastico, ac iurisdictionibus, auctoritatibus, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, privilegiis, rebus, bonis, ac iuribus illorum illata fuerunt praeiudicia. Etenim pactionibus partim utriusque, partim alterius pacis huiusmodi, inter alia, bona ecclesiastica, aliàs ab haereticis occupata, illis eorumque successoribus in perpetuum addicuntur, haereticis Augustanae ut vocant confessionis liberum[1] suae haereseos exercitium in plerisque locis permittitur, et locorum pro aedificandis ad hunc effectum templis assignatio promittitur, ipsique cum catholicis ad publica

1 Videtur legendum *possit* (R. T.).

2 Quoscumque contractus et pacta Sedi Apostolicae et iuribus ecclesiasticis praeiudicialia sustulit hic sanctissimus Pontifex paulo supra.

1 Pessime edit. Main. legit *confessionis librum*, commate adiuncto (R. T.).

munia et officia, ac ad nonnullos archiepiscopatus, episcopatus, aliasque dignitates et beneficia ecclesiastica, precumque primariarum eidem Ferdinando regi in imperatorem electo a praefatâ Sede Apostolicâ concessarum participationem admittuntur. Annatae, iura palatii, confirmationes, menses papales et huiusmodi iura, ac reservationes in bonis ecclesiasticis dictae confessionis Augustanae excluduntur. Confirmationes electionum, seu postulationum praetensorum archiepiscoporum, episcoporum, aut praelatorum eiusdem confessionis potestati seculari attribuuntur. Plures archiepiscopatus, episcopatus, monasteria, praepositurae, balliviae, commendae, canonicatus et alia beneficia et bona ecclesiastica principibus haereticis, eorumque haeredibus etiam, sublatâ denominatione ecclesiasticâ, in feudum perpetuum sub dignitatis secularis titulo conceduntur. Contra pacem huiusmodi, ullumve eius articulum nulla iura, canonica et civilia, communia vel specialia, conciliorum decreta, religiosorum Ordinum regulas, iuramenta, aut concordata cum Romanis Pontificibus, ullave alia statuta, sive politica sive ecclesiastica, decreta, dispensationes, absolutiones, aut alias exceptiones allegari, audiri vel admitti debere disponitur. Numerus septem electorum imperii, olim apostolicâ auctoritate praefinitus, sine nostro et Sedis praefatae beneplacito, augetur, et octavus electoratus in favorem Caroli Ludovici comitis palatini Rheni haeretici instituitur, aliaque multa, quae pudet referre, orthodoxae religioni, Sediquae praefatae, ac Romanae et inferioribus ecclesiis, ceterisque praemissis summopere praeiudicialia et damnosa decernuntur.

Nuncius Sedis Apostolicae protestatur contra praefatos articulos.

§ 2. Et quamvis venerabilis frater Fabius episcopus Neritonensis, noster et Sedis praefatae ad tractum Rheni et inferiores Germaniae partes nuntius extraordinarius, in executionem mandatorum nostrorum, fuerit palam nostro et eiusdem Sedis nomine protestatus huiusmodi articulos esse irritos, nullos, iniquos, ac per non habentes potestatem temere contractos, atque pro talibus ab omnibus habendos; ac notissimi iuris sit quamcumque transactionem, seu pactionem in rebus ecclesiasticis sine praefatae Sedis auctoritate factam, nullam, nulliusque roboris et momenti existere:

Eosdemque irritat et damnat Summus Pontifex.

§ 3. Attamen, quo efficacius praemissorum indemnitati consultum sit, pro commissi nobis ex alto pastoralis officii debito, providere volentes, ac instrumentorum utriusque pacis huiusmodi, omniumque in illis contentorum, ceterorumque hîc etiam necessario exprimendorum et inserendorum tenores, etiam veriores, et datas, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praedictos alterius seu utriusque pacis huiusmodi articulos, ceteraque in dictis instrumentis contenta, quae catholicae religioni, divino cultui, animarum saluti, eidem Sedi Apostolicae, Romanae et inferioribus ecclesiis, ac ordini et statui ecclesiastico, illorumque personis, membris, rebus, bonis, iurisdictionibus, auctoritatibus, immunitatibus, libertatibus, privilegiis, praerogativis et iuribus quibuscumque quomodolibet officium [1] seu praeiudicium etiam minimum afferunt, aut inferre, seu intulisse, et aliàs nocere, seu nocuisse quoquomodo dici, intelligi, praetendi, vel censeri possent, cum omnibus inde secutis et quandocumque sequendis, ipso iure nulla, irrita, invalida, iniqua, iniusta, damnata, reprobata, inania, viribusque et effectu vacua omnino fuisse, esse et perpetuo fore, neminem-

1 Forsan legend. *officiunt* pro *officium* (R.T.).

que ad illorum, et cuiuslibet eorum, etiamsi iuramento vallata sint, observantiam teneri, neque ex illis cuiquam aliquod ius, vel actionem, aut titulum coloratum, vel causam praescribendi, etiamsi longissimi et immemorabilis temporis possessio, seu quasi possessio, etiam citra ullam interpellationem seu interruptionem subsequatur, acquisitum fuisse, nec esse, minusve ullo tempore acquiri et competere posse, neque ulla ullum statum facere vel fecisse, atque, perinde ac si nequaquam emanassent, pro non extantibus et non factis perpetuo haberi debere, tenore earumdem praesentium decernimus. Et nihilominus, ad abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, articulos praefatos, aliaque praemissa, ut praefertur, praeiudicialia, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, damnamus, reprobamus, irritamus, cassamus, annullamus, viribusque et effectu evacuamus, et contra illa, deque eorum nullitate, coram Deo potestamur. Et, quatenus itidem opus sit, easdem Sedem Apostolicam, Romanamque et inferiores ecclesias, ac quaelibet loca pia et quascumque personas ecclesiasticas adversus illa in integrum, ac pristinum, et eum in quo, ante praedictam, et quascumque alias assertas, seu praetensas anteriores transactiones, pactiones, seu conventiones circa praemissa ubicumque quomodocumque factas, erant statum restituimus, reponimus ac plenarie reintegramus.

Clausulae praeservativae.

§ 4. Praesentes quoque litteras, cum omnibus et singulis in eis contentis, etiam ex eo, quod praefati, et quicumque alii, etiam speciali mentione et expressione digni, et in praemissis seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis nullatenus consenserint, nec ad ea vocati, citati vel auditi, minusve causae, propter quas eaedem praesentes emanarunt, deductae, verificatae, seu aliàs sufficienter, aut etiam ullo modo iustificatae fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quovis quantumlibet magno, inexcogitato et substantiali defectu, aut ex quovis alio capite, a iure vel facto, aut statuto, vel consuetudine resultante, aut ex quocumque alio colore, praetextu, causâ et occasione, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci ullatenus posse, sed illas semper validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et spectabit quoquomodolibet in futurum, inviolabiliter observari,

Clausula *sublatâ*.

§ 5. Sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam palatii apostolici auditores, necnon S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos ac eiusdem Sedis nuntios, et quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, nunc et pro tempore existentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, declarandi et interpretandi facultate et auctoritate, semper et ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, tam generalibus quam specialibus, etiam in conciliis universalibus editis, et, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, et constitutione felicis recordationis Pii Papae IV praedecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse camerae apostolicae concernentibus infra certum tunc expressum tem-

pus in eâdem camerâ praesentandis et registrandis, ita ut praesentes nullo unquam tempore in eâdem camerâ praesentari seu registrari necesse sit, legibus quoque imperialibus et municipalibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate roboratis, statutis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, concessionibus et litteris apostolicis, quibuscumque locis et personis, etiam imperiali, regali, et aliâ quavis, sive ecclesiasticâ sive mundanâ, dignitate fulgentibus, et aliàs quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, et decretis etiam irritantibus, et aliàs quomodolibet, in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries et iteratis vicibus confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis formamque in illis traditam pro servatâ habentes, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 8. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum et gentium in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX novembris MDCXLVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 20 novembris 1648, pontif. anno v.

CXVII.

Ut alumni seminarii civitatis Angelopolitanae in Indiis Occidentalibus, post completa sua studia in dicto seminario, possint, praevio rigoroso examine, graduari in universitate Mexicanâ in philosophiâ ac theologiâ et sacris canonibus, licet non studuerint in dictâ universitate[1].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Alumnis seminarii post completa studia ut possint graduari in universitate Mexicana concedit.

§ 1. Cupientes, ut debitus virtutis honor alumnis seminarii, in ecclesiâ sanctorum Angelorum in Indiis Occidentalibus vulgo *della Puebla* a venerabili fratre Ioanne episcopo Angelopolitano, iuxta formam a sacro Concilio Tridentino praescriptam, erecti, qui in philosophiâ et theologiâ ac sacrorum canonum studiis cursum perfecerint, dignique et idonei fuerint, tribuatur, ut nimirum alii eorum exemplo ad sacrarum litterarum studia in dies magis et magis excitentur, supplicationibus eiusdem Ioannis episcopi nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negocio Propagandae Fidei praepositorum consilio, eisdem alumnis, ut, post completa sua studia in dicto seminario, praevio rigoroso examine, possint in universitate Mexicanâ

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

in philosophiâ ac theologiâ et sacris canonibus graduari, non obstante quod in dictâ universitate non studuerint, facultatem, apostolicâ autoritate, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in[1] universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon dictae universitatis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII decembris MDCXLVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 22 decembris 1648, pontif. anno V.

CXVIII.

Confirmatio constitutionum in formâ specificâ Congregationis ecclesiasticorum sub invocatione S. Petri erectae auctoritate ordinariâ in civitate Angelopolitana[2].

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Universalis Ecclesiae regimini, meritis licet imparibus, divinâ dispositione praepositi, ad pias christifidelium praesertim in sortem Domini vocatorum congregationes, pro exercendis iugiter pietatis et charitatis operibus ad omnipotentis Dei gloriam et proximorum solamen atque aedificationem institutas, ut felicioribus in dies proficiant incrementis, pastoralis officii nostri partes libenter convertimus, et ea, quae pro felici eorum statu provide facta fuerunt, quo exactius observentur, perpetuâque robori firmitate subsistant, apostolicae confirmationis patrocinio communimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Supplicatio.

§ 1. Sane pro parte venerabilis fratris Ioannis episcopi Angelopolitani in Indiis Occidentalibus nobis nuper expositum fuit, quod pro regimine et directione Congregationis virorum ecclesiasticorum S. Petri nuncupatae, in civitate Angelopolitanâ eiusdem Ioannis episcopi auctoritate erectae, fuerunt factae constitutiones tenoris qui sequitur, videlicet:

Constitutiones Congregationis S. Petri erectae in civitate de la Puebla Angelorum approbatae a Domino Ioanne de Palafox et Mendoza, Dei et Apostolicae Sedis gratiâ eiusdem civitatis episcopo.

Cum in hac civitate illiusque dioecesi adsit magnus numerus sacerdotum secularium, qui vivere debent in charitate, et uti membra Domini nostri Iesu Christi tenentur maiori vinculo ad servandam huiusmodi charitatem ob altitudinem eorum status et perfectionis, ut mediante eorumdem doctrinâ et exemplo fideles dirigantur ad beatitudinem caelestem consequendam; cumque plures ex dictis sacerdotibus sint pauperes, nec habeant unde se sustentari possit, praesertim in infirmitate constituti, ideo necessarium duximus erigere Congregationem virorum ecclesiasticorum cum infrascriptis constitutionibus.

1 Praeposit. *in* nos addimus (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

CAP. I.

De invocatione, insigniis et loco Congregationis.

Congregatio ista ecclesiastica erecta sub protectione Principis Apostolorum sancti Petri, cuius virtutum sectatio sit illis obiectum, pro sigillo habeat duas claves positas ad modum crucis super libro cum pontificali thiarâ. Locus Congregationis sit in cappellâ et sacristiâ fabricatis in hospitali S. Petri sumptibus ipsius Congregationis cum facultate aliò transferendi pro arbitrio eiusdem episcopi et capituli cathedralis ecclesiae.

Protectores habeat eumdem episcopum, illiusque successores pro tempore, necnon capitulum eiusdem ecclesiae cathedralis.

CAP. II.

De qualitatibus admittendorum in Congregatione.

Ad Congregationem admittantur sacerdotes huius tantum dioecesis, diaconi et subdiaconi eiusdem, necnon beneficiati et vicarii ecclesiarum, etsi iam habeant domicilium extra civitatem, cum onere tamen celebrare faciendi missas pro defunctis, ut infra, et in admittendis confratribus habeant votum illi, qui die qua proponuntur in congregatione reperientur, et in aequalitate votorum mittantur sortes.

Absentes imposterum a dioecesi excludantur a Congregatione, sed, si redierint et voluerint, admittantur, dummodo celebrent missas pro defunctis, ut infra, et a civitate non distent ultra centum leucas.

Ingredientes religionem regularem, die qua professionem emittunt, remaneant exclusi, non autem antea.

Si aliquis sacerdos, diaconus aut subdiaconus in articulo mortis constitutus admitti voluerit ad Congregationem, admittatur, non tamen confratres teneantur missas celebrare pro illius animâ, sed tantummodo interesse illius sepulturae, ac pro illo orare, et, si convaluerit, remaneat confrater.

CAP. III.

De officialibus Congregationis.

Officiales Congregationis eligantur per vota abbatis, duorum consultorum, secretarii, thesaurarii et sacristae; abbas tamquam superior praesidebit et sermone et exemplo studebit omnipotentis Dei servitio, et spirituali ac temporali Congregationis implemento.

Consultores abbati assistent in regimine Congregationis, tam in spiritualibus, quam in temporalibus.

Secretarius describet in libro capitula celebranda, necnon decreta per Congregationem facienda, in quo etiam describet alphabetica nomina admissorum, et in margine nomina defunctorum et exclusorum.

Thesaurarius tenebit librum bonorum temporalium Congregationis, et vacabit illorum exactionis recuperationi et administrationi, prout latius in capitulo finali continetur.

Sacrista cum clavibus custodiet ornamenta ecclesiastica, ceram et alia spectantia ad cappellam Congregationis, et omnia sub inventario describet et recipiet.

Mandatarius cum veste nigrâ, in qua adsint arma ipsius Congregationis, praesto erit exequutioni omnium sibi ordinandorum per abbatem et consultores.

CAP. IV.

De bono exemplo per confratres dando, et eorum obligationibus.

Confratres Congregationis curent honeste, religiose ac laudabiliter vivere, ut exemplum exteris praebeant, et ex eorum

virtutibus constituatur respublica adeo ecclesiastica, ut veneretur illius ministerium. Quod ut facilius impleatur, legere non omittent instructionem sacerdotalem fratris Antonii de Molina; et, si scandalose vixerint, moneantur ab abbate et consultoribus iuxta praescriptam monitionem, et, si non se correxerint, praevio voto domini episcopi, a Congregatione eiiciantur.

Admittendi ad congregationem agent cum abbate, consultoribus et secretario, ut proponantur in primâ Congregatione, illisque perlegantur constitutiones, ad hoc ut sciant munus suum, et post admissionem emittant fidei professionem in manibus eiusdem abbatis offerendo candelam unius librae.

Omnes confratres celebrare teneantur per se vel per alios tres missas planas pro suffragio animarum singuli confratris decedentis, idque infra tres menses a die notitiae; quod si plures eodem mense obierint, satisfaciant singulo defuncto infra terminum unius mensis incipiendo a primo defuncto; beneficiati et vicarii residentes in suis beneficiis extra civitatem, ac alii sacerdotes per tres leucas distantes, teneantur celebrare quatuor missas pro quolibet defuncto, ut supra. Decedentibus autem eisdem beneficiatis et vicariis, et aliis extra civitatem degentibus, non teneantur confratres assistentes celebrare nisi tres missas.

Hortantur confratres, ut in missis orent pro defunctis cum responsorio, et pro quolibet defuncto recitent unum nocturnum cum tribus lectionibus et collectâ cum applicatione indulgentiarum.

Abbas et consultores, quando Congregatio habebit sufficientes redditus, pro suffragiis cuiuslibet confratris decedentis celebrare faciant per sacerdotes ipsius Congregationis viginti missas, et accipiant duas bullas sanctae cruciatae pro quolibet defuncto.

Omnes confratres orent pro necessitate Ecclesiae catholicae et Congregationis.

Hortatur, ut confratres in testamentis memores sint legare eleemosynas operibus Congregationis, et ceram distribuere interessentibus sepulturae.

Servetur pax inter confratres, et munus abbatis sit reconciliare dissidentes.

Confratres intersint festivitatibus Congregationis, necnon sepulturis confratrum, et absentes non impediti mulctentur ab abbate in poenam arbitrariam ipsi Congregationi applicandam.

Cap. V.

De congregationibus faciendis et festivitatibus per Congregationem celebrandis.

Pro negotiis et rebus a Congregatione ordinandis interesse debeant saltem duodecim confratres, unâ cum abbate vel uno ex consultoribus, et secretario. Si vero agendum erit de re gravi, intimentur omnes de Congregatione existentes in civitate, et suffragia dentur praevio signo campanae [1], sicut dictum est, adfuerint saltem duodecim, non interessentibus autem abbate et consultoribus, praesidere debeat in congregationibus ordinariis sacerdos antiquior.

Diebus dominicis de sero congregentur sacerdotes singulis quindecim diebus in nostrâ cappellâ ad sonum campanae horâ tertiâ de sero, et is, qui praesidebit, ultimum signum campanae dare demandabit; deinde, recitatis solitis orationibus, tractabitur de rebus ad Congregationem spectantibus; illico abbas et consultores nominabunt duos ex congregatis, qui vacent concordiae discordiarum, de quibus notitiam habebunt, et duos alios, ut visitent hospitalia, et duos pro visitatione carcerum, et alios duos, qui vacent infirmis

1 Heic legerem sit: *campanae. Si, sicut dictum est, adfuerint* etc. (R. T.).

agonizantibus, de quibus notitiam habebunt, qui omnes in sequenti congregatione referent omnia per ipsos gesta.

In qualibet congregatione habeatur sermo seu lectio spiritualis, eâque finitâ, vacabunt per dimidiam horam orationi mentali, postea, signo dato per praesidentem, recitabitur submissâ voce *Sub tuum praesidium*, et *Salve Regina* cantatâ, et successive unum responsorium pro defunctis Congregationis.

Et, si aliqui sacerdotes, qui non sint ex congregatis, voluerint assistere sermoni seu lectioni spirituali et orationi mentali, admittantur, ita tamen, ut non assistant aliis in congregatione pertractandis.

Si aliquis non intervenerit congregationibus ordinariis, cessante impedimento notorio seu ratione ministerii obligatorii, moneatur ab abbate seu a consultoribus; quod si aliquis, cessante legitimo impedimento, non interfuerit sex congregationibus, moneatur; et, si monitus non paruerit, in subsequenti congregatione dentur vota, an sit expellendus necne a Congregatione. Singulis annis celebretur cum omni ornatu festivitas patris nostri sancti Petri in cappellâ, die dominicâ infra octavam illius festivitatis, seu aliâ die per Congregationem decernendâ, et habeatur sermo per concionatorem abbati benevisum; hortantes confratres, ut diligenter et prompte accedant cum superpelliceis; et ad effectum dictae celebrationis abbas et consultatores[1] deputabunt duos vel tres confratres qui vacent dicto ornatui. Celebrabit missam abbas, et, eo impedito, unus ex consultoribus pro augmento ipsius Congregationis et pro defunctis eiusdem.

Item celebrabitur missa cantata die benevisâ abbati et consultoribus post diem Commemorationis Omnium Defunctorum, dictamque missam celebrabit idem abbas, vel, eo impedito, unus ex consultoribus, cum applicatione pro suffragio defunctorum Congregationis, unâ cum responsorio, ut moris est.

Singulis annis feriâ sextâ in parasceve horâ tertiâ de sero omnes confratres Congregationis accedant ad cappellam cum superpelliceis, ubi eis dabuntur stolae nigrae et cruces ad effectum associandi imaginem sancti Petri in processione, quae incipiet ab hospitali, et in eâ abbas deferet crucem solitam, in cuius lateribus duo consultores assistent, et post ipsos incedent alii processionaliter. Abbate autem impedito, crucem deferat antiquior consultor, et, eo impedito, alius consultor, singulique confratres moneantur, ut ordinate cum silentio et modestiâ incedant, et abbas eliget unum de confratribus, qui cum virgâ argenteâ processionem dirigat.

Cap. VI.

De electione ministrorum Congregationis.

Electio abbatis, consultorum et aliorum ministrorum fiat eâdem die, qua celebrabitur festivitas patris nostri sancti Petri horâ tertiâ de sero, et, si dictâ die adfuerit impedimentum, fiet aliâ die benevisâ Congregationi, absque aliâ intimatione quatenus fiat dictâ die festivitatis, si vero aliâ die diversâ, tunc fiet intimatio, ut confratres possint interesse.

Electio fiet per vota secreta in scriptis apponenda in urnâ super tabulam existente, et, praevio signo campanae, recitabitur per choros hymnus *Veni, creator Spiritus* cum suâ oratione et cum aliâ patris nostri sancti Petri; datis vero suffragiis, et perspectis ab abbate, consultoribus et secretario, habentes maiorem numerum votorum, etiam in unico, remanebunt electi; in casu autem paritatis, mittentur sortes, et remanebit electus super quem sors cadet; et si aliquis superveniat ante perfectam regulationem voto-

1 Aptius lege *consultores* (R. T.).

rum, illico dabit votum suum, et deinde abbas publicabit electionem, et cantabitur *Te Deum laudamus*, cum oratione, quam recitabit abbas de novo electus, cuius electio etiam permittitur fieri posse per solam acclamationem.

Quod si abbates erunt episcopi, prout fieri consuevit in civitate Mexicanâ et in aliis, fiet de omnibus officialibus Congregationis electio absque aliâ consultatione, non solum pro illâ vice, sed etiam in futurum.

Abbas, exceptis episcopis, reelegi non possit, nisi de voto omnium, nemine discrepante; ceteri vero officiales reelegi poterunt.

Si abbas obierit, vel absens fuerit per longum tempus, praesidebit consultor antiquior; si vero obierit aliquis officialis, aut absens fuerit ad longum tempus, eligatur in eius locum qui officium exerceat usque ad electionem subsequentem, declarantes antiquiorem consultorem in ordine sacerdotali praecedere debere, si non fuerit praebendatus, is enim habebit praecedentiam, prout consultor; si erit parochus cathedralis ecclesiae, cui etiam praeferatur ille qui erit praebendatus [1].

Cap. VII.

De locis in quibus sedere debeant confratres Congregationis.

Abbas sedebit in scamno e conspectu altaris habente tabulam pro declinatione humerorum. In latere dextero sedebit antiquior consultor, et in alio latere alius consultor, qui in conspectu habebunt mensam; ceteri vero confratres sedebunt in scamnis in duobus choris e conspectu existentibus, et in capite scamni manu dexterâ sedebit thesaurarius, et secretarius manu sinistrâ, qui tamen, quando necesse erit scribere, sedebit in scamno parvulo dictae mensae contiguo; reliqui confratres sedebunt sine aliquâ praecedentiâ. Si tamen praebendati erunt confratres, sedere debebunt in capite scamnorum praedictorum praecedendo thesaurarium et secretarium.

Quod si dominus episcopus praesidebit congregationibus, tunc in latere dextero in capite scamni sedebit abbas, et immediate consultor antiquior et thesaurarius. In alio latere sedebit alius consultor cum secretario. Quod si praebendati adfuerint, praecedent thesaurarium et secretarium, non autem consultores. Ceteri vero confratres sedebunt, ut supra dictum est, absque aliâ praelatione seu praecedentiâ.

Cap. VIII.

De cura circa infirmos et egenos Congregationis.

Singulis duobus mensibus deputabitur unus ex confratribus, qui exquiret an aliquis confrater sit infirmus, idque Congregationi referet, et ad infirmum accedet pro illo visitando et consulando; et, si infirmus erit pauper, subministrari debebunt medicinae et cibaria delicata vulgo nuncupata *regalia*, necnon alia necessaria de ordine abbatis et consultorum; si vero infirmitas erit ad mortem, demandabit abbas, ut duo confratres successive illi assistant, usque ad animae commendationem, sub poenâ pecuniariâ eidem abbati benevisâ Congregationi applicandâ.

Si aliquis ex confratribus erit carceratus, notificetur abbati, ut illum visitet et auxilium praestet pro illius liberatione, et, si fuerit pauper, subministrentur necessaria de Ordine abbatis et consultorum.

Si vero aliquis erit adeo pauper, ut non habeat unde se alere et induere possit, abbas et consultores providebunt ex pecuniis existentibus in deposito ipsius Congregationis, idque peragant cum omni charitate et liberalitate.

1 Ordinem praeced. praescriptum non intelligo (R. T.).

CAP. IX.

De sepulturâ confratrum.

Statim atque obierit aliquis ex confratribus, abbas eliget duos confratres qui unâ cum sacristâ vacent omnibus ad sepulturam pertinentibus, et secretarius det schedulam mandatario, ut in viis cum campanellâ notificet horam et parochiam in quibus facienda erit sepultura.

Item secretarius significabit absentibus obitum confratris, ut pro suffragio illius animae celebrentur missae, et insuper scribet nomina decedentium, illa apponendo in tabellâ iuxta vas aquae benedictae ecclesiae cathedralis apponendâ.

Si defunctus erit adeo pauper, ut non possit parocho solvere iura sepulturae, abbas et consultores id insinuabunt curatis, ut amore Dei et charitate christianâ sepulturam dare non differant, et thesaurario demandabit, ut faces necessariae ad tumulum ardeant impensis ipsius Congregationis.

In sepulturis confratrum servandus erit ordo infrascriptus: confratres se congregabunt horâ sepulturae intimatâ in ecclesiâ, à qua exire debet crux, cum superpelliceis, stolis et biretis quadratis, servato praescripto in cap. VII; statim atque pervenerint ad locum ubi reperitur cadaver defuncti, eisdem tradentur candelae accensae per mandatarium, et quatuor ex confratribus in angulis feretri associabunt dictum corpus.

Abbas eliget unum ex confratribus, qui cum sceptro argenteo processionem dirigat, confratres incedent ordinate cum silentio et modestiâ in aedificationem et exemplum aliorum. Parochus in funerali praecedere debebit abbati et omnibus aliis, et in latere dextero incedet antiquior consultor et in sinistro iunior; praebenbati vero in duobus lateribus incedent, iuxta praescriptum in cap. VII; successive in duobus choris incedent confratres absque interpolatione aliorum cadaver associantium, quos praecedere debebunt ipsi confratres iuxta decretum editum die XXV ianuarii MDCXLVII per dominum Ioannem de Palafox et Mendoza, huius dioecesis episcopum.

CAP. X.

De administratione bonorum Congregationis.

Ordinamus, quod unam[1] ex tribus clavibus arcae existentis in sacristiâ cappellae retineat abbas, aliam antiquior consultor, et aliam thesaurarius, in qua arcâ conserventur pecuniae ipsius Congregationis unâ cum scripturis; et, quando extiterit summa pecuniarum sufficiens, investiatur de voto Congregationis per abbatem et consultores in censibus super bonis stabilibus tutis, conficiendo scripturas necessarias.

Omnes expensae ordinariae fiant per abbatem et consultores coniunctim. Thesaurarius de novo electus solidabit infra mensem computa cum thesaurario praedecessore, adhibito etiam secretario, et in primâ congregatione referet quantitatem residui, et in controversiis circa partitas stetur resolutioni abbatis et consultorum; dictusque modernus thesaurarius recuperabit quantitatem, quam solvere tenetur thesaurarius praedecessor.

Omnes libelli, petitiones, commissiones et citationes Congregationem quomodolibet tangentes in quolibet tribunali, activae et passivae, fiant per thesaurarium, prout quaecumque exactiones et recuperationes; ad quem effectum, ex nunc, prout ex tunc, ipsa Congregatio dat ei facultatem et potestatem necessariam de iure requisitam, cum liberâ et generali administratione, necnon cum facultate substituendi ad lites tantum; redemptiones vero censuum

1 Edit. Main. legit *unum* (R. T.).

ipsius Congregationis facere non possit absque ordine in scriptis dictorum abbatis et consultorum.

Singulis annis post electionem abbatis et aliorum officialium in primâ congregatione habendâ et in sequentibus legantur istae constitutiones de verbo ad verbum, ad hoc ut facilius adimpleri et exequi possint.

Die XIV novembris MDCXLVIII. Sacra congregatio eminentissimorum cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit, si sanctissimo Domino nostro placuerit, supradictas constitutiones a Suâ Sanctitate remissas et ab eâdem sacrâ congregatione examinatas, recognitas et ut supra emendatas, posse confirmari.

PETRUS ALOYSIUS cardinalis CARAFA.

Loco † sigilli.

FRANCISCUS PAULUTIUS S. C. C. secr.

Pontifex constitutiones praeinsertas confirmat.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus Ioannes episcopus praeinsertas constitutiones, pro maiori earum validitate, auctoritate nostrâ confirmari summopere desideret: nos, qui constitutiones huiusmodi per venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales sacri Concilii Tridentini interpretes examinari, recognosci et emendari iussimus, praescripto eiusdem Ioannis episcopi desiderio hac in re annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus ipsius Ioannis episcopi nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de praedictorum cardinalium consilio, praeinsertas constitutiones per cardinales huiusmodi iussu nostro examinatas, recognitas et ut praefertur emendatas, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis perpetuae confirmationis apostolicae robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus; salvâ tamen semper auctoritate et facultate congregationis dictorum cardinalium, etiam revocandi et moderandi easdem constitutiones.

Clausulae apponuntur.

§ 3. Decernentes constitutiones huiusmodi ab omnibus dictae Congregationis S. Petri personis, et aliis ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII decembris MDCXLVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 22 decembris 1648, pontif. anno V.

CXIX.

Decreta et constitutiones monachorum Ordinis sancti Basilii Magni promulgata a sacrâ congregatione sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ, et a sanctissimo domino nostro Innocentio Papa X approbata et confirmata[1].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Motiva. Nuper pro parte dilectorum filiorum monachorum Ordinis sancti Basilii nobis exposito, quod ipsi aliàs, in vim quarumdam nostrarum in simili formâ Brevis litterarum sub die XXV mensis iulii anni MDCXLVII emanatarum, in novissime celebrato eiusdem Ordinis capitulo generali

Assistens duo. duos assistentes abbatis generalis Ordinis huiusmodi, unum videlicet natione Italum, alium vero monachi[2] Hispanum elegerunt, cum quorum voto consultivo ipse abbas generalis Ordinem praedictum moderari et regi debeat;

An definitorio intervenire debeant. § 1. Et (quia dicti Ordinis constitutiones apostolicâ auctoritate confirmatae, cap. VI de potestate abbatis generalis, visitatorum et definitorum, disponunt quod res et materiae dicti Ordinis graviores tractentur et stabiliantur in definitorio quotannis convocando, cum interventu pro tempore existentium dicti Ordinis abbatis generalis, trium visitatorum et sex definitorum, qui omnes votum decisivum habeant) petito ab eisdem exponentibus per nos declarari, an assistentes huiusmodi definitorio intervenire debeant, necnon insimul mandari et ordinari, ut electiones capitulares, tam ipsorum definitorum, quam cuiusvis alterius dicti Ordinis praelati, per schedulas, votaque et suffragia secreta, servatâ formâ a sacro Concilio Tridentino praescriptâ, fiant; et insuper (in eâdem expositione subiuncto, quod a felicis recordationis Paulo Papae V praedecessore nostro[1] per suas in eâdem formâ Brevis litteras, sub die XII decembris MDCVIII expeditas, indultum fuit, ut in monasteriis dicti Ordinis, in quibus sex monachi degunt, ex eis unus, et ubi maior numerus monachorum huiusmodi foret, duo ex illis sacrosanctum missae sacrificium ritu latino pro spirituali christifidelium, qui dicti Ordinis ecclesias frequentant, consolatione[2] celebrare possent; proque novo monasterio Neapolitano dicti Ordinis maiorem numerum idem Paulus praedecessor divinae[3] vocis oraculo sub die II septembris anni MDCXV emanato, prout etiam recolendae memoriae Urbanus Papa VIII pariter praedecessor noster omnibus et singulis monachis monasterii S. Mariae Matris Domini praedicti Ordinis Salernitanae dioecesis concessit, conditione tamen ab ipsis Paulo et Urbano praedecessoribus appositâ, quod ii monachi, qui semel ad celebrandam missam ritu latino deputati fuissent, ritu graeco amplius celebrare minime possent absque expressâ huius sanctae Sedis Apostolicae licentiâ), quia tamen monachi dicti Ordinis suum antiquum regulare institutum ritu graeco celebrandi, quod in dies ob multiplicatam celebrationem missarum latinarum deficit, retinere conservareque desiderant,

Electiones per vota secreta.

Indultum concessum monachis sancti Basilii latine celebrandi.

Supplicant Summum Pontificem iidem

§ 2. Propterea nobis per eosdem exponentes supplicato, quatenus statuere digna-

1 Sancti Basilii monachos in meliorem ac arctiorem disciplinam redegit Gregor. XIII, Constitut. LXXI *Cogit muneris*, tom. VIII, pag. 181. Eorumdem statuta, a protectore revisa, auctoritate apostolicâ confirmavit Clem. VIII, Const. XL *Quae ad restituendos*, tom. IX, pag. 643.

2 Videtur legendum *monachos* (R. T.).

1 Edit. Main. habet *Pauli ... praedecessoris nostri* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *consulatione* (R. T.).

3 Potius lege *vivae* (R. T.).

monachi, ut statuat quod praedictum indultum locale non autem personale observetur.

remur, quod de cetero indultum supradictum locale non autem personale observetur[1], quodque ii monachi, qui in capitulis, aut dietis dicti Ordinis, praevio rigoroso examine, deputati fuerint per definitorium ad celebrandam missam ritu latino in uno aliquo particulari dicti Ordinis monasterio, numerum praefixum excedere et loco ad locum transferri nullatenus possint, nisi cum auctoritate eiusdem definitorii, eoque casu, nisi contigerit eos in locum aliorum monachorum ritu latino celebrantium subrogari, praefato eiusdem Ordinis instituto regulari sese confirmare, missamque ritu graeco celebrare, non obstante supranominatâ in contrarium prohibitione, teneantur: subinde a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositis, quibus praemissa examinanda commisimus, emanavit desuper decretum tenoris sequentis, videlicet:

Decretum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum circa materiam de qua in rubricâ.

§ « 3. Sacra congregatio S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, visis constitutionibus monachorum sancti Basilii, necnon auditis abbate generali et procuratore generali eorum, ac etiam eminentissimo cardinale Iustiniano dictae religionis apud hanc sanctam Sedem protectore, censuit (sanctissimo Domino nostro annuente) statuendum et praecipiendum, prout praesenti decreto statuit ac praecipit abbati generali, ac visitatoribus provincialibus, et definitoribus dicti Ordinis, sub poenâ suspensionis ab eorum officiis, vel etiam privationis et inhabilitationis perpetuae, arbitrio eiusdem sacrae congregationis, ut in tribus provinciis Italiae singulis annis in futurum (exceptis iis, in quibus capitula celebrantur) diaetam seu definitorium instituere debeant et teneantur per turnum singulis annis in qualibet provinciâ post visitationem in eâ ab eodem abbate generali peractam tempore et formâ a constitutionibus praescriptis, et in loco a praecedenti definitorio seu diaetâ designando, ibique interesse, ac suffragium dare possint et debeant, praeter abbatem generalem, tres visitatores provinciales, seu definitores, et duo supranominati assistentes cum voto decisivo, locumque in omnibus congregationibus teneant post visitatores, quos assistentes cum eodem voto in visitationibus provinciarum peragendis ad praescriptum constitutionum Ordinis, cap. II, tit. *De ratione visitandi monasteria*, loco definitorum abbas generalis secum assumat.

Constitutiones monachorum sancti Basilii Magni recensentur.

Reliqui definitores duo ex quacumque provinciâ suum visitatorem provincialem associabunt, unde praefati assistentes veluti primi definitores habeantur.

Ad supradictas diaetas nullus sive praelatorum sive monachorum accedat, nisi de licentiâ eorumdem patrum diaetae in scriptis concedendâ, sed per litteras sua negotia proponant.

In defectum vero alicuius ex supradictis, vel per mortem, vel ob aliam causam, liceat ceteris patribus definitorii in loco diaetae suo tempore deputato secretis suffragiis alium de numero praelatorum, quem magis idoneum iudicaverint, subrogare.

Definitorii potestas et auctoritas plena erit iudicandi, audiendi, cognoscendi, atque determinandi, prout eisdem patribus optimum visum fuerit, quidquid ad utilitatem et commune bonum Congregationis, tam quoad temporalia, quam quoad spiritualia, contigerit proponendum et statuendum.

Ad illos etiam pertinebunt electiones abbatum, priorum, vicariorum, magistrorum, procuratorum, seu cellerariorum, in casu tamen vacationis ob mortem vel privationem eorumdem, et quaecumque aliae promotiones, tam ad gradus et di-

1 Fors. legend. *declaretur*, vel *censeatur* (R. T.).

gnitates dari solitas, quam ad ordines suscipiendos.

Ad hos pariter spectabit receptio novitiorum, approbatio studentium, tam pro collegio graecorum Urbis, quam pro seminariis deputatis, vel in futurum deputandis.

Item mutationes abbatum, priorum, vicariorum, magistrorum novitiorum, cellerariorum et monachorum quorumcumque de monasterio ad monasterium singulis trienniis faciendae iuxta constitutiones eiusdem Ordinis.

Demum in eâdem diaetâ diligens habeatur tractatus de reformatione Congregationis ad observantiam regularem, corrigendo et reformando ea omnia, quae correctionis et reformationis officio videbuntur indigere, ita quod si abbatem vel alium ex praedictis cognoverint a suo monasterio amovendum, suspendendum, privandum, amoveant, suspendant, ac privent etiam non expleto sui officii tempore: et, si quid aliud gravioris momenti emerserit quod per diaetam nequeat expediri, ad capituli generalis proxime futuri iudicium referatur.

Neque abbas generalis seu visitatores extra diaetam quodcumque ex praedictis terminare poterunt, aut super eo aliquid statuere, nisi per modum provisionis, in casibus tantum qui dilationem non patiuntur, ut informationes capere, processus fabbricari, delegatos destinare et alias commissiones facere contra praelatos, aut delinquentes monachos, et tunc non aliter quam ipsemet abbas generalis cum consilio et voto in scriptis praefatorum assistentium et usque ad tempus celebrationis diaetae, in qua ipsemet abbas generalis sub poenâ privationis officii teneatur praedictas provisiones et similia negotia exacte in definitorio proponere, et patrum sententias exquirere, quorum arbitrio erit provisiones huiusmodi per vota secreta approbare, vel aliter statuere, disponere et providere, prout in Domino iudicaverint expedire.

Porro, cum duo assistentes, quos pios, circumspectos religiosos praesumendum est, liberius quidquid pro maiori Congregationis bono expedire senserint proferre non timeant, prohibitum erit abbati generali, quovis praetextu, contra eosdem procedere ad privationem officii, vel suspensionem extra diaetam, in qua super praetensis reatibus denuntiandi erunt, et patrum definitorum suffragio, causâ cognitâ, iudicandi.

De cetero in electionibus capitularibus abbatis generalis, visitatorum, assistentium, definitorum et procuratoris generalis Romanae curiae faciendis se conformabunt patres vocales decretis sacri Concilii Tridentini, sess. XXV, cap. VI, *De Regularibus*, procedendo secretis suffragiis per schedulas impressas, sive unâ eâdemque manu conscriptas, et in commune vas coram scrutatoribus plicatas palam coniiciendas, itaut ab omnibus interessentibus videri possint, neque nomina eligentium publicentur; quod in omnibus electionibus, quas fieri continget, tam in capitulis generalibus, quam in provincialibus, exacte erit observandum.

Privilegia felicis recordationis Pauli V et Urbani VIII, quibus sacrosanctum missae sacrificium (quod iuxta primaevum Ordinis sancti Basilii institutum et antiquam consuetudinem graece celebratur) etiam latine a prefixo sacerdotum numero pro speciali confluentium devotione fieri permittitur, ita imposterum servanda erunt, ut tantum localia censeantur, nec iis uti possint monachi, nisi a diaetâ (praevio rigoroso examine) approbati et constituti fuerint inter sacerdotes latine celebrantes, quorum numerum ultra praescriptum in praefatis Brevibus nullatenus augere liceat, sed in eventum, in quem de mo-

Statuit indultum de quo in § 2 deinceps censeri tantum locale.

nasterio ad monasterium (quod non aliter quam urgentibus ex causis iussu definitorii fiet) mutarentur, aut subrogetur alter alteri latine celebranti, aut, sublatâ dispensatione et prohibitione praedictis, graece tantum ad instituti sui formam celebrare possint et teneantur, contrariis quibuscumque non obstantibus. Romae, XVIII septembris MDCXLVIII ».

Praedictas constitutiones approbat et confirmat hic Summus Pontifex.

§ 4. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, exponentes praedicti decretum praeinsertum, quo firmius subsistat et exactius observetur, apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri summopere desiderent: idcirco nos, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ tamen in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulas huius confirmationis praeservativas apponit.

§ 5. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, quos illae concernunt et concernent in futurum, inviolabiliter et inconcusse observari,

Decretum irritans.

§ 6. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et dictae Sedis nuntios, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem Ordini illiusque monasteriis ac superioribus quibuslibet et monachis, aliisque, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum omnium et singulorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II ianuarii MDCXLIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 2 ianuarii 1649, pontif. anno V.

CXX.

Confirmatio decreti Congregationis episcoporum et regularium circa exclusionem exprovincialis et patris dignioris provinciae S. Bernardini Recollectorum sancti Francisci in Galliâ a definitoriis [1].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Expositio. § 1. Nuper pro parte dilecti filii Francisci Ægidii Lapi, Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Recollectorum nuncupatorum professoris et provinciae S. Bernardini eorumdem fratrum Recollectorum regni Franciae procuratoris, nobis exposito [2], quod (postquam ipse aliàs venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositis exposuisset, quod eatenus, ob varias rationes et controversias, in eâdem provinciâ quaedam in simili formâ Brevis litterae sub die XX februarii MDCXLII circa exclusiones exprovincialis ac dignioris patris provinciae ab ingressu et interventu in definitoriis, a felicis recordationis Urbano Papa V praedecessore nostro emanata pro provinciâ S. Francisci eorumdem fratrum Recollectorum, recepta non fuerant, quodque universa primodicta provincia in illius capitulo provinciali de proxime praeterito mense aprilis celebrato, mandatis apostolicis inhaerendo, iudicaverat sese cum reliquis provinciis eorumdem fratrum Recollectorum dicti Ordinis regni praedicti conformare, decreveratque capitulariter et unanimiter dictas Urbani praedecessoris litteras ab eiusdem primodictae provinciae fratribus Recollectis huiusmodi de cetero observandas esse) subinde ab iisdem cardinalibus emanavit decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

« Sacra congregatio S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, visis litteris in formâ Brevis sanctae memoriae Urbani VIII, XXII februarii MDCXLII editis, necnon audito commissario curiae, censuit exprovinciali et patri digniori praefatae provinciae nullum ius competere interessendi definitoriis, attentâ dispositione Brevis praefati, quod observandum fore et esse in provinciâ oratorum eadem sacra congregatio statuit et declaravit, contrariis non obstantibus. Romae IV decembris MDCXLVIII ».

M. cardinalis GINETTUS.

(Loco † sigilli).

H. archiep. Patracensis, *secret.*

Franciscum Ægidium supremâ auctoritate absolvit Summus Pontifex.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Franciscus Ægidius decretum praedictum, quo firmius subsistat et exactius observetur, apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri summopere desideret: idcirco nos, eumdem Franciscum Ægidium specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Legendum foret *expositum fuit* (R. T.).

Clausulas apponit.

§ 3. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, ad quos spectat, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis et provinciarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ac omnibus et singulis illis, quae idem Urbanus praedecessor in suis litteris praedictis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 5. Volumus autem, quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v ianuarii MDCXLIX, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 5 ianuarii 1649, pontif. anno v.

CXXI.

Facultatem inquisitori et episcopo Melitano ut pro extinctione monetae aereae contribuant etiam ecclesiastici dictae insulae[1].

Venerabili fratri episcopo Melitano, ac dilecto filio adversus haereticam pravitatem in insulâ Melitanâ inquisitori generali apostolicâ auctoritate deputato,

Innocentius Papa X.

Venerabilis frater,

salutem et apostolicam benedictionem.

Facti series.

§ 1. Nuper[1] pro parte dilectorum filiorum iuratorum et deputatorum universitatis et hominum insulae Melitanae nobis expositum fuit, quod, cum a decem annis citra plus solito Turcarum tyrannus eamdem insulam valido exercitu infestare velle minaretur, dilecti filii magnus magister et conventus eiusdem hospitalis, ut eidem Turcarum tyranno resisterent, novas duplicatasque munitiones facere, et, post exaustum in illis dicti hospitalis aerarium, illud grandi aere alieno ex censuum impositione contracto obstringere, necnon insuper, pro expensis quae dilationem non patiebantur, monetam ex aere in pluribus vicibus usque ad summam ducentorum et quinquaginta sex millium scutorum, quae tota in opere munitionum huiusmodi erogata est, cudi facere coacti fuerunt. Cuius monetae postmodum extinctâ scissâque parte aliquâ, cum ipsi magnus magister et conventus statuissent rationem inire qua residuum dictae monetae extinguerent scindique facerent, de anno MDCXLV invalescentibus ut cum maxime dicti Turcarum tyranni minis, collectoque per eum firmissimo exercitu, qui, donec ad insulam Cretensem movit, credebatur insulam praedictam aggressurus, oportuit eosdem magnum magistrum et conventum, quo formidatam et aliàs expertam obsidionem sustinere possent, novas et excessivas expensas facere, invectis introductisque aliunde in eamdem insulam brevissimo tempore maximâ commeatus aliarum rerum ad bellum necessariarum copiâ ingentique militum exterorum manu, idque aere eiusdem hospitalis proprio, absque ullâ universitatis et hominum huiusmodi contributione; malueruntque magnus magister et

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

1 Quamsimilem constitut. habes supra pag. 580, at ista non omnino eadem est cum illâ (R. T.).

conventus praedicti bona et religiosos eiusdem hospitalis, duplicatis oneribus ordinariis super prioratuum, baiulivatuum, ac praeceptoriarum, seu commendarum eiusdem hospitalis fructibus et proventibus impositis, necnon censuum in almâ Urbe nostrâ, in civitate Ianuensi, Franciaeque regnis, et alibi, in aliquot centenis scutorum millibus creationibus et constitutionibus, quam universitatem et homines praedictos praegravare; unde tunc necesse fuit supersedere in dictae monetae aereae extinctione ab omnibus popularibus huiusmodi peroptatâ. Proptereaque, cum, ultra praedictam ducentorum quinquaginta circiter millium scutorum summam, etiam alia consimilis moneta in aere pro summâ scutorum quadraginta millium causa[1] fuerit, ex tantâ monetae aereae huiusmodi copiâ et quantitate factum est, ut usus monetae aureae et argenteae cessaret in eâdem insulâ, cuius ager cum minime praeferat[2] quantum in sex menses sustentationi eorumdem universitatis et hominum satis esse possit, sibique de omnibus ad victum necessariis in partibus exteris providendum sit, in quibus, dicta moneta aerea repudiatur, cursumque non habet; propterea, ac aliàs, occasione dictae monetae aereae universitas et homines praedicti non levia damna et incommoda hactenus passi sunt et in dies patiuntur, cum pro cambio seu collybo monetae ad praesens trigintaquinque scuta pro quolibet centinario solvantur, pretiaque rerum pro medietate ultra consuetum creverint; eâque de causâ eadem universitas et homines, destituti opportunitate quam habere solebant pecunias capiendi a negotiatoribus ad aliquod competens interesse ut sibi de frumentariâ ad eiusdem insulae sustentationem necessario providerent, et ignari quidnam hac in re consilii caperent, ad eumdem magnum magistrum eiusque consilium recursum habuerunt, illisque supplicarunt, ut eidem universitati et hominibus, ne fame perirent, in curâ comparandi tritici subintrarent, succederentque. Quo onere per eosdem magnum magistrum et consilium assumpto, et ad frumenti emptionem sumptâ ad interesse notabili pecuniarum summâ, ob immersum[1] alio gravi aere alieno quo sese exsolvere nequit commune dicti hospitalis aerarium, propter nimis diminutos illius redditus occasione praesentium motuum bellicorum inter principes christianos excitatorum subsecutamque postmodum ingentem praesentis anni sterilitatem, pretium tritici adeo crevit, ut, computatis expensis et interesse, tumulus tritici mensurae illarum partium novemdecim aut viginti circiter tarenis monetae pariter illarum partium[2]. Quoniam vero compertum fuit esse impossibile, ut a personis particularibus triticum tanto pretio solveretur, ideo, ad supplicationem universitatis et hominum praedictorum idem magnus magister tumulum frumenti solis dumtaxat decem tarenis vendi fecit, propter quod eadem universitas et homines gravissimum aes alienum cum eodem hospitali contraxerunt; quod eo maius erit, quia ipsum hospitale per decretum expressum obligavit se per totum mensem augusti proxime praeteritum frumenti pretium non aucturum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, eadem universitas et homines nullos redditus nullaque bona stabilia habeant, quae dissolvendo tam gravi suo aeri alieno, quod in eodem mense augusti ad summam centum trigintasep-

1 Lege *cusa* pro *causa* (R. T.).
2 Forsan legend. *proferat* (R. T.).

1 In hoc parallelo legebatur *immersum;* potest et ibi lectio ista adhiberi (R. T.).
2 Heic desunt verba *eidem hospitali constet* supplenda ex loco parallelo (R. T.).

tem millium scutorum circiter pervenit, sufficiant, quamvis ipsi hospitali maxime opus sit, ut dictum suum creditum in pecuniâ numeratâ consequatur; nihilo tanem minus iidem magnus magister et consilium, miserti vicem dictorum universitatis et hominum, damnumque quod illi continenter occasione dictae monetae aereae sustinent, decreverunt condonare, prout re ipsâ dictum suum creditum iisdem universitati et hominibus condonarunt, ita tamen, ut, si et postquam per eos summa pecuniarum eidem credito aequivalens collecta coactaque fuerit, ex eâ scindi tanta alia quantitas dictae monetae aereae debeat; quod decretum universitas et homines praefati summe gratum acceptumque habuerunt; et, sub die XXVII februarii MDCXLVIII insimul congregati, tres ex suo coetu deputarunt, quibus unanimiter amplam concesserunt facultatem ineundi rationem faciliorem levioremque, qua fiat una collecta generalis per quam pecunia, quae eidem debito dissolvendo par sit, colligi, et tantumdem dictae monetae aereae scindi possit, cum hoc tamen, ut collecta huiusmodi semel dumtaxat et universaliter fiat, itaut illa omnes et singulos, etiam exemptos, comprehendat, attento quod omnes indiscriminatim gavisi fuerunt, continuoque gaudent commodo supradicto vescendi frumento valde minori pretio, quam fuit emptum per idem hospitale.

Supplicatio

§ 3. Quare nobis iidem iurati et deputati humiliter supplicari fecerunt, ut, pro unâ vice tantum, unam collectam seu contributionem generalem super bonis, effectibus et habentiâ singulorum, etiam ecclesiasticorum, etiam regularium cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti, ac etiam familiarium sacrae inquisitionis adversus haereticam pravitatem officii, et quorumlibet aliorum, quantumvis exemptorum et privilegiatorum, imponendi licentiam ad praemissorum effectum concedere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio.

§ 4. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium controversiis iurisdictionalibus praepositorum consilio, vobis per praesentes concedimus facultatem, ac committimus et mandamus, ut, pro extinctione monetae ex aere fabricatae usque ad summam scutorum centum trigintaseptem millium in circa, contribuant etiam ecclesiastici seculares et regulares, pro ratâ quorumcumque bonorum, rerum et effectuum, per vos, servatis servandis, declarandâ; ita tamen, ut ex eâ creditum etiamsi dicti hospitalis, ad eamdem summam centum trigintaseptem millium scutorum in circa ascendens, extinctum remaneat; et cum onere, quod residuum eiusdem monetae ex aere fabricatae, ascendentis ad summam ducentorum quinquaginta millium in circa, infra biennium cum effectu extinguatur, semotâ omni dilatione, ac salvâ in praemissis semper auctoritate congregationis praedictorum cardinalium.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam consiliaribus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis,

etiam ecclesiis tam secularibus quam regularibus praedictis, ac etiam in favorem familiarium et officialium sanctae inquisitionis officii huiusmodi, et quorumvis aliorum etiam speciali mentione dignorum, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credendum.

§ 6. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII februarii MDCXLIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. 12 februarii 1649, pontif. anno V.

CXXII.

Renovatio indulgentiarum et aliarum gratiarum spiritualium pro christifidelibus Indiarum Occidentalium[1].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

§ 1. Animarum saluti paternâ charitate intenti, supplicationibus dilecti filii Vincentii Caraffa Societatis Iesu praepositi generalis nomine nobis humiliter porrectis inclinati, ac multorum praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis inhaerentes, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus christifidelibus in quibuscumque Oceani Indiis, aut Sinarum regione, vel Brasiliâ constitutis, praesentibus et futuris, vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, quoties aliquem ex infidelitate et idololatriâ ad veri Dei cognitionem reduxerint, plenariam; necnon eisdem, etiam vere poenitentibus et confessis, S. Thomae apostoli in Indiis praedictis[1], vel aliquam ex certis[2] dilectorum filiorum presbyterorum Societatis Iesu ecclesiis illarum partium Deo vel in honorem Sanctorum erectis, necnon omnes et singulas huiusmodi ecclesias collegiorum, domorum et residentiarum eiusdem Societatis regionum praefatarum saltem inter se per centum milliaria distantes, ut supra erectas, singulis annis quatuor diebus festis Domini nostri, Beatae Mariae Virginis, aut Sanctorum per dictae Societatis praepositum generalem designandis, visitantibus, et inibi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumentibus, ac pro gentilium et haereticorum conversione pias ad Deum preces fundentibus, etiam plenariam; omnibus etiam et singulis tam presbyteris quam aliis de dictâ societate existentibus, quos in qualibet utriusque Indiae regione, vel Oceani insulâ, aut navigatione pro fidei negocio eundo vel redeundo tueri contigerit, in cuiuslibet eorum mortis articulo, saltem contritis et confessis si communicare nequiverint, plenariam pariter; scholaribus vero in utrâque India existentibus, ac confraternitati Beatae Mariae Virginis ibi canonice institutae adscriptis,

Indulgentiam plenariam pro christifidelibus Indiarum Occidentalium concedit Summus Pontifex.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Edit. Main. legit *praedicti* (R. T.).

2 Videtur legendum *ceteris* pro *certis* (R. T.).

qui in Annunciationis et Assumptionis ipsius Beatae Mariae Virginis festis dictum sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, et coronam, vel tertiam partem Rosarii recitaverint, necnon utriusque sexus christifidelibus aliquam ex confraternitatibus canonice erigendis ingressis, qui in festivitate sanctissimi Corporis Christi et illius octavae poenitentes similiter et confessi idem sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, et in cuiuslibet eorum utriusque sexus christifidelium mortis articulo, etiam poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, aut saltem contritis si confiteri et communicare non potuerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Varias concedit indulgentias iis, qui praescripta peregerint.

§ 2. Insuper dictis scholaribus huiusmodi confraternitati adscriptis, qui in singulis eiusdem Beatae Mariae Virginis, ac Resurrectionis, Pentecostes et Nativitatis Domini nostri Iesu Christi festivitatibus, si confessi et contriti, praemissa peregerint, decem annorum de iniunctis eis seu aliàs quomodolibet debitis poenitentiis; eis quoque, qui in singulis diebus veneris cuiuslibet quadragesimae devote processionibus publicis in partibus et locis transmarinis ad orandum pro conversione gentilium et haereticorum praefatorum iuxta ritum Ecclesiae Romanae institutis interfuerint, trium annorum; reliquis vero omnibus eisdem processionibus praesentibus, contritis et confessis, unius anni indulgentiam elargimur. Quodque pro animabus eorum christifidelium, qui in praefatis utriusque Indiae navigationibus pro negotio fidei instituendo ab humanis in charitate Christo coniuncti decesserint, confessi ac sacrâ communione refecti tertiam partem Rosarii aut unam coronam recitaverint, quoties id agent, toties per modum suffragii unam ex dictorum animabus a poenis purgatorii liberare valeant. Quodque scholares utriusque Indiae huiusmodi, qui in scholis presbyterorum dictae societatis dant operam litteris, in presbyterorum eorumdem ecclesiis missas et alia divina officia tempore interdicti et cessationis a divinis, ipsique presbyteri, iisdem scholaribus praesentibus, ianuis clausis, et non pulsatis campanis, et dummodo ipsi causam huiusmodi interdicto non dederint, ac interdictis et excommunicatis exclusis, audire et celebrare respective possint, concedimus et indulgemus. Insuper praefatis omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus in Indiis et regionibus praedictis existentibus, qui contriti et confessi quamlibet ecclesiam et cappellam in eisdem partibus dictorum presbyterorum Societatis Iesu curâ et operâ ut supra erectam, aut in futurum erigendam, devote visitaverint, et ut supra oraverint, quadraginta dies; et semel quolibet anno, aliquo die festo Domini nostri Iesu Christi, Beatae Mariae Virginis, aut Sanctorum, quem provincialis dictae Societatis constituerit, septem annos et totidem quadragenas; eisdem, qui aliquam ex praedictis ecclesiis dictorum presbyterorum Societatis Iesu, quadragesimae et aliis temporibus stationum Urbis, dominicis et feriâ sextâ diebus visitaverint, easdem omnes et singulas indulgentias concedimus, quas consequerentur si ecclesias et basilicas Urbis in diebus stationum huiusmodi devote visitarent; illisque, qui singulis diebus feriae sextae primae hebdomadae cuiusque mensis easdem ecclesias devote visitaverint, et ibi quinquies orationem dominicam et toties salutationem angelicam pro exaltatione fidei catholicae recitaverint, septem annos; in festis vero Domini nostri Iesu Christi, ac Beatae Virginis, Apostolorum, sub cuius titulo ecclesia consistet, decem annos; his autem, qui

aliquam ex dictis ecclesiis, postquam confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, visitaverint, toties viginti annos; ac eisdem christifidelibus utriusque Indiae et transmarinorum limitum, qui processionibus et precibus iuxta ritum sanctae Romanae Ecclesiae a praedictis presbyteris de Ordinariorum licentiâ instituendis et agendis, Indorum et Æthiopum seu quorumvis aliorum neophytorum ac aliorum christianorum, interfuerint, et ad eas associaverint, christianam doctrinam cum eisdem presbyteris vel ab eis deputatis recitaverint vel privatim docuerint, quoties id fecerint, septem annos et totidem quadragenas; invisentibus autem infirmos, et praesertim Indorum hospitalia, xenodochia et alia similia loca pia ipsis etiam infirmis per se vel alium ministrando, singulis diebus, quibus id fecerint, viginti quinque; qui vero ad infirmos accedentes ibi pernoctaverint, quinquaginta; eis etiam qui coram Beatae Mariae imagine, ab almâ Urbe ad collegium civitatis Limae in Perù, ut asseritur, delatâ, tertiam Rosarii partem vel coronam recitaverint, centum similiter dies de iniunctis eis seu aliàs quomodolibet debitis poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ relaxamus, ac respective concedimus et indulgemus.

Patribus Societatis Iesu dat facultatem dispensandi et absolvendi a matrimoniis in illis regionibus illicite contractis,

§ 3. Praeterea eiusdem Societatis Iesu provincialibus, vel ab eis deputandis presbyteris, cum neophytis provinciarum utriusque Indiae, aliarumque maris Oceani regionum, in quibus inter infideles fideles existunt, et non adsunt Ordinarii similem facultatem habentes, vel ultra duas dietas iuxta constitutionem felicis recordationis Pauli III editam existunt, in quocumque, seu quibusvis, non tamen in primo, consanguinitatis vel affinitatis gradibus, vel aliàs coniunctis, seu sic attinentibus, ut matrimonium inter se contrahere, seu in etiam scienter contractis remanere valeant, in foro conscientiae tantum, gratis tamen, dispensandi; et insuper ibidem locorum Ordinariis, ut, de presbyterorum eorumdem tamquam adiutorum et assessorum suorum in locis praescriptis, et ubi eorum commode potuerit haberi copia, consilio, et cum illis, etiam in iudiciali foro; in reliquis autem provinciis praefatis Ordinariorum praesentiâ destitutis, vel ab eis ultra duas dietas praedictas non minus ducentis millibus passuum remotis, provincialibus, et deputatis presbyteris praedictis, cum eisdem neophytis, non tamen in primo gradu, in utroque foro gratis dispensandi, et eos, qui in gradibus prohibitis huiusmodi etiam scienter contraxerint, ab excessibus et excommunicationis aliisque censuris et poenis ecclesiasticis in utroque foro gratis pariter absolvendi, ac prolem inde susceptam legitimam decernendi; necnon ipsis presbyteris in eisdem Indiis et locis praedictis constitutis, quibus aliqua Eucharistiae fragmenta seu minutiae pro tempore interciderint, etiam post peractum sacrificium, absque ullo conscientiae scrupulo, iuxta rubricas missalis Romani reverenter sumendi;

Et absolvendi a reservatis et censuris.

§ 4. Insuper presbyteris eiusdem Societatis Iesu (quos in saracenorum et aliorum infidelium terras et alias utriusque Indiae et transmarinas regiones maris Oceani, ad quas Hispani et Lusitani penetrant, ac provincias remotissimas ubi non est inquisitio, et fideles inter infideles degunt, neque Ordinarii saltem inter duas dietas existunt huiusmodi facultatem habentes, praepositus generalis miserit) christianos, in eisdem provinciis, Indiis et regionibus commorantes, ab omnibus peccatis, sententiis et censuris, etiam in Bullâ Coenae Domini contentis et reservatis, etiam gratiose absolvendi facultatem; eisdemque, ut semel ab aliquo illarum partium episcopo approbati ad praedicandum, confessiones audiendas, et missas

celebrandum in ecclesiis et oratoriis Societatis Iesu praedictae, pro ministeriorum huiusmodi exercitio ulterius licentiam et approbationem ab aliis episcopis, quatenus distent ultra duas dietas, petere seu habere minime teneantur, sed absque illis praemissa facere possint;

Dicti patres etiam siue episcopi licentiam fideles in his regionibus degentes absolvere valent.

§ 5. Si vero episcopus ab ecclesiâ vel loco, ubi praedicatur vel confessiones audiuntur, non distet ultra praedictas duas dietas, tunc licentia etiam alterius Ordinarii ita vicini prius obtineri debeat, quae tamen per epistolam etiam impetrari possit; possint etiam extra ecclesias consecratas super altaribus portatilibus, in loco tamen decenti, ubi non est commoditas ecclesiarum, et in casu necessitatis tantum, etiam per horam ante lucem, vel etiam post meridiem, in eisdem regionibus, cum opus fuerit, celebrare, et in Maluco, Iappone et aliis insularum, terrarum, provinciarum et locorum praefatorum partibus et locis a quibus valde remoti sunt episcopi, oleis sanctis per duos vel tres aut quatuor annos antea consecratis libere uti possint;

Ulteriores facultates ipsis supradictis patribus conceduntur.

§ 6. Necnon, ut quicumque, ex praefatis presbyteris Societatis praefatae tantum, sacrosanctum missae sacrificium defunctorum pro animabus christifidelium, qui ex hac vitâ in charitate Christo coniuncti[1] decesserunt, in singulis ecclesiis Societatis Iesu ad unum illorum superiorum arbitrio semel deputandum altare celebraverint, per modum suffragii iisdem animabus prosint;

§ 7. Postremo iisdem presbyteris a praeposito generali et dictâ Societate deputandis, ut in praefatis regionibus, provinciis et locis, in quibus similiter fideles, cum infidelibus vivunt, et non adsint Ordinarii qui huiusmodi facultatem habeant, qui[2] distant ultra duas dietas, cum neophytis, aliisque ad fidem reductis, ex rationabili causâ et legitimâ, super voto castitatis, non tamen solemni, quomodolibet etiam per Ordinis sacri susceptionem vel professionis regularis in religione per Sedem Apostolicam approbatâ emissionem facto, et super matrimonio de facto et in facie Ecclesiae sive scienter sive ignoranter contracto, et quovis occulto impedimento, praeterquam primi gradus, propter quod tale matrimonium in conscientiâ esset invalidum, et contrahentes sine scandalo separari non possent, dispensandi, gratis tamen et in foro conscientiae tantum; ac super bonis male acquisitis, ad quae restituenda ipsi neophyti et alii praefati in[1] certis personis obligati extiterint, cum eis ad opera pia componendi, vel, si ipsi indigerent, eis in toto vel in parte remittendi; necnon cum Indis[2] in foro conscientiae tantum, et cum neophytis in utroque foro super ieiuniis, gratis tamen, dispensandi; necnon ab onere petitionis debiti matrimonialis, quando non esset licitum illud ratione voti castitatis vel aliâ rationabili causâ petere, in foro conscientiae tantum et gratis liberandi; licentiamque legendi libros infidelium de licentiâ sui provincialis personis dignis concedendi, licentiam et facultatem, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, respective concedimus et impertimur; missas quoque per horam ante auroram ipsi patres Societatis celebrare possint; ac[3] cum suis regularibus, ut ad sacros etiam presbyteratus ordines per annum ante legitimam aetatem promoveri possint, dispensare valeant, similiter concedimus.

§ 7. Et insuper, quia a nonnullis dubitatum seu haesitatum fuit an omnes indigenae illarum regionum oriundi et naturales et christianorum indigenarum

1 Verbum *sunt* heic delemus (R. T.).
2 Videtur *quia* pro *qui* legeretur (R. T.).

1 Praeposit. *in* delenda videtur (R. T.).
2 Edit. Main. legit *Indiis* (R. T.).
3 Heic deest particula *ut* (R. T.).

et baptizatorum filii etiam in eorum infantiâ baptizati iure neophyti appellari possint; idcirco, tenore earumdem praesentium, decernimus et declaramus, omnes oriundos seu naturales supradictarum omnium tam orientalium quam occidentalium partium, imo etiamsi Æthiopes, Angulani, vel quarumvis aliarum transmarinarum regionum, etiamsi christianorum filii, et in infantiâ baptizati, vel etiam inter se vel cum Europaeis mixtim progeniti sint, ad concessionis huiusmodi effectum esse et intelligi debere neophytos; dictosque presbyteros[1] cum huiusmodi, ut vel matrimonio coniuncti[2], vel in iam contracto remanere possint, sive eorum alter tantum sive etiam uterque inde oriundus ac proprie indigena sit in locis, et aliàs, ut supra, in quibuscumque consanguinitatis seu affinitatis, gradibus iure divino, ut supra, non prohibitis, primo excepto, et aliàs, ut praefertur, gratis tamen, dispensare possint, concedimus et indulgemus; quin etiam (quia de mixtim progenitis, quos *mestisos* vocant, maius dubium esse accepimus) cum eisdem, mestisque[3], quos similiter ad hunc effectum neophytos censendos esse decernimus, in gradibus et matrimoniis contractis et contrahendis praefatis, gratis tamen, dummodo non ita facile id fiat, dispensare; eisdemque presbyteris facultatem desuper concedimus opportunam.

§ 8. Decernentes presbyteros dictae Societatis super praemissis, et aliis iuxta facultates praedictas et illarum vigore, servatâ tamen illarum formâ, exequendis, ex quovis colore per quoscumque loci Ordinarios seu alios superiores et iudices ecclesiasticos et seculares, quavis auctoritate fungentes, molestari, perturbari aut inquietari nullatenus posse; sicque per quoscumque iudices, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane, si secus super a quoquam, quâvis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 9. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et, quatenus opus sit, nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Contrariis derogat.

§ 10. Praesentibus ad xx annos a fine aliorum viginti annorum, ad quos similes gratiae a felicis recordationis Urbano papa VIII praedecessore nostro concessae fuerunt, inchoandos tantum valituris.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I martii MDCXLIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 1 martii 1649, pontif. anno v.

1 Legerem *dictisque presbyteris ut* (R. T.).
2 Legendum *coniungi* pro *coniuncti* (R. T.).
3 Potius lege *cum eisdem mestisis* (R. T.).

CXXIII.

Declarat incurrisse in excommunicationis maioris aliasque poenas canonicas eos, qui episcopum Castrensem occiderunt aut mandatum dederunt[1].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Cum, sicut non sine gravi animi nostri perturbatione accepimus, bonae memoriae Christophorus, episcopus Castrensis, provinciae Romanae, in itinere a nonnullis iniquitatis filiis, qui ad praesens ignorantur, non procul a terrâ nostrâ Montis Rosarum nefarie interfectus fuerit: nos, crimen adeo horrendum, et quod nos sui atrocitate confudit, poenis per sacros canones, conciliorumque generalium decreta, et constitutiones apostolicas inflictis Causae huius Constitutionis.

1 Ex Regest. in Secrest. Brev.

et promulgatis, pro officii nostri debito, vindicare et punire volentes, ex parte Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti, auctoritate quoque beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostrâ, omnes et singulos, qui homicidium in personâ dicti Cristophori episcopi commiserunt, aut illud fieri mandaverunt, seu, factum ab aliis, ratum habuerunt, vel socii in hoc fuerunt facientium, aut consilium, auxilium vel favorem illis dederunt, seu illos scienter defensaverunt vel receptaverunt, et generaliter quoscumque tam detestandi sceleris quomodolibet complices et culpabiles, cuiuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, ordinis, praeeminentiae et dignitatis, sive ecclesiasticae sive secularis, etiam specialem et individuam expressionem requirentis, existant, anathematis et excommunicationis maioris aliasque poenas quascumque, a sacris canonibus, conciliorum generalium decretis, et constitutionibus apostolicis, et speciatim illâ quotannis in die Coenae Domini legi solitâ inflictas, eo ipso damnabiliter incurrisse, tenore praesentium declaramus, ipsosque et eorum quemlibet, et quoscumque scientiam de praefatis delinquentibus habentes et non revelantes, anathematizamus et excommunicamus, ac anathematizatos et excommunicatos publicamus et nunciamus. Ab excommunicationis autem et anathematis huiusmodi sententiis nemo praefatorum per alium quam nos et Romanum Pontificem pro tempore existentem, praeterquam in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc nisi de stando Ecclesiae mandatis et satisfaciendo cautione praestitâ, atque cum reincidentiâ eo ipso quo convaluerit, etiam vigore seu praetextu iubilaei anni sancti, cruciatae sanctae, aliorumque iubilaeorum, indulgentiarum, indultorum, facultatum et privilegiorum, etiam speciali expressione dignorum, quibuscumque ecclesiasticis, secularibus et quorumvis Ordinum etiam Mendicantium ac militiarum regularibus, etiam episcopali vel aliâ maiori dignitate praeditis, ipsisque Ordinibus et eorum monasteriis, conventibus et domibus, ac capitulis, collegiis, confraternitatibus, congregationibus, hospitalibus, etiam sancti Ioannis Hierosolymitani, et locis piis, necnon laicis, etiam regali, ducali et aliâ mundanâ praecellentiâ fulgentibus, per nos et Sedem Apostolicam ac cuiusvis concilii decreta, verbo, litteris, aut aliâ quacumque scripturâ, in genere vel in specie, concessorum, et etiam pluries innovatorum ac concedendorum et innovandorum, absolvi possit.

Neminem posse absolvere ab excommunicatione eos, qui episcopum Castrensem occidunt declarat.

Praefatos excommunicatos publicari mandat.

§ 2. Et quia eo maior erit ipsorum confusio, quo sua fuerit culpa patentior, quousque dignam satisfactionem praestiterint, et absolutionis beneficium, ut supra, se obtinuisse docuerint, omnibus et singulis patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis et locorum Ordinariis ubilibet constitutis per easdem praesentes committimus et in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, ut, per se, vel alium, seu alios, per omnes civitatum et dioecesum suarum ecclesias quibuslibet diebus dominicis et festivis, dum in eis maior populi multitudo ad divina convenerit, pulsatis campanis, et candelis accensis, praefatos sic excommunicatos et anathemizatos solemniter pubicent, seu publicari curent et faciant.

Contravenientes excommunicat.

§ 3. Quod si forte aliqui contra tenorem praesentium talibus excommunicatione et anathemate illaqueatis, vel eorum alicui, absolutionis beneficium impendere de facto praesumpserint, eos excommunicationis sententiâ innodamus, gravius contra eos spiritualiter et temporaliter prout expedire noverimus processuri.

Clausulas apponit.

§ 4. Decernentes praesentes litteras, etiam ex eo quod praefati et quicumque alii in praemissis interesse habentes, seu

habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi fuerint, de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quopiam quantumvis substantiali defectu, et ex quacumque aliâ causâ, occasione, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, notari, impugnari, invalidari, redargui, seu rescindi, aut ad terminos iuris reduci, aut adversus illa aperitionis oris, restitutionis in integrum, vel aliud quodcumque iuris, facti, vel gratiae remedium impetrari, aut etiam motu proprio concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti, seu se iuvare nullo unquam tempore possit; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 5. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibuscumque, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ac praescriptionibus quantumcumque longissimis et immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus supradictis, vel eorum alicui, seu quibusvis aliis, cuiuscumque Ordinis, status, gradus, conditionis, dignitatis et praeeminentiae fuerint, etiamsi, ut praemittitur, pontificali, regali, ducali, seu quavis aliâ ecclesiasticâ et mundanâ praefulgeant dignitate, a Sede praedictâ ex quacumque causâ per viam contractus et remunerationis, etiam intuitu et contemplatione regum, ducum, rerumpublicarum et aliorum quorumcumque, ac sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, ac etiam consistorialiter, et aliàs in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, etiam continentibus, quod excommunicari et anathemizari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis et indultis huiusmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus et dignitatibus eorum mentionem; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse decernimus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV martii MDCXLIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 24 martii 1649, pontif. anno V.

CXXIV.

Indictio universalis iubilaei anni sancti MDCL [1].

1 Annum Iubilaei instituit pro quolibet saeculo, ac indulgentiam plenariam concessit visi-

Innocentius Episcopus,
servus servorum Dei,
Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. Apropinquat, dilectissimi filii, continuis expetitus bonorum votis annus a Partu Virginis quinquagesimus supra millesimum sexcentesimumque, ad quem in hac Urbe sanctitatis regiâ celebrandum (ex veteri Ecclesiae ritu, quem Bonifacius Papa VIII, praedecessor noster, intra seculi spatium, sive institutor, sive instaurator inclusit, ac alii deinde Romani Pontifices, praedecessores quoque nostri, in breviores annorum circulos, quo pluries fruerentur, iubilaei solemnia redegerunt) nos eâdem fulti auctoritate, quae in nobis per Dei misericordiam perseverat, vos acceptabili hoc tempore, non, ut olim, tubis clangentibus et Hebraeorum populum excitantibus ad recolendum annum ab egressu filiorum Israel ex Ægypto quinquagesimum annum iubilaei, ac remissionis, libertatisque captivorum, haereditatum, ac possessionum, sed ipsius Altissimi Filii voce compellamus, qui primus per sanguinem suum evangelizavit mundo iubilaei annum, clamans per ora prophetarum ad annuntiandum mansuetis missum se esse, ut medeatur contritis corde, ut praedicet captivis indulgentiam et clausis libertatem et annum placabilem Domino. Audite haec, omnes Christi sanguine redempti, intrate exultantibus animis portas eius, haurite cum iubilo de fontibus Salvatoris aquas salientes in vitam aeternam. Invitat vos sanctarum aperitione portarum civitas haec sacerdotalis, et regia haec Petri Sedes et fidei petra, haec magistra religionis, vineae Domini turris, communis omnium patria et commune perfugium. Hìc, aperto spirituali aerario divitiae, meritorum Christi sanctorumque in Ecclesiam congestae, in hac plenitudine temporis, pleniore in omnes manu dispensantur, et reseratis caeli favoribus caelestium benedictionum manna in christifideles abundantius pluit. Invitant vos trophaea Apostolorum, tanto apud omnes gentes ab ipso nascentis Ecclesiae exordio venerationi semper habita, ut ex longinquis mundi partibus ad ea venientes, quamvis viderent, vigentibus imperatorum persecutionibus, detegi se per eum cultum, et tamquam christianos observari, atque adeo mortis discrimen adire, non tamen a sacris peregrinationibus absisterent, ac plures ob eam causam martyrii palma decoraret. Haec sunt illa Apostolorum sepulchra imperatoriis manibus aedificata, quorum vel externos basilicae gradus ac limina genibus flexis imperatores aliquando subiisse legimus, ac reges magnam gratiam putasse, si non prope Apostolorum monumenta, sed vel extra basilicae vestibula eorum corpora sepelirentur, ac reges fierent Piscatorum ostiarii. Verum haec ipsa felicium temporum recordatio magno doloris sensu angit cor nostrum, dum animo subinde revolvimus, quam longe a maiorum pietate distent haec tempora, quam multas provincias ac nationes a consortio catholicae religionis haeretica labes absciderit, atque ab hac iubilaei laetitiâ et caelestium bonorum communione seiunxerit. At vos, principes ac reges qui vexillum crucis in fronte gestant[1], vos, filii promissionis, gens sancta, populus acquisitionis, vos, qui timetis Deum, pusilli ac magni, uno vos omnes ore offerte in templum eius sacrificium laudis, et condonate invicem offensionibus in anno remissionis ac pacis, abiectisque

tantibus Urbis ecclesias Bonifacius VIII in suâ Const. XV, tom. IV, pag. 156; qui quidem Iubilaei annus, ultra alias reductiones, redactus fuit ad annum vigesimum quintum a Paulo II in Const. X, tom. V, pag. 200.

1 Videretur legendum *gestatis* (R. T.).

tandem armis, quae cum funestâ christiani sanguinis effusione iamdiu exercentur, ad[1] communem hanc credentium Matrem, ex qua lac fidei omnes pariter suxistis, fraternis ac iubilantibus animis convenite. Qui vos vocatione suâ sanctâ dignatur, mittet e sede magnitudinis suae angelos salutis, qui vos ad haec sacra Apostolorum limina peregrinantes doceant vias eius et dirigant semitas aeternitatis. Erit haec vestra e variis mundi partibus in domum Domini convenientium frequentia populorum iucundum caelo caelitibusque spectaculum. Erit et vobis acceleratio divinae propitiationis et cumulus gratiarum. Si enim oratio iusti plurimum valet, quid preces tot millium communi charitatis spiritu in unum psallentium non impetrabunt? Erit quoque religionis hostibus rubor et confusio (utinam et resipiscendi occasio!) dum tabescentes videbunt omnia Christi membra suo capiti cohaerere, intelligentque se patris loco non habere Deum, qui Romanam Ecclesiam matrem non agnoscunt.

Indicit Summus Pontifex universale iubilaeum anni sancti MDCL.

§ 1. Nos interim, quos Deus nullo quidem meritorum suffragio voluit suorum mystheriorum dispensatores praesidere Ecclesiae quam acquisivit sanguine suo, de eius misericordiâ confisi, sanctissimis praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, eorumque sanctum institutum tenentes, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium assensu, universale maximumque iubilaeum in hac sacrâ Urbe, a primis vesperis vigiliae Nativitatis Sanctissimi Salvatoris nostri Iesu Christi proxime futurae incipiendum, et per totum eiusdem praenarrati anni MDCL, Deo dante, prosequendum, auctoritate Dei omnipotentis ac beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostrâ maximâ et inenarrabili nostri cordis iubilatione, ad ipsius omnipotentis Dei gloriam, sanctae Ecclesiae exaltationem et tranquillitatem, haeresum extirpationem, catholicorum principum concordiam, christianorumque omnium populorum solatium et satisfactionem, indicimus, promulgamus et statuimus.

Plenissimam omnium peccatorum indulgentiam impertitur.

§ 2. Qua sanctissimi iubilaei celebratione durante, omnibus utriusque sexus christifidelibus, vere poenitentibus et confessis, qui[1] beatorum Petri et Pauli apostolorum basilicas, Lateranensem quoque ac S. Mariae Maioris almae Urbis ecclesias, semel saltem in die, per triginta continuos aut intermissos dies, si Romani vel incolae Urbis fuerint, seu per quindecim dies, si fuerint peregrini aut aliàs externi, devote visitaverint, et pro ipsorum fidelium ac totius christiani populi salute, pace et concordiâ pias ad Deum preces effuderint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem ac veniam misericorditer in Domino concedimus et impertimur. Et quoniam evenire potest, ut ex iis, qui hac de causâ iter aggressi fuerint, vel ad Urbem se contulerint, aliqui in viâ, aut etiam in ipsâ Urbe, morbo vel aliâ legitimâ causâ impediti, aut morte praeventi, praefinito dierum numero non completo, ac ne quidem fortasse inchoato, praemissa exequi et dictas basilicas et ecclesias visitare nequeant, nos, pie promptequ[2] illorum voluntati, quantum in Domino possumus, benigne favere cupientes, eosdem vere poenitentes et confessos praedictae indulgentiae ac remissionis participes perinde fieri volumus, ac si dictas basilicas et ecclesias, ut praefertur, a nobis praescriptas re ipsâ visitassent.

Cunctis Ecclesiae praelatis mandat publicationem anni sancti.

§ 3. Vos autem, venerabiles fratres nostri, patriarchae, primates, archiepiscopi et episcopi in partes sollicitudinis nostrae vocati duces, et pastores populorum, lux

1 Male edit. Main. legit *ad* pro *ac* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *in* pro *qui* (R. T.).

2 Aptius lege *piae promptaeque* (R. T.).

mundi et sal terrae, capite tubas argenteas, quarum usus est in iubilaeo, idest, et adhibete praedicationem verbi Dei, et annuntiate populis hoc gaudium, ut sanctificetur, et Dei iuvante gratiâ parati sint ad ea caelestia dona capienda, quae bonorum omnium largitor Dei Filius dilectionis suae per mystherium humilitatis nostrae praeparavit; adducite, fratres, verbo et exemplo parvulos ad huius carissimae Matris ubera, quae eos per evangelium in Christo genuit, adducite filios ad Patrem, oves ad Pastorem summum, membra ad caput, fideles[1] ad fidei petram, in qua omnis aedificatio catholicae ecclesiae constructa consurgit, adducite pŏpulum ad sanctam Romanam Ecclesiam, et ad gloriosos principes terrae Petrum et Paulum, qui universum mundum legem Domini docuerunt, et quorum fides, dignitas et auctoritas indigno etiam in haerede non deficit. Ad sacras igitur indulgentias earumque salutares fructus ipsi iubilaei anno Romae percipiendos vocate coetum, congregate populum, sanctificate ecclesiam, docete oves fidei vestrae creditas, quia advenae et peregrini sumus in hac vitâ, et civitatem hîc permanentem non habemus, sed futuram inquirimus. Ideo, quia breves dies sunt huius nostrae aerumnosae peregrinationis, et nescim usqua horâ paterfamilias et sponsus Christus venturus sit, idcirco vigilent, et lampades ardentes et plenas oleo charitatis et misericordiae gestent in manibus, et festinent ingredi in illam requiem.

Hoc praecipue anno vitae sanctimoniam cunctis christifidelibus commendat.

§ 4. Nam, si unquam aliàs, nunc potissimum irae, rixae et contentiones et inveterata odia dimittenda propter Christum, nunc maxime servos decet misereri conservorum suorum, ut Dominus clementissimus iam debĭtum dimittat eis, nunc praecipue omnes carnis impuritates abluendae, ut templum Dei mundum sit, et unusquisque vas suum possideat in honore et sanctificatione, et portet Deum in corpore suo, postremo furta, rapinae, homicidia et adulteria et omnia peccata exterminanda, ut placetur ira Dei, et eos, qui christiano nomine gloriantur, agnoscant[1] vere christianos et imitatores Christi et sectatores bonorum operum. Docete autem eos quemadmodum ad salutares indulgentias consequendas in animo contrito et in spiritu humilitatis assiduis orationibus et ieiuniis ceterisque pietatis operibus se ipsos praeparare atque exercere debeant, et, qui substantias huius mundi habent, aperiant viscera sua et fratrum suorum pauperum inopiam sublevent, praecipue vero erga peregrinos Romam venientes misericordes sint, et sanctam hospitalitatem Deo gratissimam, et quam vetustissimi illi christiani etiam inter persecutionum fluctus diligentissime coluerunt, ipsi quoque multâ cum charitate spiritus renovent atque observent.

Qua devotione sancta peregrinatio suscipienda praescribit.

§ 5. Admonete etiam eos, ut orent pro regibus et principibus christianis, ut quietam et tranquillam vitam agamus, ac pax et concordia perpetuo conservetur. Postremo docete eos, cum sanctam peregrinationem susceperint, qua modestiâ, qua devotione, qua fraternae pacis observantiâ lucere eos oporteat, ut sint Christi bonus odor in omni loco. Praebete autem vos ipsos, fratres venerabiles, et omnem clerum, exemplum in primis bonorum operum, et formam gregis, ut vestrae virtutis et religionis veluti sale ceteri condiantur, et omnem peccati putredinem aboleant, ac denique omnes unanimes in uno spiritu christianae charitatis, atque in omni sanctitate et iustitiâ Deo serviamus.

Principes hortatur quatenus antistitum vigilantiam adiuvent.

§ 6. Hortamur quoque et rogamus in Domino charissimos in Christo filios nostros imperatorem, ac reges et principes

1 Male edit. Main. legit *fides* pro *fideles* (R. T.).

1 Deest subiectum; forsan *omnes* (R. T.).

omnes catholicos, ut quo plura et magis illustria beneficia ab eo, per quem reges regnant, acceperunt, tanto ardentius, ut par est, ad Dei gloriam procurandam pio zelo excitentur, praecipue vero venerabilium fratrum nostrorum episcoporum et superiorum antistitum pastoralem sedulitatem ac vigilantiam adiuvent, et a suis magistratibus et ministris adiuvari mandent, ut improborum licentia coërceatur, et bonorum studia eorum regiâ ope et gratiâ foveantur, maxime autem erga peregrinos beneficentiam et liberalitatem exerceant, curentque ut tutis incedant [1] itineribus, et nullâ hominum perditorum vexatione perturbentur, sed hospitalibus, domibus et publicis hospitiis amanter excepti, et commeatu et rebus ad vitam necessariis recreati, sine ullâ concussione et iniuriâ institutum iter laeti pergant, et cum gaudio in patriam revertantur. His enim hostiis reges potissimum et principes Deum sibi placabilem reddent, ut diu in terris felices vivant, et demum in aeterna tabernacula recipiantur ab illis ipsis pauperibus, erga quos misericordiam exercuerint, in quibus Christus pascitur et nutritur.

Transumptorum exemplis fidem haberi iubet.

§ 7. Ut vero praesentes litterae ad omnium fidelium quibuscumque locis existentium notitiam facilius perveniant, volumus earum exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, ac personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae sigillo munitis, eamdem prorsus fidem adhiberi, quae haberetur ipsis praesentibus, si exhibitae forent et ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae indictionis, promulgationis, concessionis, impartitionis, hortationis, rogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXLIX, IV nonas maii, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 4 maii 1649, anno V.

1 Male edit. Main. legit *incendant* (R. T.).

CXXV.

Suspensio quarumcumque indulgentiarum durante anno universalis iubilaei MDCL [1].

Innocentius Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Cum nos nuper sancti iubilaei celebrationem (a vigiliâ Nativitatis Domini nostri Iesu Christi anni proxime venturi inchoandam, et usque ad finem eiusdem anni duraturam [2]) universo populo christiano, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium assensu, indixerimus, ac omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui beatorum apostolorum Petri et Pauli basilicas, Lateranensem quoque et S. Mariae Maioris almae Urbis ecclesias visitarent, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem et veniam concesserimus, prout in nostris nuper desuper confectis litteris plenius continetur;

Causae huius Constitutionis.

§ 1. Cupientes, ut christianae nationes, [3] omnibus terrarum orbis locis in almâ Urbe nostrâ in fidei ac religionis unitate congregatae, eodem pietatis ac devotionis spiritu basilicas et ecclesias praedictas,

1 Suspenderunt et alii sanctissimi Pontifices quascumque indulgentias durante anno universalis Iubilaei; cur autem id fiat, habes in praesenti constitutione, § 1.

2 Quae parenthesi clausi non recta sunt; facile corriget lector (R .T.).

3 Adderem praeposit. *ab* (R. T.).

quo maximo fieri poterit concursu, durante eodem iubilaeo, visitent et frequentent, multorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum exemplo adducti,

Suspendit Summus Pontifex quascumque indulgentias durante anno universalis iubilaei MDCL.

§ 2. Omnes et singulas indulgentias, etiam perpetuas, et peccatorum remissiones, ac facultates et[1] indulta absolvendi etiam a casibus Sedi Apostolicae reservatis, etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, quibusvis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, domibus, militiis, Ordinibus, etiam Mendicantium, congregationibus, confraternitatibus, etiam laicorum, universitatibus et piis locis, illorumque ordinibus, capitulis, conventibus, magistris, superioribus, et tam secularibus quam quorumvis[2] etiam Mendicantium Ordinum regularibus personis, coronisque, granis, imaginibus et numismatibus, ex metallo seu quacumque aliâ materiâ confectis, tam singulariter, quam universaliter, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam nos, etiam ad instantiam imperatoris, regum, reginarum, ducum et aliorum principum, aut ipsis etiam imperatori, regibus, reginis, ducibus et principibus, vel aliis quacumque aliâ mundanâ vel ecclesiasticâ dignitate, etiam speciali notâ dignâ, fulgentibus, etiam ad instar iubilaei, aliàs quomodocumque, et ex quibusvis causis et occasionibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac aliàs quomodolibet concessis, quorum omnium tenores, formas, derogationes et decreta praesentibus pro expressis haberi volumus, apostolicâ auctoritate, de eorumdem fratrum consilio et assensu, ac apostolicae potestatis plenitudine, suspendimus, et suspensas esse declaramus, eas-

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *quarumvis* (R. T.).

que et ea, eodem anno durante, nulli prodesse aut suffragari debere, irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Prohibet alias indulgentias publicari.

§ 3. Quocirca per praesentes auctoritate apostolicâ praecipimus et mandamus, ne interim aliae quam indicti a nobis praedicti iubilaei indulgentiae, sive publice sive privatim, quovis praetextu, ubivis locorum et gentium, sub excommunicationis eo ipso incurrendae aliisque arbitrio Ordinariorum infligendis poenis, publicentur vel nuntientur, aut in usum demandentur.

Contrariis quibuscumque derogat.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, ordinum, congregationum, hospitalium, confraternitatum, universitatum, collegiorum et locorum, aliorumque praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, exemptionibus et indultis apostolicis, illis eorumque superioribus et personis, aliisque quibuscumque, per eosdem Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos et dictam Sedem, eiusque legatos, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, et ex quibusvis causis, concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi in illis caveatur expresse quod sub similibus vel dissimilibus suspensionibus nequaquam comprehendantur nisi de illis specialis et individua mentio fiat, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum praemissum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Et quia difficile nimis esset praesentes quocumque ubi illis opus fuerit perferri, volumus earum exemplis, etiam impressis, notarii publici manu et sigillo

personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae obsignatis, eamdem prorsus fidem in iudicio et extra ubique locorum adhiberi, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae suspensionis, declarationis, decreti, praecepti, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXLIX, pridie nonas maii, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 6 maii 1649, pontif. anno V.

CXXVI.

Commissio episcopo Antuerpiensi ut monasterium Gemblacense Ordinis sancti Benedicti visitet[1].

Venerabili fratri episcopo Antuerpiensi, Innocentius Papa X.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Proœmium.

§ 1. Cum, sicut nuper accepimus, a duodecim circiter annis citra, secutâ monasterii Gemblacensis, Ordinis sancti Benedicti, Namurcensis dioecesis, vacatione, dilectus filius Gaspar Bonselle, praedicti monasterii monachus, asserens se fuisse ad illud nominatum a charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum rege catholico, in praefatum monasterium, quod consistoriale esse dignoscitur, se intruserit, et, nullâ obtentâ desuper spatio tot annorum provisione apostolicâ, praedictum monasterium eiusque bona et iura in spiritualibus et temporalibus nulliter et de facto administraverit et administret, seu occupaverit et occupet;

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Causae huius Constitutionis.

§ 2. Cumque, ad instantiam dilectorum filiorum monachorum praedicti monasterii, dilectus filius Antonius abbas S. Anastasiae, facultatem exercendi quamcumque iurisdictionem contentiosam infra limites istius nunciaturae nuncio pro tempore existenti competentem ab hac sanctâ Sede Apostolicâ habens, venerabili fratri episcopo Namurcensi commisisset, ut praedictum monasterium auctoritate apostolicâ visitaret, idemque episcopus Namurcensis visitationem huiusmodi fecisset, ipse Gaspar et forsan alii illi adhaerentes praetendant visitationem huiusmodi esse invalidam, praesertim ex defectu facultatum eiusdem Antonii abbatis, sub praetextu, quod monasterium huiusmodi, tamquam, ut asseritur, unitum Congregationi Bursfeldensi eiusdem Ordinis sancti Benedicti, fuerit exemptum a iurisdictione nunciorum Sedis Apostolicae, imo et legatorum etiam de latere, quodque praedictus Antonius abbas in contentiosis tantum facultatem habeat: quamvis autem defectus facultatis dicti Antonii abbatis minime subsistere asseratur, nihilominus, ut quamprimum fieri poterit contentiones huiusmodi tollantur et evitentur, ac indemnitati praescripti monasterii iuriumque Sedis Apostolicae consulatur, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut quantocitius praefatum monasterium Gemblacense, eiusque monachos, tam in capite quam in membris, auctoritate nostrâ apostolicâ, ex integro visites, ac in illorum statum, vitam et mores diligenter inquiras, necnon, evangelicae et apostolicae doctrinae, sacrorumque canonum et generalium conciliorum decretis, ac sanctorum Patrum traditionibus inhaerendo, quacumque[1] mutatione, correctione, emen-

Dat episcopo Antuerpiensi facultatem reformandi monasterium Gemblacense.

1 Aptius lege *quaecumque* (R. T.).

datione, renovatione, atque etiam ex integro editione indigere cognoveris, reformes, mutes, corrigas atque etiam ex integro condas, condita, sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis ac constitutionibus apostolicis non contraria, confirmes, abusus quoscumque tollas, bonas et laudabiles consuetudines, ac in primis divinum cultum, ecclesiasticamque et regularem disciplinam, ubicumque exciderint, modis congruis restituas atque reintegres, ipsosque monachos ad debitum et honestum vitae modum revoces, ac quidquid inde statueris observandum cures et facias, necnon eidem Gaspari, asserto nominato ad praefatum monasterium, breve terminum ad docendum de provisione apostolicâ super eâdem praetensâ nominatione obtentâ praefigas, quo elapso, et provisione apostolicâ huiusmodi in actis visitationis, per te, ut praemittitur, faciendae, non exhibitâ, tunc eumdem Gasparem omni praetenso iure, quod ex praedictâ nominatione sibi ad monasterium praedictum quomodolibet competere vel acquisitum esse praetendi, dici, vel censeri posset, eo ipso privatum declares, omnemque dicti monasterii administrationem, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, illi adimas, prohibeas, et interdicas, omni et quacumque appellatione, recursu, nullitatis dictione et reclamatione penitus et omnino remotis: nos enim tibi super omnibus et singulis praemissis plenam, liberam, amplamque facultatem per easdem praesentes concedimus et impertimur.

Omnes illi pareant.

§ 2. Mandantes propterea, tam dicto Gaspari, quam ceteris superioribus et monachis dicti monasterii, ceterisque ad quos spectat, in virtute sanctae obedientiae, et sub arbitrii nostri poenis, ut in omnibus visitationis huiusmodi munus concernentibus tibi prompte pareant et obediant, tuaque salubria monita et iussa suscipiant humiliter, et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tuleris et statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad condignam satisfactionem inviolabiliter observari.

Derogatio obstantium.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, ac monasterii[1], congregationis Bursfeldensis, ac Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem monasterio, congregationi et Ordini, illorumque superioribus, monachis et personis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII maii MDCXLIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 8 maii 1649, pontif. anno V.

CXXVII.

Prohibitio capitularibus ecclesiae Leodiensis, ne, occurrente vacatione dictae ecclesiae, ad electionem episcopi deveniant sine licentiâ Sedis Apostolicae.

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Procemium.

Pastoralis officii nobis (meritis licet imparibus) desuper commissi cura expostulat, ut nos, omnibus et singulis, quae ecclesiarum quarumlibet, praesertim vero

1 Male edit. Main. legit *monasteriis* (R. T.).

cathedralium, prosperum felixque regimen et gubernium respiciunt, praestante Domino occurramus.

Causae prohibitionis.

§ 1. Ad obviandum itaque ne (durantibus interim discordiis contentionibusque inter maiorem partem capitularium ecclesiae Leodiensis votum et suffragium habentium in oppido de Huii Leodiensis dioecesis existentium ex unâ, et olim decanum ecclesiae Leodiensis praedictae et minorem partem eorumdem capitularium illi aliàs adhaerentium in civitate Leodiensi habitantium ex alterâ exortis, et augmentum non modicum a dissidio inter venerabilem fratrem Ferdinandum archiepiscopum Coloniensem sacri Romani imperii principem electorem ac episcopum et principem Leodiensem etiam ex unâ, ac inter dilectos filios consules et habitatores eiusdem civitatis partibus pariter ex alterâ vertente recipientibus, si ecclesiam ipsam Leodiensem per obitum eiusdem Ferdinandi episcopi aut aliàs quovis modo vacare contingeret, quia, ut asseritur, timereturque, quod ab utrâque parte capitularium huiusmodi, praetendentium totum capitulum repraesentare, ad electionem novi episcopi Leodiensis in vim concordatorum dudum inter Sedem Apostolicam et nationem Germanicam initorum deveniretur) exinde schisma eidem ecclesiae et statui dictae civitatis summe periculosum oriatur ex competentiâ duorum, quos forte ad regimen dictae ecclesiae Leodiensis eligi contingeret:

Prohibet electionem episcopi ecclesiae Leodiensis absque licentiâ Sanctae Sedis.

§ 2. Propterea nos, volentes huic periculo opportunum adhibere remedium, motu proprio, et ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, omnibus et singulis capitularibus praedictae ecclesiae Leodiensis, tam in dictâ civitate, quam in praedicto oppido de Huii, vel alibi, tam in dioecesi Leodiensi quam extra illam habitantibus, aut moram trahentibus, ne, in eventum vacationis dictae ecclesiae Leodiensis, ullatenus audeant ipsi, nec ipsorum quilibet audeat, ad aliquam electionem novi episcopi seu administratoris episcopatus Leodiensis devenire, nisi praecedente nostrâ et Sedis Apostolicae licentiâ, aliàs quaevis electio dicti novi episcopi, contra praefatarum nostrarum praesentium litterarum tenorem quomodolibet facta, irrita sit et nulla, etiam quoad hanc praesentem prohibitionem nostram ignorantes, interdicimus et prohibemus. Et insuper nihilominus, ad maiorem cautelam, venerabili fratri Fabio episcopo Neritonensi, nostro et dictae Sedis in partibus inferioris Germaniae nuncio, per easdem praesentes committimus et mandamus, ut prohibitionem praedictam omnibus et singulis capitularibus huiusmodi notificari, praemissaque per eos ad quos spectat observari faciat et curet.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ipsorum ecclesiae, civitatis et capituli, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in eorum favorem sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX iunii MDCXLIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 20 iunii 1649, pontif. anno V.

CXXVIII.

Confirmatio decreti translationis capituli Leodiensis a civitate Leodiensi ad oppidum de Huii iuxta quasdam litteras Clementis VI facti per episcopum et maiorem partem capitularium ecclesiae Leodiensis in dicto oppido existentium.

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Causae huius confirmationis.

§ 1. Cum aliàs nos, ad sedandas, quantum nobis ex alto conceditur, perturbationes et dissensiones mensibus praeteritis inter venerabilem fratrem Ferdinandum archiepiscopum Coloniensem, sacri Romani Imperii principem electorem, ac ecclesiae Leodiensis ex concessione et dispensatione apostolicâ praesulem, civitatisque et Status Leodiensis principem, nec non dilectos filios eiusdem ecclesiae Leodiensis capitulares eidem Ferdinando episcopo et principi huiusmodi adhaerentes ex unâ, ac consules et habitatores eiusdem civitatis Leodiensis, et olim dictae ecclesiae decanum, et capitulares in eâdem civitate residentes eidem decano et civitati adhaerentes partibus ex alterâ exortas, unam congregationem nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et aliquot dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum deputaverimus, et ex illorum voto et sententiâ quasdam nostras in simili formâ Brevis litteras hortatorias ad easdem sic inter se contendentes partes pro dissidiis huiusmodi componendis dederimus[1]; postmodum vero nobis innotuerit hortatorias, monitoriasque nostras litteras huiusmodi nullum omnino effectum sortitas fuisse, licet dilecti filii eorumdem civitatis et decani adhaerentiumque praefatorum agentes et ministri spem indubiam secuturae desuper compositionis etiam eisdem cardinalibus et praelatis dedissent, proptereaque, partibus hinc inde pluries in eâdem congregatione auditis, iidem cardinales et praelati decretum translationis capituli Leodiensis ab eâdem civitate ad oppidum de Huii Leodiensis dioecesis, iuxta quasdam aliàs a felicis recordationis Clemente Papa VI praedecessore nostro litteras emanatas, per eumdem Ferdinandum episcopum huiusmodi et maiorem partem capitularium dictae ecclesiae Leodiensis in praefato oppido existentium factum per nos confirmandum decreverint:

Praefatum decretum observari mandat.

§ 2. Idcirco nos, de eiusdem congregationis voto, et iuxta illius formam, continentiam et tenorem, praefatum decretum translationis dicti capituli ad idem oppidum de Huii, ut praefertur, factum et a venerabili fratre Fabio episcopo Neritonensi, nostro et Sedis Apostolicae in partibus inferioris Germaniae nuncio confirmatum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illudque observari mandamus, donec tamen ab eisdem consulibus dictâque civitate et a capitularibus inibi existentibus idem Ferdinandus episcopus et princeps cum toto suo comitatu solito in eâdem civitate cum pristinis reverentiâ, obedientiâ et iurisdictionis exercitio receptus et admissus fuerit, et ita praecipimus.

Addit validitatem huic decreto.

§ 3. Decernentes praesentes nostras litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus aposto-

1 De hac re vide litteras paulo ante relatas pag. 635 (B. T.).

licis, ac ipsorum ecclesiae, civitatis et oppidi, quatenus opus sit, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV iunii[1] MDCXLIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 24 iunii 1649, pontif. anno V.

CXXIX.

Subsidium centum millium scutorum super fructibus ecclesiasticis pro Republicâ Venetâ[2].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Praeemium. § 1. Etsi, pro curâ nostri pastorali officii divinâ disponente providentiâ nobis commissi meritis licet imparibus, nihil magis cordi sit, quam personas ecclesiasticas ab extraordinariis oneribus immunes semper conservare, idque, nisi summa necessitas cogat, re ipsâ animo nostro statuerimus;

Motiva. § 1. Nihilominus, sicut iam omnibus notum esse debet, cum Turcarum tyrannus nefarium bellum, quod a quinque circiter annis dilectis filiis nobilibus viris duci et dominio Venetorum intulit, Rhenum[3] ingenti apparatu maximisque viribus prosequatur, et propterea ipsi dux et dominium maiores, quam unquam antea, tam maritimas, quam terrestres copias, ut se suaque tueantur, parare et instruere, ac proinde ingentes expensas facere modo compellantur:

Subsidium desumendum ab ecclesiasticis decernit et contravenientes punit.

§ 2. Nos, considerantes non minus ecclesiasticorum quam laicorum interesse, ut ea, quae ad defensionem huiusmodi necessaria sunt, studiose comparentur, quo christiani nominis hostes infensissimi a christifidelium cervicibus, adiuvante Domino, repellantur, cogimur denuo de universi cleri dominii Veneti facultatibus in hoc gravissimo periculosissimoque casu fiduciam sumere, sperantes, quod illi hoc onus, urgentissimâ necessitate et iustissimâ de causâ a nobis sibi impositum, aequo animo ferre non recusabunt.

Ad praedictum subsidium centum millium scutorum etiam regulares quoscumque concurrere decernit.

§ 3. Motu itaque proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, unum subsidium centum millium scutorum auri super omnibus et singulis fructibus secundum verum annuum valorem praesentis anni quarumcumque cathedralium, etiam metropolitanarum et patriarchalium, atque aliarum ecclesiarum, ac monasteriorum, prioratuum et beneficiorum ecclesiasticorum secularium quorumcumque, ac hospitalium et quorumvis Ordinum et militiarum (non tamen S. Ioannis Hierosolymitani, quorum fratres pro muniendâ et defendendà adversus improbos eorumdem Turcarum conatus insulâ Melitanâ, gravissimos sumptus subire et magnum aes alienum contrahere oportuit) regularium, cum curâ et sine curâ, in dicto dominio existentium, a venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis electis, administratoribus, commendatariis, abbatibus, prioribus, praepositis, praelatis, capitulis, conventibus, ceterisque personis ecclesiasticis secularibus et regularibus

1 Forsan *iulii* legendum, ut satis tempore distent hae litterae a praecedentibus (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

3 Lege *triremium* vel *navium* pro *Rhenum*.

quibuscumque, tam non exemptis, quam quomodolibet exemptis, et quantumvis privilegiatis, etiam S. R. E. cardinalibus, necnon S. Benedicti, S. Augustini, Cisterciensium, Cluniacensium, Praemonstratensium, Carthusiensis, Camaldulensis, Montis Oliveti, Vallis Umbrosae, Cruciferorum, monachorum Eremitarum sancti Hieronymi, et quorumcumque aliorum Ordinum, necnon Cassinensis, aliàs S. Iustinae, S. Salvatoris, etiam Lateranensis, aliarumque congregationum, tam virorum quam mulierum, etiam Mendicantium ex privilegio et aliàs bona immobilia seu certos redditus quoquomodo ecclesiasticos habentium, in dominio praedicto ecclesias, monasteria et alia beneficia ecclesiastica obtinentibus, etiam fructus ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum huiusmodi, necnon pensiones annuas quantumcumque exemptas et sub quibusvis obligationibus, etiam in formâ camerae apostolicae, etiam iuramento, etiam vim susceptione censurarum[1], et de non contraveniendo, ac etiam fortasse de non impetrando gratias nostras et contra eos etiam concessis non utendo vallatis, et forsan aliis etiam efficacioribus cautelis et decretis ac clausulis, super eisdem fructibus et pensionibus, etiam medio cedularum banchi, seu in formâ depositi, habentibus et intra praesentem annum habituris, cuiuscumque praeeminentiae, status, gradus, ordinis et conditionis, etiam religionis vel militiae existant (quibus, aut quorum aliquibus, ulla privilegia, exemptiones, aut indulta, sub quacumque verborum formâ et expressione concessa, quoad hoc nullatenus suffragari posse volumus, fratribus et personis dicti hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani in totum et omnino, ceteris vero hospitalibus hospitalitatem actu servantibus pro eâ quantitate tantum quam in servandâ ipsâ hospitalitate exponunt dumtaxat exceptis, et dummodo a personis Ordinum Mendicantium nonnisi medietas eius partis, quae ratione subsidii huiusmodi ab eis solvenda esset, solum exigatur) proportionabiliter et aequaliter iuxta verum valorem praedictum inter praedictas personas ecclesiasticas secundum aequalem ac discretam partitionem, quam ad nos quamprimum transmitti mandamus, per venerabiles fratres Scipionem archiepiscopum Pisarum nuncium nostrum et patriarcham Venetiarum distribuendum, ac in locis et terminis modisque et formis, per ipsos Scipionem archiepiscopum nuncium et patriarcham, quos collectores generales subsidii huiusmodi harum serie constituimus et deputamus, statuendis, ordinandis et declarandis, omnino de presenti anno persolvendum, ac per eos et eorum subcollectores, qui sint personae ecclesiasticae, ad hoc ab ipsis deputandos percipiendum, exigendum et levandum, ac denuo, etiam dominio praedictis[1] cum effectu consignandum, ut illud in expensas necessarias contra dictos Turcas, et non alios usus, expendere valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, imponimus, impositumque fore et esse decernimus, declaramus, necnon eisdem collectoribus generalibus, et ab eis deputandis subcollectoribus huiusmodi, a patriarchis, archiepiscopis, episcopis, electis, administratoribus, abbatibus, commendatariis, prioribus, praeceptoribus, praepositis, praelatis, capitulis, conventibus, et aliis personis ecclesiasticis praedictis, praeterquam, ut supra, expressis, ratam dicti subsidii, eos et eorum quemlibet, ut praefertur, tangentem, petendi, exigendi et colligendi, eisque et eorum singulis, ut illam modo praemisso solvant, per poenas quoad patriarchas, archiepiscopos et epi-

Exequutores deputat.

Poenae contra inobedientes.

1 Ita edit. Main.; an aliquid supplendum mutandumve, iudicet lector scius (R. T.).

1 Videretur legendum *praedicto*, ni aliquid aliud desit (R. T.).

scopos interdicti et suspensionis ingressus ecclesiae, quoad alios vero privationis beneficiorum ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum, et alias, de quibus illis videbitur, etiam pecuniarias, ac demum per sententiam excommunicationis, aliasque censuras ecclesiasticas, ceteraque opportuna iuris et facti remedia, mandandi et praecipiendi; contradictores quoslibet et rebelles, et suam ipsius subsidii partem solvere recusantes, seu differentes, et ne illa solvantur persuadentes, directe vel indirecte per poenas, censuras et remedia huiusmodi, appellatione postpositâ compescendi, brachii quoque secularis auxilium, si opus fuerit, ad hoc invocandi, solventes de solutis quietandi, et liberandi a censuris et poenis, quas praemissorum occasione quomodolibet incurrerint, absolvendi, et generaliter omnia et singula alia in praemissis, et circa ea necessaria, et quomodolibet opportuna, etiamsi mandatum exigerent magis speciale quam praesentibus sit expressum, faciendi, gerendi, ordinandi, mandandi et exequendi, plenam et liberam, auctoritate apostolicâ et tenore praedictis, facultatem concedimus et potestatem.

§ 4. Volentes quod expensae, quae circa exactionem subsidii huiusmodi forsan faciendae fuerint, in centum millibus scutis praedictis minime computari debeant, sed dictae personae ecclesiastieae expensas praedictas, ultra ratam partem quam ratione eiusdem subsidii solvere debebunt, etiam persolvere teneantur.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis universalibus editis, necnon ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, Ordinum, congregationum et militiarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus et immunitatibus, etiam in corpore iuris clausis, ac litteris apostolicis, ecclesiis, monasteriis, prioratibus, praeceptoriis, praelatis, capitulis, conventibus, ordinibus, congregationibus et militiis, aliisque praedictis, in genere vel in specie, sub quacumque formâ et verborum expressione a nobis et Sede Apostolicâ etiam consistorialiter, et motu simili, et aliàs, quovis modo emanatis et concessis, et etiam iteratis vicibus confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, et in eis caveatur expresse quod per huiusmodi clausulas generales eis nullatenus derogetur nec derogatum esse censeatur nisi sub certis modo et formâ in eis expressis, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis, ac modum et formam ad id servandos pro individue servatis habentes, ad praemissorum effectum dumtaxat, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque;

§ 6. Aut si patriarchis, archiepiscopis, episcopis, electis, administratoribus, abbatibus, commendatariis, ceterisque praedictis, vel quibusvis aliis, ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi et excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Res divino cultui dicatas causa pignoris capi vetat.

§ 7. Volumus autem quod, iuxta ordinationem in Concilio Viennensi super hoc editam, calices, libri, aliaque ornamenta ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum

et aliorum beneficiorum et piorum locorum sub praesentibus comprehensorum, divino cultui dicata, causâ pignoris vel aliàs occasione solutionis subsidii huiusmodi nullatenus capiantur, distrahantur, vel occupentur; quodque praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius ex dictis collectoribus generalibus vel alterius praelati ecclesiastici munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII iulii MDCXLIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 28 iulii 1649, pontif. anno v.

CXXX.

Suppressio ecclesiae Castrensis, et erectio episcopatus Aquaependentis.

Innocentius Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. In supremo militantis Ecclesiae throno et apostolicae potestatis plenitudine, nullis nostris exigentibus meritis, sed solâ Dei benignitate constituti, de prospero ac felici ecclesiarum omnium et praesertim cathedralium statu, ac de salute gregis dominici nobis ex alto commissi attentius cogitantes, ad ea libenter intendimus, per quae eaedem cathedrales feliciter dirigantur, et grex ipse continuâ suorum cum eo residentiâ pastorum praeservetur a noxiis, et in devium prolabens ad rectitudinis tramitem reducatur, et, ut pastores ipsi in propriâ cathedrali ecclesiâ vel dioecesi commodius ac etiam tutius residere, ferventius gregi invigilare, suumque ministerium implere valeant, opem et operam efficaces impendimus, prout, rerum et temporum qualitate pensatâ, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Supprimit ecclesiam Castrensem et erigit in episcopatum ecclesiam Aquaependentis.

§ 1. Cum itaque civitas Castri provinciae Romanae, cuius ultimus antistes horrendo inauditoque facinore nuper interfectus fuit, tam ob aëris intemperiem, quam ob situs angustiam et incommoditatem, ac ob exiguum incolarum numerum, eo redacta sit, ut urbis speciem non praeseferat, proindeque episcopi pro maiori anni parte extra dioecesim commorati fuerint non sine gravi salutis animarum detrimento, nec defuerint, qui in functione visitationis liminum Apostolorum super praedictis et aliis necessitatibus per Sedem Apostolicam providendum esse ore scriptoque renunciaverint; oppidum vero Aquaependentis, non valde distans a dictâ civitate Castrensi, tam situs quam aëris amoenitate magis salubre, ac nedum incolarum, verum etiam monasteriorum et ecclesiarum parochialium, hospitalium, confraternitatum et aliarum ecclesiarum et piorum locorum numero, benedicente Domino, copiose sit refertum, dignumque noscatur, ut praerogativâ ac titulo civitatis, et cathedrâ ac residentiâ episcopali decoretur, et, inter alias dicti oppidi ecclesias, parochialis sub invocatione seu denominatione SS. Sepulchri suis structuris et aedificiis satis ampla, et ad statum cathedralis ecclesiae idonea et apta existat: nos, habitâ super his cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus maturâ deliberatione in consistorio nostro secreto, deque illorum consilio et assensu, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ex praedictis et aliis iustis de causis animum nostrum moventibus, nomen et titulum seu qualitatem civitatis, quibus hactenus decorata fuit praedicta civitas Castri provinciae Romanae, illiusque cathedralem ecclesiam, ac in eâ dignitatem episcopalem, ita ut ex nunc de

cetero perpetuis futuris temporibus nullo dignitatis episcopalis et civitatis nomine, titulo, denominatione, honore, privilegio, et praerogativâ uti vel frui possit, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo supprimimus et extinguimus; oppidum vero praefatum Aquaependentis, cum toto illius comitatu et territorio, necnon clero et populo, ecclesiis, monasteriis et locis piis, ab Urbevetanâ dioecesi, cui in spiritualibus est subiectum, auctoritate, consilio, assensu et tenore praemissis, perpetuo separamus et dismembramus, et ab omni superioritate, iurisdictione, visitatione, dominio et potestate moderni et pro tempore existentis episcopi Urbevetani perpetuo eximimus et totaliter liberamus; ipsumque oppidum Aquaependentis in civitatem Aquaependentis nuncupandam, cum iuribus, honoribus et praeeminentiis, quibus aliae civitates et earum cives utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, et ecclesiam parochialem praedictam SS. Sepulchri, ad omnipotentis Dei laudem et gloriam, ac eius gloriosissimae genitricis Virginis Mariae, ac ipsius S. Sepulchri, totiusque curiae caelestis honorem, et fidei catholicae exaltationem, in cathedralem Sedi Apostolicae immediate subiectam, sub eâdem invocatione SS. Sepulchri Salvatoris nostri Iesu Christi, et in eâ sedem episcopalem pro uno episcopo Aquaependentis nuncupando, qui eidem ecclesiae illiusque civitati et dioecesi ut infra signandae[1] praesit, illamque in perfectam cathedralis ecclesiae formam ordinet et redigat, abbates, praelatos et alios ad synodum convocet, evellat, destruat, aedificet, plantet, ac omnia et singula officia et iura episcopalia habeat et exerceat, cum suis episcopali et capitulari mensis, ceterisque omnibus cathedralibus et pontificalibus insigniis, necnon iuribus, iurisdictionibus, facultatibus, praerogativis, privilegiis, honoribus, gratiis, favoribus et indultis realibus et personalibus et mixtis, quibus aliae cathedrales ecclesiae, earumque praesules, capitula et personae quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt in futurum, in eâdemque ecclesiâ SS. Sepulchri vicariatum perpetuum (quam modernus rector eiusdem ecclesiae vigore sui prioris tituli, absque aliâ sibi desuper faciendâ provisione, ut prius, quoad vixerit, retinere, libere et licite valeat, et de qua occurrente pro tempore illius vacatione praevio concursu iuxta formam sacri Concilii Tridentini disponi debeat) pro uno perpetuo vicario, qui curam animarum ipsius ecclesiae S. Sepulchri parochianorum exercere teneatur, unâ cum omnibus fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, ac emolumentis universis, certis et incertis, ad eamdem ecclesiam S. Sepulchri quomodolibet spectantibus, nomine et denominatione parochialis ecclesiae et rectoris in eâ perpetuo suppressis remanentibus, similiter perpetuo erigimus et instituimus, necnon ecclesiam S. Sepulchri praedicti cathedralis ecclesiae honore, nomine, titulo et insigniis decoramus, ipsique ecclesiae S. Sepulchri, et illius dignitati episcopali, ac iurisdictioni episcopi, pro civitate, ipsam civitatem Aquaependentis sic erectam, et pro territorio ac dioecesi, universum illius territorium ac districtum, necnon dictam terram Castri, aliasque terras, castra ac villas, cum omnibus et singulis eorum districtibus, quae intra fines dioecesis Castrensis existebant, itidem perpetuo constituimus et assignamus, ac subiicimus et supponimus, et pro dote omnia et singula fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque, ubicumque exi-

1 Potius lege *assignandae* (R. T.).

stentia, et in quibusvis rebus consistentia, ad mensam episcopalem Castrensem, ut praefertur suppressam, quomodolibet spectantia et pertinentia, ita quod liceat pro tempore existenti episcopo Aquaependentis illorum omnium et singulorum corporalem, realem et actualem possessionem, vel quasi, per se, vel alium, seu alios eius nomine, proprià auctoritate apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, necnon fructus, redditus et proventus et emolumenta inde provenientia percipere, exigere et levare licite valeat[1], similiter perpetuo applicamus et appropriamus. Insuper capitulum, archidiaconatum, canonicatus et praebendas, ac beneficia ecclesiastica, chori servitium annexum habentia, dictae ecclesiae Castrensis suppressae, ac totius capituli mensam et residentiam capitulares, unà cum omnibus honoribus, oneribus, privilegiis, praerogativis, bonis, redditibus, iuribus et emolumentis universis, unà cum episcopalibus, et quibusvis aliis ornamentis et paramentis ecclesiasticis, Sanctorum et Sanctarum reliquiis, ac omni aliâ tam sacrâ quam profanâ suppellectili, ab eâdem ecclesiâ Castrensi suppressâ ad dictam ecclesiam S. Sepulchri in cathedralem sic erectam, itaut deinceps non amplius capitulum, neque dignitas et canonicatus, ac beneficia ecclesiae Castrensis, sed ecclesia cathedralis Aquaependentis nuncupentur et denominentur, ac apud eamdem ecclesiam S. Sepulchri residere, in eâque divina officia et alia munia ecclesiastica, prout in dictâ ecclesiâ Castrensi suppressâ tenebantur, celebrare et exercere omnino debeant et teneantur, pariter et perpetuo transferimus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque, cuiusvis dignitatis, gradus, status, qualitatis et conditionis, etiam specialem mentionem requirentes, in praemissis interesse habentes, vel habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, minusque causae propter quas illa emanarunt sufficienter adductae[1] seu iustificatae fuerint, et ex aliâ quacumque quantumvis iuridicâ et legitimâ causâ, titulo et capite, etiam in corpore iuris clauso, de subreptionis ac obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, vel quopiam alio quantumvis substantiali defectu notari, impugnari, redargui, in ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, vel adversus illa aperitionis oris, restitutionis in integrum, vel aliud quodpiam[2] iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, seu etiam motu simili concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare minime posse; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et quosvis alios quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contraria rospuit.

§ 3. Non obstantibus nostris et cancellariae apostolicae regulis, et praesertim de iure quaesito non tollendo, ac quod teneantur exprimere verum annuum valorem secundum communem existimationem, tam beneficii uniendi, quam illius, cui uniri petitur, alioquin unio non valeat, et semper in unionibus commissio fiat ad partes, vocatis quorum interest, idque etiam observari volumus in quibus-

1 Edit. Main. legit *valeant* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *adducta* (R. T.).

2 Pessime edit. Main. habet *copiam* pro *quodpiam* (R. T.).

vis suppressionibus, perpetuis concessionibus, dismembrationibus et applicationibus; ac Lateranensis Concilii novissime celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus a iure permissis[1] fieri prohibentis[2], ac felicis recordationis Bonifacii Papae V, praedecessoris nostri, ac aliis apostolicis, et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus, necnon dictarum, etiam Urbevetanae, ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, dictae civitati Castrensi suppressae, ac ecclesiis praefatis, illorumque incolis et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque et aliis decretis, etiam ad imperatoris, regum et aliorum principum instantiam, vel supplicationem, aut illorum intuitu, ac etiam motu simili, ac etiam consistorialiter, et aliàs quomodolibet, in contrarium concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio facienda aut alia exquisita forma servanda foret, illorum omnium tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque,

Dat facultatem acquirendi beneficia ecclesiae Castrensis.

§ 4. Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de dignitatibus, ac canonicatibus et praebendis, ac beneficiis ecclesiasticis dictae ecclesiae Castrensis suppressae speciales vel generales dictae Sedis aut legatorum eius litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel aliàs quomodolibet sit processum, quas quidem litteras et processus habitos per easdem, et inde sequuta quaecumque, ad dignitates, ac canonicatus et praebendas, necnon beneficia huiusmodi volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assequutionem dignitatum ac canonicatuum et praebendarum vel beneficiorum aliorum praeiudicium generari, et qualibet aliâ dictae Sedis indulgentiâ generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Sanctio poenalis.

§ 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae suppressionis, extinctionis, institutionis, separationis, dismembrationis, exemptionis, liberationis, erectionis, constitutionis, assignationis, subiectionis, suppositionis, applicationis, appropriationis, translationis, indulti, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXLIX, idibus septembris, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 13 septembris 1649, pontif. an. v.

1 Perperam ed. Main. legit *praemissis* (R.T.).
2 Improbe eadem ed. habet *prohibitis* (R. T.).

CXXXI.

Renovatio concessionis medietatis fructuum legatorum piorum pro manutentione praesidii Reipublicae Ragusinae[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Venerabili fratri archiepiscopo Ragusino, Innocentius Papa X.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Causae huius Constitutionis.

§ 1. Aliàs pro parte dilectorum filiorum magistratuum Reipublicae Ragusinae felicis recordationis Urbano Papae VIII praedecessori nostro primum exposito, quod, continuatis dudum terraemotibus, civitas Ragusina, universumque eius dominium, adeo conquassa fuerat, ut, praeter multorum aedificiorum ruinam, plurimae etiam ecclesiae et monasteria, ipsaque civitatis et dominii huiusmodi propugnaculorum moenia maximum inde damnum acceperant, quae, si quamprimum resarcita non forent, periculum erat, ne funditus corruerent; in dictâ vero civitate nonnulla diversarum summarum pecuniarum legata annua pro variis operibus piis adimplendis relicta et per certas personas administrari solita existebant; propterea que dicti exponentes ex redditibus huiusmodi praemissorum reparationi provideri desiderabant: idem Urbanus praedecessor, attendens, inter alia, religioni catholicae in toto huiusmodi dominio conservandae non parum interesse civitatem praefatam, eiusdemque dominii, quod provinciae et loca ab impio Turcarum tyranno occupata undique ambiunt, propugnacula recte munita et clausa esse, tunc existenti archiepiscopo Ragusino commisit, ut, constito sibi de tunc expositis, integram reddituum, proventuum et emolumentorum omnium et singulorum legatorum piorum medietatem, quae tamen summam[1] sex millium scutorum monetae annuatim non excederet, magistratibus praedictis, ita quod liceret illis eamdem reddituum, proventuum et emolumentorum huiusmodi medietatem percipere, exigere et levare, ac in ecclesiarum et monasteriorum moeniumque praefatorum reparationem, dummodo, quoad ipsa moenia, facultates laicorum civitatis et dominii huiusmodi ad id non suppeterent, et non in alios usus, convertere, dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentiâ minime requisitâ, ad triennium tunc proximum concederet et assignaret; deinde vero, nobis etiam aliàs per eosdem exponentes exposito, quod idem Turcarum tyrannus copiosissimam classem instruebat, eaquepropter civitatem praefatam, illiusque dominii propugnacula validiori praesidio munire oportebat, et ad praemissa facultates dictae Reipublicae minime sufficiebant, subinde nos fraternitati tuae commisimus, ut etiam, constito[1] sibi de narratis, integram reddituum, proventuum et emolumentorum omnium et singulorum legatorum praefatorum medietatem, quae tamen pariter summam sex millium scutorum monetae annuatim non excederet, magistratibus praedictis, per eos, ut praefertur, percipiendam, et in manutentionem praesidii civitatis, et propugnaculorum huiusmodi, servatis aliàs modo et formâ praemissis, convertendam, ad triennium etiam inde proximum, auctoritate nostrâ apostolicâ, concederes et assignares, et aliàs prout tam in ipsius Urbani praedecessoris, quam nostris in simili formâ Brevis litteris desuper expeditis, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, uberius continetur.

Petitio.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte eorumdem magistratuum nobis nuper expositum fuit, ipsi praefatarum nostrarum litterarum commodo et effectu gaudere, dictamque integram reddituum, proventuum et emolumentorum omnium et singulorum legatorum huiusmodi medietatem percipere, et, ut praefertur, convertere

1 Edit. Main. legit *summa* (R. T.).

1 Male edit. Main. habet *constituto* (R. T.).

minime potuerint, quia illa, quorum, ut asserunt, maior pars in civitate Neapolitanâ consistit, ob praeteritos motus in eodem regno Neapolis aliàs excitatos, exigi non potuerunt; nobis propterea iidem exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut concessionem et assignationem medietatis reddituum, proventuum et emolumentorum legatorum piorum huiusmodi, sibi vigore praefatarum nostrarum litterarum aliàs, ut praefertur, factas, de novo concedere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio. § 3. Nos igitur, eosdem magistratus specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eidem fraternitati tuae per praesentes iterum committimus et mandamus, ut, constito tibi de narratis, integram reddituum, proventuum et emolumentorum omnium et singulorum legatorum praefatorum medietatem, quae summam tamen sex millium scutorum monetae annuatim non excedat, magistratibus praedictis, ita quod liceat illis eamdem reddituum, proventuum et emolumentorum huiusmodi medietatem percipere, exigere, levare, ac in faciliorem manutentionem praesidii civitatis et propugnaculorum praefatorum, dummodo ad id facultates laicorum non suppetant, et non alios usus, super quo illorum conscientias oneramus, convertere, dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentiâ minime requisitâ, ad triennium proximum a datâ praesentium computandum, auctoritate apostolicâ nostrâ de novo concedas et assignes; super quibus tibi plenam, liberam et amplam facultatem, eâdem auctoritate, tenore praesentium, impertimur.

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus praemissis, ac omnibus et singulis illis, quae ipse Urbanus praedecessor in suis voluit et nos in nostris litteris praedictis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 5. Volumus autem, ut residuum missarum et aliorum operum piorum omnino celebretur et adimpleatur, illaque suffragentur, perinde ac si in totum adimpleta essent.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX novembris MDCXLIX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 19 novembris 1649, pontif. anno VI.

CXXXII.

Constitutio circa statum regularium in Italiâ et insulis adiacentibus [1].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Tridentina Synodus decrevit numerum in domibus regularibus praefigendum secundum illarum bona. Inter cetera quae ad regularem disciplinam instaurandam conservandamque sacrosancta Tridentina synodus salubriter decrevit, illud semper praecipuum et maximi momenti habitum est, quod iniungitur, ut in singulis monasteriis et domibus regularibus tantum numerus constituatur et in posterum conservetur, qui vel redditibus propriis monasteriorum vel consuetis eleemosynis commode possit sustentari.

1 Regularium numerum (de quo agitur in hac constitutione) in qualibet domo praefigendum secundum illius bona statuit sanctissimus dominus noster Urbanus VIII, Constit. CXLV, tom. XIII, pag. 336. Hoc fecerunt et alii eiusdem Urbani praedecessores; qui quidem numerus non potest augeri, etiam praetextu augmenti reddituum, sine licentiâ, ut declaratur in eâdem constitutione § 13.

Circa hoc Clemens VIII, Paulus V et Urbanus VIII varia decreta ediderunt.

§ 1. Quapropter ad eius usum inducendum felicis recordationis Clemens VIII, Paulus V et Urbanus VIII Romani Pontifices praedecessores nostri varia decreta ediderunt; sed quia nihilominus, sive ob iniuriam temporum, sive ob superiorum incuriam, sive alias ob causas, illius executio hucusque protracta est, non sine gravi monasteriorum in spiritualibus et temporalibus detrimento, ac religionum iacturâ; idcirco nos, nequaquam ignorantes, quantum ex monasteriis pie institutis et recte administratis in Ecclesiâ Dei splendoris atque utilitatis oriatur, quantumque dignitati et commodo ecclesiastici Ordinis detrahat multitudo religiosorum, quae sine delectu supra vires monasteriorum in religiones invehitur, ac proinde arbitrati[1] valde acceptum, sacrisque religionibus proficuum fore, ut decretum tam salubre debitae executioni demandetur;

Mandat Summus Pontifex superioribus regularibus de quibus in rubricâ ut bona sui Ordinis recognoscant et in scripturam redigant, quam procuratori generali sui Ordinis Romae commoranti consignent, etc..

§ 2. De consilio nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, ac dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium praecipimus et mandamus omnibus et singulis dilectis filiis generalibus, commissariis, praesidentibus, provincialibus, ministris, abbatibus, prioribus, praepositis, praefectis, rectoribus, guardianis, correctoribus, vicariis et quibuscumque aliis superioribus monasteriorum, conventuum, collegiorum ac domorum, quorumcumque monachorum et regularium virorum, bona immobilia possidentium et non possidentium, cuiuscumque Ordinis, Mendicantium, congregationis, societatis et instituti, etiam necessario et in individuo exprimendi, existentium intra fines Italiae et insularum adiacentium, ut singuli, ad quos pertinet, adhibitis duobus vel tribus regularibus sui Ordinis probatioribus, ac rerum usu peritioribus, bona immobilia, census, redditus ac proventus omnes monasteriorum, conventuum, collegiorum ac domorum regularium huiusmodi (etiamsi sint hospitia vel ab alio monasterio dependeant, sintve illius granciae seu membra) sex annorum immediate praecedentium habitâ ratione, ac detracto omni eo quod grandines, sterilitates, reparationes et alii casus huiusmodi absorbere solent, consuetas item eleemosynas et obventiones, item victus, vestitus ac medecinalium et alias quascumque tam ordinarias quam extraordinarias expensas, aeris quoque alieni, necnon missarum celebrandarum, fabricae, sacristiae, annuarum praestationum, contributionum ac procurationum aliave cuiusvis generis onera diligenter ac mature recognoscant, eaque omnia in scripturâ redigant, exprimentes ipsius monasterii titulum seu denominationem, item capacitatem ac situationem, videlicet in qua dioecesi, et an intra moenia civitatis vel oppidi, anve in pagis seu villis, vel in silvis aut nemoribus, et quantum distet a locis frequentibus et populosis, item a quo tempore fundatum fuerit, quave auctoritate et cuius sumptibus, anve et a quo numerus religiosorum in eo fuerit aliàs praefixus, et quot ibi religiosi et servientes in praesentiâ degant, specificatis uniuscuiusque nomine, cognomine et patriâ, scripturam sic confectam propriâ manu subscribant, medio iuramento attestantes vera esse omnia, quae in eâ continentur, consuetoque sigillo obsignatam, infra quatuor menses, a publicatione praesentium in hac almâ Urbe nostrâ ut infra faciendâ computandos, transmittant seu consignent procuratori generali sui Ordinis in Urbe commoranti, qui unâ cum aliquibus gravioribus religiosis a congregatione praedictorum cardinalium et prae-

1 Male edit. Main. legit *arbitrari* (R. T.).

latorum ad hoc specialiter deputandis, negotio mature[1] perpenso, ac computatis huiusmodi redditibus, eleemosynis et obventionibus universis, atque oneribus, ut supra, detractis, sedulo examinent quot religiosi homines, connumeratis etiam laicis, aliisque necessariis servientibus, in unoquoque monasterio, conventu, collegio et domo regulari (quamvis, ut praemittitur, sit hospitium, seu alterius monasterii membrum), iuxta proprii instituti morem victum et vestitum ac medicinalia in communi habentes, commode valeant sustentari, omnibusque diligenter discussis, familiae cuiusque monasterii, conventus, collegii ac domus regularis huiusmodi, in qualibet provinciâ vel congregatione, certum earum tantum personarum numerum praefigat, quae redditibus, eleemosynis et obventionibus, ut supra, competenter ali possint, easque numeri praefixiones, unâ cum originalibus scripturis super statu cuiusque monasterii ac domus regularis a superioribus, ut praefertur, confectis, infra alios quatuor menses eidem congregationi cardinalium ac praelatorum exhibeat, ut ab eâ recognoscantur et probentur.

Praedicta adimplere negligentium poenae.

§ 4. Quod si memorati superiores, ac procurator Ordinis intra praefixum terminum praedicta adimplere neglexerint, privationis vocis activae et passivae, necnon officiorum, quae tunc temporis obtinebunt, et inhabilitatis ad illa vel alia in posterum obtinenda perpetuam poenam eo ipso absque aliâ declaratione incurrant, rehabilitatione nobis et Sedi Apostolicae reservatâ.

Prohibet quemquam ad habitum recipi, donec praedictae scripturae fuerint exhibitae.

§ 5. Interea vero prohibemus et interdicimus omnibus et singulis capitulis et congregationibus generalibus, provincialibus et conventualibus, necnon superioribus tam generalibus quam provincialibus et localibus antedictis, ne deinceps quemquam ad habitum[1] suae religionis recipiant, nec iam receptos, aut in posterum contra huiusmodi prohibitionem forsan recipiendos, ad professionem admittant, donec scripturae praedictae et praefixiones numeri familiae cuiusque monasterii ac domus regularis huiusmodi eidem congregationi cardinalium et praelatorum realiter et cum effectu fuerint exhibitae, ac deinde memorati superiores licentiam recipiendi ad habitum et professionem ab eâdem congregatione obtinuerint. Alioquin receptiones tam ad habitum quam ad professionem, aliter factae, sint ipso iure nullae, nullamque inducant obligationem ad religionem in specie vel in genere, aut ad alios quoscumque effectus.

Contravenientibus poenas imponit.

§ 6. Et nihilominus contravenientes sententiam excommunicationis incurrant, a qua per alium, quam per nos et Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constituti absolvi non possint.

Derogat contrariis.

§ 7. Non obstantibus quod praemissa omnia et singula constitutionibus et ordinationibus apostolicis in favorem quarumcumque personarum atque Ordinum tam Mendicantium quam non Mendicantium, congregationum, societatum et cuiusvis alterius instituti, etiam Societatis Iesu, et monasteriorum, conventuum, collegiorum, domorum ac locorum regularium quorumcumque, necnon aliorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis et privilegiis, etiam ex causâ et titulo oneroso, vel in limine fundationis, etiam Mari magno, seu Bullâ aureâ, aut aliter nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis

1 Edit. Main. habet *nature* (R. T.).

1 Perperam ut puto, edit. Main. habet *debitum* pro *habitum* (R. T.).

clausulis, necnon irritantibus decretis, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ad imperatoris, regum seu aliorum principum instantiam, aut aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis seu extensionis concessis, et iteratis vicibus approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, quoad ea praesentibus quomodolibet adversantur, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus et formis, specialis et individua, et de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut quaevis alia exquisita forma servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Affigi et publicari mandat.

§ 8. Volumus autem, quod praesentes litterae in valvis ecclesiae Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum, necnon cancellariae apostolicae, ac in acie Campi Florae de eâdem Urbe publicentur et affigantur; quae, postquam sic affixae et publicatae fuerint, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctent et afficiant, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent;

Et transumptis fidem haberi.

§ 9. Quodque earum praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides in iudicio et extra illud ubique, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII decembris MDCXLIX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 17 decembris 1649, pontif. anno VI.

CXXXIII.

Confirmatio, declaratio et extensio constitutionum apostolicarum de non contrahendo in favorem forensium super bonis stabilibus in Statu Ecclesiastico consistentibus[1].

Innocentius Papa X, ad futuram rei memoriam.

Haec Constitutio Sixti V citatur in rubricâ huius Constitutionis.

§ 1. Dudum felicis recordationis Sixtus Papa V, praedecessor noster, ut tunc suorum et Sedis Apostolicae subditorum conservationi prospiceret, civitates, castra, oppida, iurisdictiones, feuda et bona quaecumque stabilia seu immobilia in Statu Ecclesiastico consistentia per quemcumque, cuiusvis status, gradus, ordinis, qualitatis et conditionis existeret, etiamsi imperiali, regali, ducali, vel aliâ quavis auctoritate, ac dignitate etiam ecclesiasticâ, quae specialem et individuam mentionem requireret, praeditus esset, nullatenus vendi, permutari, ultra triennium locari, in emphyteusim, feudum, livellum, pignus seu precarium concedi, sine suâ et Sedis Apostolicae licentiâ, in aliquam communitatem, universitatem, collegium, vel personam extraneam, seu forensem, etiam ut praemittitur quomodolibet qualificatam, quae dictae Sedi in temporalibus subdita et supposita non esset; vel quae in dicto Statu domicilium legitime non contraxisset, praedictas vero civitates, castra, oppida, fortalitia et alia quaecumque iurisdictionalia, praesertim feudalia,

1 Alienare, vendere, permutare, ultra triennium locare, in emphyteusim, feudum, livellum, pignus, seu precarium concedere in non vassallos nemo potest bona stabilia in Statu Ecclesiastico ex Sixti V Constitut. VII, *Sollicitudo*, tom. VIII, pag. 580. Inhibitionem praedictam ampliavit Clem. VIII in sua Constit. CCLXI (*al.* 250) *Romanum*, tom. X, pag. 711, et Paulus V Constit. CCCI (*al.* 281) *Pastorale*, tom. XII, pag. 413. Item et Urbanus VIII, Const. DLXXXV (*al.* 551) *Olim*, tom. XIV, pag. 616.

tam in forenses, quam in subditos quoscumque quomodolibet qualificatos vendi, permutari, ac donari, nisi praecedente praedictâ licentiâ apostolicâ, prohibuit, sub poenâ nullitatis contractuum, aliorumque gestorum. In praefatâ tamen prohibitione, neque census, neque officia, neque portiones, seu loca montium, nec mulierum dotes, nec almam Urbem cum eius circuitu ad decem millia passuum voluit comprehendi, filios tamen et haeredes praefatarum mulierum, soluto matrimonio, si exteri forent, adstrictos esse infra triennium venire ad habitandum in eodem Statu, vel bona praefata in alium, seu alios habitatores, ac subditos transferre statuit, civilitatibusque derogavit.

Constitutio Clementis VIII.

§ 2. Deinde recolendae memoriae Clemens Papa VIII, etiam praedecessor noster, volens hominum malitiis et fraudibus, quae nedum directe sed etiam indirecte circa praemissa committi possent, occurrere, et dubia quae super illis emergebant declarare, per suas sub datum pridie nonas iulii, pontificatus sui anno X, confectas litteras, constitutiones eiusdem Sixti praedecessoris innovavit, et quascumque communitates, universitates et collegia, non tamen ecclesiastica, extra Statum Ecclesiasticum existentia, necnon etiam quosvis principes extraneos bona aliqua stabilia non solum in finibus eiusdem Status Ecclesiastici, et iuxta terminos ac limites ditionum eorumdem principum, sed etiam in quacumque aliâ eiusdem Status Ecclesiastici parte et in ipsâ Urbe existentia, necnon census, aliaque bona et iura quae pro stabilibus habentur (non tamen officia Romanae curiae, nec portiones et loca montium), nullo contractus praeterquam ex causâ dotis inter vivos titulo acquirere et habere potuisse, neque deinceps posse declaravit, dictamque Sixti praedecessoris constitutionem ad quaecumque etiam genera contractuum, praeterquam, ut praefertur, ex causâ dotis, et ad dispositionem inter vivos, ac etiam ad testamenta, codicillos, legata, fideicommissa, donationes causâ mortis et alias ultimas voluntates factas et faciendas extendit et ampliavit, poenasque amissionis[1] bonorum et aliorum praedictorum contrafacientibus (ita quod Sedes et Camera Apostolica eo ipso possit illa propriâ auctoritate capere et penes se retinere viventibus ita disponentibus) ac privationis officiorum tabellionibus et notariis, qui de contractibus, ut praefertur, prohibitis se rogarent, imposuit, aliaque etiam iussit et decrevit.

Pauli V Constitutio de qua in notâ ad rubricam.

§ 3. Et insuper piae memoriae Paulus etiam V Romanus Pontifex praedecessor noster, ne disposita per Sixtum et Clementem praedecessores praefatos variis et alienis ab eorum mente interpretationibus subverti ac palliatis conditionibus eludi possent, etiam per suas sub datum XII kalendas decembris, pontificatus sui anno XIII, confectas litteras, praefatas Sixti et Clementis praedecessorum constitutiones declaravit et extendit, ac licentiam praedictam in scriptis prius obtineri et in actu celebrationis contractus apud notarium exhiberi mandavit, et contrafacientes nullitatis contractuum et privationis rei alienatae, seu translatae, vel gravatae, ac[2] tabelliones seu notarios poenas falsi et privationis officiorum omnium, quae obtinerent, et inhabilitatis ad illa et alia in posterum exercendum, incurrere voluit, aliaque similiter disposuit.

Urbani Constitutio circa eamdem materiam.

§ 4. Ac postmodum felicis recordationis Urbanus Papa VIII, itidem praedecessor noster, quia hominum versutia et artificium, adversus praedictarum litterarum tenorem vel dictorum praedecessorum verisimilem mentem et intentionem, cautelas et modos absque praefatâ Romani

1 Male edit. Main. legit *ammissionis* (R. T.).
2 Perperam etiam habet *ad* pro *ac* (R. T.).

Pontificis licentiâ alienandi et contrahendi adinvenerat, per quasdam sub datum kalendis iunii, anno Incarnationis Dominicae MDCXXVII, praefatas constitutiones confirmavit, et in eis bona in confinibus territorii baronalis existentia, ac castra diruta et tenutas, sive praedia, etiam non iurisdictionalia, censusque super bonis huiusmodi impositos et illorum vigore ius praelationis comprehendi declaravit.

Aliae Urbani VIII litterae.

§ 5. Et successive per alias sub datum v kalendas octobris eiusdem anni MDCXXVII terminum illis qui praemissis contravenerant, ut contractus et gesta quaecumque, ut praefertur, prohibita retractarent, praefixit, notarios quoque etiam Sedis Apostolicae nuncupatos, etiam de numero participantium, intra eumdem trium mensium terminum tam in exhibendo instrumenta, quam etiam alterius in adnotando in margine ipsorum instrumentorum cassationem, retractationem, restitutionem et repositionem in pristinum omnium contra constitutionum et litterarum praefatarum tenorem actorum, paruisse debere, aliàs omnes privationis suorum officiorum et alias omnes poenas in eisdem constitutionibus et litteris inflictas incurrisse, decrevit et declaravit.

Urbani VIII alia Constitutio de hac materiâ.

§ 6. Ac demum, comperto quod etiam ex dotibus, seu contractibus causâ dotium, poterat Sedi Apostolicae eiusque subditis non modicum fieri praeiudicium, idem Urbanus praedecessor, per alias suas sub datum die III novembris MDCXXXVII respective expeditas litteras, nedum easdem Sixti, Clementis et Pauli praedecessorum praedictorum constitutiones, ac anteriores suas litteras, omniaque et singula in eis et earum qualibet expressa et prohibita, poenasque tam nullitatis contractuum ac dispositionum, quam alias quascumque, ab eis et singulis earum etiam contra notarios et alios quoscumque inflictas, approbavit, confirmavit et innovavit; verum etiam, illas ampliando et declarando, easdem constitutiones, ac omnia et singula in eis et earum qualibet contenta, ad quoscumque contractus causâ vel praetextu dotium quomodolibet in posterum ineundos, ac ad quascumque dotes etiam ratione educationis infantium, pupillorum, et aliarum personarum quarumcumque, et aliàs quomodolibet, per quoscumque sive subditos sive forenses de quibuscumque bonis et iuribus, sive iurisdictionalibus, sive[1] non iurisdictionalibus, stabilibus tamen seu immobilibus, aliisve bonis et iuribus, quae pro stabilibus habentur, ubilibet in eodem Statu Ecclesiastico, praesertim in confinibus eiusdem Status pro aliquâ eius parte contigui[2] sitis, absque suâ et Romani Pontificis pro tempore existente expressâ licentiâ praefatâ, etiam absque aliquâ palliatione assignandas cuicumque puellae seu mulieri in favorem cuiuslibet forensis etiam principis maioris potentiae, vel eius patris, matris, avi, aviae, sive paterni, sive materni, aut fratris, vel filii, aut nepotis etiam ex eius fratre vel sorore tunc nati et quandocumque nascituri, extendit et ampliavit, addiditque poenam privationis et confiscationis ipsorum bonorum, ac iurium quorumcumque, in favorem camerae apostolicae sive ecclesiarum inferiorum, a quibus contrahentes vel disponentes illa recognoverant et recognoscebant, ac insuper omnia et singula indulta et licentias acquirendi et non veniendi ad habitandum in Statu Ecclesiastico et bona quaecumque in subditos transferendi, et aliàs, contra praedictas constitutiones quomodolibet concessa et concessas eo usque, revocavit, et aliàs prout in singulis praedictis Sixti, Clementis, Pauli et Urbani praedecessorum huiusmodi constitutionibus uberius continetur.

1 Vocem *sive* nos addimus (R. T.).

2 Videtur legendum *contiguis* (R. T.).

Causae huius Constitutionis.

§ 7. Licet autem satis plana et aperta sit praedictarum constitutionum dispositio, et ex illis enixa voluntas et intentio eorumdem praedecessorum prohibendi quascumque conventiones de et super bonis stabilibus et iuribus quae pro stabilibus habentur in dicto Statu Ecclesiastico existentibus, seu illorum occasione, in favorem forensium directe et indirecte, sive per viam pignoris, sive simplicis hypothecae, sive cuiuslibet actionis etiam personalis, aut promissionis de vendendo, seu alteri non vendendo, seu de praeferendo si quando vendi contingeret, sive alterius cuiuscumque promissionis aut conventionis et aliorum cuiusvis generis contractuum, non praecedente tamen dictâ Sedis Apostolicae licentiâ, liquido eliciatur, ita ut alii declarationi seu interpretationi locus neutiquam esse videatur; nihilominus, quia nobis innotuit nonnullos excogitatis quibusdam modis et cautelis genuinum earumdem constitutionum sensum invertere, et veram eorumdem praedecessorum intentionem declinare, ac poenas in constitutionibus huiusmodi comminatas evitare conatos fuisse, contrahendo sive per istrumenta publica, sive per apocas privatas, et quascumque alias scripturas, cum forensibus super bonis immobilibus in dicto Statu Ecclesiastico existentibus, non praecedente quidem expressâ nostrâ licentiâ, at cum speciosâ palliatione reservationis beneplaciti apostolici, seu cum clausulis, *quatenus non obstent constitutiones apostolicae, ac ex nunc pro tunc quando cessaverint earum obstacula, et non aliàs, aliter, nec alio modo, aut per viam promissionis de vendendo seu aliis praeferendo et subrogando in iuribus et locum alterius ius seu hypothecam in bonis huiusmodi habentis,* aliisque similibus vel dissimilibus clausulis conditionem in iuribus et privilegiis dotium inducentibus, necnon etiam cum relatione ad minutas et scripturas penes contrahentes vel alios retentas, vel contrahendo per procuratorem aut negotiorum gestorem vigore mandati generalis, aut aliter concepti, vel per alium, cuiuscumque etiam quantumvis privilegiatae et expressam ac individuam mentionem requirentis personae, seu eius bonorum, administratorem, cuiuscumque gradus, conditionis et dignitatis, etiam cum decreto iudicis, et aliis tam de iure quam ex statutis et quavis aliâ dispositione requisitis solemnitatibus; praetendentes insuper sat esse, si forenses civilitatem ex privilegio acquisiverint, vel apud acta publica contestentur eligere se vel habere velle domicilium in Urbe aut Statu praedicto, etiamsi re verâ non concurrant cetera ad contrahendum legitime domicilium iuxta easdem constitutiones requisita:

Praedictas Constitutiones apostolicas suorum praedecessorum confirmat, approbat, imo innovat hic Sanctissimus Pontifex.

§ 8. Idcirco nos, ut ea quae pro communi Status nostri Ecclesiastici bono, nostrorumque et dictae Sedis subditorum utilitate per dictos praedecessores adeo provide et salubriter constituta fuerunt, recisâ omni obliquae interpretationis ansâ, adamussim et inconcusse serventur, pro pastorali nostrâ sollicitudine providere volentes, rationesque, quibus praedicti praedecessores moti fuerunt, etiam in contractibus cum praedictis clausulis et conditionibus initis, immo maiores propter adeo studiosam sententiae dictarum constitutionum circumventionem, urgere attendentes, necnon praedictarum constitutionum, ac quorumcumque contractuum contra illarum formam et mentem initorum, licentiarumque, si quae sint, contrahendi cum forensibus super bonis et iuribus praedictis, per praedecessores nostros, aut etiam nos ipsos, vel nostrâ et illorum auctoritate quomodolibet forsan concessarum, aliorumque hîc etiam de necessitate exprimendorum et inserendorum tenores ac datas etiam veriores praesentibus pro ex-

pressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione, praefatas Sixti, Clementis, Pauli et Urbani praedecessorum huiusmodi constitutiones, ac omnia et singula in illis et earum qualibet contenta, confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis confirmationis et approbationis vim et robur adiicimus, et, quatenus opus sit, illas et illa innovamus;

Contractus cum reservatione beneplaciti apostolici, etc. hac Constitutione comprehendit.

§ 9. Ac insuper contractus huiusmodi cum reservatione beneplaciti apostolici, seu cum clausulis *quatenus non obstent constitutiones apostolicae, ac ex nunc pro quando cessaverint eorum obstacula vel personarum incapacitas seu inhabilitas, et non aliàs, aliter, nec alio modo, aut per viam promissionis de vendendo, et alteri non vendendo, seu alii praeferendo et subrogando in iuribus et locum alterius ius seu hypothecam in bonis huiusmodi habentis, etiam in iuribus et privilegiis dotium,* aliisque similibus vel dissimilibus clausulis, etiam conditionem et consensum conditionalem inducentibus, necnon etiam cum relatione ad minutas et scripturas penes contrahentes vel alios retentas, ac etiam per procuratorem, aut negotiorum gestorem vigore mandati generalis, aut sub quocumque alio verborum tenore et conditione concepti, vel per alium, cuiuscumque etiam quantumvis privilegiatae et expressam ac individuam mentionem requirentis personae, seu eius bonorum, administratorem, cuiuscumque gradus, conditionis et dignitatis existentem, etiam cum decreto iudicis, et aliis, tam de iure quam ex statutis et quavis dispositione requisitis, solemnitatibus, initos et deinceps ineundos, sub praefatis constitutionibus et prohibitionibus comprehensos fuisse ac esse et de cetero fore, omnesque et singulos sic contrahentes poenis in eisdem constitutionibus inflictis subiacuisse et subiacere;

Et licentiam in scriptis obtinendam super huiusmodi contractibus declarat.

§ 10. Praeterea nostram et pro tempore existentis Romani Pontificis licentiam in scriptis obtinendam quemcumque contractum cum quibusvis pactis et conditionibus in favorem forensis super bonis iuribusque praedictis initum et ineundum realiter praecedere, ad effectum ut contrahentes essent et sint habiles ad contrahendum tempore contractus, eamdemque licentiam in ipso contractu scripturisque desuper confectis et conficiendis de verbo ad verbum, ut de eius tenore certius constet, inseri debuisse et debere, civilitatemque cuiuscumque civitatis et loci, etiam Urbis, ex privilegio etiam apostolico et ex quacumque causâ et titulo etiam oneroso ac sub quavis verborum amplitudine acquisitam, aut domicilii in Urbe vel Statu praedictis etiam apud acta publica electionem, nequaquam suffragari potuisse et posse ad effectum ut aliquis quoad praemissa forensis non censeatur, sed oportuisse et oportere, ut forensis vere, realiter et personaliter, ac cum effectu, domicilium scilicet larem[1] rerumque et fortunarum suarum in Urbe vel Statu praedictis in perpetuum ante contractum huiusmodi legitime constituerit, cum animo et intentione non recedendi, neque ad praedictum effectum habitationem quantivis temporis, sive ratione officii, muneris, servitii, aut etiam studii, sive ex aliâ quacumque causâ, suffecisse, nec sufficere declaramus.

Alia praeiudicialia Sedi Apostolicae prohibet.

§ 11. Ad haec, cum aeque praeiudiciale Sedi praedictae suisque subditis esse comprobetur super casalibus et tenutis ac pedicis prope Urbem praedictam existentibus in favorem forensium quomodolibet contrahi, propterea constitutiones praedictas, ut praemittitur, declaratas, ac omnia in eis contenta, etiam ad quaecumque

1 Forsan legendum *larium* (R. T.).

casalia, seu tenutas et pedicas, sive iurisdictionalia, sive non iurisdictionalia, ultra, quatuor ab eâdem Urbe milliaria consistentia, extendimus et ampliamus; et si quod casale, vel tenuta, aut pedica partim ultra, et partim intra quatuor milliaria huiusmodi existat, illam partem, quae est ultra quatuor milliaria, cuiuscumque quantitatis, sive sit principalis sive accessoria alterius partis infra quatuor milliaria existentis, sub praedictis constitutionibus per nos, ut praefertur, declaratis et extensis in futurum comprehendi volumus.

Ultra poenas in dictis Constitutionibus appositas, alias superaddit.

§ 12. Ac, ut eo maior sit praedictarum et huius nostrae constitutionis observantia, quo gravioribus poenis munitae fuerint, ultra poenas in dictis praedecessorum praedictorum constitutionibus appositas, aliasque a iure communi contra similia perpetrantes inflictas (salvis tamen semper quibuscumque camerae nostrae praedictae iuribus, quoad poenas vigore constitutionum praedictarum praedecessorum nostrorum huiusmodi, ac de iure communi, et aliàs quomodolibet, etiam quoad pretium, et contra quascumque personas etiam quantumvis privilegiatas, etiam ratione cuiuscumque minoris aetatis incursas, etiam quoad tutores, curatores, actores, administratores, procuratores et negotiorum gestores, et alios quoscumque, cuiusvis gradus, conditionis et dignitatis, hactenus, tam super bonis, quam super pretio quomodolibet acquisitis et competentibus), etiam poenas confiscationis bonorum et iurium praedictorum, si sine praecedente licentiâ praedictâ; et, ut praemittitur, insertâ, super illis in favorem forensis quoquomodo, etiam cum praedictis et quibusvis aliis conditionibus et cautelis, contrahens illorum dominus absolutus fuerit, ex tunc in perpetuum; alioquin, si fideicommisso, aut primogeniturae, aliive restitutioni obnoxia fuerint, durante vitâ contrahentis dumtaxat, ad favorem camerae apostolicae, vel aliorum locorum piorum, a quibus bona praedicta recognoscuntur, etiamsi contractus initus fuerit per tutorem, curatorem, actorem, administratorem, procuratorem, negotiorum gestorem et quemcumque alium, cuiusvis gradus, conditionis et dignitatis, necnon, quatenus in dictis constitutionibus explicite vel implicite non contineretur, etiam poenam confiscationis pretii bonorum huiusmodi, sive solutum, sive promissum, sive destinatum, et interim ad cambium, aut sub alio interusurio, seu alio quocumque nomine et titulo penes contrahentes vel alios relictum fuerit, ad favorem camerae praedictae eo ipso absque aliâ declaratione; illis vero qui alieno nomine contraxerint, vel consensum desuper quomodolibet praestiterint, cuiuscumque gradus, vel conditionis, aut dignitatis existant, poenas nostri et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrii eo ipso pariter incurrendas addimus et adiungimus.

Omnes contrahendi licentias revocat.

§ 13. Demum, alteri simili per nos aliàs factae revocationi inhaerendo, omnes et quascumque licentias et facultates contrahendi sine praeviâ nostrâ et pro tempore existentis Romani Pontificis licentiâ super bonis iuribusque praedictis in favorem forensium a praedecessoribus nostris, seu eorum auctoritate, vel etiam a nobis ipsis, cuicumque etiam speciali mentione digno, etiam motu simili, et aliter quomodolibet concessas denuo revocamus, annullamus et abolemus, neminique in futurum suffragari volumus.

Quibusdam casibus, qui iam evenerunt providet.

§ 14. Ceterum, quoad casus qui iam evenerunt uberius providere volentes (salvis tamen semper iuribus camerae praedictae quoad poenas vigore constitutionum praedictorum praedecessorum nostrorum huiusmodi, ac de iure communi, et aliàs quomodolibet, etiam quoad pretium et aliàs ut supradictum est incursas), omni-

bus et singulis etiam minoribus cuiuscumque aetatis, qui contra praefatarum dictorum praedecessorum constitutionum per nos, ut praemittitur, declaratarum et huius nostrae dispositionem, per se, vel per alium, et aliàs quomodolibet, etiam cum decreto iudicis, et aliis solemnitatibus, ut praemittitur, contraxerunt, etiamsi minores cuiuscumque aetatis et alii quicumque praetenderent se in poenas per praefatas et hanc nostram constitutionem inflictas minime incidisse, necnon praedictis omnibus et singulis, qui alieno nomine contraxerunt, vel desuper consensum quomodolibet praestiterunt, cuiuscumque gradus, conditionis et dignitatis existentibus, terminum trium mensium a die publicationis praesentium computandorum, intra quem omnes et singuli praedicti omnia et singula contra tenorem constitutionis huiusmodi gesta et inde secuta quaecumque retractasse et revocasse, actuque retrosimili reipsâ et cum effectu in pristinum et eum in quo ante contraventionem quomodolibet erant statum restituisse ac reposuisse prorsus et omnino debeant[1], earumdem tenore praesentium praefigimus, quo termino elapso, praemissisque non parito, statim et eo ipso absque aliâ declaratione intrare omnes et singulas poenas, etiam per nos, ut praefertur additas, ac dilectum filium camerae praedictae commissarium generalem posse et debere, eiusdem camerae nomine, absque aliâ declaratione, et nemine citato, manuque regiâ et executive, ac etiam de facto, circa vitium spolii, nullitatis et attentatorum, possessionem bonorum et iurium, super quibus initi fuerint contractus, capere ad effectum illa ex tunc in perpetuum, vel durante vitâ perperam, ut praefertur, contrahentium respective, iuxta dictas praedecessorum praedictorum et hanc nostram constitutiones, retinendi, fructusque illorum ad utilitatem eiusdem camerae percipiendi, ac insuper etiam pretia bonorum et iurium huiusmodi, et quae loco pretii erunt, pro eâdem camerâ, etiamsi quoad contrahentes et eorum quemlibet pretia restituta, aut alia in recompensam soluta, vel ab eis quomodolibet promissa, ac inter partes conventa adimpleta non fuerint, percipere et exigere, neminemque etiam minorem cuiuscumque aetatis, ex quacumque causâ, quantumvis legitimâ et favorabili, et ex quocumque capite et praetextu, quominus praemissa omnia et singula infra dictum terminum omnino adimpleat, illoque elapso, et praemissis integre non adimpletis, poenas praedictas incurrat, excusare posse aut debere, reservatâ tamen minoribus praedictis contra illos, qui eorum nomine contraxerunt, actione: illos vero, qui, ut praemittitur, alieno nomine contraxerunt, vel consensum desuper quomodolibet praestiterunt, cuiuscumque gradus, conditionis et dignitatis existant, si praemissa non adimpleverint, nostri et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrii poenas eo ipso incurrisse et incurrere.

Notariis iniungit huiusmodi revocationem adnotare in margine.

§ 15. Tabelliones quoque et notarios quoscumque, etiam Sedis Apostolicae nuncupatos, etiam[1] de numero participantium, intra eumdem trium mensium terminum tam in exhibendo instrumenta super praemissis per eos confecta, quam etiam in adnotando in margine ipsorum instrumentorum cassationem, revocationem, retractationem, restitutionem et repositionem in pristinum omnium contra earumdem constitutionum tenorem gestorum, paruisse debere, alioquin privationis officiorum suorum, omnesque alias poenas in huiusmodi constitutionibus inflictas incurrisse, decernimus et declaramus.

1 Edit. Main. legit *debcat* (R. T.).

1 Perperam edit. Main. habet *eam* pro *etiam* (R. T.).

Loca montium, neque officia Romanae Curiae comprehenduntur.

§ 16. Inhaerentes autem etiam hac in parte praefatarum constitutionum eorumdem praedecessorum dispositioni, volumus et expresse declaramus bonorum et iurium praefatorum appellatione neque portiones, seu loca montium, neque officia Romanae curiae comprehendi.

Clausulae praeservativae.

§ 17. Decernentes etiam praesentes litteras, omniaque et singula in eis contenta, etiam ex eo quod quicumque in praemissis seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, ad ea minime vocati et auditi, causaeque, propter quas eaedem praesentes emanarunt, iustificatae non fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari posse, sed illas semper validas, firmas et efficaces existere et fore, ac per omnes et singulos, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et clericos praesidentes, aliosque ministros et officiales camerae praedictae, necnon S. R. E. camerarium, sive procamerarium, et quoscumque alios cardinales, etiam de latere legatos, ac nuntios, ac alios quavis potestate fungentes, nunc et pro tempore existentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Deputatio exequutorum.

§ 18. Iniungentes et mandantes in virtute sanctae obedientiae, ac sub poenâ indignationis nostrae, iisdem camerario, seu procamerario, legatis, vicelegatis, ac thesaurario nostro generali, necnon gubernatoribus, etiam Urbis, et quibusvis aliis iudicibus nunc et pro tempore in eâdem Urbe et toto Statu nostro Ecclesiastico existentibus, et cuilibet eorum, ut praesentes nostras et in eis contenta quaecumque in Urbe ac Statu praedictis ab omnibus et singulis ad quos quomodolibet spectat et in futurum spectabit perpetuo observari mandent et faciant, et pro omnium et singulorum praemissorum inviolabili observatione contra inobedientes et praemissis in aliquo contravenientes, et alios quos opus erit, omnibus iuris et facti remediis opportunis procedat[1], omni et quacumque appellatione remotâ.

Derogatio contrariorum.

§ 19. Non obstantibus praemissis, necnon praefatis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac etiam cancellariae nostrae regulis, etiam illâ de non tollendo iure quaesito, ac quibusvis primogenituris, iuribus succedendi, fideicommissis purificatis et purificandis, ac ultimis voluntatis, donationibusque et pactis quibuslibet, necnon statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis locis et personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis ac decretis, etiam irritantibus, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, etiam ad imperatoris, regum, aliorumque principum et rerumpublicarum instantiam, seu illorum intuitu et contemplatione, ac aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et plu-

1 Videtur legendum *procedant* (R. T.).

ries innovatis; omnibusque illis, quae dicti praedecessores in suis respective constitutionibus praedictis voluerunt non obstare; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio facienda, seu quaevis alia exquisita forma servanda esset, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma publicationis. § 20. Ut autem nemo praemissorum ignorantiam allegare possit, volumus, quod eaedem praesentes per aliquem seu aliquos ex cursoribus nostris in valvis ecclesiae S. Ioannis Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum ac in acie Campi Florae de Urbe affigantur et publicentur, quae sic affixae et publicatae omnes et singulos arctent et afficiant, ac si unicuique eorum personaliter intimatae et notificatae fuissent;

Transumptorum fides. § 21. Quodque earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I februarii MDCL, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 1 februarii 1650, pontif. anno VI.

CXXXIV.

Concessio indulgentiarum praesentis anni iubilaei pro monialibus, anachoretis, eremitis, carceratis et infirmis [1].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Pontificia sollicitudo, quamvis omnium christifidelium saluti prospiciat, praecipue tamen spiritualibus sanctimonialium profectibus paternae charitatis affectu studet providere; ipsae enim sunt filiae, quae, oblitae populum suum et domum patris sui, animi splendore caelestem regem oblectant; ipsae sunt prudentes virgines, quae, lampades suas charitatis flammâ succensas provide aptantes, meliorem partem elegerunt, et dum vitam caelitus petitam ducunt non modo sibi ipsis ad[2] caelum viam sternunt, sed, ieiuniis, vigiliis et orationibus, ceteris quoque christifidelibus eam aperire student. Exordium.

§ 1. Quare summopere optandum est, ut vitae rationem, quae eas angelis quodammodo aequat, constantisssime retineant, ac dent operam, ut sicuti praeclaros hîc agunt de carne in carne triumphos, ita post huius vitae certamina in caelesti patriâ feliciter coronentur. Quoniam autem consimile vitae genus quamplurimi anachoretae, atque eremitae, ut supernarum rerum contemplationi securius vacent, laudabiliter elegerunt, spiritualibus quoque ipsorum incrementis paternis visceribus maxime ducimus consulendum.

§ 2. Cum igitur tam ipsi quam praedictae sanctimoniales perpetuâ vivant clausurâ mancipatae, necnon multi, ut accepimus, utriusque sexus christifideles, partim carceribus detenti, partim vero diuturnâ infirmitate praepediti, non solum in almâ Urbe nostrâ et Italiâ, sed

1 Consimilem gratiam fecit Urbanus VIII in anno iubilaei MDCXXV monialibus et anachoretis in Constit. LVIII, tom. XIII, pag. 147.

2 Male edit. Main. legit *ac* pro *ad* (R. T.).

aliis etiam regionibus, provinciis et locis reperiantur, qui et quae respective impedimentis huiusmodi remotis pro percipiendis praesentis anni iubilaei fructibus ad almam Urbem nostram omnino venirent, et basilicas ecclesiasque ad id deputatas benedicente Domino indubitanter visitarent, sed[1] ob praedicta impedimenta ad Urbem huiusmodi minime venire, neque respective basilicas et ecclesias ipsas visitare valeant:

Concedit prout in rubricâ.

§ 3. Nos, pro pastoralis officii nostri debito, paternâque charitate, illorum omnium animarum saluti, quantum cum Domino possumus, prospicere volentes, omnibus et singulis sanctimonialibus, necnon anachoretis, atque eremitis huiusmodi, necnon utriusque sexus chistifidelibus, tam carceratis, quam infirmis praedictis tantum, et qui aliàs impedimentis longae[2] carcerationis et diuturnae infirmitatis cessantibus ad hanc almam Urbem pro thesauris spiritualibus huiusmodi consequendis venturi fuissent, vere poenitentibus et confessis, quod, in locis ubi eos esse contigerit, pia christianae pietatis et charitatis opera, iuxta formam ab Ordinariis locorum, seu sanctimonialium, et[3] anachoretarum, eremitarumque huiusmodi superioribus, vel de eorum mandato a prudente confessario, in almâ vero Urbe a dilecto filio nostro vicario, seu eius vicesgerente tantum, praescribendam pro cuiuslibet statu et conditione, ac loci et temporis ratione habitâ, exercendo, et alia nostris in litteris indictionis anni iubilaei contenta adimplendo, omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones etiam plenissimas consequantur, et eorum quilibet consequatur, quas consequerentur et consequi possent, si in hoc praesenti anno iubilaei diebus ad id statutis quatuor ad id deputatas basilicas et ecclesias almae Urbis etiam extra illius muros, pro quibus visitandis iubilaeum et indulgentiae praedictae concessae sunt, personaliter visitarent et eorum quilibet visitaret. Eisdemque sanctimonialibus et Christi fidelibus impeditis huiusmodi, ut, ad effectum praesentium, confessarios presbyteros seculares, vel cuiusvis[4] Ordinis regulares, ab eisdem Ordinariis locorum ad id approbatos, qui confessionibus eorum diligenter auditis eos et eorum quoslibet a quibusvis peccatis, criminibus et delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis, etiam in Bullâ Coenae Domini contentis, iniunctâ eis poenitentiâ salutari, absolvere possint, eligere valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Contraria tollit.

§ 5. Volumus autem, quod praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII februarii MDCL, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 12 februarii 1650, pontif. anno VI.

1 Vocem *sed* nos addimus (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *longe* (R. T.).
3 Male edit. Main. legit *de* pro *et* (R. T.).

CXXXV.

Declaratio circa divisionem provinciae Franciae Ordinis Eremitarum sancti Augustini aliàs factam[1].

1 Edit. Main. habet *cuius* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Motiva. § 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus l'Abbé, Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini provinciae Franciae professor et in litterariâ facultate Parisiensi in sacrâ theologiâ magister, necnon modernus prior domus regularis Aurelianensis eorumdem Ordinis et provinciae, procuratorio ipsorum fratrum dictae provinciae nomine, quod aliàs felicis recordationis Urbanus Papa VIII praedecessor noster praefatam Franciae huiusmodi provinciam in duas, unam videlicet Franciae, et aliam Bituricensem, seu S. Guillelmi, respective nuncupatas provincias divisit, ac unicuique ex sic divisis provinciis huiusmodi sua regularia loca et conventus nominatim assignavit, prout in eiusdem Urbani praedecessoris litteris in simili formâ Brevis desuper sub die x septembris MDCXXV expeditis debitaeque executioni demandatis, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, plenius continetur. Nihilo tamen minus venerabilis frater Franciscus, modernus episcopus Ambianensis, in domum regularem Ambianensem dicti Ordinis, quae[2], per divisionem apostolicâ auctoritate ut praefertur factam, dictae provinciae Franciae assignata fuit, fratres dicti Ordinis praefatae provinciae Bituricensis, seu S. Guillelmi, absque ullâ sibi desuper a Sede Apostolicâ concessâ facultate, sub praetextu reformationis in eâ restituendae, introduxit, commissis hac in re per ipsum Franciscum episcopum, necnon dilectos filios Franciscum Barboteanum, eius in spiritualibus vicarium generalem, et officialem, ac promotorem fiscalem illius curiae episcopalis, variis pluries et iteratis vicibus attentatis, prout in quadam sententiâ per eumdem Franciscum episcopum desuper de anno MDCXLVIII latâ uberius etiam contineri dicitur.

§ 2. Subinde dilectus pariter filius Salvator Severinus, dicti Ordinis professor, et illius tunc vicarius apostolicus generalis, eamdem domum regularem Ambianensem dictae provinciae Bituricensi, seu S. Guillelmi, contra praefatarum eiusdem Urbani praedecessoris litterarum dispositionem, per quoddam suum decretum, sub die XX novembris anni MDCXLVIII emanatum, univit.

Supplicatio. § 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praemissa per eosdem Franciscum episcopum, eiusque vicarium generalem, ac officialem, necnon promotorem fiscalem, Salvatoremque Severinum praefatos[1] attentata, et nullâ Sedis Apostolicae auctoritate suffultâ, ut praefertur facta, nulla sint; nobis propterea idem exponens nomine totius provinciae Franciae praefatae humiliter supplicari fecit, ut praemissa omnia nulla et irrita declarare, aliasque in eisdem praemissis providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Gesta quaecumque revocat. § 4. Nos igitur, eumdem exponentem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, quibus scriptae preces examinandae a nobis remissae fuerunt, visis eisdem Urbani praedecessoris litteris, ac

1 Male ed. Main. legit *praefatarum* pro *praefatos* (R. T.).

Vocem *quae* nos addimus (R. T.).

iuribus fratrum dictae provinciae Franciae, illisque accurate perpensis, vocatis quoque et auditis dilectis filiis Christino Mesnacer et Augustino Bruchet, dicti Ordinis professoribus, dictae provinciae Biturícensis, seu S. Guillelmi, pro negociis eiusdem provinciae in Romanâ curiâ degentibus, causâque saepius propositâ et mature discussâ, non licuisse praefato Salvatori Severino, tunc vicario apostolico huiusmodi, distributionem conventuum provinciarum huiusmodi, contra formam praenominatarum eiusdem Urbani praedecessoris litterarum, immutare, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus, gestaque tam per ipsum Salvatorem Severinum vicarium apostolicum, quam per eumdem Franciscum episcopum, eiusque curiam, in praeiudicium nedum fratrum dicti Ordinis provinciae Franciae, verum etiam totius ipsius Ordinis, eorumque iurium, exemptionum et privilegiorum, tamquam irrita et attentata revocamus, et ad pristinum statum reducimus, spoliatosque ad suum conventum restituimus ex praescripto litterarum eiusdem Urbani praedecessoris, ita tamen, ut divinus cultus et regularis disciplina (si in aliquâ diminuta fuerunt) per zelantes et religiosos viros a dilecto filio priore generali dicti Ordinis deputandos sedulo restituantur: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Decretum observari mandat.

§ 5. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, quos illae concernunt et concernent in futurum, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria respuit.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et provinciarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret[1], illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem addit.

§ 6. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique tam in iudicio quam extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII maii MDCL, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 23 maii 1650, pontif. anno VI.

1 Verbum *foret* nos addimus (R. T.).

CXXXVI.

Absolutio regis catholici ob conversionem[1] *proventuum cruciatae subsidii et primae decimae in alios usus quam eos, pro quibus concessi sunt, cum decreto, ut in posterum observetur in omnibus et per omnia tenor gratiarum huiusmodi.*

Charissimo in Christo filio nostro Philippo, Hispaniarum regi catholico, Innocentius Papa X.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. § 1. Propensa nostra in maiestatem tuam charitas fecit[2], ut securitati conscientiae tuae, quantum cum Domino possumus, libenter consulamus. Tuo siquidem nomine nobis nuper expositum fuit, quod, cum indulgentiae et gratiae spirituales et temporales (quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris clarae memoriae Philippo II avo et Philippo III genitori tuis, Hispaniarum regibus catholicis, antecessoribus tuis, eorumque subditis concessae, et a felicis recordationis Urbano Papa VIII, etiam praedecessore nostro, ad usum lacticiniorum pro personis ecclesiasticis secularibus inibi expressis extensae, necnon ab eodem Urbano praedecessore pluries, ac a nobis etiam pro maiestate tuâ ac subditis tuis prorogatae fuerunt) intuitu et occasione expeditionis contra Turcas, Mauros et Saracenos concessae fuerint, et praeterea, cum in concessione subsidii quadrigentorum et viginti millium ducatorum eisdem regibus per eosdem Romanos Pontifices factâ, et per nos et pro maiestate tuâ prorogatâ, ordinatum reperiatur, ut ex proventibus inde percipiendis sexaginta triremes sustentari debeant; necessitatibus interdum ita exigentibus, tu proventus ex supradictis et primae decimae gratiis perceptos, non in supradictos, sed in alios, quam eos quorum intuitu concessae et prorogatae fuerunt, usus convertere coactus fuisti; ac idcirco super hoc tibi pro conscientiae tuae securitate, quatenus opus sit, per nos gratiose indulgeri summopere desideres:

Proventus subsidii ac primae decimae in alios usus conversos remittit.

§ 2. Nos itaque, eamdem maiestatem tuam ob eius eximia in nos et Apostolicam Sedem merita amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, ac litterarum apostolicarum super concessionibus et prorogationibus dictarum gratiarum, et cuiusvis illarum, etiam in formâ Brevis aut aliàs quomodolibet expeditarum, tenores ac[1] datas praesentibus pro expressis habentes, supplicationibus eiusdem maiestatis tuae nomine super hoc humiliter nobis porrectis inclinati, te a quibuscumque censuris et poenis ecclesiasticis forsan incursis, et quocumque peccati reatu et conscientiae scrupulo, ex eo quod pecunias et proventus ex supradictis gratiis, indulgentiarum nimirum, earumque extensionis, quoad usum lacticiniorum, praedictae, ac subsidii et primae decimae, perceptos, in alios, quam eos, ad quorum effectum concessae fuerunt, usus quomodocumque converteris, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, in utroque foro, quatenus opus sit, gratiose absolvimus et plenissime liberamus, ac censuras et poenas huiusmodi, necnon quamcumque eorumdem proventuum, et notabilem et notabilissimam summam per te in alios huiusmodi usus conversam, tibi remittimus et condonamus.

§ 3. Volumus autem, ut de cetero tenor gratiarum huiusmodi in omnibus et per omnia exacte observetur, super quo eiusdem maiestatis tuae conscientiam oneramus.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus praemissis et quibusvis aliis conditionibus, clausulis et de-

1 Male edit. Main. habet *conventionem* (R.T.).
2 Forsan legendum *facit* (R. T.).

1 Particula *ac* nos addimus (R. T.).

cretis in dictarum gratiarum et cuiuscumque illarum concessionibus et prorogationibus appositis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI iunii MDCL, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 11 iunii 1650, pontif. anno VI.

CXXXVII.

Declaratio quod indulgentia Portiunculae in anno sancto non revocatur [1].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Cum ob sacri iubilaei celebrationem, a vigiliâ Nativitatis Domini nostri Iesu Christi praesentis anni inchoatam, et usque ad finem eiusdem anni duraturam, omnes et singulas indulgentias, etiam perpetuas, et peccatorum remissiones quibusvis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus et aliis locis piis, secularibus et quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, regularibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, quomodolibet concessas, deque potestatis plenitudine, suspenderimus, ac suspensas esse declaraverimus, easque eodem anno durante nulli prodesse ac suffragari debere decreverimus, prout in nostris sub plumbo desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur:

§ 1. Nos, cupientes, ut ecclesia S. Mariae Angelorum domus Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ, prope et extra muros civitatis Assisiensis, congruis frequentetur honoribus, ad eamque christifideles eo libentius accedant, quo exinde spiritualibus gratiis se uberius refectos conspexerint,

§ 2. Tenore praesentium declaramus, Declaratio. mentis et intentionis nostrae minime fuisse, nec esse, sub praedictâ indulgentiarum suspensione indulgentiam utriusque sexus christifidelibus praedictam ecclesiam, die secundâ mensis augusti a primis vespris usque ad occasum solis diei huiusmodi visitantibus et requisita pro eâdem indulgentiâ consequendâ peragentibus concessam comprehendere, prout minime comprehendimus, nec comprehensam esse in verbo Romani Pontificis attestamur; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die V iulii MDCL, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 5 iulii 1650, pontif. anno VI.

CXXXVIII.

Constitutio super approbatione et usu caeremonialis episcoporum et aliorum ecclesiarum praelatorum novissime reformati [1].

Innocentius Papa X.
ad perpetuam rei memoriam.

Etsi aliàs felicis recordationis Clemens Exordium. Papa VIII praedecessor noster caeremoniale episcoporum, omnibus ecclesiis praecipue autem metropolitanis, cathedralibus et collegiatis perutile ac necessarium, in quo ritus et caerimoniae celebrandi divina officia, ac in aliis ecclesiae functionibus et actionibus ab iisdem episcopis, aliisque praelatis inferioribus observandae, ac modus etiam praecedendi, tam inter personas ipsas ecclesiasticas, quam etiam inter eas et laicos similiter

1 Similem declarationem peregit Urbanus VIII, Const. LXXVII, *Cum nuper*, tom. XIII, pag. 189, in anno sancto 1625.

1 Pontificalis pro ritibus ecclesiae observandis editionem et approbationem habes in Clementis VIII Const. CXXIII, *Ex quo*, tom X, pag. 246.

servandus, continentur, multis antea mendis refertum corrigi et restitui curaverit, attamen successu temporis compertum est plurimos errores et mendas in idem caeremoniale, sive diuturnitatis iniuriâ, sive typographorum incuriâ, aliâve de causâ irrepsisse, illudque proinde iteratâ emendatione indigere.

Caeremoniale de quo in rubricâ corrigi et emendari mandat Summus Pontifex.

§ 1. Eapropter nos pro pastorali nostrâ sollicitudine idipsum caeremoniale episcoporum a nonnullis venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, aliisque piis et eruditis, sacrorumque rituum et caeremoniarum apprime peritis viris corrigi et emendari mandavimus, quod cum ab illis acuratissime praestitum fuisse acceperimus, idcirco ne tam utilis Ecclesiae catholicae hac in re cardinalium et aliorum praedictorum labor optato frustretur effectu,

Sicque recognitum et emendatum confirmat et approbat.

§ 2. Motu proprio ac ex certâ scientiâ nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, caeremoniale episcoporum huiusmodi, iussu nostro, ut praemittitur, recognitum et emendatum, perpetuo confirmamus et approbamus, illudque in universali Ecclesiâ ab omnibus et singulis personis, ad quas spectat et in futurum spectabit, perpetuo observandum esse praecipimus et mandamus, ac caeremoniale huiusmodi sic emendatum nullo unquam tempore in toto vel in parte mutari, vel ei aliquid addi, aut omnino detrahi posse, ac quascumque personas praefatas, quae sacerdotalia munera exercere aut alia quaecumque in ipso caeremoniali contenta facere aut exequi debent, ad ea peragenda et praestanda iuxta huius ceremonialis formam et praescriptum teneri, neminemque ex iis, quibus ea exercendi et faciendi munus impositum existit, nisi formulis, quae hoc caeremoniali continentur, servatis, satisfacere posse, perpetuo statuimus et ordinamus. Per praesentes autem antiqua caeremonialia in his, quae praefato caeremoniali emendato sunt conformia, minime aboleri, aut abrogata censeri volumus; sed illorum etiam usum (salvâ emendatione praedictâ) permittimus.

Contraria tollit.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis, etiam in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon, quarumvis ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis ecclesiis et personis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Praedicti caeremonialis usum iniungit.

§ 4. Volumus autem, et pari motu et auctoritate decernimus, ut, qui in Romanâ curiâ sunt praesentes, lapsis duobus, qui vero intra montes, octo, et qui ultra ubique locorum degunt, duodecim mensibus integre excursis, vel aliàs, ubi venalium huius caeremonialis voluminum notitiam et facultatem habuerint, sacras caeremonias et ritus in eodem caeremoniali praescriptos iuxta illius modum et normam in quibuscumque actibus exercere et observare teneantur;

Transumptis fidem haberi mandat.

§ 5. Quodque earumdem praesentium litterarum exemplis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae, aut illius curiae munitis, vel in ipsis voluminibus absque praefato vel alio quopiam adminiculo Romae impressis, eadem ibique locorum et gentium fides adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem,

sub annulo Piscatoris, die XXX iulii MDCL, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 30 iulii 1650, pontif. anno VI.

CXXXIX.

Mittit reginae Poloniae Rosam Auream benedictam [1].

Charissimae in Christo filiae nostrae Mariae Aloysiae, reginae Poloniae et Sueciae illustri,

Innocentius Papa X.

Charissima in Christo filia nostra, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. § 1. Eximiis maiestatis tuae meritis, praesertim singulari religione et erga nos et hanc sanctam Sedem observantiâ, inducimur [2], ut nostram erga te paternam et praecipuam charitatem libenter quibuscumque significationibus, prout [3] cum Domino possumus, declaremus.

[1] Rosam largitur, et sacrificium missae praescribit.

§ 2. Quamobrem aliam nunc te apostolicis honoribus exornandi occasionem non habentes, eam, quae se praebuit, libentissime accepimus, et Auream Rosam ex veteri Romanorum Pontificum ritu, quartâ quadragesimae dominicâ, cum ad laetitiam et exultationem nos invitat Ecclesia, a nobis benedictam, maiestati tuae mittimus. Quae vero in solemni caeremoniâ benedictionis Rosae huiusmodi a Domino precati sumus ut tibi largiatur, iterum precamur, videlicet, ut tibi peccata dimittat, teque fide repleat, indulgentiâ foveat, misericordiâ protegat, adversa destruat et prospera cuncta concedat. Ut autem sacrum hoc munus cum honore, ut par est, suscipiatur, volumus illud dari tibi, celebrato in eâ quam malueris ecclesiâ ab aliquâ personâ in dignitate ecclesiasticâ constitutâ sacrosancto missae sacrificio. Omnibus autem utriusque sexus christifidelibus, qui ipsi sacrificio praesenten.[1], peccata sua confessi, vel propositum statutis ab Ecclesiâ temporibus confiteri habuerint, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, quindecim annos et totidem quadragenas indulgentiae misericorditer in Domino elargimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV septembris MDCL, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 24 septembris 1650, pontif. anno IV.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Male ed. Main. legit *inducimus* (R. T).

3 Particulam *prout* nos addimus (R. T.).

1 Ita edit. Main.; quam formam finiat lector scius; forsan legendum *praesentes* (R .T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

3 Male edit. Main. legit *enses* (R. T.).

CXL.

Mittit regi Poloniae ensem et pileum benedictos [2].

Charissimo in Christo fili nostro Ioanni Casimiro, Poloniae et Sveciae regi illustri,

Innocentius Papa X.

Charissimo in Christo filio nostro, salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva. Ex more Sedis Apostolicae perveteri consuevit Romanus Pontifex nocte Christo Nascenti sacrâ ensem et pileum solemni ritu benedicere, eorumque dono reges vel alios principes catholicae fidei zelo et christianâ virtute claros munire. Cum vero maiestatis tuae eximia pietas, orthodoxae religionis adversus improbos hostium christiani nominis conatus protegendae zelus, animi fortitudo, ac summo principe digna virtus, tuaque praeterea singularis in nos et hanc sanctam Sedem observantia perspectissimae sint, eâ, quae nunc erat, occasione uti, huiusmodique ensis[3] et pilei a nobis benedictorum munere quanti tuo merito te faciamus, et

quanto paternae charitatis et cordis affectu te diligamus, declarari par erat. Itaque maiestati tuae ensem et pileum a nobis, ut praefertur, benedictos mittimus, divinam precantes clementiam, ut hoc munere ornet caput tuum galeâ salutis, et dexteram gladio spiritus, teque maxime inclarescere faciat defensione catholicae fidei et victoriis de hostibus crucis Christi, Ecclesiamque suam gaudio et felicitate, hostes confusione et calamitate cumulet, tuâque virtute ad sui nominis laudem et propagationem perpetuo utatur, quae etiam maiestati tuae in votis esse et sedulo curaturam non dubitamus. Ut autem quo decet honore et frequentiâ celebretur hoc nostrum virtutis tuae testimonium, volumus, ut, peracto per aliquem catholicum antistitem, quem malueris, sacrosancto missae sacrificio, eo in templo, quod opportunius iudicaveris, idem antistes ensem hunc et pileum cum iis caeremoniis, quae adhiberi solent, tibi tribuat: omnibus autem utriusque sexus christifidelibus, vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui ipsius missae celebrationi, vel integre, vel aliquâ ex parte, etiam in extremâ, cum antistes populo benedicet, interfuerint, et pro sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, haeresum extirpatione, ac pace et concordiâ inter christianos principes pias ad Deum preces effuderint, de omnipotentis Dei misericordiâ, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, et nostrâ, auctoritate confisi, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur.

Caeremoniis adhibitis tribui ensem et pileum mandat.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV septembris MDCL, pontificatus nostri anno VI[1].

Dat. die 24 septembris 1650, pontif. anno VI.

1 Potius lege VII (R. T.).

CXLI.

Subsidium decem et novem millionum cum dimidio alterius millionis a personis ecclesiasticis regnorum Castellae et Legionis regi catholico persolvendum[1].

Charissimo in Christo filio nostro, Philippo Hispaniarum regi catholico, Innocentius Papa X.

Charissimo in Christo filio nostro, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Ad universalis Ecclesiae regimen[2], meritis licet imparibus, inscrutabili divinae providentiae iudicio vocati, piorum et de ortodoxâ fide sanctâque Sede Apostolicâ optime meritorum regum votis libenter annuimus, prout, rerum et temporum qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire. Proœmium.

§ 2. Cum itaque, sicut maiestatis tuae nomine nobis nuper expositum fuit, laici subditi tuorum regnorum Castellae et Legionis in eorum comitiis seu curiis infrascriptum subsidium maiestati tuae praestare prompte obtulerint, et ad praedictum effectum consenserint impositioni gabellarum, seu sisarum, super vino, aceto, oleo et carne, scilicet octavae partis specierum vel pretii vini, aceti et olei, et ultra sisas super carne antea impositas et trium regalium pro quolibet capite pecudum, triumque morapetinorum pro qualibet librâ carnis, quae minutatim venditur, sexdecimque morapetinorum pro qualibet mensurâ *aroba* nuncupatâ vini sisati, alteriusque morapetini pro qualibet mensurâ *acumbre* nuncupatâ vini etiam sisati, ac sexdecim morapetinorum pro qualibet mensurâ olei *aroba* nuncupatâ, et quatuor morapetinorum pro qualibet librâ candelarum de sevo, ac saponis, vel aliàs verioribus quantitatibus, impositarum Motiva.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Confer similem Innocentii X Constit. supra pag. 347 (R. T.).

et auctarum, quae sunt exigendae et percipiendae durante sexennio incepto a primâ die proxime praeteriti mensis augusti praesentis anni MDCL, nempe pro summâ decem et novem millionum cum dimidio alterius millionis ad rationem trium millionum et ducentorum quinquaginta millium ducatorum monetae Hispanicae quolibet anno praedicti sexennii solvendorum, ex praedictis gabellis et sisis super praedictas rerum species, ut praemittitur, impositis et auctis, itaut omnes tam laici quam ecclesiastici praedictorum regnorum, non solum ementes et vendentes, sed etiam illi qui praedictas rerum species percipiunt ex propriis terrenis, vel affictibus, aut respective emunt in uvis, vel olivis, seu colligunt pro decimis, aut etiam dono accipiunt, vel aliàs ex quovis alio redditu et introitu habent et consumunt, itaut omnes laici cuiuscumque gradus, status, conditionis et praeeminentiae ad id subsidium contribuere, ac gabellas et sisas huiusmodi solvere deberent, neque ullus laicus immunis esset, aut exemptus, ecclesiastici quoque eorumdem regnorum, si et postquam nostra et huius Sanctae Sedis licentia seu approbatio concesserit,[1] in subsidio huiusmodi scilicet in praedictis gabellis super eisdem speciebus impositis et auctis contribuere, gabellasque seu sisas praedictas, iuxta litterarum nostrarum in formâ Brevis super praedictâ licentiâ seu approbatione expediendarum formam, continentiam et tenorem, persolvere deberent: idcirco pro parte eiusdem maiestatis tuae fuit humiliter supplicatum pro approbatione oneris cleri, ecclesiarum, locorumque piorum et personarum ecclesiasticarum ad contribuendum in praedicto sexennio, incepto a praedicto mense augusti proxime preaterito, et, ut sequitur, usque ad mensem augusti MDCLVI finiendo, in praedictis sisis et gabellis, iam ut praefertur impositis et auctis, pro solutione praedictorum millionum decem et novem cum dimidio alterius millionis, attento quod, ut maiestas tua asserit, hactenus actum fuerit et de praesenti agatur de communi defensione et interesse, tam laicorum, quam cleri, ecclesiarum, locorum piorum et personarum ecclesiasticarum praedictorum regnorum, quodque facultates laicorum ad summam praedictam conficiendam eâ quae expedit celeritate infra tempus opportunum non sufficerent.

A quibuslibet censuris absolvit.

§ 3. Nos igitur, nedum promptam et obsequentem eorumdem laicorum subditorum tuorum erga te oblationem, sed etiam maiestatis tuae erga fidem catholicam zelum commendantes, ac ad ingentes sumptus, quibus maiestas tua, ob assidua quae pro defensione fidei catholicae tuorumque regnorum et dominiorum iugiter in pluribus orbis partibus sustinet bella, premitur[1], paternae dirigentes considerationis intuitum, motu proprio, ac ex certâ scietiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine (praeviâ etiam, quatenus opus foret, respectu forsan exactorum, scilicet a praedictâ primâ die augusti praesentis anni, absolutione a quibuscumque censuris et poenis, quam tenore praesentium concedimus),

§ 4. Volentes maiestatem tuam favore prosequi gratioso, clerum, omnesque et singulas ecclesias, loca pia, personasque ecclesiasticas, tam seculares, quam cuiusvis Ordinis, etiam exempti, et Societatis Iesu, et Apostolicae Sedi immediate subiecti, regulares, necnon monasteria utriusque sexus, conventus et collegia, ac capitula quarumcumque ecclesiarum regnorum Castellae et Legionis praedictorum, ac in eisdem regnis commorantium

1 Potius lege *accesserit* (R. T.).

1 Verb. *premitur* nobis deesse visum est (R.T.).

et respective consistentium[1] ad conferendum et contribuendum pro eorum ratâ ad instar laicorum in dictis gabellis, seu sisis, quoad praedictam summam dumtaxat decem et novem millionum cum dimidio alterius millionis praedictorum monetae illorum regnorum, mediante scilicet solutione praedictarum gabellarum, seu sisarum, in praedictâ quantitate tantum, et super praedictis rerum speciebus dumtaxat, in dictis regnis colligendis et consumendis, ut praefertur, impositarum, durante sexennio a[2] praedicto mense augusti praesentis anni ut praemittitur inchoato et ut sequitur finiendo, et non ultra, teneri, et obligatos esse (non tamen quoad praedictas rerum species, quas clerus, ecclesiae et loca pia praedicta, ac personae ecclesiasticae praedictae ex propriis terrenis, seu decimis, aut aliis quibuscumque redditibus propriis, per se, vel alios, etiam affictuarios suos, vel etiam ex eleemosynis, sive ostiatim, sive alio quovis modo pro tempore datis et erogatis ac ipsis traditis percipiunt, et pro divino cultu, seu propriis, vel familiarum suarum usibus iuxta taxationem, ubi super his partes discordes fuerint, ad instantiam cuiuslibet earum, expensis tamen perperam contradicentis, per Ordinarios locorum ecclesiasticos, seu ab eis deputatos, faciendam, consumunt, pro quibus omnino immunes et exempti sint); et[3] elapso praedicto sexennio exactio respectu ecclesiasticorum cesset, et nullatenus quovis praetextu vel causâ continuari possit, etiamsi integra summa praedictorum decem et novem millionum cum dimidio alterius millionis huiusmodi adhuc non fuisset exacta; quodque, si ante sexennii huiusmodi finem summa decem et novem millionum cum dimidio alterius millionis ducatorum huiusmodi confecta fuerit, ecclesiastici praedicti amplius contribuere, et dictas gabellas, seu sisas, ut praefertur, solvere non debeant, sed praesens gratia expiret, nullaque sit eo ipso;

A novis gabellarum augmentis liberat.

§ 5. Quodque clerus, ecclesiae, loca pia et personae ecclesiasticae praedictae, durante praedicto sexennio, non possint gravari ratione cuiusvis alterius novi augmenti praedictarum gabellarum et sisarum super eisdem, ac novae impositionis aliarum gabellarum et sisarum super quibuscumque rerum speciebus, nec etiam pro portionibus *iuros* nuncupatis de laicorum tantum consensu aliàs erectis et impositis, eorumque fructibus (ita tamen quod non eximatur[1] a praesenti contributione, vel in aliquâ illius parte, iuxta formam aliarum nostrarum in simili formâ Brevis litterarum super aliorum exactorum absolutione sub die XXII decembris MDCXLIV expeditarum[2]), nisi et postquam beneplacitum nostrum, seu a successoribus nostris concessum fuerit (aliàs, in quolibet casu contraventionis, quilibet contraveniens eo ipso absque aliâ monitione et declaratione sententiam excommunicationis maioris, reservatâ illius, ut infra exprimitur, absolutione, incurrat, et ad restitutionem illius in quo excesserit teneatur), tenore earumdem praesentium decernimus et declaramus.

Cogit singulos ad subsidii solutionem.

§ 6. Volentes etiam, quod omnes et singuli ecclesiastici praefati, solvere recusantes, opportunis iuris et facti remediis per Ordinarios ecclesiasticos locorum tantum ad solutionem huiusmodi cogantur, non autem coram iudicibus laicis, sive exactoribus earumdem gabellarum sive sisarum, neque quibusvis aliis iudicibus laicis aut ministris, sub poenâ excommu-

1 Ex loco parallelo supra pag. 343 *b*, legeretur potius *commorantes et consistentes* (R. T.).
2 Voces *sexennio a* nos addimus (R. T.).
3 Deest particula *quod* (R. T.).

1 Potius lege *eximantur* ex loco parallelo pag. 346 *b* (R. T.).
2 Quas vide supra pag. 343 huius tomi (R. T.).

nicationis maioris, ac aliis poenis a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis inflictis et comminatis, ipso facto sine aliâ monitione et declaratione incurrendis (a quibus a nemine praeterquam a nobis et Romano Pontifice pro tempore existente absolvi, etiam vigore quorumcumque privilegiorum apostolicorum, etiam cruciatae sanctae, nequeant) conveniri nullo modo possint, seu debeant, sed a praedictis Ordinariis ecclesiasticis tantum ad solutionem huiusmodi compelli valeant; quibus Ordinariis, sub interdictu ingressus ecclesiae, ac suspensionis a divinis, necnon omnibus et singulis maiestatis tuae officialibus et ministris, cuiuscumque status, gradus, conditionis, dignitatis et praeeminentiae fuerint, ac aliis quibuscumque etiam speciali notâ dignis, etiam Apostolicae Sedis delegatis et commissariis etiam cruciatae praedictae, ceterisque omnibus aliis, ad quos quomodolibet spectat et pro tempore spectabit, sub praedictâ excommunicationis maioris poenâ, ut praefertur, eo ipso incurrendâ, eius absolutione itidem, ut supra, reservatâ, districte praecipiendo mandamus, ut, divini iudicii memores, ne ecclesias et alia praedicta ac clerum et ecclesiasticos indebite, neque ultra, praeter, aut contra continentiam et tenorem praesentium nostrarum litterarum, gravent quomodolibet, nec a quoquam gravari permittant, et nedum contra quoscumque contravenientes et quomodolibet inobservantes ad sententiarum, censurarum et poenarum praedictarum declarationem et promulgationem respective, sed etiam contra eosdem ecclesiasticos et regulares etiam exemptos nobisque et Apostolicae Sedi immediate subiectos, etiam Societatis Iesu, solvere recusantes, ad quamcumque simplicem eorumdem exactorum requisitionem, etiam executive, ac quacumque appellatione remotâ, auctoritate nostrâ procedant.

Et poenas contra facientibus imponit.

§ 7. Volumus autem, quod istud subsidium, respective[1] contributionis cleri, ecclesiarum, locorum piorum, ac personarum ecclesiasticarum praedictorum regnorum, scilicet decem et novem millionum praedictorum ducatorum cum dimidio alterius millionis, succedat loco quorumcumque onerum, gravaminum et impositionum praedictorum etiam pro militibus et aliis quibuscumque impositorum, ac etiam loco quorumlibet aliorum subsidiorum super millionibus per felicis recordationis Urbanum VIII praedecessorem nostrum aliosque praedecessores nostros hactenus approbatorum et concessorum, et a nobis condonatorum et concessorum, ita quod illorum vigore nihil amplius a clero, nec a quoquam ecclesiarum, locorum piorum et ecclesiasticorum praedictorum, exigi possit; quodque pecuniae ex praedictis subsidiis et gabellis, seu sisis, ut praefertur, a dictis ecclesiasticis exigendae, in praedictos et non alios usus convertantur, super quo eiusdem maiestatis tuae, eiusque ministrorum, ac officialium quorumcumque, conscientias oneramus.

Nummos exigendos in nullos alios usus converti mandat.

§ 8. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sique et non aliter, quovis praetextu, ratione vel causâ, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublatâ quacumque omnibus et singulis, cuiuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, praeeminentiae et dignitatis, etiam ecclesiasticae, etiam individuâ mentione dignis, quomodolibet in contrarium iudicandi et definiendi interpretandique facultate et auctoritate, iudicari, interpretari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quo-

Decretum confirmat et approbat.

1 Aptius supra pag. 349 *b* legitur *respectu* pro *respective* (R. T.).

quam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria quaecumque refellit.

§ 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in generalibus conciliis editis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, ecclesiis, regnis, personis, capitulis, monasteriis, conventibus, collegiis et aliis praedictis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentes litteras publicari mandat.

§ 10. Ut autem praesentes nostrae litterae, cum opus fuerit, ad omnium notitiam facilius devenire possint, decernimus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate aliquâ ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI octobris MDCL, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 21 octobris 1650, pontif. an. VII.

CXLII.

Dat facultatem nuncio Hispaniarum faciendi transcribi acta et processum Hieronymi Villanovae sibi a ministris inquisitionis Hispaniarum tradenda, illorumque copiam Romam mittendi, si originale tuto transmitti non possit[1].

Venerabili fratri Iulio archiepiscopo Tarsensi, nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum commoranti nuncio,

Innocentius Papa X.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Dat facultatem amplissimam archiepiscopo Tarsensi, etc.

§ 1. Factâ fraternitati tuae per ministros istius inquisitionis processus et actorum causae dilecti filii Hieronymi Villanovae integrâ et reali traditione, ut processum et acta praedicta aperire, quatenus clausa et sigillis consignata tibi data fuerint, illorumque copiam per idoneos viros eius amanuenses a te deputandos (iniuncto illis praecepto, sub poenâ excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrendae, a qua nonnisi a nobis praeterquam in mortis articulo absolvi possint, ne, quaecumque legerint, viderint et transcripserint, ulli mortalium, cuiusque gradus, dignitatis et conditionis existant, pandere, sed omnino secreta tenere debeant) exarare possis, facultatem tibi concedimus et impertimur.

Processus copiam ad se transferri mandat.

§ 2. Volumus autem, ut, retento per te processu et actorum praedictorum originali, tibi ut supra tradito, illorum copiam sic exaratam ad nos et Sedem Apostolicam transportari quamprimum cures, si et quatenus originale praedictum Romam tute transmittere non possis, vel saltem de securitate transportationis dubites.

* Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac conciliaribus, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmi-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

tate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII octobris MDCL, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 22 octobris 1650, pontif. anno VII.

CXLIII.

Suppressio Ordinis S. Basilii de Armenis[1].

Innocentius Papa X, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Commissa[2] nobis a supremo patrefamilias agri dominici cura postulat, ut satos in eo utiliter religiosorum virorum Ordines veluti plantas virtutum feraces, ubi, deficiente primogenio disciplinae regularis vigore, et[3] pro fructibus bonorum operum spinas scandalorum producere noscuntur, tamquam arbores autumnales, infructuosas, bis mortuas extirpemus, prout, re mature pensatâ, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Scandala ex Ordine sancti Basilii de Armenis exorta.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, dilecti filii religiosi Ordinis S. Basilii de Armenis, qui numerum quadraginta in totum non excedunt, ecclesias et conventus S. Bartholomaei Ianuensis, ac Ss. Cosmae et Damiani Mediolanensis civitatum, unâ cum ecclesiis et parvis conventibus Ss. Caroli et Iustinae Papiensis, et S. Petri ad Pontem Coronae Terdonensis dioecesis diu obtinuerint, ac de praesenti obtineant, sintque animis adeo discordes, ut simul religiose convivere et sese invicem sufferre minime queant, ac propterea quamplurimae rixae, dissensiones, scandala, delationes armorum, vulnera, propinationes veneni et homicidiorum tractatus, imo ipsa quoque homicidia secuta fuerint, et odiis regnantibus in dies peiora timeri possint, praecipue cum ob hoc, relaxatâ disciplinâ regulari, neglectisque litterarum studiis, iuventus prave educata, ac ut plurimum extra claustra pernoctans, nullam spem faciat melioris frugis et reformationis:

Quem supprimit Pontifex.

§ 2. Idcirco nos, de consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui, praemissâ visitatione apostolicâ per religiosos viros zelo et pietate praestantes et ad hoc specialiter delegatos, visisque et examinatis actis et processibus visitationis huiusmodi, negotioque saepius proposito, illud mature discusserunt, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, Ordinem sancti Basilii de Armenis praedictum, tenore praesentium, perpetuo supprimimus et extinguimus, ac religiosos Ordinis suppressi huiusmodi, quoad vixerint, omnimodae iurisdictioni et obedientiae Ordinariorum locorum subiicimus in habitu clericorum secularium, assignatâ iisdem congruâ sustentatione ex redditibus earumdem ecclesiarum et conventuum ad ratam scutorum quadraginta annorum monetae

1 Quidam alii Ordines suppressi et extincti a Summis Pontificibus propter eorum scelera, ut Templariorum et Humiliatorum. De ultimis videri potest Pii V Constitut. CLXXXIII, *Quoniam*, tom. VII, pag. 888.

2 Praeposit. *a* hîc delemus (R. T.).

3 Particula *et* abundat (R. T.).

romanae pro quolibet clerico (cum obligatione tamen satisfaciendi oneribus missarum et inserviendi ecclesiae arbitrio Ordinarii), pro laicis vero seu conversis eiusdem Ordinis, unicuique eorum, ex praedictis redditibus, quotannis scuta viginti eiusdem monetae, ut unâ cum propriis laboribus se alere possint, assignamus.

Facultas data ad alios Ordines transeundi.

§ 3. Praeterea utrisque tam clericis quam laicis facultatem transeundi ad quamcumque aliam religionem ab hac Sanctâ Sede approbatam in quam benevolos invenerint receptores, et in eâ professionem emittendi, praemisso probationis anno, ac servatis de iure servandis, concedimus.

Omnibus iuris et facti defectibus consulitur.

§ 4. Praesentes quoque litteras, etiam ex eo quod superiores et alii religiosi dicti suppressi Ordinis et ceteri quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato et substantiali, sive etiam ex eo quod in praemissis, seu eorum aliquo, solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite, a iure vel facto, aut statuto vel consuetudine aliquâ resultante, etiam in corpore iuris clauso, seu etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, et quovis alio praetextu, occasione vel causâ, etiam quantumvis iustâ, rationabili, privilegiatâ, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet concesso aut impetrato quempiam uti seu se iuvare in iudicio vel extra illud posse, sed easdem praesentes semper perpetuoque validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari,

Sic iudicandum.

§ 5. Sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Sedis Apostolicae nuntios, et alios quavis auctoritate et potestate fungentes, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi seu interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contraria tollit.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis generalibus editis, et, quatenus opus sit, regulâ nostrâ de non tollendo iure quaesito, necnon dicti suppressi Ordinis illiusque conventuum ac ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Ordini, illiusque superioribus, religiosis et personis quibuslibet, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, aliisque decretis etiam irritantibus, etiam motu simili, etiam consistorialiter, ac aliàs quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, spe-

cifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 7. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae alicuius in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX octobris MDCL, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 29 octobris 1650, pontif. anno VII.

CXLIV.

Restitutio, quoad cognitionem causarum criminalium cumulative cum Burgi gubernatore, pro gubernatore Urbis nunc et pro tempore existenti, cum revocatione Brevis Urbani VIII, quo gubernatorem dictae Urbis excluserat a cognitione dictarum causarum[1].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

§ 1. Aliàs, per felicis recordationis Urbanum Papa VIII praedecessorem nostrum accepto, quod varia diversae almae Urbis nostrae tribunalibus et iudicibus, etiam S. R. E. cardinalibus protectoribus, et collegiis, vel aliis etiam de necessitate exprimendis, indulta quascumque causas criminales, vel illarum aliquas, super quibuscumque delictis, criminibus et excessibus quarumcumque personarum, tam laicorum quam ecclesiasticorum, etiam regularium et militiarum, etiam speciali notâ dignorum, privative quoad alios quoscumque cognoscendi per ipsum Urbanum aliosque Romanos Pontifices praedecesores nostros concessa fuerant, subinde idem Urbanus praedecessor, per quasdam suas in simili formâ Brevis litteras de mense septembris anni MDCXXVIII emanatas, quod omnia et singula indulta huiusmodi non privative quoad pro tempore existentem dictae Urbis gubernatorem, sed cumulative cum eo, concessa intelligerentur et intelligi deberent, declaravit; et postmodum, per alias in eâdem formâ Brevis litteras de mense octobris eiusdem anni, quod tam tunc existens quam pro tempore futurus Burgi S. Petri de eâdem Urbe gubernator sub declaratione et primodictis litteris praedictis nullatenus comprehenderetur, nec ullo modo comprehensus intelligeretur, non secus ac si primodictae litterae huiusmodi nunquam emanassent, similiter declaravit, concessit, indulsit; et aliàs prout in binis litteris praedictis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur. Nunc autem nos, debitae earumdem causarum cognitioni et expeditioni, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, secundodictas eiusdem Urbani praedecessoris litteras, tenore praesentium, revocamus, cassamus et abolemus, ac pro revocatis, cassatis et abolitis haberi volumus et mandamus; necnon modernum

Revocat Urbanus VIII decretum.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

et pro tempore existentem dictae Urbis gubernatorem, quoad cognitionem quarumcumque causarum criminalium praedictarum, cumulative cum pro tempore existente Burgi praedicti gubernatore in pristinum et eum, in quo antea iuxta primodictarum eiusdem Urbani praedecessoris litterarum dispositionem gubernatores eiusdem Urbis erant, statum, perinde ac si secundodictae litterae non extarent, restituimus, reponimus et reintegramus.

Praesentibus addit efficaciam.

§ 2. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictoque moderno et pro tempore existenti dictae Urbis gubernatori in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et a moderno et pro tempore existente dicti Burgi gubernatore seu locumtenente vel iudice, aliisque omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, necnon S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, aliosque iudices et officiales et ministros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, regulâ nostrâ de iure quaesito non tollendo, ac omnibus et singulis illis, quae in dictis litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI novembris MDCL, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 26 novembris 1650, pontif. anno VII.

CXLV.

Facultas nuncio Sabaudiae cognoscendi causas in secundâ instantiâ universitatum S. Benigni, Montanari et Lombardoni, nullius dioecesis, provinciae Taurinensis [1].

Innocentius Papa X, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

§ 1. Aliàs, pro parte dilectorum filiorum universitatum et hominum S. Benigni et Montanari et Faeliceti, necnon Lombardoni, et aliorum locorum iurisdictionis monasterii, abbatiae nuncupati, Sedi Apostolicae subiecti, eiusdem S. Benigni, Ordinis S. Benedicti, nullius dioecesis, provinciae Taurinensis, felicis recordationis Paulo Papae V praedecessori nostro exposito, quod dudum recolendae memoriae Pius Papa V, similiter praedecessor noster, dictis universitatibus et hominibus, qui, propter eorum paupertatem magnamque dictorum locorum a Sede praedictâ distantiam, causas ad dictam Sedem pro tempore devolutas prosequi nequibant, tunc et pro tempore Sedis praedictae in illis partibus legatum seu nuncium in[2] iudicem, qui quascumque causas in secundâ instantiâ a quibuscumque sententiis summam quinquaginta scutorum auri in auro non excedentibus, per ipsius monasterii abbatem, aut ab eo deputatos pro tempore latis, cognoscere, decidere et fine debito terminare, et debitae executioni demandare valeret, ad ipsius praedecessoris et Sedis praedictae beneplacitum constituerat et deputaverat; et subinde, pro eo quod universitatibus et hominibus praedictis propter causas supra expressas difficile erat pro singulis causis dictam summam quinquaginta scutorum huiusmodi excedentibus ad Sedem eamdem recursum habere, Clemens Papa VIII, noster

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Praep. *in* addimus, ut infr., pag. 674 *b* (R.T.).

etiam praedecessor, facultatem cognoscendi quascumque causas in secundâ instantiâ usque ad summam scutorum quinquaginta, nuncio huiusmodi concessam, ad omnes et quascumque causas in secundâ instantiâ civiles, criminales et mixtas, ac beneficiales et matrimoniales, et alias quascumque causas, cuiuscumque qualitatis existentes, et ad quamcumque summam ascendentes, pro tempore movendas, ad certum tunc expressum [1] tempus extenderat, ipsumque tempus pluries, et ultimo ad quinquennium prorogaverat; idemque Paulus praedecessor quinquennium praedictum ad aliud quinquennium etiam pluries extenderat etiam atque prorogaverat; ac demum similis memoriae Urbanus Papa VIII, etiam praedecessor noster, facultatem praefatam ad aliud quinquennium sub certis modo et formâ tunc expressis concessit, ipsumque quinquennium etiam pluries ad diversa quinquennia prorogavit, et aliàs, prout in diversis Pontificum praedecessorum praedictorum desuper in simili formâ Brevis litteris expeditis, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, uberius continetur.

Supplicatio

§ 2. Cum autem, sicut universitates et homines praefati nobis nuper exponi fecerunt, quinquenninm per eumdem Urbanum praedecessorem ultimo prorogatum iam expiraverit, ipsi vero eisdem necessitate et paupertate ac incommodo premantur, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Facultatem nuntio causas dignoscere impertitur.

§ 3. Nos igitur, easdem universitates et homines specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, eisdem universitatibus et hominibus nunc et pro tempore existentem Sedis praedictae in illis partibus legatum seu nuncium in iudicem, qui quascumque causas in secundâ instantiâ civiles, criminales et mixtas, ac beneficiales et matrimoniales, et alias cuiuscumque qualitatis existentes, et ad quamcumque summam ascendentes, a quibuscumque sententiis, per ipsius monasterii abbatem aut ab eo deputatos pro tempore latis [1], iuxta litterarum praefatarum tenorem audire, cognoscere, decidere et fine debito terminare, ac prout iuris fuerit executioni demandare libere et licite possit et valeat [2], apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, ad quinquennium proximum constituimus et deputamus, nuncioque praefato plenam et omnimodam in praemissis facultatem concedimus et impertimur.

Contraria reicit.

§ 4. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis praedecessorum nostrorum praefatorum litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX decembris MDCL, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 20 decembris 1650, pontif. anno VII.

1 Male edit. Main. legit *expressas* (R. T.).

CXLVI.

Deputatio nuncii Hispaniarum ad exigendam eleemosynam centum millium scutorum auri ratione novissimae prorogationis cruciatae pro fabricâ S. Petri de Urbe [3].

1 Male edit. Main. legit *latas* (R. T.).
2 Male eadem ed. legit *possint et valeant* (R.T).
3 Ex Regest. in Secret. Brev.

Venerabili fratri Iulio archiepiscopo Tarsensi, nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio,

Innocentius Papa X.

Venerabili fratri,
salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva.

§ 1. Cum aliàs, ex causis tunc expressis, concesserimus facultatem sanctae cruciatae Hispaniarum regnis et aliis locis litteris nostris nominatis ad sex annos, et nomine charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici dilectus filius nobilis vir Rodericus de Mendoza Roias et Sandoval de la Vega et Luna, dux del Infantado, ipsius Philippi regis apud nos et Sedem Apostolicam orator, pollicitus fuerit, quod thesaurarii pecuniarum ex facultatibus huiusmodi proventurarum summam centum millium ducatorum in auro nobis, aut cui per nos ordinatum fuerit, in subventionem fabricae basilicae Principis Apostolorum de Urbe, viginti scilicet millia singulis annis primo currentibus dicti sexennii persolvent: nos, cupientes fabricam huiusmodi omni ope promovere, ac de fide, integritate et diligentiâ tuis plurimum in Domino confi-

Dat facultatem nuntio exigendi eleemosynam.

dentes, te, ac pro tempore existentem nostrum et Apostolicae Sedis in dictis regnis nuncium, ad summam centum millium ducatorum huiusmodi debitis temporibus et quascumque alias pecuniarum summas, in quibus nos et eamdem fabricam, ratione aliarum concessionum facultatis sanctae cruciatae et promissionum tam Roderici quam aliorum eiusdem Philippi regis oratorum huiusmodi, creditores et creditricem esse repereris, a praedictis thesaurariis, seu aliis personis pecunias praedictas solvere debentibus, per te, vel alium, seu alios, loco tui periculo tamen tuo deputatos, petendum, exigendum, levandum et recuperandum, ac de exactis, levatis et recuperatis quietandum, liberandum et absolvendum, nostrum et dictae fabricae procuratorem et commissarium apostolicâ auctoritate tenore praesentium facimus, constituimus et deputamus, volentes quod omnes et singulas pecuniarum summas per[1] te pro tempore sic exactas, ac prout in dies illas exegeris, venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus modernis et pro tempore existentibus dictae fabricae praefectis, aut cui vel quibus dicti praefecti sive eorum maior pars ordinaverint, realiter et cum effectu persolvas et persolvi facias.

§ 2. Nos enim, quidquid in praemissis per te actum, dictum, gestum et ordinatum fuerit, ratum, gratum et firmum habebimus, teque de omni et toto eo, quod dictis praefectis et aliis pro tempore persolveris, aut persolvi feceris, auctoritate et tenore praedictis, ex nunc prout ex tunc, liberamus, quietamus et absolvimus.

Contraria refellit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae fabricae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam certam formam in confectione quietantiarum requirentibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII iunii MDCLI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 17 iunii 1651, pontif. anno VII.

CXLVII.

Deputatio nuncii Hispaniarum ad exigendam eleemosynam mille et quingentorum scutorum quotannis, ratione extensionis facultatum cruciatae ad personas ecclesiasticas seculares dumtaxat vescendi ovis et lacticiniis, pro fabricâ S. Ioannis Lateranensis[2].

1 Ed. Main. legit *pro* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

Venerabili fratri Iulio archiepiscopo Tarsensi, nostro et Sedis Apostolicae in regnis Hispaniarum nuncio,

Innocentius Papa X.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. § 1. Cum nos, ex causis tunc expressis, facultates cruciatae sanctae in Hispaniarum regnis et aliis tunc nominatis locis ad sex annos concesserimus, seu prorogaverimus, et, inter facultates huiusmodi, illam[1], per quam permittitur esus ovorum et lacticiniorum tempore quadragesimali, hebdomadâ tamen maiori exceptâ, ad venerabiles fratres patriarchas, primates, archiepiscopos, episcopos et alios inferiores praelatos, necnon clericos et presbyteros, seculares tantum, regnorum praedictorum ad eosdem sex annos extenderimus, prout in nostris in simili formâ Brevis die XXIII maii proxime praeteriti desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur; dilectus autem filius nobilis vir Rodericus de Mendoza Roias et Sandoval de la Vega et Luna, dux de Infantado, charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici apud nos et Sedem Apostolicam orator, ipsius Philippi regis nomine pollicitus fuerit, quod thesaurarii pecuniarum ex facultatibus huiusmodi proventurarum summam mille et quingentorum scutorum quolibet ex sex annis praedictis nobis aut cui per nos ordinatum fuerit in subventionem fabricae ecclesiae S. Ioannis Lateranensis de Urbe, praeter et ultra omne id quod pro eiusdem fabricae subventione ratione alterius seu aliarum extensionum facultatis praedictae et promissionum per dictos Rodericum et alios eiusdem Philippi regis oratores factarum debitum et non solutum fuerit, persolvent:

§ 2. Nos, cupientes fabricam huiusmodi omni ope promovere, ac de fide, integritate et diligentiâ tuâ plurimum in Domino confidentes, te, ac pro tempore existentem nostrum et Sedis Apostolicae in dictis regnis nuncium, ad summam mille et quingentorum scutorum huiusmodi quotannis, debitis temporibus, ac quascumque alias pecuniarum summas, in quibus nos et eamdem fabricam, ratione alterius seu aliarum similium extensionum facultatis praedictae et promissionum tam dicti Roderici quam aliorum eiusdem Philippi regis oratorum huiusmodi, creditores et creditricem esse repereris, a praedictis thesaurariis et aliis personis pecunias praedictas solvere debentibus, per te, vel alium, seu alios, loco tui periculo tamen tuo deputatos, petendum, exigendum, levandum et recuperandum, ac de[1] exactis, levatis et recuperatis quietandum, liberandum et absolvendum, nostrum et dictae fabricae procuratorem et commissarium, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, facimus, constituimus et deputamus. Facultatem nuntio exigendi summam praedictam impertitur.

§ 3. Volentes, quod omnes et singulas pecuniarum summas per te pro tempore sic exactas, et prout in dies illas exegeris, illi vel illis personae seu personis, cui vel quibus iam ordinavimus, vel pro tempore ordinaverimus, realiter et cum effectu persolvas et persolvi facias. Nos enim, quidquid in praemissis per te actum, dictum, gestum et ordinatum fuerit, ratum, gratum et firmatum[2] habebimus: teque de omni et toto eo, quod personae seu personis huiusmodi pro tempore persolveris aut persolvi feceris, auctoritate et tenore praedictis, ex nunc prout ex tunc, liberamus, quietamus et absolvimus.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae fabricae, etiam iuramento, confirmatione Contrariis derogat.

1 Male edit. Main. legit *illum* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *ex* (R. T.).

2 Ut supra legerem *firmum* (R. T.).

apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam certam formam in confectione quietantiarum requirentibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII iunii MDCLI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 17 iunii 1651, pontif. anno VII.

CXLVIII.

Suppressio Congregationis regularis presbyterorum Boni Iesu[1].

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Cum, sicut nobis innotuit, quaedam Congregatio, ut asseritur, regularis nonnullorum presbyterorum civitatis Ravennatensis, aliarumque trium parvarum domorum, sub invocatione Boni Iesu, numerum quatuordecim sacerdotum, trium clericorum, laicorum vero novem in totum non excedens, aliarum religionum privilegiis et exemptionibus uti seu participare posse profiteatur, et quamvis de sui fundatione et erectione huius sanctae Sedis Apostolicae auctoritate legitime factâ per scripturas et relationes nuper exhibitas minime docuerit, nihilominus ex aliis Ordinibus etiam Mendicantium professos ad se transeuntes recipere consueverit:

Causae huius suppressionis. § 2. Hinc est quod nos, quibus cura agri dominici, qui est Ecclesia sancta, caelitus demandata est, attendentes ex huiusmodi plantis adeo angusto et arido solo radicatis, neque maius incrementum, neque fructus uberiores imposterum eâdem in Ecclesiâ sperari posse, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum, qui praemissa iussu nostro discusserunt, consilio, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, Congregationem Boni Iesu praedictam, tenore praesentium, perpetuo supprimimus et extinguimus, ac religiosos[1] Congregationis suppressae huiusmodi, qui in eâdem Congregatione vota regularia emiserunt, quoad vixerint, omnimode[2] iurisdictioni et obedientiae Ordinariorum locorum subiicimus, assignatâ eisdem congruâ sustentatione ex redditibus earumdem ecclesiarum ad ratam scutorum quadraginta annuorum monetae romanae pro quolibet clerico (cum obligatione tamen satisfaciendi oneribus missarum et ecclesiis inserviendi arbitrio eorumdem Ordinariorum), pro laicis vero professis, unicuique eorum, ex praedictis redditibus, quotannis scuta viginti eiusdem monetae, et[3] unâ cum propriis laboribus sese alere possint, assignamus.

Licentiam ad alios Ordines transeundi concedit. § 3. Praeterea utrisque, tam clericis quam laicis, facultatem transeundi ad quamcumque aliam religionem ab hac sanctâ Sede approbatam, in qua benevolos invenerint receptores, et in eâ professionem emittendi, praemisso probationis anno, ac servatis de iure servandis, concedimus. Demum[4] ecclesias, domos, supellectilem et omnia mobilia, tam sacra, quam profana, vineas, praedia, canones, responsiones, fructus et iura quaecumque ad dictam Congregationem suppressam quovis modo spectantes seu spectantia, et quovis loco existentes vel existentia, satisfactis oneribus, et deductis portionibus, ut praefertur, assignatis, applicanda fore et esse in alios pios usus arbitrio nostro; praesentes quoque litteras, etiam ex eo quod superiores et alii religiosi dictae suppressae Congregationis et ceteri quicumque in praemissis

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Male edit. Main. legit *religionis* (R. T.).
2 Infra pag. 679 *b* legitur *omnimodae* (R. T.).
3 Aptius ut infra pag. 679 *b* legerem *ut* (R.T).
4 Male ed. Main. leg. *concedimus demum* (R.T).

interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato et substantiali, sive etiam ex eo quod in praemissis, seu eorum aliquo, solemnitates, et quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite, a iure vel facto, aut statuto vel consuetudine aliquâ resultante, etiam in corpore iuris clauso, seu etiam enormis, enormissimae et totalis lesionis, et quovis alio praetextu, occasione vel causâ, etiam quantumvis iustâ, rationabili et privilegiatâ, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet concesso aut impetrato quempiam uti seu se iuvare in iudicio vel extra illud posse, sed easdem praesentes semper, perpetuoque validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Sedis Apostolicae nuncios, et alios quavis auctoritate et potestate fungentes, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Praesentes validas declarat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis generalibus editis, et, quatenus opus sit, regulâ nostrâ de non tollendo iure quaesito, necnon dictae suppressae Congregationis, illiusque domorum et ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Congregationi illiusque superioribus, religiosis et personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque decretis, etiam irritantibus, etiam motu simili, et consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi [1] pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in eccle-

Praesentibus fidem haberi mandat.

1 Edit. Main. legit *etiam* (R. T.).

siasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII iunii MDCLI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 22 iunii 1651, pontif. anno VII.

CXLIX.

Reductio Congregationis Boni Iesu suppressae in abbatiam secularem sub invocatione Boni Iesu [1].

Innocentius episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Ex incumbenti nobis apostolicae sollicitudinis officio de statu universalis Ecclesiae, ac fructibus, redditibus et proventibus ecclesiasticis solliciti, ad beneficiorum ecclesiasticorum propagationem libenter intendimus, ac desuper eiusdem officii nostri partes, quandoque etiam per beneficiorum ecclesiasticorum erectionem, interponimus, ac disponimus et ordinamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Suppressit congregationem et causas suppressionis exponit. § 1. Sane, considerantes curam agri dominici, qui est Ecclesia sancta, caelitus nobis demandatam esse, ac in eâ quamdam Congregationem, ut asseritur, regularem nonnullorum presbyterorum civitatis Ravennatensis, aliarumque trium parvarum domorum, sub invocatione Boni Iesu, quatuordecim sacerdotum, trium clericorum, laicorum vero novem in totum non excedentem [2], quae aliarum religionum privilegiis et exemptionibus uti seu participare posse profitebatur, reperiri, et, licet de sui fundatione et erectione huius sanctae Sedis Apostolicae auctoritate legitime factâ per scripturas et relationes aliàs nobis exhititàs minime docerent, nihilominus ex aliis Ordinibus, etiam Mendicantium, professores [1] ad se transeuntes recipere consuevisse; attendentesque ex huiusmodi plantis, adeo angusto et arido solo radicatis, neque maius incrementum, neque fructus uberiores imposterum eâdem in Ecclesiâ sperari posse: nuper de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum, qui praemissa, iussu nostro, discusserunt, consilio, motu proprio, et ex certâ scientiâ, Congregationem Boni Iesu praedictam perpetuo suppressimus et extinximus, ac religiosos Congregationis suppressae huiusmodi, qui in eâdem vota regularia emiserunt, quoad viverent, omnimodae iurisdictioni et obedientiae Ordinariorum locorum subiecimus, assignatâ eisdem congruâ substentatione ex redditibus earumdem domorum ad ratam quadraginta scutorum annuorum monetae romanae pro quolibet clerico (cum obligatione tamen satisfaciendi oneribus missarum et ecclesiis inserviendi arbitrio eorumdem Ordinariorum), pro laicis vero professis, unicuique ipsorum, ex praedictis redditibus, quotannis scuta viginti eiusdem monetae, ut unâ cum propriis laboribus se se alere possint, assignavimus; ac ecclesias, domos, suppellectilem, ac omnia mobilia, tam sacra, quam profana, vineas, praedia et alias responsiones, fructus et iura quaecumque ad dictam Congregationem suppressam quovis modo spectantes et spectantia, ac in quovis loco existentes et existentia, satisfactis oneribus, et deductis portionibus, ut praefertur, assignatis, applicanda fore et esse in alios pios usus, arbitrio nostro, decrevimus et declaravimus, ac aliàs in praemissis et circa ea

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Male edit. Main. legit *excedentium* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *professorum* (R. T.).

disposuimus et ordinavimus, prout in litteris apostolicis desuper in formâ Brevis emanatis, quarum veros et integros tenores pro plene et sufficienter expressis, perinde ac si eaedem litterae hìc de verbo ad verbum insertae essent, haberi volumus, plenius et latius continetur.

Praedictam congregationem in abbatiam reducit.

§ 2. Cum autem, attentâ animi meditatione de aliquâ opportunâ ecclesiarum et aliorum praemissorum ordinatione atque dispositione cogitantes, illa beneficii seu beneficiorum ecclesiasticorum secularium erectioni applicanda duxerimus, nos igitur, ad Dei omnipotentis, gloriosissimaeque Virginis Mariae honorem et gloriam, motu proprio, non ad quorumcumque instantiam, sed ex scientiâ huiusmodi, et de apostolicae potestatis plenitudine, domos regulares, sive ecclesias, quae erant praedictae Congregationis per nos extinctae et suppressae, videlicet civitatis Ravennatensis, Montis Calvarii, Foroliviensis, ac Roccae S. Cassiani, Brictonoriensis, ac de Medigliano, Faventinae respective dioecesum, omni essentiâ et statu regularibus in ipsis perpetuo suppressis et extinctis, ad statum et essentiam seculares, quatenus opus sit, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo reducimus; ac praedictam Ravennatensem in abbatiam secularem sub invocatione Boni Iesu, alias[1] vero Montis Calvarii, S. Cassiani et de Medigliano in sinecurâ ecclesias seu cappellas, abbatias respective nuncupandas, pro uno clerico, seu presbytero seculari, dictâ auctoritate etiam perpetuo erigimus et instituimus; necnon sinecurâ ecclesias seu cappellas Montis Calvarii, Roccae S. Cassiani, ac de Medigliano praedictas abbatiae praedictae Boni Iesu etiam perpetuo unimus, annectimus et incorporamus, ac unum corpus cum illâ efficere et ab illâ dependere volumus et declaramus, ita ut qui abbatiam Boni Iesu in titulum, sive commendam, aut aliàs obtinuerint, sinecurâ ecclesias seu cappellas praedictas inseparabiliter obtinere debeant; ac abbatiae, necnon sinecurâ ecclesiis seu cappellis, abbatiis nuncupandis, praedictis, omnia et singula nuper dictarum domorum regularium sive ecclesiarum praedia, tam urbana, quam rustica, casalia, molendina, si quae[1] sint, domos, proprietates, terras, possessiones, census, livellos, canones et quaecumque alia bona, tam immobilia et stabilia quomodolibet nuncupata et ubique existentia, quam mobilia, sacras et profanas suppellectiles, ornamenta et paramenta ecclesiastica, quae erant cuiuslibet[2] ante suppressionem et extinctionem dictae Congregationis, respective eisdem applicamus et appropriamus; itaut liceat abbatiam et illi unitas ecclesias seu cappellas huiusmodi pro tempore obtinenti bonorum huiusmodi corporalem, realem et actualem possessionem, per se, vel alium, seu alios, suo et abbatiae, necnon sinecurâ ecclesiarum seu cappellarum praedictarum nominibus respective, propriâ auctoritate, apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, ac etiam abbatiam et illi unitas ecclesias seu cappellas huiusmodi pro tempore obtinenti, fructus, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta inde provenientia percipere, levare, arrendare, locare, dislocare, regere, administrare et recuperare, ac, satisfactis oneribus dictae abbatiae, ac ecclesiarum seu cappellarum, abbatiarum nuncupandarum, ac clericis quadraginta, et laicis praefatis viginti scutis monetae romanae, ut praefertur, annuatim solutis, quidquid residuum fuerit, in suos et abbatiae ac sinecurâ ecclesiarum seu cap-

1 Male edit. Main. legit *alios* (R. T.).

1 Aptius lege *qua* (R. T.).

2 Videtur legendum *cuiuslibet iuris* vel *quomodolibet*, aut simile (R. T.).

pellarum huiusmodi usus et utilitatem convertere, dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentiâ minime requisitâ; ac insuper eidem abbatiae, ac sinecurâ ecclesiis seu cappellis praedictis, ac illas pro tempore obtinentibus, ut omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, praeeminentiis, praerogativis, concessionibus, facultatibus, indultis, favoribus et gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus similes abbates ac rectores sine curâ ecclesiarum seu cappellarum huiusmodi, eorumque res et bona de iure vel consuetudine, aut ex privilegio, vel aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, similiter et pariformiter, absque ullâ prorsus differentiâ, in omnibus et per omnia, ac si illa ipsis specialiter concessa fuissent, uti, frui, potiri et gaudere valeant, etiam perpetuo concedimus et indulgemus; ac denique collationem, provisionem et omnimodam aliam dispositionem dictae abbatiae, ac sinecurâ ecclesiarum seu cappellarum praefatarum, tam hac primâ vice a primaevâ illarum erectione et institutione, quam[1] deinceps perpetuis futuris temporibus, quandocumque ipsas et ex quacumque personâ, etiam in mensibus aliàs dispositioni apostolicae non reservatis, neque affectis, vacare contigerit, nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus perpetuo afficimus et reservamus.

Praesentes validas . declarat.

§ 3. Decernentes praesentes et desuper conficiendas litteras nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, seu nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut aliquo alio defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato et substantiali, etiam ex eo quod causae, propter quas praemissa emanarunt, coram Ordinariis locorum, aut aliàs, vel alibi examinatae, verificatae, vel approbatae, ac superiores et alii religiosi dictae suppressae Congregationis, ac ceteri quicumque in praemissis et circa ea interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, desuper ad id vocati et auditi non fuerint, nec praemissis consenserint, sive etiam ex eo quod in praemissis, seu eorum aliquo, solemnitates, et quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite a iure vel facto aut statuto vel consuetudine aliquâ resultante[1], etiam in corpore iuris clausâ, seu etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis et quovis alio praetextu, occasione, vel causâ, etiam quantumvis iustâ, rationabili, legitimâ, iuridicâ et privilegiatâ, etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet concesso aut impetrato quempiam uti seu se iuvare in iudicio vel extra illud posse, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum, etiam occasione unionis effectus non sortitae, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per quascumque constitutiones apostolicas, aut cancellariae apostolicae regulas, quandocumque etiam in crastinum assumptionis successorum nostrorum ad summi apostolatus apicem, aut aliàs quomodocumque editas, et sub quibuscumque tenoribus et formis emanatas et emanandas, nullatenus compre-

1 Perperam edit. Main. legit *quarum* pro *quam* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *resultantia* (R. T.).

hendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque datâ per abbatem praedictum vel quoscumque alios interesse habentes eligendâ de novo concessas, semperque validas et efficaces fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari, ac abbatiam et illi unitas ecclesias seu cappellas huiusmodi pro tempore obtinenti suffragari debere; sicque et non aliàs in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate et potestate fungentes et honore fulgentes, etiam causarum curiae camerae apostolicae generalem auditorem, ac palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos et Sedis Apostolicae nuncios, et quosvis alios, in quacumque causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari; necnon omnium et singulorum, qui bona praedictae extinctae Congregationi[1], eiusque ecclesiis, domibus iam regularibus, eiusque religiosis et personis, in quibusvis rebus, tam immobilibus et stabilibus, quam semoventibus et mobilibus, quomodolibet per viam testamenti, codicilli, legatorum, ac etiam donationis causâ mortis, vel inter vivos, quomodolibet reliquerunt, sive donarunt, aut assignaverunt, vel quomodolibet dederunt vel concesserunt, etiam forsan sub conditione, quod ecclesiae et domus dictae extinctae Congregationis in titulum perpetui simplicis beneficii ecclesiastici erigi non possent, aut aliàs ecclesias seu domos dictae extinctae Congregationis fundaverunt, instituerunt et reliquerunt, voluntates et dispositiones quoad praemissa omnia et singula specialiter et expresse commutavimus[1].

1 Male edit. Main. habet *Congregationis* (R.T).

Easdem publicari mandat, et contradictores punit.

§ 4. Quocirca dilectis filiis causarum curiae camerae apostolicae generali auditori ac nostro in Urbe eiusque districtu necnon venerabilis fratris nostri archiepiscopi Ravennatensis vicariis in spiritualibus generalibus per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, aut[2] pro parte abbatiam et illi unitas ecclesias seu cappellas huiusmodi pro tempore obtinentis fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficaci praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari, necnon pacifice frui et gaudere, non permittentes ipsos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, ac, legitimis super his habendis processibus, illos sententias, censuras et poenas huiusmodi incurrisse, praescriptâ formâ Concilii Tridentini, declarando, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariis quibuscumque derogat.

§ 5. Non obstantibus voluntatibus, dispositionibus, ac aliis praemissis, necnon felicis recordationis Alexandri Papae IV

1 Forsan legendum *commutamus* (R. T.).

2 Particulam *aut* nos addimus (R. T.).

praedecessoris nostri, quae incipit *Abbates*, ac nostris et cancellariae apostolicae regulis de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, exprimendoque vero annuo valore, necnon, quatenus opus sit, de iure quaesito non tollendo, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri[1] prohibentis, aliisque apostolicis, ac in conciliis generalibus provincialibusque et synodalibus editis et edendis, constitutionibus et ordinationibus, necnon dictae suppressae Congregationis, illiusque domorum et ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Congregationi illiusque superioribus, religiosis et personis quibuslibet, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam motu simili, ac concistorialiter et aliàs quomodolibet, etiam pluribus, reiteratis et multiplicatis vicibus, concessis; quibus omnibus et singulis,[2] pro sufficienter expressis, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso insererentur, ac forma in illis tradita servata[3] foret, habentes[4], illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum sufficienter, specialiter et expresse, motu, potestatis plenitudine et auctoritate praemissis, derogamus; contrariis quibuscumque.

§ 6. Volumus autem, quod singularum ecclesiarum et domorum praefatarum congrue supportentur onera consueta. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc pagi-

1 Edit. Main. ordine turbato legit *fieri permissis* (R. T.).

2 Supple verba *eorum tenores* (R. T.).

3 Edit. Main. legit *servanda* (R. T.).

4 Verbum *habentes* nos addimus (R. T.).

nam nostrae reductionis, erectionis, institutionis, unionis, annexionis, incorporationis, voluntatis, declarationis, applicationis, appropriationis, concessionis, indulti, affectionis, refectionis, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCLI, pridie kalendas iulii, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 30 iunii 1651, pontif. anno VII.

CL.

Prohibitio extrahendi libros e bibliothecis domorum fratrum Reformatorum Strictioris Observantiae provinciae Romanae.

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Conservationi et manutentioni librorum bibliothecarum domorum fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ reformatorum nuncupatorum provinciae Romanae, scilicet S. Francisci Transtyberim, et S. Petri in Monte Aureo de Urbe, et S. Antonii de Monte nuncupatae, Reatinae, ac S. Mariae Gratiarum nuncupatae, Setinensis civitatum, necnon S. Petri terrae seu loci de Carpineto, Anagninae dioecesis, etc., quantum cum Domino possumus, benigne consulere, ac dilectum filium Felicem a Setia, modernum ministrum provincialem provinciae Romanae huiusmodi, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomo-

dolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus dicti Felicis provincialis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

Prohibet prout in rubrica.

§ 1. Ne de cetero quisdam, quavis auctoritate et superioritate fungens, libros, quinterna, folia, aut scripturas, tam impressa, quam manuscripta, tam hactenus per quoscumque christifideles dictis bibliothecis donata et assignata, quam in posterum forsan donanda et assignanda, quibusvis personis commodare, aut sub quovis quaesito colore, ingenio, causâ, ratione, vel occasione e dictis bibliothecis, seu earum aliquâ, extrahere et asportare, seu ut commodentur vel extrahantur et asportentur permittere aut consentire audeat seu praesumat, sub excommunicationis latae sententiae (a qua nemo nisi a nobis et pro tempore existente Romano Pontifice absolutionis beneficium, praeterquam in mortis articulo constitutus, obtinere queat) ac privationis vocis activae et passivae poenis, per contrafacientes eo ipso absque aliâ declaratione incurrendis, apostolicâ auctoritate, tenore presentium, interdicimus et prohibemus.

§ 2. Permittimus tamen dictarum domorum fratribus verbum Dei praedicantibus et studiis operam navantibus libros, quinterna et folia huiusmodi e dictis bibliothecis extrahere, et illis in eorum cellulis tantum uti; sed, finito usu huiusmodi, illos seu illa ad dictas bibliothecas respective sub eisdem poenis referre teneantur.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, domorum, Ordinis et provinciae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 4. Volumus autem, quod praesentis prohibitionis copiam in valvis singularum bibliothecarum domorum huiusmodi, aut aliquo alio perspicuo loco, quo ab omnibus cerni possit, continuo affixa remaneat; quodque transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, XXVII iulii MDCLI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 27 iulii 1651, pontif. anno VII.

CLI.

Quod procamerarius S. R. E., tunc et pro tempore deputatus, non possit a quoquam amoveri praeterquam a Suâ Sanctitate et suo successore Romano Pontifice, quodque collegium cardinalium, Sede vacante, illum removere nequeat[1].

Innocentius Papa X, ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§ 1. Cum aliàs dilectus filius noster Antonius S. Mariae in viâ Latâ diaconus cardinalis Barberinus nuncupatus S. R. E. camerarius a Romanâ curiâ et a toto Statu Ecclesiastico sine nostrâ licentiâ discessisset, nos dilectum filium nostrum Federicum, eiusdem S. R. E. diaconum cardinalem Sfortiam nuncupatum, ipsius S. R. E. procamerarium, ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, et cum facultatibus, aliisque tunc expressis, constituimus et deputavimus. Et subinde, eodem Federico cardinale in episcopum ecclesiae Ariminensis praefecto, et propterea ad conferendum sese ad residentiam

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

in ecclesiâ huiusmodi obligato, nos dilectum itidem filium nostrum Laurentium, eiusdem S. R. E. diaconum cardinalem Raggium nuncupatum, S. R. E. procamerarium, ad nostrum similiter et Sedis praedictae beneplacitum, et cum facultatibus aliisque tunc pariter expressis, constituimus et deputavimus, inhibentes praefato Antonio cardinali ne, durante beneplacito huiusmodi, ipse per se vel alium in dicto camerariatus officio illiusque exercitio et iurisdictione, sive in dicto Statu, sive extra illum et ubique terrarum, directe vel indirecte se ingerere posset, irritum nihilominus et inane decernentes et declarantes quidquid secus ab eo, eiusque nomine, scienter vel ignoranter fieri et attentari contigerit; et aliàs, prout in nostris in simili formâ Brevis desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Procamerarium a nemine praeterquam a Pontifice amoveri posse a suo officio declarat.

§ 2. Nunc autem circa praemissa pro pastorali nostrâ sollicitudine uberius providere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, harum serie volumus, statuimus, mandamus et ordinamus, quod neque praedictus Laurentius cardinalis, neque alius seu alii, quem vel quos successive in procamerarios dictae S. R. E. a nobis forsan deputari contigerit, a quoquam, quavis auctoritate et potestate fungente, praeterquam a nobis, et, postquam Domino ita iubente viam universae carnis ingressi fuerimus, a successore nostro Romano Pontifice canonice intrante ab officio procamerarii huiusmodi illiusque libero exercitio amoveri possint, quodque nec etiam sacrum venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium collegium, Sede Apostolicâ per obitum nostrum pro tempore vacante, vigore cuiusvis iuris, auctoritatis et facultatis sibi quomodocumque competentis, seu praetensae, dictum Laurentium cardinalem, vel alium qui procamerarius a nobis deputatus reperietur, etiam ipso Antonio cardinale camerario ad Romanam curiam reverso, in eâque existente, ab officio procamerarii huiusmodi illiusque libero et absoluto exercitio cum omnibus et singulis officiis camerariatus eiusdem S. R. E., praeeminentiis et praerogativis removere vel deponere valeat, sed idem Laurentius cardinalis, vel alius qui tunc procamerarius a nobis deputatus supererit, ut praefertur, officium procamerarii huiusmodi, ac omnia et singula, quae ad munus camerariatus praedictum quoquo modo spectant et pertinent, Sede praescriptâ vacante, ut praemittitur, cum omnibus et singulis eiusdem muneris praeeminentiis et praerogativis, sine ullâ participatione dicti Antonii cardinalis camerarii, etiam in dictâ curiâ praesentis, ipsoque etiam invito, reclamante et reluctante, libere, licite et valide exercere, gerere, facere, mandare et exequi possit et debeat. Inhibentes propterea, et serio praecipientes, sub indignationis successoris nostri praedicti, aliisque illius arbitrii, ac nullitatis omnium et singulorum aliter gestorum poenis, eo ipso absque aliâ declaratione incurrendis, ne praedictus Antonius cardinalis camerarius aut dictum cardinalium collegium quidquam contra praedictam nostram voluntatem et ordinationem facere et attentare audeant seu praesumant;

Contradictores punit.

§ 3. Praesentes quoque litteras de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, et quocumque alio defectu, etiam ex eo quod dictus Antonius cardinalis et praedictum cardinalium collegium, seu ordinum illius capita, et quicumque alii in praemissis seu eorum aliquo interesse habentes vel praetendentes, vocati et auditi non fuerint, et ex

Litteris praesentibus valorem addit.

quacumque aliâ causâ, etiam enormis et enormissimae laesionis, ac ex quovis capite, etiam in corpore iuris clauso, notari, impugnari, infringi, rescindi, revocari, ad terminos iuris reduci, vel adversus eas aperitionis oris, restitutionis in integrum, seu quodcumque aliud iuris, facti vel gratiae remedium impetrari seu concedi, aut concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti minime posse; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, necnon camerae apostolicae praesidentes, clericos et ministros, ac ipsum praedictorum cardinalium collegium, et quosvis alios quacumque auctoritate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari[1].

Contraria respuit.

§ 4. Non obstantibus institutione et erectione dicti camerariatus officii, illiusque concessione, ac litteris apostolicis desuper expeditis, necnon cancellariae apostolicae regulis, et praesertim illâ de non tollendo iure quaesito, ac felicis recordationis Pii Papae IV praedecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse dictae camerae concernentibus in illâ praesentandis et registrandis, aliisque quibuslibet constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, ac decretis, etiam consistorialibus, necnon camerae et collegii cardinalium huiusmodi, et quibusvis aliis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Antonio cardinali, ac camerae et collegio praedictis, illorumque personis, et quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, etiam irritantibus, in genere vel in specie, etiam motu simili, etiam consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX septembris MDCLI, pontificatus nostri anno VII[1].

Dat. die 20 septembris 1651, pontif. anno VII.

1 Deest verbum *decernimus* (R. T.).

CLII.

Translatio indulgentiae plenariae perpetuae, concessae a felicis recordationis Gregorio XV ecclesiis Societatis Iesu in festo sancti Francisci Xaverii, in feriam secundam adventus, quando festum sancti Francisci Xaverii venerit in primâ dominicâ adventus[2].

Innocentius Papa X, ad futuram rei memoriam.

Concessio Gregorii VIII.

Aliàs felicis recordationis Gregorius Papa XV praedecessor noster, volens om-

1 Legendum *anno VIII* (R. T.).

2 De hac indulgentiâ lege quae notavi ad Constit. DCXXV Urbani VIII, *Aliàs*, tom. XIV, pag. 684.

nes et singulas ecclesias presbyterorum Societatis Iesu vel eorum aliquam ubique existentes aliquo spirituali munere illustrare, auctoritate sibi a Domino traditâ, omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis dictae Societatis ubique existentibus die festo sancti Francisci Xaverii, secundâ die decembris celebrari solito, a primis vesperis usque ad occasum solis festi huiusmodi, singulis annis, devote visitassent, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino perpetuo concessit, prout in ipsius Gregorii praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis confectis plenius dicitur contineri.

Motiva translationis indulgentiae.

§ 1. Cum autem, sicut dilectus filius Pyrrhus Gherardus, dictae Societatis procurator generalis, nobis nuper exponi fecit, festum sancti Francisci Xaverii praedicti quandoque in primam dominicam adventus incidat, impediatque propterea celebrationem festi huiusmodi; nobis idcirco humiliter supplicari fecit, ut, quotiescumque de cetero festum praedictum sancti Francisci Xaverii in dominicam primam adventus inciderit, in diem[2] immediate sequentem transferre de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concedit prout in rubrica.

§ 2. Nos, dicti Pyrrhi procuratoris generalis supplicationibus hac in parte annuere volentes, quotiescumque de cetero festum sancti Francisci Xaverii praedicti in primam dominicam adventus inciderit, tunc eo casu illud in feriam secundam primam dominicam adventus immediate sequentem, ita ut christifideles, praemissa dictâ feriâ secundâ adimplentes, eamdem indulgentiam consequantur, quam consequerentur, si eadem praemissa die festo sancti Francisci Xaverii adimplerent, servatâ aliàs in omnibus et per omnia litterarum praedictarum formâ, eâdem apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuis futuris temporibus etiam transferimus. In contrarium facientibus, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII octobris MDCLI, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. 27 octobris 1651, pontif. anno VIII.

2 Haec verba *inciderit, in diem* nos addimus (R. T.).

CLIII.

Pro congregatione Cassinensi prorogatio ad extinguendos census[1].

Innocentius Papa X, ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

Nuper pro parte dilecti filii Angeli Mariae a Parma, procuratoris generalis congregationis Cassinensis, Ordinis S. Benedicti, nobis expositum fuit, quod aliàs diversis vicibus a suis praedecessoribus procuratoribus et a maiori parte monasteriorum eiusdem congregationis super eorum bonis stabilibus diversi annui et redimibiles census impositi fuerunt, cum debitis licentiis, et cum hoc, ut census huiusmodi intra certum tunc expressum tempus extingui et redimi, et ad hunc effectum certae pecuniarum ratae sub certis tunc expressis censuris et poenis, ipso facto incurrendis, deponi deberent. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, etiamnum malus eorumdem monasteriorum status perduret, ita ut illa penitus et omnino reddantur imparia ad dictos census extinguendos, ratasque huiusmodi consequenter deponendas, et tempus seu tempora, aliàs

1 De hac materia lege quae notavi ad Constit. DCXIV Urbani VIII, *Aliàs*, tom. XIV, p. 664.

ad eorumdem censuum extinctionem et ratarum dispositionem praedictas assignata, pro[1] maiori parte eorumdem monasteriorum propediem expiratura, et pro aliquibus ex eisdem monasteriis, occasione mutationis officialium, sine tamen eorum scitu quorum erat praemissis providere, forsan etiam expirata sint:

A censuris absolvit.

§ 1. Nobis propterea idem Angelus Maria humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, eumdem Angelum Mariam specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eidem Angelo Mariae procuratori, et seu omnibus et singulis monasteriis eiusdem congregationis, quae censibus huiusmodi gravata sunt, ut praefertur, tempus seu tempora quinque annorum a datâ praesentium computandorum[2], intra quae census huiusmodi per eos, ad quos spectabit, sub poenis in concessione licentiarum ad eosdem census imponendos expressis, extingui et redimi omnino debeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et assignamus.

§ 2. Et insuper dictum Angelum Mariam procuratorem et seu monasteria huiusmodi ab onere[3] deponendi ratas huiusmodi interim liberamus, ac quoscumque eorumdem monasteriorum abbates et cellerarios, tam praeteritos quam praesentes, ob non factam dictorum censuum infra tempora sibi aliàs ad id assignata extinctionem, a quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis per eos quomodolibet incursis, dictâ auctoritate, tenore praesentium, absolvimus et totaliter liberamus, dictasque poenas illis gratiose remittimus, reponimus, reintegramus et rehabilitamus.

Derogat contrariis.

§ 3. Non obstantibus litteris apostolicis super concessione litterarum huiusmodi expeditis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die 1 februarii MDCLII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 1 februarii 1652, pontif. an. VIII.

1 Vocem *pro* nos addimus (R. T.).
2 Edit. Main. legit *computandum* (R. T.).
3 Edit. Main. habet *honore* (R. T.).

CLIV.

Constitutio circa transumpta litterarum et supplicationum apostolicarum[1].

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Constitutio Pauli III.

Dudum felicis recordationis Paulus Papa III praedecessor noster, accepto quod nonnulli iudices Romanae curiae transumpta supplicationum super provisionibus beneficiorum ecclesiasticorum et aliis gratiis signatarum et registratarum, ac, ipsarum supplicationum praetextu, litteras et mandata de adipiscendâ possessione beneficiorum huiusmodi in illis expressorum, antequam litterae apostolicae super huiusmodi supplicationibus expeditae essent, concedebant; per suam constitutionem desuper editam, et in cancellariâ apostolicâ publicatam, quibusvis dictae curiae iudicibus, quavis auctoritate fungentibus, cum appositione decreti irritantis, inhibuit, ne transumpta supplicationum

1 De hac materiâ lege, quae notavi ad Constit. DCCXV, *Cum sicut*, Urbani VIII, pag. 132 huius tomi.

apostolicarum, neve litteras seu mandata, ipsarum supplicationum vigore, possessionem beneficiorum ecclesiasticorum apprehendendi dare et concedere quomodolibet praesumerent. Et subinde idem Paulus praedecessor, constitutionem huiusmodi innovans, et perpetuis futuris temporibus pro lege observari debere decernens, quodam perpetuo edicto omnibus et singulis, tam archivii dictae curiae scriptoribus, camerae apostolicae, gubernatoris ac vicarii Urbis in spiritualibus generalis ceterisque dictae curiae officialibus et tabellionibus publicis quibuscumque, sub excommunicatione latae sententiae in contrafacientes, interdixit, ne ex tunc de cetero de transumptis supplicationum, praeterquam habentium clausulam *quod earum sola signatura sufficeret*, ac de decreto et concessione litterarum et mandatorum se rogare deberent, neve illa scribere seu subscribere, aut quoquo modo authenticare vel partibus tradere ullatenus praesumerent, voluit et statuit quod notarii, officiales et tabelliones praedicti, qui dictam excommunicationis sententiam incurrissent, ab illâ nisi per Romanum Pontificem pro tempore existentem absolvi non possent, praeterquam in mortis articulo constituti; quodque, ultra eamdem excommunicationis sententiam, pro primâ vice vigintiquinque ducatorum, et suspensionis a perceptione emolumentorum officiorum suorum ad tres menses, per datarium vel cancellariae apostolicae regentem pro tempore existentes irremissibiliter exigendorum, et fabricae basilicae Principis Apostolorum de Urbe applicandorum, et, si secundario deliquissent, ipsorum officiorum privationis poenas incurrerent eo ipso, necnon ipsae partes, transumptis seu litteris aut mandatis huiusmodi deinceps utentes, ac illorum praetextu possessionem beneficiorum ecclesiasticorum apprehendentes, fructus, quos ex illis pro tempore percepissent, suos non facerent, quinimo ad beneficia in eisdem transumptis ac litteris et mandatis expressa perpetuo efficerentur ipso facto inhabiles, et ad restitutionem fructuum ex illis perceptorum in utroque foro tenerentur.

Constitutio Urbani VIII.

§ 1. Et postmodum recolendae memoriae Urbanus Papa VIII, etiam praedecessor noster, cum sibi innotuisset, quod nonnulli notarii publici, etiam in archivio Romanae curiae descripti, vacabilia tamen notariorum officia non habentes, litterarum apostolicarum, tam sub plumbo quam in formâ Brevis, necnon supplicationum a se vel ab officiali ad id deputato signatarum transumpta, in *vidimus* et aliâ formâ, etiam quandoque ex simplicibus earumdem litterarum et supplicationum copiis litterisque ac supplicationibus huiusmodi nondum registratis, extrahebant, faciebant et publicabant, in maximum illorum, qui officia notariorum vacabilia et titulo oneroso possident, aliorumque cancellariae et secretariae apostolicarum officialium detrimentum, per suas in simili formâ Brevis die XX iulii MDCXLI emanatas litteras, quod ex tunc deinceps perpetuis futuris temporibus quicumque notarii, etiam in archivio Romanae curiae descripti, vacabilia notariorum officia non habentes, nulla omnino quarumcumque litterarum apostolicarum, tam sub plumbo, quam in formâ Brevis, ac supplicationum a se et Romanis Pontificibus successoribus suis, vel ab officiali ad id a se et illis respective pro tempore deputato, signatarum transumpta, obtinentes vero vacabilia notariorum etiam curiae camerae apostolicae, non autem capitolii officia, transumpta litterarum et supplicationum huiusmodi nonnisi postquam illae per officiales ad hoc constitutos registratae fuissent, sub quingentorum scutorum monetae, ac falsi, privationisque praedictorum officiorum eo ipso incurrendis poenis facere possent,

nisi de pro tempore existentis Romani Pontificis datarii licentiâ in scriptis obtinendâ, statuit, mandavit et ordinavit, et aliàs prout in constitutione et edicto dicti Pauli, necnon in praedicti Urbani praedecessorum litteris huiusmodi, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Confirmat Innocentius.

§ 2. Nunc autem nos, animadvertentes, per provide in praemissis tam a Paulo quam Urbano praedecessoribus praedictis statuta, fraudes, quae in transumptis huiusmodi committebantur, e medio nullatenus tolli, quodque transumpta demandantur executioni, licet supplicationes et litterae apostolicae, tam sub plumbo, quam in dictâ formâ Brevis, ex quibus ipsa transumpta extrahuntur, totaliter expeditae et registratae non sint, et ut plurimum copiae simplices existant, propterea que pro pastorali nostrâ sollicitudine fraudibus huiusmodi, necnon damno officialium cancellariae et secretariae praedictarum, quantum cum Domino possumus, obviam ire volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine,

§ 3. In primis praedictum edictum, seu regulam dicti Pauli, ac litteras dicti Urbani praedecessorum praedictas tenore praesentium innovantes, quod de cetero perpetuis futuris temporibus nulli omnino notarii, ex iis quibus iuxta praedictas dicti Urbani praedecessoris litteras transumpta huiusmodi conficere permissum et licitum est, possint ullo modo supplicationum et motuum propriorum quaevis transumpta facere, illave in quibusvis citationibus, inhibitionibus, monitoriis, processibus fulminatis, et aliis expeditionibus et supplicationibus inserere, praeterquam tamen quando in supplicationibus et motibus propriis huiusmodi apposita sit clausula *quod illorum sola signatura sufficiat*, nec etiam facere possint transumpta, citationes, inhibitiones, monitoria, processus fulminatos et alias expeditiones cum insertione litterarum apostolicarum, tam sub plumbo quam in dicta formâ Brevis, ac supplicationum in casibus supra permissis, nisi illae integraliter expeditae et registratae et ab uno officiali ad id pro tempore deputato, qui suâ subscriptione fidem facere debebit quod illae[1] cum originali concordent, revisae, et insuper a nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis datario subscriptae et sigillo obsignatae fuerint, sub excommunicationis latae sententiae, a qua nemo nisi a nobis et Romano Pontifice pro tempore existente praeterquam in mortis articulo constitutus absolvi possit, aliisque etiam pecuniariis et corporis afflictivis nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio irrogandis poenis, et, quoad dominos officiorum in quibus erunt notarii contrafacientes, ultra praedictas, amissionis[2] etiam officii, poenis[3] eo ipso absque aliâ declaratione per contravenientes incurrrendis[4], (quas pecuniarias et alias arbitrarias poenas etiam ii, qui transumpta et alias expeditiones huiusmodi absque praedictis subscriptionibus et sigillo sineque praedictorum observatione procuraverint expedire, incurrent) earumdem tenore praesentium statuimus, mandamus, praecipimus et ordinamus. Et nihilominus quod transumpta et expeditiones huiusmodi, quae et quas sine praedictis revisionibus et subscriptionibus fieri contigerit, nullae nulliusque omnino roboris et momenti existant, fidemque in iudicio et extra illud non faciant, nec a quoquam executioni demandari valeant;

§ 4. Quodque partes, quae transumptis

1 Edit. Main. habet *illa* (R. T.).
2 Male ed. Main. habet *ammissionis* (R. T.).
3 Male edit. Main. legit *poenas* (R. T.).
4 Edit. Main. habet *incurrendas* (R. T.).

et expeditionibus absque revisionibus et subscriptionibus huiusmodi factis utentur in adipiscendâ possessione beneficiorum et aliarum dignitatum ecclesiasticarum, aut pro obtinendâ alicuius indulti seu gratiae executione, ultra praedictam excommunicationis poenam ipso facto incurrendam, quocumque iure sibi ad dicta beneficia, dignitates et alias gratias competenti ipso facto cadant, et ad eadem beneficia dignitatesque, quae tamquam ipso iure vacantia possint a Sede Apostolicâ dumtaxat impetrari, perpetuo inhabiles existant, et ad restitutionem fructuum ex illis perceptorum teneantur; praesentes quoque litteras, etiam ex eo quod notarii praedicti, vel alii quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non[1] consenserint, seu ad ea vocati et auditi non fuerint, de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut quocumque alio quantumvis magno et substantiali defectu, aut aliàs ex quocumque alio capite, causâ, occasione, praetextu et colore, etiam in corpore iuris clauso, etiam tali, qui ad effectum validitatis praesentium necessario exprimi deberet, notari, impugnari, invalidari, in ius vel controversiam revocari, aut adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, et aliud quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, vel etiam motu simili concedi, aut sic impetrato vel concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare nunquam posse, sed semper easdem praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, quos illae concernunt, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus.

§ 5. Quocirca dilectis filiis nunc et pro tempore existentibus almae Urbis nostrae gubernatori et causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, et eorum cuilibet, per easdem praesentes committimus et mandamus, quatenus, statim atque praesentes nostrae litterae illis praesentatae fuerint, illas solemniter publicent et publicari faciant, ac in eis contenta quaecumque, per se, vel alium, seu alios, debitae executioni demandent, seu demandari procurent, et contra inobedientes, praemissisque contradicentes, opportunis iuris et facti remediis, appellatione postpositâ, procedant, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contraria tollit.

§ 6. Non obstantibus, quoad ea quae praesentibus sunt contraria, praedictis dicti Urbani praedecessoris pariter nostri de unâ[1], et concilii generalis de duabus dietis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et conciliaribus, ac, quatenus opus foret, nostrâ de non tollendo iure quaesito, ac quibusvis aliis nostris et cancellariae apostolicae regulis, necnon privilegio fori eorumdem notariorum, aliisque privilegiis, indultis et litteris apostolicis, praedictis et quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irri-

1 Particula *non* nos addimus (R. T.).

1 Lectionem defectiva esse suspicor, et potius legendum *praedictis dicti Urbani praedecessoris nostri litteris, necnon Bonifacii VIII praedecessoris pariter nostri de unâ* (R. T.).

tantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis;

§ 7. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, insererentur et exprimerentur, praesentibus pro expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentium publicatio.

§ 8. Ut autem praesentes et in eis contenta quaecumque omnibus innotescant, et ne aliquis eorum ignorationem praetendere possit, volumus pariter et mandamus, quod eaedem praesentes per aliquem seu aliquos ex cursoribus nostris ad ecclesiae Lateranensis, ac basilicae Principis Apostolorum de Urbe, necnon cancellariae apostolicae valvas, ac in acie Campi Florae affigantur et publicentur, quae, sic publicatae et affixae, omnes et singulos, quos concernunt, perinde arctent et afficiant, ac si unicuique illorum personaliter intimatae et notificatae fuissent;

§ 9. Quodque illarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III februarii MDCLII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 3 februarii 1652, pontif. anno VIII.

CLV.

Ut archiepiscopus Lucanus concedat facultatem ecclesiasticis ipsius Reipublicae contribuendi pro ratâ in expensis excavationis fossae pro aquarum derivatione[1].

Venerabili fratri archiepiscopo Lucano,
Innocentius Papa X.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii antiani et vexillifer iustitiae Reipublicae Lucanae, quod ipsi, pro bonificatione nonnullorum agrorum intra fines sui dominii existentium, et aquarum inundationi ex vicino lacu (sufficienti derivatione carente) obnoxiorum, fossam seu aquaeductum, per quam seu quem superstagnantes sive superfluae eiusdem lacus aquae derivari, et in flumen Arnum exonerari valeant, excavari facere intendunt. Verum, cum ad id grandi opus sit impensâ, dictaeque Reipublicae ac laicorum illi subditorum facultates ad tantum opus perficiendum non suppetant, personarum autem ecclesiasticarum, aliquot ex agris praedictis possidentium, non minus quam laicorum intersit illos a periculo inundationis huiusmodi praeservari et bonificari: propterea[1] antiani et vexillifer praedicti, qui ad perfectionem operis huiusmodi pecunias necessarias pro sex annis, intra quos illud absolutum iri sperant, de publico mutuas dare parati sunt, personas quoque ecclesiasticas civitatis et dominii Lucani, ratione bonorum, tam suarum ecclesiarum, quam patrimonialium, pro

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

1 Male edit. Main. habet *praeterea* (R. T.).

competenti portione in hoc opere communiter utili contribuere summopere desiderant. Nos igitur, considerantes opus excavationis huiusmodi non minus ad utilitatem personarum ecclesiasticarum bona stabilia seu agros ut praefertur possidentium, quam laicorum civitatis et dominii huiusmodi spectare et pertinere, et propterea aequum et rationi conveniens esse censentes, ut, qui ex hac re commodum sentiunt, etiam aliquid de bonis suis pro eorum ratâ ad tale opus contribuant, praedictosque antianos et vexilliferum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus, acto ad hoc praedictarum ecclesiasticarum personarum consensu, et post lapsum primi anni ex praedictis sex annis, omnibus et singulis personis ecclesiasticis civitatis et dioecesis Lucanae huiusmodi, sive secularibus, sive regularibus, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existentibus, et quacumque exemptione, immunitate et privilegio suffultis, et speciali expressione dignis, agros sive terrena in quorum bonificationem excavatio praedicta redundabit possidentibus, licentiam contribuendi pro ratâ agrorum seu bonorum huiusmodi in solutione expensarum ad praemissa necessariarum, auctoritate nostrâ apostolicâ concedas, et solvere recusantes, seu differentes, per censuras ecclesiasticas et alia opportuna iuris et facti remedia cogas et compellas; his tamen legibus, quod circumdarium bonorum huiusmodi expensarum oneri subiiciendorum designetur, ut[1] fiat cum interventu duarum personarum ecclesiasticarum, videlicet alterius ex clero seculari, alterius vero ex clero regulari deligendarum, et in illo comprehendantur ea tantum ecclesiasticorum bona, quae aquis cum effectu subiecta vel ita exposita stent, ut ex opere ut praefertur faciendo immediatum bonificationis beneficium assequantur; quodque[2], peracto excavationis ac bonificationis opere, loca ipsa in dicto circumdario comprehensa denuo visitentur cum interventu eorumdem ab utroque clero deputatorum, qui sub[3] eius complemento et perfectione, praeviâ diligenti observatione, et super qualitate et quantitate bonorum ad ecclesias spectantium, ut praemissum est, bonificatorum, pro quorum dumtaxat ratâ contribuere debebunt, tibi seu pro tempore existenti episcopo Lucano referant in scriptis; praeterea, quod ad contributionem huiusmodi non teneantur domini directi ecclesiastici agrorum sive bonorum aliis in emphyteusim concessorum, sed emphyteutae seu domini utiles eorumdem agrorum seu bonorum; ac demum, quod exactio ab eisdem ecclesiasticis, pro eorum ratis, illorumque requisitio ac interpellatio, tuâ et pro tempore existentis episcopi Lucani auctoritate fiant, ad quem solum spectet omnimoda cognitio quarumcumque differentiarum cum illis ac inter eos praemissorum occasione quomodolibet contingentium super quibus omnibus et singulis fraternitati tuae, ac pro tempore existenti episcopo Lucano, necessariam et quomodolibet opportunam facultatem concedimus et impartimur.

Dat facultatem ut archiepiscopus concedat libertatem ecclesiasticis Reipublicae contribuendi pro ratâ praedictâ.

1 Potius lege *et* pro *ut* (R. T.)

2 Perperam edit. Main. legit *quod qui* pro *quodque* (R. T.).

3 Potius lege *super* ut postea (R. T.).

Contrariis derogat.

§ 2. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quarumvis ecclesiarum, monasteriorum, ordinum et locorum piorum quomodolibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, etiam in corpore iuris clausis, necnon litteris apostolicis, specialiter vel generaliter, sub quocumque verborum formâ et expressione, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis et decretis, etiam irritantibus, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ad de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 3. Volumus autem, quod, iuxta ordinationem in Concilio Viennensi super hoc editam, calices, libri et alia ornamenta ecclesiarum, monasteriorum, beneficiorum et aliorum piorum locorum divino cultui dicata, ex causâ pignoris, vel aliàs occasione solutionis huiusmodi, nullatenus capiantur, distrahantur, vel occupentur.

Datum Tusculi, sub annulo Piscatoris, die I iunii MDCLII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 1 iunii 1652, pontif. anno VIII.

CLVI.

Declaratur Congregationem Clericorum Doctrinae Christianae regni Franciae, post dissolutionem unionis a Congregatione Somaschae, fuisse redactam ad statum secularem [1].

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Pastoralis officii, quo, divinâ dispensatione, nullis nostris suffragantibus meritis, fungimur[2], ratio postulat, ut religiosorum Ordinum quorumcumque paci et quieti, quantum nobis ex alto conceditur, opportune consulamus.

Causae huius declarationis.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, inter dilectos filios sacerdotes et clericos Congregationis Doctrinae Christianae regni Franciae, post emanatas sub die XXX mensis iulii MDCXLVII quasdam nostras in simili formâ Brevis litteras super dissolutione unionis dictae Congregationis a Congregatione clericorum regularium de Somascha nuncupatorum, plurimaeque fuerint ortae contentiones, eo quod aliqui ex ipsis primodictis sacerdotibus et clericis praetenderent primodictam Congregationem huiusmodi, licet a secundodictâ congregatione separatam, adhuc regularem remanere, ideoque a die dissolutionis praefatae quamplures ad regularem professionem admiserint, ac in omnibus uti mere regulares se gesserint, reliqui vero considerarent primodictam Congregationem ad primaevum statum secularem fuisse redactam: nos, omnem contentionum et controversiarum huiusmodi materiam submovere volentes, de consilio particularis congregationis aliquot venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et dilectorum filiorum nonnullorum Romanae curiae praelatorum, quibus negotium antedictae dissolutionis iam

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Edit. Main. legit *fungimus* (R. T.).

fuerat a nobis specialiter demandatum, partibus hinc inde auditis, reque pluries et mature discussâ, ac inhaerendo litteris nostris praefatis, praedictam Congregationem Doctrinae Christianae dicti regni, post factam dissolutionem unionis a secundo-dictâ Congregatione clericorum regularium de Somascha vigore praefatarum nostrarum litterarum, fuisse redactam ad statum Congregationis secularis iuxta ipsius institutum a felicis recordationis Clemente Papa VIII praedecessore nostro per suas in eâdem formâ Brevis sub die XXIII decembris anni MDXCVII emanatas litteras approbatum; ita ut ii[1], qui durante praefatâ unione in ipsâ Congregatione Doctrinae Christianae professionem emiserint, uti regulares et professi censendi sint, in eâque sub obedientiâ Ordinariorum iuxta earumdem nostrarum litterarum praescriptum, donec vixerint, permanere debeant, nec extra eamdem Congregationem Doctrinae Christianae admitti aut discedere ullatenus potuerint aut possint, et qui dimissi sint, aut discesserint, ad eamdem Congregationem Doctrinae Christianae revocari, ac respetive redire debeant, sub apostasiae aliisque poenis contra apostatas et fugitivos latis, a quibus tamen poenis eos benigne absolvi volumus, qui intra terminum duorum mensium a publicatione harum praesentium nostrarum litterarum suâ sponte regressi culpam coram superiore fassi fuerint, et, absolutione humiliter petitâ, emendationem promiserint; reliqui vero post dissolutionem dictae unionis praefatam in dictâ Congregatione Doctrinae Christianae admissi, ac in futurum admittendi, tamquam clerici seculares sint habendi, et hanc et non aliam in praefatis nostris prioribus litteris fuisse mentem nostram, omniaque in eis contenta ad illarum normam et praescriptum omnino servanda esse, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus. Non obstantibus quibusdam aliis sub plumbo sub die XXVII ianuarii MDCLI emanatis litteris, quas, uti non cohaerentes prioribus nostris in dictâ formâ Brevis litteris et per fraudem obtentas, irritas, invalidas, ac nullas esse, professiones vero, et quidquid hactenus contra earumdem priorum nostrarum litterarum formam factum fuerit, irrita omnino et inania fore et esse itidem declaramus.

Congregationem clericorum Doctrinae Christianae ad statum secularem redactam declarat.

§ 2. Ut autem praemissa suum sortiantur effectum, auctoritate et tenore praefatis volumus et mandamus, ut, infra duos menses ab exhibitione praefatarum praesentium nostrarum litterarum, novum capitulum generale dictae Congregationis Doctrinae Christianae, sic ad statum congregationis secularis redactae, a venerabili fratre moderno archiepiscopo Parisiensi convocetur, et coram eo celebretur, in eoque capitulo generali novae electiones et quaecumque alia in dictis prioribus et praesentibus litteris nostris huiusmodi contenta executioni demandentur.

Novum capitulum generale dictae Congregationis ordinat.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Sedis Apostolicae nuncios, et quoscumque alios quavis auctoritate fungentes, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Praesentes litteras validas declarat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et

Contraria tollit.

1 Perperam ed. Main. legit *iis* pro *ii* (R. T.).

litteris apostolicis, ac ipsius Congregationis Doctrinae Christianae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibuscumque personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 5. Volumus autem, ut praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxx augusti MDCLII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 30 augusti 1652, pontif. anno VIII.

CLVII.

Constitutio super extinctione et suppressione parvorum conventuum, eorumque reductione ad statum secularem, et bonorum applicatione, ac prohibitione erigendi nova loca regularia in Italiâ et insulis adiacentibus[1].

Innocentius Episcopus,
servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.

Instaurandae regularis disciplinae opus, multis laboribus ac vigiliis a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris iampridem assumptum, nobis in dies magis magisque cogitantibus cur ad optatum finem hucusque produci[2] non potuerit, totque saluberrima decreta et ordinationes fere in irritum ceciderint, illa tandem praecipua sese obtulit originis causa, quod religiones quamplures ex parvis conventibus ac domibus magnâ ex parte conflantur, in quibus, sive ob reddituum et eleemosynarum tenuitatem, sive ob aëris intemperiem, sive aliam ob causam, non aluntur, nec ali possunt tot religiosi, quot ad peragendum rite divinum cultum et regularia munia ex cuiusque Ordinis praescripto sunt necessarii. Proœmium.

§ 1. Etenim in tam exiguo numero ibi degente, nec divinum officium nocturnum pariter et diurnum in choro celebrare, nec orationi mentali ac spiritualibus collationibus et exercitiis ac studiis in communi vacare, nec silentium, clausuram, vitam communem, ceterasque institutiones servare possunt, quae ad tria principalia vota ordinantur, et sine quibus consistere vix possunt regularis vitae bases et fundamenta. Quamobrem otio immersi nullum religiosae vitae specimen praeseferunt; soli incedunt per urbes et loca, cum secularibus vagantur, ac mundanis negotiis se involvunt. Indeque fit, Motiva.

1 Paulo ante Constitutionem edidit sanctissimus hic Pontifex, qua statuit numerum regularium in qualibet domo praefigendum secundum illius bona quam vide supra pag. 646.

2 Forsan legendum *perduci* (R. T.).

ut ibi collocari renuant religiosi probatae vitae ac disciplinae, et superiores cogantur illîc familiam constituere ex fratribus vitae laxioris, qui loci licentiâ peiores fiunt: et si quando ad coenobia seu monasteria regularis observantiae revocantur, a claustro quasi a squalore carceris abhorrentes, vix adduci possunt, ut communem servent in moribus disciplinam, atque aliorum institutionibus se conforment, quin potius ceteros avertunt vel certe reddunt suo exemplo segniores. Unde relaxationes derivantur in Ordines, et sensim invalescunt in ipsarum religionum dedecus et ruinam. Praeterea (quod dolentes referimus) ad huiusmodi conventus, praesertim in locis infrequentibus et solitariis, tamquam ad asylum, facinorosi homines et curiae contumaces vel proscripti in dies confugiunt; ibique loci immunitate freti turpiter ac dissolute viventes, atque inde in tempore exeuntes, graviora perpetrant flagitia cum maximo populi scandalo. Cumque conventus sive loca parva huiusmodi in effraenatam quasi excreverint multitudinem, hinc licet omnibus intelligere quaecumque reformationis remedia cassa fore et irrita, quamdiu non fuerint a religionibus abscissa. Quae potest enim spes esse corpus languidum et infirmum ad salutem reducendi, si magna illius pars est curationis incapax, quin potius reliquam partem inficit atque contaminat; haec quippe sunt zizania, quae, cum iam creverint usque ad messem, sunt in fasciculos alliganda[1] et a religionum tritico separanda. Hae sunt vulpes parvulae, quae demoliuntur vineas. Hoc est fermentum, quod totam massam corrumpit.

§ 2. Quae omnia atque alia plura pro pastorali nostrâ sollicitudine diu multumque animo revolventes, ut sacrae religiones, in multitudinem latius incremento foecunditatis per universam Ecclesiam diffusae[1], a vepribus et spinis mundatae, uberes germinent fructus, nos, etiam ab ipsismet religionum superioribus reformationem zelantibus crebris precibus interpellati, et frequentibus populorum querimoniis permoti, salutare remedium adhibere consultâ ordinatione decrevimus. Itaque, de voto congregationis aliquorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum super statu regularium a nobis deputatae, cui hoc negotium sedulo ac mature examinandum commisimus, motu proprio, certâque scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulos conventus quorumcumque monachorum ac regularium virorum, bona immobilia possidentium vel non possidentium, cuiuscumque Ordinis, Mendicantium vel non Mendicantium, congregationis, societatis et cuiusvis alterius instituti, etiam Societatis Iesu, etiam si illis animarum cura personarum secularium incumbat, sintve hospitia, vel granciae, seu alterius monasterii membra, existentes intra fines Italiae et insularum adiacentium, in litteris ab eâdem congregatione propediem expediendis nominatim exprimendos, in quibus ob parvum numerum religiosorum regularis disciplina iuxta peculiaria cuiusque Ordinis instituta servari non potest, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo extinguimus, supprimimus et abolemus unâ cum omnibus eorum dignitatibus, officiis ac ministeriis, illosque ab omni proprietate, iurisdictione ac alio quocumque iure regularium eximimus et totaliter liberamus, omnemque conventualitatem, titulum, essentiam ac denominationem regularem in eis penitus extinguentes, illos ad statum secularem reducimus; reservatâ tamen ipsi congregationi facultate conservandi religionibus aliquem

Supprimit et extinguit conventus parvos.

1 Edit. Main. legit *illiganda* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *diffuse* (R. T.).

ex conventibus expressis in memoratis litteris, si hoc ex aliquâ rationabili causâ expedire iudicaverit; salvis etiam iuribus, quae fundatoribus conventuum sic suppressorum, vel aliis ex sacrorum canonum praescripto, vel ex privilegio apostolico quomodolibet competunt.

Singulis, ad quos pertinet, dimitti mandat ac praecipit superioribus Ordinum regularium.

§ 3. Quocirca dilectis filiis quorumcumque regularium superioribus tam generalibus quam provincialibus et localibus, quocumque nomine ac titulo nuncupentur, in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus et mandamus, ut singuli, ad quos pertinet, infra terminum sex mensium inchoandum a die praesentationis litterarum, a praedictâ congregatione, ut praemittitur, expediendarum, faciendae in Romanâ curiâ procuratori generali cuiusque Ordinis vel congregationis aut societatis, dimittant realiter et cum effectu coram Ordinariis locorum, sub testimonio publico eidem congregationi per eosdem superiores regulares exhibendo, possessionem corporalem conventuum eisdem litteris expressorum, et, reservatâ eis facultate secum asportandi profanam tantum, non autem sacram supellectilem, religiosos inde amoveant, atque in aliis monasteriis eiusdem Ordinis vel congregationis aut societatis collocent, alioquin poenas privationis vocis activae et passivae, necnon dignitatum et officiorum quae tunc temporis obtinebunt, et perpetuae inhabilitatis ad illa vel alia imposterum obtinenda ipso facto absque aliâ declaratione incurrant.

Prohibet in ecclesiis dictorum conventuum missas celebrari.

§ 4. Eoque termino elapso, non liceat regularibus in ecclesiis dictorum conventuum missas et divina officia celebrare, confessiones sacramentales audire, vel alia sacramenta administrare, ac functiones parochiales exercere, aut verbum Dei praedicare, vel mortuos sepelire. Quod si secus egerint, eo ipso ecclesiae remaneant suppositae ecclesiastico interdicto. Et nihilominus loci Ordinarii, ubi per litteras ipsius congregationis fuerint requisiti, religiosos rebelles et refractarios a praedictis conventibus eiiciant, etiam invocato, si opus fuerit, brachii secularis auxilio et exinde ecclesiarum, domorum, bonorumque omnium ad conventus sic suppressos quomodolibet pertinentium regimen, curam, custodiam et administrationem suscipiant, curentque ut ex eorum redditibus et proventibus universis in primis et ante omnia impleantur onera missarum, tam hucusque non celebratarum, quam imposterum celebrandarum, et alia quaecumque ex lege fundationis, aut largitione fidelium, vel aliàs quomodolibet eis incumbentia, quibus nullo modo derogare intendimus; et cura animarum, si qua illis immineat, per presbyteros seculares idoneos ab ipsis Ordinariis approbandos laudabiliter exerceatur, ecclesiaeque debito non fraudentur servitio.

De bonis disponit.

§ 5. Ceterum intendentes de praedictis bonis, quotquot superfuerint oneribus ut supra detractis, salubriter providere, earumdem tenore praesentium bona huiusmodi applicamus et[1] applicata esse decernimus et declaramus piis usibus in eisdemmet locis, ubi siti sunt conventus, iisque non indigentibus, in aliis locis eiusdem dioecesis, iuxta designationem et partitionem, quam eadem congregatio, singulorum episcoporum cum suis capitulis sententiâ prius auditâ et plenâ totius negotii relatione habitâ, de mandato nostro faciet in suis litteris ad eosdem episcopos scribendis, et in cancellariâ episcopali registrandis ad perpetuam rei memoriam.

§ 5. Verum, quia parum est mala praecidere, nisi etiam malorum causa et radix evellatur, constitutiones felicis recordationis Bonifacii VIII, quae incipit *Cum*

1 Particulam *et* nos addimus (R. T.).

Innovat constitutiones aliorum Pontificum.

ex eo, necnon Clementis VIII incipiens *Quoniam ad institutam*, aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, super erectione novorum conventuum editas, earumdem tenore innovantes, illisque addentes, hoc perpetuo prohibemus edicto, ne deinceps aliquis regularium Ordinis Mendicantium vel non Mendicantium, congregationis, societatis et cuiusvis alterius instituti, etiam Societatis Iesu, in quavis[1] civitate, castro, villâ seu loco ad habitandum domos vel loca quaecumque de novo recipere, seu monasteria, conventus vel collegia incipere vel fundare praesumat absque Sedis Apostolicae licentiâ speciali plenam et expressam faciente de prohibitione huiusmodi mentionem in scriptis et gratis concedendâ, praeviâ examinatione congregationis negotiis episcoporum ac regularium praepositae: si secus egerint, eo ipso incurrant poenas privationis et inhabilitatis ut supra inflictas, et nihilominus receptiones, fundationes et erectiones sint ipso iure nullae et invalidae, et domus ac loca ipsa et personae in eis degentes omnimodae iurisdictioni, visitationi, correctioni Ordinarii loci plene in omnibus subiaceant. Intendimus autem in praemissis etiam ultra Italiam et insulas adiacentes, prout expedire viderimus, providere.

Clausulae praeservativae.

§ 6. Decernentes praesentes litteras, etiam ex eo quod superiores regulares, et ceteri quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, ac substantiali, sive etiam ex eo quod in praemissis, seu eorum aliquo, solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite a iure vel facto aut statuto vel consuetudine aliquâ resultante, seu etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore iuris clauso, seu occasione vel causâ, quantumvis iustâ, rationabili et privilegiatâ, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostrâ huiusmodi et aliis superius expressis seu relatis nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet concesso et impetrato quempiam uti seu se iuvare in iudicio vel extra posse, neque ipsas praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, pro tempore quomodolibet faciendis, comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas et efficaces fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari,

Clausula *sublatâ*.

§ 7. Sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum sacri palatii apostolici auditores, necnon sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et nuntios, ac alios quavis auctoritate et potestate fungentes, nunc et pro tempore existentes, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ir-

1 Edit. Main. legit *qua* pro *quavis* (R. T.).

ritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausula derogatoria.

§ 8. Non obstantibus, quatenus opus sit, regulâ nostrâ de non tollendo iure quaesito, aliisque cancellariae apostolicae regulis, ceterisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis generalibus editis, etiam specialiter in favorem quarumcumque personarum atque Ordinum, tam Mendicantium quam non Mendicantium, congregationis, societatis et cuiusvis alterius instituti, etiam Societatis Iesu, et monasteriorum, collegiorum, domorum ac locorum regularium quorumcumque, necnon illorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis et privilegiis, etiam ex causâ et titulo oneroso, vel in limine fundationis et in Mari magno, seu Bullâ aureâ, aut aliter nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, etiam ad imperatoris, regum, reginarum, rerumpublicarum, et quorumvis aliorum principum et personarum quacumque ecclesiasticâ vel seculari dignitate fulgentium, seu eorum intuitu et contemplatione, ac etiam consistorialiter, et aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis seu extensionis, concessis, et iteratis vicibus approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, quoad ea quae praesentibus quomodolibet adversantur, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus et formis specialis et individua, et de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut quaevis exquisita forma servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, motu, scientiâ, deliberatione ac potestatis plenitudine paribus, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentes litteras affigi mandat.

§ 9. Volumus autem, quod praesentes litterae in valvis ecclesiae Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum, nec non cancellariae apostolicae, et in acie Campi Florae de eâdem Urbe publicentur et affigantur, quae, postquam affixae et publicatae fuerint, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctent et afficiant, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent;

Transumptorum fides.

§ 10. Quodque earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Praesenti Constitutioni contraeuntes punit.

§ 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae ordinationis, extinctionis, suppressionis, abolitionis, exemptionis, liberationis, reductionis, praecepti, mandati, intentionis, reservationis, applicationis, declarationis, prohibitionis, declarationis, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCLII, idibus octobris, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 15 octobris 1652, pontif. an. IX.

CLVIII.

Confirmatio statuti pro Ordine militari B. Mariae de Montesia et S. Georgii de Alfama a rege catholico uti administratore dicti Ordinis editi, quod in lineis in quibus inveniuntur tres actus positivi nobilitatis seu puritatis sanguinis in dicto Ordine legitime facti, habeantur pro re iudicatâ, itaut constituti in praefatis lineis habeantur pro nobilibus et puris[1].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Motiva. § 1. Exponi nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, quod ipse, advertens Ordinem militarem S. Mariae de Montesia et S. Georgii de Alfama, cuius ipse Philippus rex administrator perpetuus auctoritate apostolicâ deputatus existit, in decreto ab eodem Philippo rege die x februarii anni MDCXXIII emanato, et apostolicâ auctoritate confirmato, super actibus positivis Ordinum militiarum Calatravae, de Alcantara et S. Iacobi de Spatha, quorum ipse Philippus rex etiam administrator perpetuus eâdem auctoritate apostolicâ deputatus est, nec non etiam sancti officii generalis inquisitionis, et suorum familiarium religionis S. Ioannis Hierosolymitani, sanctae ecclesiae Toletanae, quatuor collegiorum maiorum Salamanticae, maioris S. Ildephonsi, Compluti et S. Crucis universitatis Vallisoletanae, non comprehendi, ac iustum esse in dicto Ordine de Montesia servari et observari contenta in decreto supradicto, cum militet eadem ratio evitandi molestias, expensas et alia plura inconvenientia, quae sunt solita evenire et occurrere in recipiendis informationibus super nobilitate et puritate sanguinis: propterea ipse Philippus rex, uti administrator Ordinis B. Mariae de Montesia et S. Georgii huiusmodi, die XXIII iulii proxime praeteriti statuit, decrevit, sanxit, ordinavit et mandavit, quod de cetero in lineâ, seu lineis[1], in qua, seu quibus invenientur tres actus positivi nobilitatis, seu puritatis sanguinis, usque ad hodiernum diem legitime facti, et imposterum faciendi, in dictis Ordine et militiâ de Montesia et S. Georgii de Alfama habeantur et sint talis efficaciae et valoris, ac si essent sententia diffinitiva in rem iudicatam transacta et executioni demandata; et vigore istorum trium actuum acquiratur ius reale personae et descendentibus per rectam lineam, ubi fuerint probati dicti tres actus positivi, ad effectum ut in lineâ seu lineis constituti, ubi existent ipsi tres actus positivi, habeantur pro nobilibus puris et idoneis, absque eo quod opus sit fieri aliam diligentiam, nisi solùm probare legitime descendentiam a dictâ lineâ seu lineis, in quibus concurrerint dicti tres actus positivi, ita quod, etiamsi in aliis negotiis super re iudicatâ de novo, vel sub praetextu instrumentorum noviter repertorum, seu falsitatis, vel aliis de causis, renovarentur lites, voluit nihilominus idem Philippus rex, quod dicti tres actus qualificati, ut praefertur, transeant in rem iudicatam, et ex eis acquiratur ius praetensoribus, quodque stetur rei iudicatae et iuri ex eâ acquisito, valeatque et habeat vim, licet detegantur tale impedimentum seu impedimenta, quae, si ante dictos actus fuissent detecta, obstarent et impedirent ne posset uti nobilitate et sanguinis puritate, prout ipse Philippus rex in supradicto decreto x februarii MDCXXIII edito, et per felicis recordationis Urbanum VIII praedecessorem no-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Edit. Main. habet *litteris* pro *lineis* (R. T.).

strum per suas in simili formâ Brevis litteras confirmato, statuerat et ordinaverat. Disponens insuper et statuens, quod in praedictis Ordine et militiâ B. Mariae de Montesia et S. Georgii de Alfama, et ceteris ordinibus militaribus, communitatibus et collegiis superius mentionatis, tam in concernentibus dictum statutum, quam praefatas Urbani praedecessoris litteras, habeantur promiscue, communiter et reciproce cum aequalitate in omnibus illis, servando unum et idem, nullâ habitâ differentiâ, ac si dictus Ordo et militia B. Mariae de Montesia fuisset comprehensus et expressa in dicto statuto, prout fecerunt militiae de Calatrava et Alcantara et S. Iacobi, et aliàs, prout in decreto et statuto huiusmodi uberius dicitur contineri.

Statutum confirmat et approbat.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Philippus rex plurimum cupiat statutum et decretum praedictum, pro firmiori illius observatione et subsistentiâ, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, nos, eiusdem Philippi regis votis, quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, statutum et decretum huiusmodi, omniaque et singula in illo contenta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Praesentes validas declarat.

§ 3. Decernentes praesentes litteras, omniaque et singula in eis contenta, valida, firma et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, quomodolibet inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quarumvis ecclesiarum, etiam cathedralium et metropolitanarum, necnon militiarum et Ordinum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die v novembris MDCLII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 5 novembris 1652, pontif. anno IX.

CLIX.

Confirmatio Brevium Pauli V, Gregorii XV et Urbani VIII, quibus statuitur, quod canonici doctorales, magistrales, lectorales et poenitentiarii, ac primae dignitates post pontificalem in cathedralibus, et principales in collegiatis, necnon parochi non possint esse episcoporum familiares, etc. [1].

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Praedecessorum litterae.

§ 1. Aliàs felicis recordationis Paulo Papae V, praedecessori nostro, nomine dilectorum filiorum deputatorum et congregationis cleri regnorum Castellae et Legionis exposito, quod in tunc penul-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

timo concilio provinciali Toletano provide statutum et ordinatum fuerat, quod canonicus[1] praebendam doctoralem, aut magistralem, vel illam obtinens cui munus legendi Sacram Scripturam incumbit, necnoc poenitentiarius[2] metropolitanus, vel episcopi vicarius, provisor, aut visitator, non posset esse iudex ordinarius, vel delegatus universalis appellationum; quod etiam in presbyteris parochiales ecclesias obtinentibus omnino observari voluerit, ne ab ecclesiis, quarum cura pastoralis ipsis est commissa, eos abesse contingeret: idem Paulus praedecessor, supplicationibus deputatorum et congregationis huiusmodi sibi humiliter porrectis inclinatus, de consilio tunc existentium S. R. E. cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum, per suas in simili formâ Brevis die XVII augusti MDCXV, statutum, in praedicto concilio provinciali ut praefertur factum, apostolicâ auctoritate confirmavit: et subinde felicis recordationis Gregorius Papa XV, pariter praedecessor noster, supplicationibus eorumdem deputatorum et congregationis huiusmodi nomine sibi porrectis inclinatus, de eorumdem cardinalium consilio, per suas die IX maii MDCXXII, statutum in provinciali synodo Toletano editum, et a dicto Paulo praedecessore confirmatum, ut praefertur, ad ecclesias omnes metropolitanas, cathedrales, collegiatas et parochiales totius regni Castellae et Legionis eâdem auctoritate extendit, illudque in eisdem ecclesiis perinde observari atque in ecclesiis provinciae Toletanae praecepit et mandavit: ac postmodum per alias suas in eâdem formâ Brevis die VI aprilis MDCXXIII idem Gregorius praedecessor, petitionibus deputatorum et congregationis praefatorum nomine sibi denuo porrectis annuens, de praefatorum cardinalium consilio, statutum in provinciali synodo Toletanâ editum; atque a dicto Paulo praedecessore confirmatum, et per ipsum Gregorium extensum, ut praefertur, ad omnes primas dignitates post pontificalem cathedralium et collegiatarum ecclesiarum ipsius regni Castellae et Legionis auctoritate praefatâ extendit: et demum, piae memoriae Urbano Papae VIII nostro similiter praedecessori earumdem ecclesiarum nomine exposito, quod, si maiorem post pontificalem in cathedralibus et principalem in collegiatis ecclesiis dignitates obtinentes, ac canonici magistrales, doctorales, lecturae[1], poenitentiarii et parochialium ecclesiarum rectores, episcoporum familiares seu commensales esse possent, eademmet, quae supra, incommoda et inconvenientia orirentur, ex eo quod praedicti eorumdem archiepiscoporum seu episcoporum officiales seu visitatores existentes necessario cogerentur deesse suarum praebendarum obligationi, ac muneri et gubernio, necnon ecclesiarum ipsarum regimini, ad quem unum seu solum et praecipuum effectum praebendae praedictae apostolicâ auctoritate erectae et institutae fuerint, idem Urbanus praedecessor, supplicationibus deputatorum et congregationis earumdem ecclesiarum nomine sibi porrectis inclinatus, per suas die XXI novembris MDCXXXV respective expeditas litteras apostolicâ auctoritate decrevit ne de cetero perpetuis futuris temporibus maiorem post pontificalem in cathedralibus ac principalem in collegiatis ecclesiis dignitates obtinentes, nec canonici magistrales, doctoratos, lecturae[2], poenitentiarii et parochialium ecclesiariarum rectores episcoporum familiares seu commensales esse possint, et aliàs, prout[3] in praedictis sin-

1 Male edit. Main. legit *canonicos* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *poenitentiarios* (R. T.).

1 Forsan legendum *lectores* (R. T.).
2 Ex loc. parall. tom. XIV, pag. 508 *b* lege *doctorales, lectores* (R. T.).
3 Particulam *prout* nos addimus (R. T.).

gulorum praedecessorum huiusmodi litteris, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, plenius continetur.

Praedecessorum Pontificum litteras confirmat et approbat.

§ 2. Cum autem firmiora sint ea, quae apostolicae confirmationis munimine iterato corroborantur, et propterea dilecti filii deputati et congregatio cleri regnorum Castellae et Legionis praedictorum plurimum cupiant praedictas Pauli, Gregorii et Urbani praedecessorum litteras, ac omnia et singula in eis contenta, pro firmiori etiam earum observatione, denuo apostolicâ auctoritate nostrâ confirmari et approbari: nos, deputatorum et congregationis huiusmodi votis hac in re benigne annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praefatas Pauli, Gregorii et Urbani praedecessorum litteras, et in eis contenta quaecumque, apostolicâ auctoritate, tenore presentium, confirmamus ac approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus.

Praesentes litteras observari mandat.

§ 3. Decernentes praesentes et praeinsertas litteras, ac omnia et singula in eis contenta, ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostotici auditores, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quocirca dilectis filiis moderno et pro tempore existenti nostro et Sedis Apostolicae in regnis Hispaniarum nuncio, ac curiae causarum camerae apostolicae generali auditori, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quatenus pro parte dictorum deputatorum et congregationis necnon interesse habentium fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria respuit.

§ 4. Non obstantibus omnibus illis, quae praedicti Paulus, Gregorius et Urbanus praedecessores in praedictis suis litteris respective voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII novembris MDCLII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 12 novembris 1652, pontif. an. IX.

CLX.

Confirmatio decreti particularis congregationis cardinalium et praelatorum, quo declaratur Breve, aliàs a Suâ Sanctitate super controversiis iurisdictionalibus inter episcopum Angelopolitanum et patres Societatis Iesu vertentibus emanatum, iustificatum esse,

et per consequens eius exequutionem non esse impediendam, aut retardandam [1].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Aliàs a nobis emanarunt litterae in simili formâ Brevis tenoris sequentis, videlicet:

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Cum, sicut accepimus, aliquae, etc. (*reliqua prout in suo ordine, sub datum* XIV *maii* MDCXLVII [2]). Et subinde, cum clerici regulares Societatis praedictae, praetendentes ex pluribus capitibus praeinsertas nostras litteras non esse iustificatas, novam desuper a nobis audientiam obtinuissent: nos negotium huiusmodi particulari congregationi nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium ac dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum examinandum et definiendum commisimus; qui, partibus etiam in contradictorio pluries auditis, earumque oppositionibus mature perpensis, decreverunt prout sequitur, videlicet:

Breve Pontifice emanatum, iustificatum declarat. « Cum sub die XIV maii MDCXLVIII emanaverit Breve sanctissimi Domini nostri super controversiis vertentibus inter episcopum Angelopolitanum ex unâ et patres Societatis Iesu ex alterâ, patres vero praedicti, praetendentes ex pluribus capitibus Breve non esse iustificatum, obtinuerint a Sanctitate Suâ novam audientiam: congregatio nonnullorum eminentissimorum S. R. E. cardinalium et Romanae curiae praelatorum super huiusmodi differentiis ab eodem specialiter deputata, partibus etiam in contradictorio pluries auditis, singulisque oppositionibus mature perpensis, censuit supradictum Breve esse iustificatum, ac proinde illius executionem nullatenus esse impediendam aut retardandam. Datum Romae, die IV mensis februarii MDCLII ».

B. cardinalis Spada.
T. cardinalis Sachettus.
M. cardinalis Ginnettus.
V. cardinalis Carpineus.
M. Antonius cardinalis Franciottus.
H. archiepiscopus Patracensis.
P. Fagnanus Franciscus Paulutius.
M. Albertus, *secretarius.*

Praedictum Breve auctoritate suâ confirmat. § 1. Cum autem, sicut eiusdem Ioannis episcopi nomine nobis nuper expositum fuit, ipse Ioannes episcopus praeinsertum decretum, pro firmiori eius subsistentiâ et observatione, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri summopere desideret: nos, eiusdem Ioannis episcopi votis hac in re benigne annuere, ac ipsum Ioannem episcopum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertum ultimo decretum huiusmodi, ac omnia et singula in eis contenta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac illa inviolabiliter observari mandamus.

A nemine aliter iudicari, ac definiri iubet. § 2. Decernentes sic et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Ita edit. Main.; et legendum foret MDCXLVIII. At citata constitutio ibi nequaquam reperitur; habetur tamen postea sub datum XIV maii MDCLIII vel quia iterum edita fuerit a Summo Pontifice, vel quia editor romanus, dum omissionem suam deprehendit, corrigere voluit mutato dato (R. T.).

apostolici auditores, et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria resputt. § 3. Non obstantibus omnibus illis, quae in praeinsertis nostris litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX novembris MDCLII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 19 novembris 1652, pontif. anno IX.

CLXI.

Statutum super controversiis iurisdictionalibus inter abbatem generalem Ordinis Praemonstratensium et communitatem antiqui rigoris eiusdem Ordinis[1].

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Militantis Ecclesiae regimini divinitus praepositi, ad ea, per quae personarum sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium quieti et felici gubernio consulitur, libenter intendimus, ac desuper pastoralis officii nostri partes interponimus, sicut in Domino conspicimus salubriter expedire.

Praedecessorum Constitutiones confirmat. § 1. Volentes itaque controversiis, quae inter dilectos filios abbatem generalem Ordinis Praemonstratensium ac communitatem antiqui rigoris eiusdem Ordinis super iurisdictione ipsius abbatis in dictam communitatem non absque gravi regularis disciplinae et quietis discrimine iamdiu agitantur, finem tandem imponere, ipsumque abbatem generalem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, necnon infra nominatarum litterarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis et insertis habentes, supplicationibus eiusdem abbatis generalis nomine super hoc nobis humiliter porrectis inclinati, de voto particularis congregationis per nos deputatae nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium ac dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum, partibus per ipsos pluries auditis, reque mature discussâ, servandam esse omnino constitutionem felicis recordationis Pauli PP. V praedecessoris nostri pro regimine dictae communitatis sub datum V kalendas augusti MDCXVII emanatam, quae incipit *Exigit pastoralis*, etc.[1], iuxta moderationem alterius constitutionis recolendae memoriae Gregorii Papae XV etiam praedecessoris nostri sub datum XV kalendas maii MDCXXI eâdem super re editae, quae incipit *Ad sacram beati Petri Sedem*[2], apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, statuimus et ordinamus: et ad huius constitutionis terminos constitutionem piae memoriae Urbani Papae VIII similiter praedecessoris nostri XIV kalendas novembris MDCXXXV editam, quae incipit *Inter praecipuas*[3], necnon alias eiusdem Urbani praedecessoris in simili formâ Brevis litteras die XXVII iulii MDCXXXVIII emanatas a tunc existente procuratore dictae communitatis, dum generalatus vacaret, in eiusdem abbatis generalis praeiudicium extortas, quae incipiunt *In supremo apo-*

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Huiusmodi in *Bullario* non habentur (R. T.).
2 Istae quoque desiderantur (R. T.).
3 Hae quoque desunt (R. T.).

stolatus solio[1], etc., auctoritate et tenore praefatis in omnibus reducimus. Declarantes proinde auctoritatem, quae a supradictis constitutionibus Pauli et Gregorii praedecessorum in monasteria et canonicos communitatis antiqui rigoris eidem abbati generali tribuitur, non tantum ius honorificum et reverentiale, sed veram et omnimodam in eosdem iurisdictionem continere; quapropter ipsum abbatem generalem posse, toties quoties expedire iudicaverit, monasteria eiusdem communitatis visitare per se ipsum, adiuncto sibi tamen vicario, vel alio a dictâ communitate antiqui rigoris deputando, qui nec examini visitationis personalis assistat, nec vocem decisivam habeat, sed consultivam tantummodo; posse nihilominus eumdem abbatem generalem in visitatione sive ex communitate antiqui rigoris sive ex ordine assumere secretarium sibi benevisum, aliosque socios pro modo suae dignitatis ac religiosae conditionis, munere tamen aut titulo convisitatorum iisdem penitus interdicto. Teneri insuper vicarium generalem, a capitulo communitatis antiqui rigoris electum, statim ab ipso abbate generali electionis suae confirmationem, exhibitis actis capitularibus, petere, ita ut, quatenus abbas generalis eamdem tamquam minus canonice factam infirmaverit, ab vicariatus exercitio, licet appellatione interpositâ, statim abstinere, primusque definitor eius vices supplere teneatur: haec autem in electionibus aliorum officialium servanda non esse. Ad eumdem itidem abbatem generalem infra mensem transmittenda esse decreta et ordinationes capitulorum communitatis antiqui rigoris pro confirmatione obtinendâ (electionibus officialium vicario inferiorum dumtaxat exceptis), ut, si qua[2] cognoverit non esse sacris canonibus, Tridentini Concilii decretis vel constitutionibus apostolicis et communibus Ordinis praedicti, necnon peculiaribus, atque approbatis ipsius communitatis antiqui rigoris statutis, aut etiam regulari observantiae conformia, emendare, corrigere, aut infirmare possit, prout magis in Domino expedire iudicaverit, alioquin nullius roboris aut momenti esse censeantur. Posse demum abbatem generalem in causis ordinariis legitimas appellationes a decretis capituli praedictae communitatis vel a sententiis vicarii aliorumque praelatorum ad ipsum abbatem generalem interpositas, servatâ tamen formâ constitutionum Ordinis, admittere, earumque causas cognoscere, appellantes vero in monasteriis extra communitatem sequestrare nequaquam posse, nisi de probabili superiorum saevitiâ sufficienter constiterit.

Praesentes validas declarat.

§ 2. Decernentes praesentes litteras semper validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et spectabit in futurum, inviolabiliter observari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria refellit.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis, quae praedicti Paulus et Gregorius praedecessores in suis respective constitutionibus praedictis voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 4. Volumus autem, ut praesentium transumptis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae

1 Quae pariter exulant a *Bullario* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *quae* (R. T.).

praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX novembris MDCLII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 29 novembris 1652, pontif. anno IX.

CLXII.

Facultas archiepiscopo Athenarum nuncio apostolico in regno Franciae super receptione et custodiâ Domini cardinalis Gondi de Retz nuncupati[1].

Venerabili fratri Nicolao archiepiscopo Athenarum, nostro et Apostolicae Sedis apud charissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum regem christianissimum nuncio,

Innocentius Papa X.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Factum. § 1. Cum nuper, non sine animi nostri molestiâ, dilectus filius noster Ioannes Franciscus Paulus sanctae Romanae Ecclesiae presbyter cardinalis Gondus de Retz nuncupatus, ob nonnullas praetensas causas, iussu carissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum regis christianissimi detentus fuerit et adhuc detineatur: nos, pro nostro pastoralis officii debito desuper opportune providere volentes, et ut personae, sublimi dignitati, et libertati ecclesiasticae, ac iustitiae, quantum cum Domino poterit, consulatur, necnon de tuâ prudentiâ, doctrinâ, experientiâ, ac sincerâ in nos et Apostolicam Sedem fide et devotione plurimam in Domino fiduciam habentes, sperantesque te gravissimum hoc negotium ita gesturum, ut nostrae de te opinioni respondeas, et in iis, quae res postulat et a nobis tibi demandata fuerint, ex animi nostri sententiâ munus tuum cumulate adimpleas: quamobrem, ut hoc praestare iure possis, tibi, ut praedictus Ioannes Franciscus Paulus cardinalis libere tradatur et cum effectu consignetur, curandi, eumque nostro et Sedis Apostolicae nomine recipiendi et detinendi, seu detineri faciendi, eumdemque personae seu personis minime suspectis, sed quibus confidere posse iudicaveris, committendi, ab eisque de eo tuto ac fideliter nomine praedicto tenendo et custodiendo iuramentum recipiendi, necnon eumdem Ioannem Franciscum Paulum cardinalem de loco ad locum transferendi, prout tibi videbitur et expedire iudicaveris, ac informationes de eiusdem Ioannis Francisci Pauli cardinalis delictis et causis praedictis, ut ad nos illas mittas, capiendi, cum potestate quos, quibus, ubi, quando, ac toties quoties opus fuerit, citandi et inhibendi, et per edictum publicum, constituto[1] de non tuto accessu, ac sub censuris et poenis ecclesiasticis aggravandis et moderandis, necnon omnia et singula alia, quae in praemissis et circa ea necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna, etiamsi talia essent quae specialem, specificam et expressam requirerent mentionem, faciendi, dicendi, gerendi et exequendi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritatem concedimus et impertimur. Commissio.

§ 2. Non obstantibus, quatenus opus sit, felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et aliâ in concilio generali de duabus dietis, ac aliis apostolicis, necnon in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Contraria tollit.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

1 Potius lege *constito* (R. T.).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX ianuarii MDCLIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 20 ianuarii 1653, pontif. anno IX.

CLXIII.

Facultas archiepiscopo Avenionensi super receptione et custodiâ cardinalis Gondi de Retz nuncupati[1].

Venerabili fratri Dominico archiepiscopo Avenionensi, Innocentius Papa X.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. § 1. Cum nuper, non sine animi nostri molestiâ, dilectus filius noster Ioannes Franciscus Paulus sanctae Romanae Ecclesiae presbyter cardinalis Gondus de Retz nuncupatus, ob nonnullas praetensas causas, iussu carissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum regis christianissimi detentus fuerit et adhuc detineatur: nos, pro nostro pastoralis officii debito desuper opportune providere volentes, et ut personae, sublimi dignitati, et libertati ecclesiasticae, ac iustitiae, quantum cum Domino poterit, consulatur, necnon de tuâ prudentiâ, doctrinâ, experientiâ, ac sincerâ in nos et Apostolicam Sedem fide et devotione plurimam in Domino fiduciam habentes, sperantesque te gravissimum hoc negotium ita gesturum, ut nostrae de te opinioni respondeas, et in iis, quae res postulat et a nobis tibi demandata fuerint, ex animi nostri sententiâ munus tuum cumulate adimpleas:

Archiepiscopo Avenionensi dat amplam facultatem quaelibet agendi. § 2. Quamobrem, ut hoc praestare iure possis, tibi, ut praedictus Ioannes Franciscus Paulus cardinalis libere tradatur et cum effectu consignetur, curandi, eumque nostro et Sedis Apostolicae nomine recipiendi et detinendi, seu detineri faciendi, eumdemque personae seu personis minime suspectis, sed quibus confidere posse iudicaveris, committendi, ab eisque de eo tuto ac fideliter nomine praedicto tenendo et custodiendo iuramentum recipiendi, necnon eumdem Ioannem Franciscum Paulum cardinalem de loco ad locum transferendi, prout tibi videbitur et expedire iudicaveris, ac informationes de eiusdem Ioannis Francisci Pauli cardinalis delictis et causis praedictis, ut ad nos illas mittas, capiendi, cum potestate quos, quibus, ubi, quando et toties quoties opus fuerit, citandi et inhibendi, etiam per edictum publicum, constito de non tuto accessu, ac sub censuris et poenis ecclesiasticis aggravandis et moderandis, necnon omnia et singula alia, quae in praemissis et circa ea necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna, etiamsi talia essent quae specialem, specificam et expressam requirerent mentionem, faciendi, dicendi, gerendi et exequendi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritatem concedimus et impertimur.

Contraria refellit. § 3. Non obstantibus, quatenus opus sit, felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et aliâ in concilio generali de duabus dietis, ac aliis apostolicis, necnon in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die X februarii MDCLIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 10 februarii 1653, pontif. anno IX.

---

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

CLXIV.

Constitutio innovans sanctiones canonicas contra falsarios litterarum apostolicarum cum illarum declaratione, extensione et novarum poenarum adiectione[1].

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In supremo iustitiae throno et universalis Ecclesiae speculâ divinâ dispositione constituti, dum attente consideramus gravissimarum etiam ultimi supplicii et quoad personas ecclesiasticas degradationis, traditionisque curiae seculari, ac privationis omnium officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum, ac quoad omnes anathematis poenarum, tam per leges civiles, quam per sanctiones canonicas, ipsamque forensium iudiciorum consuetudinem, in litterarum apostolicarum falsarios statutarum et inductarum severitatem non suffecisse cohibendae improborum turpi lucro inhiantium audaciae, nec eos a patrando detestabili falsi crimine deterruisse, imo, crescente in dies hominum malitiâ, eo progressas esse nostri temporis iniquitates, ut nedum aliquos ex illis qui sollicitandae supplicationum ac litterarum apostolicarum expeditioni navant operam, sed etiam nonnullos officiales seligendis quae expeditione digna sunt negotiis praepositos, curamque revisionis, dispunctionis et correctionis supplicationum desuper porrectarum, ut cum omni nitore et fide in publicum prodeant, habentes, mortifera haec labes infecerit: operae pretium nos facturos arbitramur, si novis, iisque, ut speramus, efficacioribus remediis, praedictarum scilicet sanctionum innovatione et extensione, ac aliarum adiectione poenarum, cum opportunâ tollendis quibusdam hac in re dubiis declaratione, malum Reipublicae Christianae adeo perniciosum, quodque ex immani cumulandae per fas et nefas pecuniae cupiditate, omnium malorum, secundum Apostolum, radice, ut plurimum oritur, pro viribus extirpare satagimus.

Sanctiones canonicas innovat contra falsarios litterarum apostolicarum.

§ 1. Itaque motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione, in primis crimen falsi praedictum pro vere ac proprie atrocissimo crimine habendum et censendum esse et fore, adeo ut super eo possit inquiri et procedi iisdem plane modis et formis, quibus procedi potest in quovis alio crimine suâpte naturâ atrocissimo decernimus et declaramus. Praeterea constitutionem felicis recordationis Innocentii Papae III praedecessoris nostri, quae incipit *Ad falsariorum*, et quascumque alias sanctiones canonicas, constitutionesque apostolicas, sive in corpore iuris insertas, sive non insertas, et extravagantes, contra falsarios huiusmodi quandocumque editas, poenasque contra eosdem falsarios in eis statutas forensique iudiciorum usu inductas et receptas innovamus, illisque etiam confiscationis omnium et quorumcumque bonorum etiam iurisdictionalium, ac devolutionis feudalium et emphyteuticorum, necnon privationis, tam quoad proprietatem, quam quoad exercitium, omnium et quorumcumque officiorum, etiam mere secularium, tam vacabilium, quam non vacabilium, Romanae curiae, vel quorumvis aliorum locorum, etiamsi emptionis, ac iustae compensationis et remunerationis meritorum, vel quovis alio etiam vere oneroso titulo concessa, collata et acquisita fuerint, poenas, ipso facto unâ cum

1 Falsarii litterarum apostolicarum etiam in formâ Brevis, ac supplicationum gratiam vel iustitiam concernentium, excommunicantur a Gregor. XIII Const. CXLVII *Consueverunt*, tom. VIII, pag. 413.

antiquis, ut praemittitur, innovatis a die commissi criminis falsi huiusmodi incurrendas, addimus, adiungimus et adiicimus. Ad haec, omnes et singulas personas, etiam ecclesiasticas, cuiuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis et praeeminentiae, etiam cuiusvis Ordinis, congregationis, societatis et instituti, ac militiarum quarumlibet, etiam hospitalis sancti Ioannis Hierosolimytani regulares, quibuscumque privilegiis, exemptionibus et indultis, etiam in corporis iuris clausis, munitas et suffultas, etiam speciali notâ dignas, ac etiamsi nominatim et in individuo exprimi debeant, neque aliter quam sub praescripto certae formae in generalibus aut specialibus constitutionibus includi et comprehendi possint et soleant, nullâ prorsus exceptâ, quas pro tempore atrocissimi huius criminis falsi reas esse constiterit, omnibus et singulis poenis praedictis, tam antiquis, ut praemittitur, innovatis, quam per praesentes additis et adiectis, obnoxias omnino et irremissibiliter fore; ac insuper easdem poenas locum habere et executioni demandari debere contra quoscumque falsarios non solum litterarum apostolicarum, quae sub plumbo, sed etiam illarum, quae in formâ Brevis sub annulo Piscatoris expediri consueverunt, tam gratiam quam iustitiam separatim, aut utramque mixtim, continentium; necnon contra falsarios quarumcumque supplicationum, cedularum motus proprii, ac mandatorum de expediendo gratis manu nostrâ seu Romani Pontificis pro tempore existentis, vel per *Concessum* ab officialibus ad id pro tempore deputatis respective signatarum et signatorum, etiamsi super illis litteris apostolicis, sive sub plumbo, sive in formâ Brevis sub annulo Piscatoris, non expediantur, neque consueverint expediri; necnon contra quoscumque falsarios cuiuscumque generis aliarum similium vel dissimilium concessionum, in quibus adsit subscriptio nostra, seu Romani Pontificis pro tempore existentis, aut quorumvis officialium, super quibus litterae apostolicae sub plumbo vel in praedictâ formâ Brevis expediuntur et expediri consueverunt; ac etiam contra quoscumque falsarios datarum in praemissis ab officialibus ad hoc deputatis apponi solitarum; necnon contra quoscumque falsificantes originalium supradictorum registra apostolica, seu registrorum apostolicorum libros, neque[1] prorsus ac si falsificassent ipsa originalia;

Comprehenduntur sub praesenti Constitutione etiam qui per alios falsum committent.

§ 2. Praeterea, quod sub praesenti nostrâ constitutione sint et esse censeantur comprehensi, ac omnes et singulas poenas, tam antiquas, ut praefertur, innovatas, quam de novo additas superius expressas[2], ut praemittitur, ipso facto incurrant, non solum illi qui per se ipsos, sed etiam ii qui per alium seu alios quomodolibet in praemissis, seu eorum aliquo, falsum committent aut committi mandabunt, vel mandatum sibi ad id datum exequentur, seu directe aut indirecte fieri curabunt, vel quoquo modo ac tempore falsificationis participes fuerint, eorumque complices, mediatores, auxiliatores seu fautores quicumque; ac demum quod sub eâdem praesenti nostrâ constitutione includantur, et inclusi censeantur, omnibusque et singulis poenis praedictis subiaceant et obnoxii sint etiam illi qui unicâ tantum vice in praemissis deliquerint, ac per se vel alium seu alios unicum falsitatis actum dumtaxat in iisdem praemissis seu eorum aliquo commiserint, in eoque participes, complices, mediatores, auxiliatores seu fautores quoquomodo fuerint, etiam decernimus et declaramus; atque ita sanctiones et constitutiones praedictas innovando, extollendo, illisque addendo

1 Videtur legendum *aeque* pro *neque* (R. T.).
2 Edit. Main. habet *expressis* (R. T.).

respective in perpetuum statuimus et ordinamus.

Clausula *sublatâ.*

§ 3. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum curiae camerae apostolicae et palatii apostolici auditores, necnon Urbis et quarumvis aliarum civitatum, provinciarum et locorum gubernatores, rectores, praetores et magistratus, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Sedis Apostolicae nuntios, et quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, nunc et pro tempore existentes, in quavis instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ita ut quaecumque sententiae in aliis causis similium vel dissimilium falsitatum antehac quomodolibet latae nullo unquam tempore pro irrogandis mitioribus poenis in exemplum adduci possint, perinde ac si nullatenus emanassent, irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, similiter decernimus et declaramus.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, et in universalibus provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, et, quatenus opus sit, nostris et cancellariae apostolicae regulis, etiam illâ de non tollendo iure quaesito, et recolendae memoriae Pii Papae IV, etiam praedecessoris nostri, de gratiis qualecumque interesse camerae apostolicae concernentibus in eâ praesentandis et registrandis, legibus quoque generalibus, municipalibus, et quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac reformationibus, stylis, usibus, stabilimentis, naturis et ordinationibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus et litteris apostolicis, praedictis et quibusvis aliis personis ac locis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu simili, ac etiam consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et pluries innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma publicationis.

§ 5. Ut autem praesentes litterae omnibus innotescant, et nemo illarum ignorantiam allegare possit, volumus, ut illae, seu earum exemplar, ad valvas basilicae Principis Apostolorum, ac datariae nostrae sub monte Quirinali, et cancellariae apostolicae, necnon in acie Campi Florae de Urbe per aliquem ex cursoribus nostris de more publicentur et affigantur, quae, sic publicatae et affixae, omnes et singulos afficiant, ac si illis personaliter intimatae fuissent;

Transumptorum fides.

§ 6. Quodque illarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ac ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII aprilis MDCLIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 18 aprilis 1653, pontif. anno IX.

CLXV.

In causâ Angelopolitanâ iurisdictionis in Indiis occidentalibus novae Hispaniae[1].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Differentiae ortae inter episcopum Angelopolitanum et religiosos Societatis Iesu super munere praedicationis et super confessionibus laicorum audiendis.

§ 1. Cum, sicut accepimus, aliquae fuerint ortae differentiae inter venerabilem fratrem Ioannem episcopum Angelopolitanum, sive Populi Ss. Angelorum in Indiis occidentalibus ex unâ, et dilectos filios clericos regulares Societatis Iesu partibus ex alterâ, de et super munere praedicationis verbi Dei, tam in propriis eorumdem clericorum regularium, petitâ solum episcopi benedictione, quam in alienis ecclesiis, petitâ et obtentâ ab eodem episcopo dioecesano licentiâ, exercendi[2], necnon super confessionibus laicorum audiendis, praevio examine sive approbatione eiusdem episcopi dioecesani, quae dicti clerici regulares in vim privilegiorum praedictae Societati apostolicâ auctoritate concessorum sibi proprio iure licere praetendebant; et desuper in partibus fuerit deventum ad plures actus iudiciales, et pro parte clericorum regularium huiusmodi ad electionem conservatorum privilegiorum huiusmodi; nobisque, tam dicti Ioannis episcopi, quam eorumdem clericorum regularium nomine, pro sopiendis differentiis huiusmodi, quaedam dubia decisionem differentiarum praefatarum, necnon iurisdictionem Ordinariorum in exemptos, et ipsorum clericorum regularium exemptionem a iurisdictione Ordinarii concernentia fuerint proposita, ad quae ambae partes responderi, et quid desuper observandum sit auctoritate nostrâ apostolicâ statui et stabiliri desiderabant:

Quas examinandas committit Pontifex S. R. E. cardinalibus.

§ 2. Nos, qui omnium fidelium et praesertim ecclesiasticorum quieti libenter incumbimus, differentias praedictas totumque negotium particulari congregationi aliquorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et dilectorum Romanae curiae praelatorum examinanda commisimus, qui, auditis saepius procuratoribus praedicti Ioannis episcopi, necnon procuratore generali Societatis praedictae, negotio mature discusso, omnibus dubiis et petitionibus hinc inde propositis responderunt prout sequitur, videlicet:

Responsio sacrae congregationis super dictis controversiis deputatae.

§ 3. « Sacra congregatio a sanctissimo domino nostro deputata super controversiis vertentibus inter episcopum Angelorum in Indiis occidentalibus et religiosos Societatis Iesu, saepius auditis procuratoribus ab eodem episcopo ad Urbem delegatis, necnon ipsius Societatis procuratore generali, negotioque accurate discusso, censuit praedictos religiosos nequaquam posse in civitate et dioecesi Angelopolitanâ personarum secularium confessiones audire sine approbatione episcopi dioecesani, nec verbum Dei praedicare in ecclesiis sui Ordinis, non petitâ ipsius benedictione, nec in aliis ecclesiis sine eius licentiâ, necnon[1] in ecclesiis etiam sui Ordinis ipso contradicente et contraveniente, ab episcopo, tamquam Sedis Apostolicae delegato, coërceri et puniri posse etiam censuris ecclesiasticis in vim constitutionis sanctae memoriae Gregorii XV, quae incipit *Inscrutabili Dei providentia;* ac proinde memoratis religiosis, qui huiusmodi approbationem ac licen-

1 Huiusmodi Constitutio referri debebat in suo ordine sub die XIV maii MDCXLVIII ut patet ex dictis supra pag. 705 nota 2 (R. T.).

2 Legerem *exercendo* (R. T.).

1 Videtur deesse *si id faciant* (R. T.).

tiam se obtinuisse non docuerint, potuisse episcopum, seu eius generalem vicarium, praecipere, sub poenâ excommunicationis latae sententiae, ut a confessionibus audiendis et verbi Dei praedicatione abstinerent, nec ob eam causam licuisse dictis religiosis, quasi a manifestis iniuriis et violentiis, eligere conservatores, eosque, ut praefertur electos, in episcopum eiusque vicarium generalem indebite ac nulliter excommunicationem fulminasse. Ceterum sacra congregatio serio in Domino hortatur ac monet episcopum, ut christianae mansuetudinis memor erga Societatem Iesu, quae laudabili suo instituto in Ecclesiâ Dei tam fructuose laboravit, ac sine intermissione laborabat[1], paterno se gerat affectu, eamque in regimine ecclesiae suae perutilem adiutricem agnoscens benigne faveat, ac pristinae suae benevolentiae restituat, quemadmodum sacra congregatio ipsum facturum confidit, sibique certo pollicetur, cum eius zelum, pietatem ac pastoralem sollicitudinem compertum habeat.

Datum Romae die XVI aprilis anno MDCXLVIII ».

Diversa dubia proposita pro utraque parte resolvuntur a sacrâ congregatione.

§ 4. Et, praemissorum occasione, pro parte praedicti Ioannis episcopi, necnon religiosorum Societatis Iesu, in eâdem congregatione proposita fuerunt diversa dubia de mandato Sanctissimi resolvenda, quae quidam sacra congregatio, saepius auditis, ut in praemissis, ab eodem episcopo ad Urbem missis, necnon procuratore generali ipsius Societatis, negotioque mature perpenso, ad singula dubia ab utrâque parte proposita respondit ordine quo sequitur:

Dubia proposita ex parte episcopi.

I. An, in casu quo episcopus praecipiat decreta aliqua Concilii Tridentini a regularibus observari et executioni demandari, regulares quicumque, etiam Societatis Iesu, sub praetextu quod huiusmodi praecepta infringant sua privilegia, possint eligere conservatores? — Congregatio respondit, si episcopus praecipiat regularibus, etiam Societatis Iesu, ut decreta aliqua Concilii Tridentini observent ac exequantur, in illis casibus, in quibus per ipsum Concilium vel constitutiones apostolicas regulares exempti subiiciuntur iurisdictioni et correctioni episcopi, minime licere ipsis regularibus ob eam causam conservatores eligere.

II. An, quando Ordinarius procedit iuris ordine servato adversus regulares praedictos in casibus in quibus per Concilium Tridentinum vel constitutiones apostolicas ipsi subiiciuntur, possint conservatores iudices assignare? — Respondit, ut ad proximum, non posse.

III. An, regularibus etiam Societatis Iesu asserentibus se habere privilegia quominus obediant episcopo in executione decretorum iuris communis Concilii Tridentini et constitutionum apostolicarum, Ordinarii debeant ipsis adhibere fidem absque exhibitione huiusmodi privilegiorum? — Respondit, Ordinarios[1] teneri huiusmodi assertioni fidem adhibere absque integrali privilegiorum exhibitione.

IV. An in casu, in quo regulares quicumque, etiam Societatis Iesu, exhibeant aliqua privilegia, et Ordinarii iudicent ea non suffragari casui, de quo agitur, et ad rem non facere, regulares praefati possint et debeant provocare ad Summum Pontificem, vel in partibus Indiarum remotissimis ad metropolitanum, sive Ordinarium viciniorem, vel potius possint hoc casu eligere iudices conservatores? — Respondit, si verba privilegiorum sint obscura et ambigua, non licere recurrere ad metropolitanum, vel viciniorem episcopum, nec conservatores eligere, sed Summum Pontificem pro interpretatione esse adeundum.

1 Videtur legendum *laborat* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *Ordinarius*; an etiam desit particula *non* iudicet lector scius (R. T.).

V. Utrum constitutio felicis recordationis Gregorii XV circa conservatores regularium, publicata anno MDCXXI, cum declarationibus eminentissimorum sacrae congregationis Concilii Tridentini interpretum desuper editis, aeque afficiat et comprehendat religiosos Societatis Iesu, ac reliquos regulares, itaut omnia alia praedictae Societatis privilegia fuerint reducta ad terminos dictae constitutionis, et sic in posterum debeant ab iis eligi conservatores iuxta formam et tenorem praedictae constitutionis?— Respondit, huiusmodi constitutionem, cum declarationibus, ut praetenditur, editis, aeque afficere religiosos Societatis Iesu atque aliorum Ordinum, et conservatores ad illius praescriptum esse eligendos, non obstantibus quibusvis privilegiis, quippe quae omnia sunt redacta ad terminos ipsius constitutionis.

VI. An regulares praedicti, gravati aere alieno, vel ad ratiocinia, vel testamentorum executores, possint conveniri coram Ordinario si conservatores non nominaverint intra tempus habile ab Ordinario praescriptum? — Respondit, regulares in causis praefatis coram Ordinario loci esse conveniendos, si, ad praescriptum constitutionis sanctae memoriae Gregorii XV, conservatores non elegerint, ipsumque electionis documentum intra praefinitum tempus in actis curiae ipsius Ordinarii non exhibuerint ac dimiserint.

VII. An dicti regulares, conservatores sive ad iura sive ad privilegia tuenda assumentes, teneantur ante exercitium commissionis praestare cautionem coram Ordinario, sive alio iudice competente, de iudicio sisti, et iudicatum solvendo, casu quo in lite sive causâ succubuerint? — Respondit non teneri.

VIII. An, quando episcopi iura vel decimas cathedralium adversus regulares praedictos dote suâ spoliantes ecclesias coram iudice competente tuentur, librosque, memorialia et allegationes producunt ius ecclesiarum cathedralium exprimentes, et acquisitiones religiosorum aliaque id generis adnumerantes, huiusmodi scriptorum occasione possint regulares nominare conservatores, praetendentes iniuriam sibi inferri in referendo immoderatas acquisitiones? — Respondit, si episcopi pro tuendis iuribus cathedralium ecclesiarum coram iudice competenti huiusmodi scripta producant, et regularium immoderatas acquisitiones veraciter et modeste referant, non licere regularibus ob eam causam ad conservatores recurrere.

IX. Utrum regularis quicumque, etiam Societatis Iesu, possit administrare sacramentum poenitentiae secularibus absque licentiâ episcopi dioecesani, etiamsi in alienâ dioecesi approbatus sit? — Respondit, regulares, etiam Societatis Iesu, in unâ dioecesi ab episcopo approbatos ad confessiones personarum secularium audiendas, nequaquam posse in aliâ dioecesi huiusmodi confessiones audire sine approbatione episcopi dioecesani.

X. An episcopus contra dictos regulares audientes in suâ dioecesi confessiones secularium absque suâ approbatione, concionantes absque licentiâ episcopi intra et extra proprias ecclesias, possit procedere, eos a talibus ministeriis removendo, sive praeceptis et aliis iuris remediis coërcendo? — Respondit, eisdem regularibus, qui confessiones personarum secularium audiunt sine approbatione episcopi loci, vel praedicant in ecclesiis sui Ordinis, non petitâ illius benedictione, aut in aliis ecclesiis absque ipsius licentiâ, vel in ecclesiis etiam sui Ordinis, ipso contradicente, posse episcopum, in vim constitutionis felicis recordationis Gregorii XV quae incipit *Inscrutabili Dei providentia*, tamquam Sedis Apostolicae delegatum, administrationem sacramenti poenitentiae ac

munus praedicationis interdicere, eosque iuris remediis coërcere et punire.

XI. An, quando episcopo constat dictas licentias obtentas non fuisse, ipse possit praecipere, ut, donec licentiam intra praescriptum tempus exhibeant, a tali ministerio abstineant, et an requirendus sit per episcopum pro his exhibendis provincialis in aliâ dioecesi, vel longissime existens, vel ipsi regulares confessarii, vel eorum superiores eiusdem dioecesis, in qua praedicta exercent? — Respondit, posse episcopum sic praecipere, nec pro huiusmodi licentiâ requirendum esse provincialem, sed satis esse ipsos religiosos requirere, aut eorum superiores in dioecesi episcopi existentes.

XII. An, si contingat ut aliquis praedictorum regularium insurgat contra episcopum in propriâ dioecesi, maledictis cum scripto vel dicto populum scandalizando, possit ab episcopo puniri, et qua animadversione, et quid, si huiusmodi delinquens transiverit ad aliam dioecesim, hoc casu servandum sit, et qua poenâ puniendus sit regularis, qui commorans in unâ dioecesi spargat famosos libellos contra Ordinarium alterius dioecesis? — Respondit, si regularis intra claustra degens[1] extra ea in casibus in dubio expressis ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, episcopo instante teneri superiorem regularem infra tempus ab episcopo praefigendum severe illum punire, ac de punitione episcopum certiorem facere, alioquin sic delinquentem ab episcopo puniri posse ad praescriptum Concilii Tridentini, cap. XIV, sess. XXV *De regularibus*; quod si delinquens ad aliam dioecesim migraverit, servandum esse quod praecipitur in constitutione sanctae memoriae Clementis VIII incipiente *Suscepti muneris ratio.*

1 Heic videtur deesse particula *vel* (B. T.).

XIII. An conservatores nominati et electi a regularibus praedictis ante exercitium suae iurisdictionis teneantur electionis authenticum documentum exhibere coram Ordinario, sub poenâ nullitatis actuum? — Respondit utique teneri.

XIV. An privilegia quae sunt contra iurisdictionem Ordinarii, et quibus gaudent et gaudere praetendunt regulares praedicti, debeant episcopis notificari sive insinuari? — Respondit, regulares teneri huiusmodi privilegia episcopo exhibere, si eis uti voluerint.

XV. An praedia rustica, metallorum fodinae, sacchari opificinae a regularibus Societatis vel aliis possessa, vel aliae domus seculares, in quibus videlicet unus vel duo regulares tantum commorantur, gaudeant privilegio collegiorum, seu conventuum? — Respondit non gaudere.

XVI. Utrum regulares praedicti apothecas quarumcumque mercium, macella et similia, praesertim prope collegia sive conventus, exercentes, possint ab Ordinario sub censuris inhiberi, ne huiusmodi exerceant? — Respondit, non posse episcopum hoc prohibere regularibus exemptis, sed si in praemissis notorie delinquant extra claustra, ut populo scandalo sint, servandum esse quod dictum est supra in responsione ad XII.

XVII. Utrum regulares, etiam patres Iesuitae, in suis praediis, opificinis, aliisque suis domibus secularibus, sitis intra limites parochialium ad se non spectantium, possint administrare sacramentum baptismatis, solemnis matrimonii, extremaeunctionis et eucharistiae in festo paschatis famulis, mercenariis, rusticis, sive aliis id genus hominibus secularibus, absque Ordinarii, vel parochi licentiâ? — Respondit non posse.

XVIII. Utrum patres Societatis in civitate et dioecesi Angelorum possint consecrare vasa sacra, altaria et similia, in

quibus unctio requiritur? — Respondit itidem non posse.

Dubia pro parte Societatis Iesu.

Pro parte vero religiosorum Societatis Iesu proposita fuerunt infrascripta dubia:

I. An episcopi in partibus Indiarum possint ex integro totum unum monasterium vel collegium ab audiendis confessionibus suspendere? — Respondit, episcopos Indiarum posse quidem omnibus simul unius monasterii vel collegii confessariis adimere facultatem audiendi confessiones personarum secularium, etiam inconsultâ sacrâ congregatione[1] episcoporum et regularium negotiis praepositâ, cum decretum ab eâ editum sub die x novembris MDCXV ex intentionis defectu et convenientiâ morali non extendatur ad regiones illas tam longe ab urbe dissitas. Verum ab hac generali suspensione, quae, vix sine scandalo et animarum pernicie contingere potest, abstinendum esse episcopis, nisi gravissimâ subsistente causâ, super quo sacra congregatio illorum conscientias graviter voluit esse oneratas[2].

II. An episcopus regularem, pro confessionibus semel approbatum, sine novâ causâ suspendere possit ab ipsis confessionibus audiendis? — Respondit regulares, aliàs libere ab episcopo praevio examine approbatos ad audiendas confessiones personarum secularium, ab eodem episcopo suspendi non posse sine novâ causâ, eâque ad confessiones ipsas pertinente.

III. An Bulla Pii V (XXXIV in ordine tomi II Bullarii[3]), concessa instante et supplicante serenissimo rege catholico, non ad petitionem regularium, sit revocata in Bullis Summorum Pontificum, in quibus exemptiones regularium mitigantur? — Respondit agendum cum Sanctissimo, an velit declarare Bullam non esse revocatam, illam tamen non suffragari, nisi in locis ubi est defectus parochorum.

IV. An episcopus possit cum censuris procedere contra regulares exemptos, si inobedientes fuerint in confessionibus audiendis, vel praedicatione verbi Dei, et hoc an vigore Concilii Tridentini, vel per quem canonem? — Respondit posse procedere, non quidem in vim Concilii Tridentini, sed in vim constitutionis Gregorii XV, quae incipit *Inscrutabili Dei providentiâ*.

V. An licentia audiendi confessiones et praedicandi ab episcopo per litteras patentes cancellariae concedi possit? — Respondit posse concedi etiam per litteras missivas, vel oretenus, si ita episcopo videbitur.

VI. An talis licentia oretenus sine scriptis concedi possit? — Respondit ut ad proximum.

VI. An facultas eligendi conservatores concessa Societati a Gregorio XIII suffragetur illis in locis in quibus non adsunt iudices synodales? — Respondit, ubi non adsunt iudices synodales privilegium Gregorii XIII non suffragari quoad hoc ut Societas non teneatur ex illis eligere conservatores, dummodo tamen in reliquis servetur forma constitutionis Gregorii XV hac de re editae.

VIII. An conservatores Societatis vicarios generales episcoporum auctoritate apostolicâ per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas compellere possint virtute Bullae Gregorii XIII incipientis *Æquum reputamus* datae[1] ultimâ februarii MDLXXIII? — Respondit posse a manifestis iniuriis et violentiis eos compescere etiam censuris et poenis ecclesiasticis.

Datum Romae die XVI aprilis MDCXLVIII ».

Quapropter, ut praemissa firmius subsistant et inviolabiliter observentur, nobis pro parte Ioannis episcopi huiusmodi fuit

1 Edit. Main. legit *congregatio* (R. T.).

2 Perperam ed. Main. legit *obaeratas* (R. T.).

3 Ita erat in *Bullario* Cherubiniano tunc vigente; nunc in nostrâ hac editione est in ordine LII, et habetur in tom. VII, pag. 558 (R. T.).

1 Edit. Main. legit *datum* (R. T.).

humiliter supplicatum, ut illa auctoritate apostolicâ confirmare de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 5. Nos igitur, dicti Ioannis episcopi votis hac in re annuere, illumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eumdem Ioannem episcopum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praeinserta responsa, seu resolutiones, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque apostolicae firmitatis vim et robur adiicimus, et inviolabiliter observari mandamus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate dictae congregationis.

Decretum irritans.

§ 6. Decernentes sic et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 7. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon ecclesiae Angelopolitanae, ac Societatis praedictae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem ecclesiae et Societati, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac decretis etiam irritantibus, etiam motu proprio, ac etiam consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum praemissorum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV maii MDCLIII[1], pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 14 maii 1653, pontif. anno IX.

CLXVI.

Confirmatio decreti particularis congregationis cardinalium et praelatorum, quo declaratur, in causâ vertente inter episcopum Angelopolitanum in Indiis et religiosos Societatis Iesu super electione et deputatione eorum conservatorum, non fuisse locum electioni talium conservatorum, et ut pareatur Brevi Sanctissimi, cum impositione perpetui silentii[2].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Confirmatio decreti sacrae curiae in causâ inter episcopum Angelopolitanum et Societatem Iesu.

Aliàs a nobis emanarunt litterae in simili formâ Brevis tenoris sequentis, videlicet:

1 Uti patet ex dictis, ad pag. 705 et 713, debet legi MDCXLVIII, an. IV; et ita legit edit. Cherub. etsi extra ordinem ponat (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Cum, sicut accepimus, etc. (*Reliqua omittuntur, quia illa invenies in suo ordine, sub datum* XIV *maii* MDCXLVIII[1]).

Et subinde, cum clerici regulares Societatis praedictae, praetendentes ex pluribus capitibus praeinsertas nostras litteras non esse iustificatas, novam desuper a nobis audientiam obtinuissent: nos negotium huiusmodi particulari congregationi nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium ac dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum examinandum et definiendum commisimus, qui, partibus etiam in contradictorio pluries auditis, earumque oppositionibus mature perpensis, easdem praeinsertas nostras litteras esse iustificatas, et proinde illarum executionem[2] nullatenus esse impediendam aut retardandam decreverunt, nosque deinde decretum huiusmodi, ac omnia et singula in eo contenta apostolicâ auctoritate confirmavimus[3]. Postmodum vero, petitâ etiam ab ipsis clericis regularibus dictae Societatis novâ audientiâ super eorum conservatorum electione et deputatione, emanavit itidem a particulari congregatione nunnullorum venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium ac dilectorum filiorum dictae Romanae curiae praelatorum, a nobis super hoc specialiter deputatorum, decretum tenoris sequentis, videlicet:

« Proposito dubio in causâ vertente inter episcopum Angelopolitanum et patres[4] Societatis Iesu, an ex aliis causis quam in Brevi expressis fuerit locus electioni conservatorum, congregatio particularis nonnullorum S. R. E. cardinalium et Romanae curiae praelatorum a sanctissimo domino nostro super hoc specialiter deputata, repetito mandato ut pareatur Brevi in eo in quo non fuerit paritum, censuit non fuisse locum electioni talium conservatorum, et in hac causâ perpetuum silentium esse imponendum, prout praesenti decreto imponit ».

Datum Romae die XVII decembris MDCLII.

B. cardinalis SPADA.

Loco † Sigilli.

M. A., *secretarius.*

Decretum apostolicae auctoritatis robore firmat.

§ 1. Cum autem, sicut eiusdem Ioannis episcopi nomine nobis nuper expositum fuit, ipse decretum praeinsertum, quo firmius subsistat, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri summopere desideret: nos, eiusdem Ioannis episcopi votis hac in re benigne annuere, ac illum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum ac omnia et singula in eo contenta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac illa inviolabiliter observari mandamus.

Clausulas apponit.

§ 2. Decernentes sic et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si

1 Ita edit. Main.; at in tali ordine litterae citatae non reperiuntur; potius illas habes paulo ante relatas in Constit. praecedenti (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *executiones* (R. T).

3 De hac re vide supra pag. 705 (R. T.).

4 Male edit. Main. legit *patrum* (R. T.).

secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria refellit.

§ 3. Non obstantibus omnibus illis, quae in eisdem praeinsertis nostris litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII maii MDCLIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 17 maii 1653, pontif. anno IX.

CLXVII.

Declarantur et definiuntur quinque propositiones in materiâ fidei[1].

Innocentius Episcopus,
servus servorum Dei,
Universis christifidelibus,
salutem et apostolicam benedictionem.

Cum, occasione impressionis libri, cui titulus *Augustinus*, Cornelii Iansenii episcopi Iprensis, inter alias eius opiniones orta fuerit, praesertim in Galliis, controversia super quinque ex illis; complures Galliarum episcopi apud nos institerunt, ut easdem propositiones nobis oblatas expenderemus, ac de unâquaque earum certam et perspicuam ferremus sententiam.

Tenor propositionum.

§ 1. Tenor vero praefatarum propositionum est prout sequitur:

I. Aliqua Dei praecepta hominibus iustis volentibus et conantibus secundum praesentes quas habent vires sunt impossibilia, deest quoque illis gratia qua possibilia fiant;

II. Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur;

III. Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione;

IV. Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, et in hoc erant haeretici, quod vellent[1] eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare;

V. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Examen ipsarum.

§ 2. Nos, quibus inter multiplices curas, quae animum nostrum assidue pulsant, illa in primis cordi est, ut Ecclesia Dei nobis ex alto commissa, purgatis pravarum opinionum erroribus, tuto militare, et tamquam navis in tranquillo mari sedatis omnium tempestatum fluctibus, ac procellis, secure navigare et ad optatum salutis portum pervenire possit,

§ 3. Pro rei gravitate, coram aliquibus S. R. E. cardinalibus, ad id specialiter saepius congregatis, a pluribus in sacrâ theologiâ magistris easdem quinque propositiones, ut supra nobis oblatas, fecimus singillatim diligenter examinari, eorumque suffragia, tum voce tum scripto relata, mature consideravimus, eosdemque magistros, variis coram nobis actis congregationibus, prolixe super eisdem ac super earum qualibet disserentes audivimus.

De propositionibus sententia definitiva.

§ 4. Cum autem ab initio huiuscemodi discussionis, ad divinum implorandum auxilium, multorum Christi fidelium preces tum privatim tum publice indixissemus, postmodum iteratis eisdem ferventius[2], ac per nos sollicite imploratâ Sancti Spiritus assistentiâ, tandem, Divino Numine favente, ad infrascriptas devenimus declarationem et definitionem.

I. Primam praedictarum propositionum: « Aliqua Dei praecepta hominibus iustis volentibus et conantibus secundum praesentes quas habent vires sunt impossibilia,

1 Quantâ curâ Summi Pontifices sectis et opinionibus recenter exortis obviam iverint, vide in indice generali verb. *Error* et *Haeresis*.

1 Male edit. Main. legit *valent* (R. T.).

2 Perperam ed. Main. legit *ferventibus* (R. T.).

deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant »: temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, et haereticam declaramus, et uti talem damnamus.

Secundam: « Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur »: haereticam declaramus, et uti talem damnamus.

Tertiam: « Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione »: haereticam declaramus, et uti talem damnamus.

Quartam: « Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare »: falsam et haereticam declaramus, et uti talem damnamus.

Quintam: « Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse »: falsam, temerariam, scandalosam; et, intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit: impiam, blasphemam, contumeliosam, divinae pietati derogantem, et haereticam declaramus, et uti talem damnamus.

§ 5. Mandamus igitur omnibus Christi fidelibus utriusque sexus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, praedicare aliter praesumant, quam in hac praesenti nostrâ declaratione et definitione continetur, sub censuris et poenis contra haereticos et eorum fautores in iure expressis.

§ 6. Praecipimus pariter omnibus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, aliisque locorum Ordinariis, necnon haereticae pravitatis inquisitoribus, ut contradictores et rebelles quoscumque, per censuras et poenas praedictas, ceteraque iuris et facti remedia opportuna, invocato etiam in hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis, omnino coërceant et compescant.

§ 7. Non intendentes tamen per hanc declarationem et definitionem super praedictis quinque propositionibus factam approbare ullatenus alias opiniones quae continentur in praedicto libro [1] Cornelii Iansenii.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCLIII, pridie kalendas iunii, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 31 maii 1653, pontif. anno IX.

CLXVIII.

Confirmatio privilegiorum Ordinis monachorum Congregationis Cisterciensis [2].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius modernus procurator generalis Ordinis Cisterciensis, quod ipse privilegia, gratias et indulta a diversis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris dicto Ordini concessa, et successive ab illis, praesertim vero Gregorio Papa XIII similiter praedecessore nostro felicis recordationis, confirmata, quo firmiora subsistant et ab omnibus arctius observentur, apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri summopere desiderat.

A censuris absolvit. § 1. Nos igitur, eumdem modernum procuratorem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolu-

1 Edit. Main. habet *libero* pro *libro* (R. T.).

2 De istorum monachorum congregatione notavi ad Constit. CCCXC Urbani VIII, *In Sede*, tom. XIV, pag. 203.

tum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia et singula privilegia, gratias et indulta per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros eidem Ordini quomodolibet concessa, dummodo in usu ac licita sint et honesta, et non sint revocata neque sub aliquibus revocationibus comprehensa, sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis, ac constitutionibus apostolicis, regularibusque dicti Ordinis institutis non adversentur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint in iisdem, supplemus.

Decretum irritans.

§ 2. Decernentes illa, necnon ipsas praesentes litteras, semper et perpetuo valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter et inconcusse perpetuo observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 3. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI iunii MDCLIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 16 iunii 1653, pontif. anno IX.

CLXIX.

Impositio decimarum pro Republicâ Venetâ, aliàs a Clemente VIII, Paulo V, Gregorio XV et Urbano VIII impositarum [1].

Venerabili fratri episcopo Civitatis Castelli, moderno et pro tempore existenti nostro et Sedis Apostolicae in dominio Venetorum nuncio,

Innocentius Papa X.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Sacrosanctae militantis Ecclesiae regimini [2], per abundantiam divinae gratiae, nullo licet meritorum suffragio, praepositi, inter graves sollicitudines, quibus pro credito nobis apostolicae servitutis officio assidue premimur, ea est praecipua, quam continua pericula atque discrimina, quae a nefario Christi nominis hoste Turcarum tyranno principibus et populis christianis nunquam non impendent, nobis conficiunt.

Motiva.

§ 1. Quapropter, etsi Domini Dei exercituum, qui sponsam suam Ecclesiam sanctam protegit, praesidio potissimum confidamus, cogimur [3] tamen pro debito pastoralis muneris in id omni cogitatione omnique curâ incumbere, ut provisionis nostrae ministerio, adhibitis catholicorum principum viribus, mala huiusmodi procul a populo christiano arceantur.

Sequuntur motiva.

§ 2. Cum vero plus satis constet eumdem impium Turcarum tyrannum nihil avidius quaerere, quam christianos populos invadere, et, christianam religionem exterminando, abominationem suam plantare et propagare, eiusque vires, nostris facientibus peccatis, malo nostro admoniti

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Similis formae vide Const. Gregor. XV in tom. XII, pag. 709; et Urbani VIII in tom. XIV, pag. 105 et 685 (R. T.).

3 Male edit. Main. legit *cogitur* (R. T.).

cogamur timere, omnique curâ et sollicitudine praecavere; multo magis castra Domini custodire et praemunire nos oportet hoc praesertim tempore, cum idem Turcarum tyrannus ingentibus mari terrâque copiis ditiones nobilissimae Reipublicae Venetorum invaserit. Quae, ut improbis eius conatibus resistere possit, cum magnos sumptus iugiter facere debeat,

§ 3. Idcirco, felicis recordationis Clementis VIII, et Pauli V, necnon Gregorii XV, ac Urbani VIII, aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, eamdem Rempublicam, id enixe flagitantem, ecclesiasticis auxiliis, prout aliàs fecimus, prompto libentique animo denuo adiuvandam decrevimus, attendentes non solum nos eius unius saluti, verum etiam multorum ac omnium Italiae populorum incolumitati consulere, cum ipsa sit magnum totius Italiae munimentum, ac firmissimum maris Adriatici propugnaculum.

Subsidium decimarum statuit.

§ 4. Quamobrem aequum et rationi consentaneum esse duximus eidem Reipublicae, eorumdem Clementis, ac Pauli, necnon Gregorii et Urbani praedecessorum exemplo, subsidio decimarum ex fructibus et redditibus totius cleri eiusdem Status Venetorum pro eisdem usibus ad certum tempus attribuendo subvenire, firmam in Domino fiduciam habentes fore, ut ea Respublica, testificatione paternae voluntatis erga se nostrae, non solum sese munitam et ad resistendum communi hosti paratam in dies magis conservet, sed etiam illum a suis finibus animose detrudat.

Sexdecim integras decimas quarumcumque ecclesiarum in subsidium statuit.

§ 5. Nos igitur, istis aliisque gravissimis et iustissimis de causis moti, motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium indicimus et imponimus sexdecim integras decimas omnium et quorumcumque fructuum, reddituum et proventuum quarumcumque ecclesiarum patriarchalium, archiepiscopalium, episcopalium, abbatialium, capitularium et conventualium, prioratuum quoque, praeposituarum, praepositatuum, praeceptoriarum, canonicatuum, praebendarum, dignitatum maiorum ac principalium, personatuum, administrationum et officiorum, ceterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium, ac S. Benedicti, S. Augustini, Cluniacensium, Cisterciensium, Praemonstratensium, S. Basilii, Silvestrinorum, et, qui proprietates redditusque certos ex privilegio apostolico vel aliàs possident, Mendicantium, et quorumvis aliorum Ordinum utriusque sexus[1] * et congregationis non tamen earumque beneficia praedicto inquisitionis officio unita in totum, fratres vero Mendicantes pro medietate dumtaxat ab eisdem decimis et illarum solu-

1 Locus qui sequitur inclusus inter duos asteriscos *_* prorsus absurdus et inintelligibilis est, nisi sic restituatur ex locis parallelis tom. XII, pag. 711 *b;* tom. XIV, pag. 107 *a* et pag. 686 *a:*

* et congregationum (non tamen earum quae inferius descriptae sunt) ac militiarum regularium in universo dominio dictae Reipublicae Venetorum existentium; ac insuper alias sexdecim decimas omnium et quarumcumque pensionum annuarum super fructibus, redditibus et proventibus supradictis assignatarum et assignandarum, ab omnibus et quibuscumque patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis, et aliis ecclesiarum praelatis, ceterisque cuiuscumque status, gradus, dignitatis et conditionis personis (exceptis dumtaxat venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, nec non dilectis filiis fratribus hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, ac fratribus Mendicantibus praedictis, et insuper beneficiis ecclesiasticis officio sanctae inquisitionis haereticae pravitatis in dicto dominio instituto unitis, annexis et applicatis; quos cardinales ac fratres hospitalis praedicti ac beneficia praedicto inquisitionis officio unita, in totum; fratres vero Mendicantes, pro medietate dumtaxat, ab eisdem decimis et illarum solutione immunes et exemptos esse volumus et decernimus) ecclesias _* etc.

tione immunes et exemptos esse volumus et decernimus ecclesias, monasteria et beneficia, ac pensiones, seu fructus, aut illorum partem huiusmodi, in eodem dominio, quocumque iure ac titulo obtinentibus et obtenturis, necnon ab universis etiam oeconomis, commendatariis, atque administratoribus perpetuis et temporalibus usufructuariis similiter, fructus omnes, vel illorum partes loco pensionum annuarum, vel pensiones et alia huiusmodi iura ex quacumque auctoritate apostolicâ in toto vel in parte reservata habentibus et habituris, sive secularibus, sive quorumcumque ordinum, congregationum et militiarum praedictorum regularibus, et ab ipsis etiam ecclesiis, capitulis, conventibus, ordinibus, congregationibus, personis, collegiis, militiis, massis et locis praedictis, quacumque amplissimâ et firmissimâ exemptione et immunitate, reali, personali, vel mixtâ, antiquâ et immemorabili, pacificâ et continuâ, etiam ex titulo quantumvis oneroso suffultis, integraliter et cum effectu numerandas, persolvendas et consignandas.

Et novem super alias congregationes.

Ulterius, supradictis ex causis, ac exemplo Clementis et Pauli, ac Gregorii, necnon Urbani praedecessorum praedictorum adducti, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, imponimus et indicimus novem decimas omnium et quorumcumque fructuum, reddituum et proventuum ad Cassinensis, aliàs S. Iustinae de Padua, Lateranensis, Carthusiensium, Montis Oliveti, S. Salvatoris, Camaldulensium, S. Mariae Vallis Umbrosae, S. Gregorii in Alga Venetiarum, Caelestinorum, Cisterciensium provinciae Lombardiae, Cruciferorum, ac S. Hieronymi congregationes, earumque monasteria, abbatiales vel conventuales aut alias mensas, prioratus, praeceptorias, praeposituras, beneficia et officia cum curâ et sine curâ, membra, grangias, et alia beneficia illis annexa in dicto dominio consistentia quovis modo pertinentium[1], solvendas etiam per ipsas congregationes, earumque superiores, abbates, priores, praepositos, conventus, capitula et personas (ultra subsidia montis religionis, seu quadringentorum millium scutorum, et quartae partis eorumdem fructuum, reddituum et proventuum, et alia onera, quae per Sedem Apostolicam eis imposita aut aliàs persolvunt, seu persolvere promiserunt) similiter numerandas, persolvendas et consignandas, secundum verum annuum valorem fructuum, reddituum et proventuum praedictorum. Et ad hunc effectum, licet felicis recordationis Pius V, nonnullis tunc causis adductus, et Clemens, necnon Paulus, ac Gregorius praedecessores praedicti, etiam ex aliis tunc expressis causis, easdem congregationes a decimis super fructibus et redditibus ecclesiasticis, deinceps ubivis etiam in dominio Venetorum et ex quacumque causâ imponendis, liberas et immunes fecerint, pari motu, scientiâ, auctoritate et de apostolicae potestatis plenitudine (quoad fructus, redditus et proventus ad ipsas congregationes et quamlibet earum in dominio Venetorum spectantes), immunitates, exemptiones, ac omnes et quoscumque contractus, scripturas, conventiones, transactiones, concordias, pacta, instrumenta, obligationes, etiam in formâ camerae apostolicae, et iuramento vel aliâ quacumque firmitate roborata, praesertim inter Pium et Clementem, ac Paulum, necnon Gregorium praedecessores nostros et cameram apostolicam, et pro eâ S. R. E. camerarium, vel thesaurarium generalem, aliosve quoscumque tunc existentes et eiusdem camerae ministros, quantumvis amplâ et sufficienti facultate ad praemissa faciendis suffultos, ex unâ, et congregationes ultimodictas illarumque procuratores ex alterâ

1 Male edit. Main. legit *pertinentia* (R. T.).

partibus, ac omnia et quaecumque privilegia, indulta, libertates, exemptiones, immunitates hac de causâ in hunc usque diem eisdem congregationibus etiam ex causâ et titulo oneroso concessa, hac vice dumtaxat, et ex causis supradictis, suspendimus, ac ipsis congregationibus, quoad novem decimas praedictas, hac vice, ut praefertur, suffragari nolumus, illa vero aliàs in suo robore permanere decernimus, ipsasque congregationes ex gravissimis causis praedictis novem decimis huiusmodi oneramus, et quum ceteris secularibus ac regularibus clericis personis eiusdem dominii Venetorum sexdecim, ut praefertur, indixerimus, tali nostrae impositioni acquiescere, ac tacitas et contentas esse volumus.

Easdem decimas intra praescriptum tempus persolvi mandat.

§ 6. Universas vero et singulas personas quavis dignitate vel auctoritate fungentes, tam supradictas ecclesias, monasteria et beneficia quomodolibet obtinentes, ac pensiones, seu fructus, aut eorum partem, sibi, ut praefertur, reservatos percipientes, quam ultimodictas congregationes, et eorum unumquemque, tam coniunctim quam divisim, ad huiusmodi decimas in octo annis, binas videlicet decimas dumtaxat quolibet anno, et, quoad ultimodictas congregationes, singulas tantum decimas cum unâ octavâ parte alterius decimae, quoad dictos autem fratres Mendicantes singulas similiter decimas quotannis, durante decennio a die quo ultima concessio expiravit inchoando, et ut sequitur finiendo, in certis terminis per te praefigendis integre persolvendas efficaciter teneri et vere obligatos esse, iisdemque pensionariis, aut eorum alicui, pensiones annuas praefatas, quantumlibet exemptas, et sub quibusvis obligationibus, etiam in formâ camerae, et iuramento etiam de non contraveniendo et forsan de non impetrando gratias nostras contra eos et de non utendo concessis, firmatas, aut aliàs vallatas, et forsan aliis cautelis et decretis munitas, causam donationis super eisdem fructibus et pensionibus etiam medio cedularum banchi seu in formâ depositi habentibus, et intra octo annos praedictos habituris (etiamsi ipsi, a quibus pensiones huiusmodi solvendae sunt, iuri et actioni petendae vel retinendae portionis, aut ratae partis pensionarios tangentis, iureiurando renunciaverint) ulla privilegia aut indulgentias sub quacumque verborum formâ aut expressione concepta quoad hoc nullatenus suffragari volumus; sicque et non aliter in praemissis universis et singulis per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum palatii apostolici auditores, et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Statuit collectores earumdem decimarum.

§ 7. Ut autem huiusmodi decimae facilius exigantur, fraternitatem tuam, ac venerabilem fratrem patriarcham Venetiarum pro tempore existentem, ac venerabilem etiam fratrem Hieronymum episcopum Madaurensem ad dictas decimas exigendas, ducique et dominio praedicto, sive eius ministris ad id specialiter deputatis, statim, nullâ interpositâ morâ, et sine aliquâ prorsus diminutione, retentione, aut detractione, etiam non detractis quinque pro centenario camerae nostrae praedictae in exactione talium decimarum applicari consuetis, integre consignandas, earumdem decimarum collectores et exactores constituimus et deputamus, ac tibi et patriarchae Venetiarum, ac episcopo Madaurensi praedictis, pro onere quod in exactione decimarum huiusmodi susti-

nebitis, quatuor millia scuta auri in auro ex eisdem decimis detrahenda, et illorum medietatem inter vos pro aequali portione ex quolibet anno eiusdem octennii pro ratâ distribuendam et dividendam, reliquam vero medietatem subcollectoribus et aliis exactoribus, ac procuratoribus ad easdem decimas colligendas deputatis, etiam quolibet anno pro ratâ, habitâ ratione laboris et amplitudinis cuiuscumque civitatis et dioecesis, loco salarii seu stipendii et mercedis assignandam et distribuendam (ita tamen, ut non quotannis huiusmodi quatuor millia scuta, sed in toto octennio integra summa eorumdem quatuor millium scutorum, pro ratâ quolibet anno, detrahatur, ac tam vos et quilibet vestrum quam ipsi subcollectores et alii praefati ratione fructuum ecclesiarum, quibus nunc praeesse dignoscimini, aut imposterum praefici, vel beneficiorum obtentorum, aut quae obtinere, necnon fructuum et pensionum, reservatorum et assignatarum, ac quos et quas vobis assignari posthac contigerit, decimas ipsas, pro vestrâ et illorum ratâ illorum quemlibet tangente, integre et realiter persolvere omnino teneamini, et dictâ assignatione et distributione contenti esse debeatis, nec quidquam aliud vos et vestrum quilibet praetendere possitis), tibi et aliis praedictis assignamus; ac[1] a dictis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, electis, administratoribus, commendatariis, abbatibus, prioribus, praepositis, capitulis, conventibus et aliis personis (supra expressis exceptis) easdem decimas, ut praefertur, per nos impositas petendi, exigendi et colligendi, eisque, tam in genere, quam nominatim et in specie, ut illas solvant, sub privationis beneficiorum ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum, aliisque, prout nobis videbitur, poenis etiam pecuniariis, ac demum per sententias et censuras ecclesiasticas moderandi[1] et praecipiendi, ac pro earumdem decimarum faciliori exactione unum vel plures subcollectores, qui, si in dignitate ecclesiasticâ constituti sint, pari ac tu, vigore praesentium, facultate fungantur, per locorum Ordinarios in quacumque civitate et dioecesi et loco sibi subiecto pro tempore deputatos approbandi, et, si quis ex ipsis Ordinariis, intra aliquem brevem terminum vestro arbitrio praefigendum, viros idoneos ad id deputare neglexerit, tibi, etiam sine illorum consensu, tuo arbitrio illos libere deputandi, et deputatos amovendi, aliosque eorum loco toties quoties tibi videbitur substituendi et subrogandi, ac solvere recusantes et differentes, et generaliter contradictores quoslibet et rebelles, et ne decimae huiusmodi solvantur persuadentes directe vel indirecte, per ipsas censuras ecclesiasticas et alia opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendi, auxiliumque brachii secularis contra eos ad hoc, si opus fuerit, invocandi, solventes vero de solutis quietandi et liberandi, a censuris et poenis, quas dictâ occasione quomodolibet incurrerint, absolvendi, et generaliter omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi, ordinandi, mandandi et exequendi, plenam et liberam, auctoritate et tenore praedictis, facultatem concedimus et potestatem.

Facultates quasdam concedit.

§ 8. Non obstantibus regulâ nostrâ de non tollendo iure quaesito, ac aliis quibusvis apostolicis, ac etiam in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si ipsis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, electis, administratoribus, commendatariis, abbatibus, prioribus, praepositis, capitulis, conven-

Obstantium derogatio.

1 Verbe ista *assignamus; ac* nos addimus (B. T).

1 Potius lege *mandandi* pro *moderandi* (B. T).

tibus, congregationibus et aliis personis praefatis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint[1] per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; et quibuslibet aliis privilegiis et exemptionibus, etiam in corpore iuris clausis, ac litteris apostolicis, quibuscumque dignitatibus seu ordinibus, specialiter vel generaliter, sub quacumque verborum formâ expressis[2], etiamsi motu proprio, ac de apostolicae potestatis plenitudine, et consistorialiter, ac etiam in vim contractus, emanaverint, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda esset; quae eis quoad praemissa nolumus in aliquo suffragari.

Praedictas decimas ecclesiasticis ornamentis solvi vetat.

§ 9. Volumus autem, quod, iuxta ordinationem Concilii Viennensis super hoc editam, calices, libri et alia ornamenta ecclesiarum, monasteriorum, beneficiorum et aliorum piorum locorum, divino cultui dicata, ex causâ pignoris vel aliâ occasione solutionis decimarum huiusmodi, nullatenus capiantur, distrahantur, vel occupentur; quodque praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, tuo vel alterius praelati ecclesiastici sigillo, ac publici notarii subscriptione munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v septembris MDCLIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 5 septembris 1653, pontif. anno IX.

1 Edit. Main. legit *non posse* (R. T.).
2 Legendum vel addendum *concessis* (R. T.).

CLXV.

Oppidum Pratense in civitatem et ecclesiam collegiatam S. Stephani in cathedralem erigit, eamdemque Pistoriensi perpetuo unit[1].

Innocentius Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Redemptoris nostri, qui in caelestibus tenet imperium, cui sanctorum administrant agmina et laudis gloriam angelorum chori decantant, ineffabili providentiâ in supremo apostolicae dignitatis culmine et potestatis plenitudine constituti, tamquam de excelso monte ad irriguum militantis Ecclesiae agrum nostrae considerationis aciem, more vigilis et operosi pastoris, iugiter convertimus[2], circa ea, per quae singulae ecclesiae, praesertim collegiatae ac in oppidis insignibus et populosis consistentes, condignis titulis, honoribus et[3] praerogativis, cum spiritualium et temporalium incremento, decorari et feliciter dirigi valeant, praecipuâ et peculiari sollicitudine intendimus, votisque personarum generis splendore fulgentium, ac nobis et Apostolicae Sedi devotarum, praesertim sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, libenter annuimus, eaque specialibus favoribus et gratiis confovemus, ac desuper pastoralis officii nostri partes propensis studiis interponimus, prout, personarum et oppidorum eorumdem qualitatibus et temporum circumstantiis debite pensatis, ad divini cultus, necnon beneficiorum et ministrorum ecclesiasticorum propagationem, animarum salutem, et christifidelium pacem et tranquillitatem conspicimus in Domino non mediocriter expedire.

Supplicatio.

§ 1. Sane, cum nobis aliàs pro parte venerabilis fratris Caroli episcopi Ostiensis

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Legerem *convertentes* (R. T.).
3 Ed. Main., ordine mut., h. *et honoribus* (R.T).

et Veliternensis, eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis, Medices nuncupati, sacrique collegii decani, et dilecti filii Ferdinandi Hetruriae sibi subiectae magni ducis nobis humiliter supplicatum fuisset, ut, ad extinguendas lites inter nonnullos, qui fuerunt, episcopos Pistorienses, et praepositos insignis secularis et collegiatae ecclesiae S. Stephani oppidi Prati, iampridem super exercitio iurisdictionis in dicto oppido motas, et adhuc pendentes, ecclesiam collegiatam huiusmodi in cathedralem ecclesiam erigere, aliaque infrascripta facere et exequi de benignitate apostolicâ dignaremur;

§ 2. Nos vero negotium huiusmodi congregationi venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium rebus consistorialibus praepositorum examinandum mandavissemus; et ipsi, captâ desuper diligenti et sufficienti informatione, oppidum et ecclesiam huiusmodi talia esse, ut illud in civitatem, et illam[1] in cathedralem ecclesiam erigi mererentur, sub die XXI iulii anni Dominici MDCXLIII retulissent:

Oppidum Pratense in civitatem erigit.

§ 3. Nos igitur, qui pacem et tranquillitatem praesertim inter ecclesiasticas personas vigere, divinumque cultum augeri, ac beneficiorum ecclesiasticorum numerum propagari sinceris desideramus affectibus, praefatum Ferdinandum magnum ducem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, auditâ et intellectâ eorumdem cardinalium relatione, et habitâ super his cum eis et aliis eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus in consistorio nostro secreto maturâ deliberatione, ac de illorum consilio et assensu, necnon de apostolicae potestatis plenitudine, ad Dei omnipotentis laudem et gloriam, ac eius gloriosissimae semper virginis matris Mariae, ac eiusdem sancti Stephani, necnon totius curiae caelestis honorem, fideique catholicae exaltationem, ac dilectorum filiorum incolarum et habitatorum et[1] oppidi Prati huiusmodi spiritualem conservationem, animarumque salutem, et litium huiusmodi extinctionem, ac eiusdem oppidi decus, oppidum Prati huiusmodi, moenibus cinctum, plurium aedificiorum ornatu spectabile, copioso incolarum ac ecclesiarum secularium et regularium numero respective decoratum, in loco amoeno situm, salubri aëre afflatum, ac omnium rerum quae ad vitae substentationem necessariae sunt affluens, celeberrimorum virorum praestantiâ splendidum, et ex quo complures tam secularis militiae quam spiritualis ordinis asseclae, equites, duces, priores, abbates, generales, necnon archiepiscopi, episcopi, atque nonnulli sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, tamquam a fertili virtutum selectarum prato prodiere, et huius incolae in dies maiora dotum suarum incrementa.... sese apostolicae benignitatis aspergine digniores reddiderunt, quo felicioribus auspiciis dicti Ferdinandi magni ducis, in et sub cuius ditione oppidum praefatum existit, protecti fuerunt, in civitatem Pratensem nuncupandam, ipsamque ecclesiam S. Stephani antiquae et elegantis structurae, in qua, praeter praeposituram, adsunt quinque aliae dignitates, videlicet primiceriatus, archipresbyteratus, archidiaconatus, decanatus et thesaurariatus, ac novemdecim canonicatus, plures cappellaniae, cum suis cu-

1 Aptius lege *illa* (R. T.).

1 Coniunctio *et* delenda (R. T.).

iusque satis pinguibus redditibus, sacrarium sacrâ suppellectili sufficienter instructum, fons item baptismatis, chorus, organum, turris campanaria cum campanis, animarum cura per presbyterum a capitulo deputatum exerceri solita, ac multae insignes reliquiae, praesertim cingulum beatae Virginis Mariae decenter asservantur (praeviâ in eâ eiusdem praepositurae, dignitatum ac canonicatuum et praebendarum, statusque collegialitatis perpetuâ suppressione et extinctione), in cathedralem ecclesiam archiepiscopo Florentino nunc et pro tempore existenti subiectam atque suppositam, pro uno episcopo Pistoriensi et Pratensi, eiusdem archiepiscopi perpetuo suffraganeo, qui Pistoriensi et S. Stephani per nos hodie in cathedralem erectae ecclesiis ex nunc invicem aeque principaliter et perpetuo unitis et utrique illarum aequo iure et pari dignitate praesit, ac in illis et utrâque earumdem omnia et singula, quae ordinis, iurisdictionis et dignitatis episcopalis et pontificalis et exercitii sunt, et ad illa spectant et pertinent, exerceat, cum omnibus et singulis privilegiis, honoribus, iuribus, insignibus, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, favoribus, gratiis et indultis, quibus alii episcopi de iure, usu et consuetudine aut aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, potiri, frui et gaudere possunt et poterunt, necnon in eâdem ecclesiâ Pratensi quinque dignitates superius expressas, videlicet primiceriatum, qui post pontificalem maior existat, archipresbyteratum, archidiaconatum, decanatum et thesaurariatum et novemdecim canonicatus et totidem praebendas, qui et quae hucusque in eâ uti collegiatâ instituti et institutae reperiuntur, ita ut illos et illas obtinentes, absque ullâ aliâ desuper a nobis vel Sede Apostolicâ praefatâ ab illis de novo habendâ provisione, seu capiendâ possessione, ut prius, quoad vixerint et quilibet ipsorum vixerit, retinere libere et licite valeant, et quilibet eorum valeat, et omnes apud dictam ecclesiam Pratensem consistere, ac in eâ singulis diebus horas canonicas tam diurnas quam nocturnas celebrare et decantare seu recitare, illisque interesse, ac aliàs praefatae ecclesiae Pratensi laudabiliter in divinis deservire, ceteraque onera eis incumbentia, curamque animarum ipsius ecclesiae Pratensis deinceps per presbyterum idoneum a capitulo Pratensi ut ipsius deputatum subire et supportare teneantur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, erigimus et instituimus, ipsamque Pratensem sic erectam et Pistoriensem ad praesens pastoris solatio destitutam ecclesias invicem aeque principaliter perpetuo unimus.

Appropriat et applicat ecclesiae S. Stephani beneficia quamplurima.

§ 4. Denique, loco praepositurae, sicut praefertur, suppressae, in parochiali ecclesiâ S. Mariae in Castello nuncupatae civitatis Pratensis unum perpetuum simplex et personalem residentiam non requirens, illamque iurisdictionem et exemptionem habens, beneficium ecclesiasticum, abbatiam nuncupandum, ad altare maius dictae parochialis ecclesiae, pro uno clerico seu presbytero seculari futuro inibi perpetuo beneficio abbate nuncupando, qui onera, praepositurae sicut praefertur suppressae olim imposita, per se, vel per alium, seu alios, supportare, illique in divinis deservire teneatur, apostolicâ auctoritate praefatâ, earumdem tenore praesentium, perpetuo sine alicuius praeiudicio erigimus et instituimus; illique sic erecto et instituto pro illius dote et onerum antiquorum illi incumbentium supportatione antiquam dotem praepositurae sic suppressae, cum palatio ecclesiae S. Stephani hodie per nos in cathedralem erectae contiguo et domibus omnibusque aliis pertinentiis in et extra dictam civitatem

Pratensem existentibus, ita quod liceat beneficium praefatum pro tempore obtinentibus omnium et singulorum antiquae dotis suppressae praepositurae bonorum, necnon palatii et domorum omniumque aliarum pertinentiarum in et extra dictam civitatem Pratensem existentium huiusmodi, corporalem, realem et actualem possessionem, per se, vel alium, seu alios eius nomine, propriâ auctoritate libere apprehendere et apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta ex eis provenientia quaecumque percipere, exigere, levare, recuperare, locare et arrendare, ac in suos et praedicti beneficii usus et utilitatem convertere, dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisitâ, dictâ auctoritate etiam perpetuo applicamus et appropriamus. Et propterea beneficium sic erectum et institutum, et a primaevâ illius erectione et institutione, ut praefertur, vacans, praefato Carolo episcopo et cardinali (qui tam ipse quam eius in praefato beneficio successores praefatae Sedi immediate subiecti existant), cum enunciativis et praeservativis derogationibus, clausulis et decretis ultimae commendae sic suppressae praepositurae praefato Carolo episcopo cardinali factae expressis et concessis, ad vitam commendari ac litteras desuper expediri posse volumus.

Praesentes litteras confirmat.

§ 5. Decernentes easdem praesentes, etiam ex eo quod quicumque interesse habentes, seu habere praetendentes, praemissis non consenserint, nec ad id vocati fuerint, seu aliàs ex quovis capite, vel causâ quantumvis legitimâ et iuridicâ, de suppressionis[1] seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel quocumque alio defectu, notari, impugnari et invalidari, seu in ius et controversiam vocari, aut ad viam et terminos iuris reduci, seu adversus illos quodcumque iuris seu facti remedium impetrari nullatenus posse, neque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos et quoscumque successores nostros Romanos Pontifices ac Sedem eamdem, sub quibuscumque verborum expressionibus et formis et[1] pro tempore quomodolibet factis et faciendis, comprehendi, vel confundi, sed semper ab illis exequi[2], et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo sub quacumque posteriori datâ, per eiusdem ecclesiae Pratensis capitulum et canonicos pro tempore existentes quomodocumque eligendâ, concessas, validas et efficaces esse et fore, ac ab omnibus inviolabiliter observari,

Contrariis derogat.

§ 6. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et delegatos, sublatâ eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, necnon, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus. Non obstantibus, etc.

Huic paginae contraëuntes punit.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, unionis, erectionis, institutionis, applicationis, appropriationis, decreti, etc., infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maio-

1 Potius lege *subreptionis* (R. T.).

1 Ista coniunct. *et* redundare videtur (R. T.).
2 Videtur legendum *excipi* (R. T.).

rem, anno Incarnationis Dominicae MDCLIII, x kalendas octobris, pontificatus nostri anno IX[1].

Dat. die 22 septembris 1653, pontif. anno IX.

CLXXI.

Commissio episcopo et inquisitori Melitano et licentia magno magistro hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani imponendi gabellam universitati et hominibus insularum Gaudisii et Melitae[2].

Venerabili fratri episcopo Melitano, ac dilecto filio adversus haereticam pravitatem in insulâ Melitanâ inquisitori generali, auctoritate apostolicâ deputato,

Innocentius Papa X.

Venerabilis frater, ac dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Exponit onera, et aera aliena sumpta pro defensione insulae Melitanae a magno magistro.

§ 1. Aliàs[3] pro parte dilectorum filiorum iuratorum et deputatorum universitatis et hominum insulae Melitanae nobis exposito, quod, cum tunc a decem annis circa plus solito Turcarum tyrannus tandem[4] insulam valido exercitu infestare velle minaretur, dilecti filii magnus magister et conventus hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, ut eidem Turcarum tyranno resisterent, novas duplicesque munitiones facere, et, post exhaustum in illis dicti hospitalis aerarium, illud grandi aere alieno ex censuum impositione contracto obstringere, necnon insuper, pro expensis quae dilationem non patiebantur, monetam ex aere in pluribus vicibus usque ad summam ducentorum et quinquaginta millium scutorum circiter, quae tota in opus munitionum huiusmodi erogata est, cudi facere coacti fuissent, quodque monetae[1] huiusmodi postmodum extinctâ scissâque parte aliquâ, cum ipsi magnus magister et conventus statuissent rationem inire, qua residuum dictae monetae extinguerent scindique facerent, de anno MDCXLV invalescentibus, ut cum maxime, dicti Turcarum tyranni minis, collectoque per eum firmissimo exercitu, qui, donec ad insulam Cretensem movit, credebatur insulam praedictam aggressurus, oportuisset eosdem magnum magistrum et conventum, quo formidatam et aliàs expertam obsidionem sustinere possent, novas et excessivas expensas facere, invectis[2] introductisque aliunde in eamdem insulam brevissimo tempore maximâ commeatus aliarumque rerum ad bellum necessarium[3] copiâ, ingentique militum exterorum manu, idque aere dicti hospitalis proprio, absque ullâ universitatis et hominum huiusmodi contributione, malentibus magno magistro et conventu praedictis bona et religiosos eiusdem hospitalis duplicatis oneribus ordinariis super prioratuum, baiulivatuum et praeceptoriarum seu commendarum eiusdem hospitalis fructibus et proventibus impositis, necnon censuum in almâ Urbe nostrâ, in civitate Ianuensi, Franciaeque regno, et alibi in aliquot centenis millibus scutorum creationibus et constitutionibus, quam universitatem et homines praedictos praegravare; unde tunc necesse fuisset supersedere in dictae monetae aereae extinctione ab omnibus popularibus huiusmodi peroptatâ; proptereaque, ultra praedictam ducentorum quinquaginta circiter millium scutorum summam, etiam alia consimilis[4] moneta in aere pro summâ

1 Legendum *anno* X (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

3 Vide etiam Constit. supra pag. 580 (R. T.).

4 In loco parallelo legitur *eamdem* pro *tandem* (R. T.).

1 Perperam edit. Main. legit *moneta* (R. T.).

2 Male edit. Main. habet *in vectis* (R. T.).

3 Forsan *necessariarum* legendum pro *necessarium*; atque ita foret etiam legendum supra pag. 580 *b* (R. T.).

4 Male edit. Main. legit *consimili* (R. T.).

scutorum quadraginta millium cusa[1] fuissent, et ex tantae monetae aereae huiusmodi copiâ et quantitate factum esset, ut usus monetae aureae et argenteae cessaret in eâdem insulâ, cuius ager cum minime proferat quantum in sex menses sustentationi eorumdem universitatis et hominum satis esse possit, sibique de omnibus ad vitam necessariis in partibus exteris providendum sit, in quibus dicta moneta aerea repudiatur, cursumque non habet, propterea ac aliàs occasione dictae monetae aereae universitas et homines praefati non levia damna et incommoda passi fuissent et in dies paterentur, cum pro cambio seu collybo monetae[2] triginta quinque scuta pro quolibet centenario tunc solverentur, pretiaque rerum pro medietate ultra consuetum crevissent, eâdemque de causâ destituti opportunitate, quam habere solebant, pecunias capiendi a negotiatoribus ad aliquod competens interesse, ut sibi de re frumentariâ ad eiusdem insulae sustentationem necessariâ providerent, et ignari quidnam hac in re consilii[3] caperent, ad eumdem magnum magistrum eiusque consilium recursum habuissent, illisque supplicassent, ut eidem universitati et hominibus, ne fame perirent, in curâ comparandi tritici subintrarent succederentque;

Pretium tritici crevisse propter principum christianorum discordias exponitur.

§ 2. Quo onere per eosdem magnum magistrum et consilium assumpto, et ad frumenti emptionem sumptâ ad interesse notabili pecuniarum summâ, ob immensum alio gravi aere alieno[4] quo[5] sese exsolvere nequit commune dicti hospitalis aerarium propter minus diminutos illius redditus occasione motuum inter principes christianos excitatorum subsequutamque ingentem illius anni sterilitatem, pretium tritici adeo crevisset, ut computatis[1] expensis et interesse tumulus tritici mensurae illarum partium[2] eidem hospitali constaret novemdecim aut viginti circiter tarenis monetae earumdem partium;

Praedictus magister et universitas statuerunt collectam generalem pro solutione aeris alieni.

§ 3. Quoniam vero compertum fuisset esse impossibile ut a personis particularibus triticum tanto pretio solveretur, ideo, ad supplicationem universitatis et hominum praedictorum, idem magnus magister tumulum frumenti solis dumtaxat decem tarenis vendi fecisset, propter quod iidem universitas et homines gravissimum aes alienum cum eodem hospitali contraxissent; quod eo maius futurum erat, quia ipsum hospitale per decretum expressum se obligaverat per totum mensem augusti eiusdem anni frumenti pretium non aucturum; et in eâdem expositione subiuncto, quod iidem universitas et homines nullos redditus nullaque bona stabilia haberent, quae dissolvendo tam gravi suo aeri[3] alieno, quod in eodem mense augusti ad summam centum trigintaseptem millium scutorum circiter pervenit, sufficerent, quodque, quamvis ipsi hospitali maxime opus esset, ut dictum suum creditum in pecuniâ numeratâ consequeretur, nihilo tamen minus iidem magnus magister et consilium, miserti vicem dictorum universitatis et hominum, damnumque, quod illi continenter[4] occasione dictae monetae aereae sustinebant, decrevissent condonare, prout re ipsâ dictum suum creditum iisdem universitati et hominibus condonavissent, ita tamen, ut, si et postquam summa pecuniarum eidem credito aequivalens collecta coactaque fuisset, ex

1 Edit. Main. legit *cussa* (R. T.).
2 Particula *ad* hîc delemus (R. T.).
3 Edit. Main. legit *concilii* (R. T.).
4 Ut in loco parallelo pag. 581 *a* etiam hîc ponerem *aliud grave aes alienum* (R. T.).
5 Male edit. Main. legit *quod* (R. T.).

1 Edit. Main. habet *comutatis* pro *computatis* (R. T.).
2 Ed. Main. legit *pretium* pro *partium* (R.T).
3 Edit. Main. legit *aere* (R. T.).
4 Edit. Main. legit *continente* (R. T.).

eâ scindi tanta alia quantitas dictae monetae aereae deberet; decretumque huiusmodi universitas et homines praedicti summe gratum acceptumque habuissent, et sub die XXVII februarii MDCXLVIII insimul congregati tres ex suo coetu deputassent, concessâ illis unanimiter amplâ facultate ineundi rationem faciliorem levioremque, qua fieret una collecta generalis, per quam pecunia, quae eidem debito dissolvendo par esset, colligi, et tantumdem dictae monetae aereae scindi posset, cum hoc tamen, ut collecta huiusmodi semel dumtaxat et universaliter fieret, ita ut illa omnes et singulos etiam exemptos comprehenderet, attento quod omnes indiscriminatim gavisi fuissent, continuoque gauderent frumento valde minori pretio, quam fuisset emptum per dictum hospitale;

Supplicatio.

§ 4. Ac nobis pro parte eorumdem iuratorum et deputatorum humiliter supplicato, ut, pro unâ vice tantum, unam collectam seu contributionem generalem super bonis, effectibus et habentiâ singulorum etiam ecclesiasticorum, etiam regularium cuiusvis ordinis, congregationis et instituti, ac etiam familiarum sacrae inquisitionis adversus haereticam pravitatem officii, et quorumlibet aliorum quantumvis exemptorum et privilegiatorum, imponendi licentiam ad praemissorum effectum concedere dignaremur:

Exponit quod mandaverat episcopo et inquisitori existentibus in insulâ Melitanâ.

§ 5. Nos vobis, seu tunc existentibus episcopo et inquisitori adversus haereticam pravitatem in praedictâ insulâ Melitanâ deputato, facultatem concessimus ac commisimus et mandavimus, ut, pro extinctione monetae ex aere fabricatae usque ad summam scutorum centum triginta septem millium in circa contribuerent etiam ecclesiastici regulares pro ratâ quorumcumque bonorum, rerum et effectuum, per vos[1], seu tunc existentes episcopum et inquisitorem, servatis servandis, declarandâ, ita tamen, ut ex eâ creditum etiam dicti hospitalis ad eamdem summam centum triginta septem millium scutorum in circa ascendens extinctum remaneret, et cum onere, quod residuum eiusdem monetae ex aere fabricatae, ascendentis ad summam ducentorum quinquaginta millium in circa, infra biennium cum effectu extingueretur, semotâ omni dilatione; et aliàs, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris[1], quarum tenores pro plene et sufficienter expressis haberi volumus, plenius continetur.

1 Perperam ed. Main. legit *eos* pro *vos* (R.T.).

Nova supplicatio.

§ 6. Cum autem, sicut pro parte eorumdem iuratorum et deputatorum universitatis et hominum insulae Melitanae praedictae nobis nuper expositum fuit, licet ad praemissa executioni demandanda deputati executores, necnon iurati et deputati huiusmodi, quo collecta super bonis effectibus et rebus singulorum iuxta praefatarum litterarum nostrarum tenorem executioni demandaretur, plurimum elaboraverint, omnemque ad id diligentiam adhibuerint; nihilominus tamen collecta huiusmodi exitum habere hactenus non potuerit, ob enata illius occasione inter ecclesiasticos et laicos insulae praedictae dissidia, ac inaequalitatem gravaminis per singulos ferendi, cum illi, qui bona in insulâ praedictâ non possidebant, utcumque commoditate tritici viliori pretio empti gavisi, collectae huiusmodi onus nullatenus subirent, bonorum vero in insulâ huiusmodi existentium possessores ultra modum commoditatis per eos perceptae plus aequo gravarentur; idcirco iidem iurati et deputati, ut aes alienum per universitatem et homines praedictos cum dicto hospitali contractum, ut praefertur, necnon moneta aerea huiusmodi quanto citius extinguatur, nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus licentiam impo-

1 Quas vide supra pag. 580 seq. (R. T.).

nendi unam gabellam, quae pariter personas ecclesiasticas etiam quomodolibet exemptas ac officiales et familiares sancti inquisitionis adversus haereticam pravitatem officii afficiat, ad effectum praedictum concedere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 7. Nos igitur, eosdem iuratos et deputatos, necnon universitatem et homines specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati (revocantes in primis, ac irritantes et annullantes, viribusque et effectu penitus evacuantes litteras nostras praedictas, necnon quascumque facultates, mandata et ordinationes, ceteraque in illis contenta, ac collectam super bonis, effectibus et rebus illarum vigore impositam, ut praefertur, aliaque ex inde sequuta, in omnibus et per omnia, perinde ac si nunquam emanassent), vobis committimus et mandamus, ut, quoad personas ecclesiasticas etiam quomodolibet exemptas, ac officiales et familiares dicti sancti inquisitionis officii respective, auctoritate nostrâ imponatis, prout nos quoad laicos et personas dicti hospitalis concedimus per praesentes magno magistro praedicto licentiam imponendi, unam gabellam super tritico, bladis mixtis et hordeo in Melitanâ ac Gaudisii insulis huiusmodi colligendis, et illis, quae illuc imposita[1] in apothecis publicis inibi vendi contigerit, videlicet, super tritico ad rationem duodecim, super bladis mixtis ad rationem novem, super hordeo autem ad rationem sex tarenorum monetae illarum partium pro qualibet salmâ mensurae earumdem partium, ac praeterea super cimino ex eisdem insulis exportando, seu extrahendo, dulci quidem ad rationem duodecim, acri vero ad rationem sex tarenorum similium pro quolibet cantharo mensurae dictarum partium, ad biennium dumtaxat (intra quod temporis spatium infrascriptum centum et triginta unius millium quadringentorum nonagintaquatuor nummorum *pezze da otto* vulgo nuncupatorum summam inde conflari posse creditur) duraturam, et ab omnibus etiam ecclesiasticis secularibus, et cuiusvis ordinis, congregationis, societatis etiam Iesu et instituti etiam Mendicantium utriusque sexus regularibus, et familiaribus dicti sancti inquisitionis officii adversus haereticam pravitatem, hospitaliumque et aliorum locorum piorum personis, etiam quocumque immunitatis, vel exemptionis, seu alio quocumque privilegio suffultis, etiam speciali ac individuâ expressione dignis, sive in pecuniâ numeratâ, sive in portione rei gabellae huiusmodi obnoxiae pro ratâ dictae pecuniae ad arbitrium debitoris exsolvendam, et in monetae aereae praefatae scissionem et extinctionem totaliter et omnino convertendam, ita tamen, ut residuum aeris alieni per universitatem et homines huiusmodi cum hospitali praefato, ut praefertur, contracti, quod ad summam praedictam centum et triginta unius millium quadringentorum nonaginta quatuor nummorum *pezze da otto* vulgo nuncupatorum in totum ascendere, facto calculo, asseritur, extinctum penitus remaneat, et cum onere, quod residuum dictae monetae aereae intra biennium huiusmodi ab hospitali praedicto, semotâ omni dilatione, cum effectu extinguatur.

Supplicationem exaudit.

§ 7. Volentes insuper, quod exactio ga-

1 Potius lege *posita* (R. T.).

bellae huiusmodi, postquam vigore praesentium imposita fuerit, et emolumenti inde proventuri concessio ut praemittitur facienda, quoad laicos et personas dicti hospitalis ad magnum magistrum praedictum, quoad ecclesiasticos vero ac exemptos ac officiales ac familiares praedictos ad vos respective omnino spectet et pertineat, quodque ab eodem magno magistro et vobis respective deputati eligantur, penes quos pecuniae vel portio rerum oneri gabellae huiusmodi obnoxiarum, quas inde percipi[1] contigerit, deponantur ad effectum convertendi integre in usus praedictos pecunias huiusmodi ac illas quae ex venditione portionum rerum praefatarum redigentur.

Clausulas apponit.

§ 8. Decernentes etiam omnes et quascumque personas ad gabellae vigore praesentium imponendae solutionem omnino teneri, easque ad id, vestrâ quidem quoad ecclesiasticos ac exemptos necnon officiales et familiares praedictos respective, quo vero ad laicos et personas dicti hospitalis eiusdem magni magistri auctoritate, opportunis iuris et facti remediis summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, solâ facti veritate inspectâ, ac omni appellatione, reclamatione et recursu prorsus remotis, cogi et compelli posse; praesentes vero litteras de obreptionis vel subreptionis aut nullitatis vitio, vel nostrae intentionis seu quocumque alio defectu notari, redargui, impugnari, in ius vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari minime posse; sicque ab omnibus censeri, ac ita et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac quaecumque dicti hospitalis tribunalia, necnon S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et Apostolicae Sedis nuncios, et quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria refellit.

§ 9. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam ecclesiasticis tam secularibus quam regularibus praedictis, ac etiam in favorem familiarium et officialium sancti inquisitionis officii huiusmodi, et quorumvis aliorum etiam speciali mentione dignorum, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua ac de verbo ad verbum expressa mentio facienda, aut certa alia forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores pro plene et sufficienter expressis formamque in illis traditam pro servatâ habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 10. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo

1 Male edit. Main. legit *praecipi* (R. T.).

personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII septembris MDCLIII[1], pontificatus nostri anno IX[2].

Dat. die 23 septembris 1653, pontif. anno IX.

CLXXI.

Subsidium centum millium scutorum super fructibus ecclesiasticis Reipublicae Venetae pro eâdem Republicâ[3].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Etsi, pro curâ nostri pastoralis officii divinâ disponente providentiâ nobis commissi meritis licet imparibus, nihil magis cordi sit, quam personas ecclesiasticas ab extraordinariis oneribus immunes semper conservare, idque, nisi summa necessitas cogat, re ipsâ animo nostro statuerimus; nihilominus, sicut iam omnibus notum esse debet, cum Turcarum tyrannus nefarium bellum, quod ab octo circiter annis dilectis filiis nobilibus viris duci et dominio Venetorum intulit, etiamnum ingenti apparatu maximisque viribus prosequatur, et propterea ipsi dux et dominium maiores quam unquam antea tam maritimas quam terrestres copias, ut se suaque tueantur, parare et instruere, ac proinde ingentes expensas facere modo compellantur:

§ 1. Nos, considerantes non minus clericorum quam laicorum interesse, ut ea, quae ad defensiònem huiusmodi necessaria sunt, studiose comparentur, quo christiani nominis hostes infensissimi a christifidelium cervicibus adiuvante Domino repellantur, cogimur denuo de universi cleri dominii Veneti facultatibus in hoc gravissimo periculosissimoque casu fiduciam sumere, sperantes quod ipsi hoc onus urgentissimâ necessitate et iustissimâ de causâ a nobis sibi impositum aequo animo ferre non recusabunt.

§ 2. Motu itaque proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, unum subsidium centum millium scutorum auri, super omnibus et singulis fructibus, redditibus et proventibus secundum verum annuum valorem praesentis anni quarumcumque cathedralium et metropolitanarum, ac patriarchalium, atque aliarum ecclesiarum, ac monasteriorum, prioratuum et beneficiorum ecclesiasticorum secularium quorumcumque, ac hospitalium et quorumvis ordinum et militiarum (non tamen sancti Ioannis Hierosolymitani, quorum fratres, pro muniendâ et defendendâ adversus improbos eorumdem Turcarum conatus insulâ Melitanâ, gravissimos sumptus subire et magnum aes alienum contrahere oportuit) regularium, cum curâ et sine curâ, in dicto dominio existentium, a venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ac dilectis filiis electis, administratoribus, commendatariis, abbatibus, prioribus, praepositis, praelatis, capitulis, conventibus, ceterisque personis ecclesiasticis secularibus et regularibus quibuscumque, tam non[4] exemptis et quantumvis privilegiatis, etiam S. R. E. cardinalibus, necnon sancti Benedicti, sancti Augustini, Cisterciensium, Cluniacensium, Praemonstratensium, Carthusiensium, Camaldulensium, Montis Oliveti, Vallis Umbrosae, Cruciferorum monachorum, eremitarum sancti Hieronymi, et quorumcumque aliorum ordinum, necnon Cassinensis,

Subsidium imponit.

1 Erronee edit. Main. habet *1651* (R. T.).
2 Legendum *anno* X (R. T.).
3 Ex Regest. in Secret. Brevium.

1 Pro *tam non* legendum videtur *etiam* (R.T).

aliàs sanctae Iustinae, S. Salvatoris et Lateranensis aliarumque congregationum, tam virorum quam mulierum, et etiam Mendicantium, ac[1] privilegio et aliàs bona immobilia seu certos redditus quoquomodo ecclesiasticos habentium, in dominio praedicto ecclesias, monasteria et alia beneficia ecclesiastica obtinentibus, et fructus ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum huiusmodi, necnon pensiones annuas quantumcumque exemptas, et sub quibusvis obligationibus, etiam in formâ camerae apostolicae, etiam iuramento, etiam cum suspensione censurarum et de non contraveniendo, ac etiam fortasse de non impetrando gratias nostras contra eos et concessis non utendo, vallatis, et forsan aliis etiam efficacioribus cautelis et decretis ac clausulis super eisdem fructibus et pensionibus, etiam medio cedularum banchi, seu in formâ depositi, habentibus et intra praesentem annum habituris, cuiuscumque praeeminentiae, status, gradus, ordinis et conditionis, etiam religionis, vel militiae existant (quibus, aut quorum aliquibus, ulla privilegia, exemptiones, aut indulta, sub quacumque verborum formâ et expressione concessa, quoad hoc nullatenus suffragari posse volumus, fratribus et personis dicti hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani in totum et omnino, ceteris vero hospitalibus hospitalitatem actu servantibus pro eâ quantitate tantum, quam in servandâ ipsâ hospitalitate exponunt, dumtaxat exceptis, et dummodo a personis Ordinum Mendicantium nonnisi medietas eius partis, quae ratione subsidii huiusmodi ab eis solvenda esset[2], solum exigatur) proportionabiliter et aequaliter iuxta verum valorem praedictum inter praedictas personas ecclesiasticas secundum aequalem ac discretam partitionem, quam ad nos quamprimum transmitti mandamus, per venerabiles fratres Franciscum episcopum Civitatis Castelli, nuncium nostrum, et patriarcham Venetiarum distribuendam, ac in locis et terminis, modisque et formis per ipsos Franciscum episcopum nuncium et patriarcham, quos collectores generalis subsidii huiusmodi harum serie constituimus et deputamus, statuendis, ordinandis, et declarandis omnino de praesenti anno persolvendam, ac per eos, et eorum subcollectores, qui sint personae ecclesiasticae, ad hoc ab ipsis deputandos, percipiendum, exigendum, et levandum, ac duci et dominio praedictis cum effectu consignandum, ut illud in expensas necessarias contra dictos Turcas et non alios usus expendere valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, imponimus, impositumque fore et esse decernimus et declaramus; necnon eisdem collectoribus generalibus, et ab eis deputandis subcollectoribus huiusmodi, a patriarchis, archiepiscopis, episcopis electis, administratoribus, abbatibus, commendatariis, prioribus, praeceptoribus, praepositis, praelatis, capitulis, conventibus et aliis personis ecclesiasticis praedictis, praeterquam ut supra exceptis, ratam dicti subsidii eos et eorum quemlibet, ut praefertur, tangentem petendi, exigendi et colligendi, eisque et eorum singulis, ut illam modo praemisso solvant, per poenas, quoad patriarchas, archiepiscopos et episcopos, interdicti et suspensionis ingressus ecclesiae, quoad alios vero, privationis beneficiorum ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum, et alias de quibus illis videbitur, etiam pecuniarias, ac demum per sententiam excommunicationis aliasque censuras ecclesiasticas, ceteraque opportuna iuris et facti remedia, mandandi et praecipiendi, contradictores quoslibet et rebelles, et suam ipsius subsidii partem solverere recusantes, seu differentes, et ne

1 Legendum *ex* pro *ac* (R. T.).

2 Perperam ed. Main. legit *esse* pro *esset* (R.T).

illa solvatur persuadentes directe[1], per poenas, censuras et remedia huiusmodi, appellatione postpositâ, compescendi, brachii quoque secularis auxilium, si opus fuerit, ad hoc invocandi, solventes de solutis quietandi et liberandi, a censuris et poenis, quas praemissorum occasione quomodolibet incurrerint, absolvendi, et generaliter omnia et singula alia in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna, etiamsi mandatum exigerent magis speciale quam praesentibus sit expressum, faciendi, gerendi, ordinandi, mandandi et exequendi, plenam et liberam, auctoritate apostolicâ et tenore praedictis, facultatem concedimus et potestatem.

Expensas circa exactionem subsidii faciendas a dictis personis ecclesiasticis persolvendas declarat.

§ 2. Volentes quod expensae, quae circa exactionem subsidii huiusmodi forsan faciendae fuerint, in centum millibus scutis praedictis minime computari debeant, sed dictae personae ecclesiasticae expensas ipsas ultra ratam partem, quam ratione eiusdem subsidii solvere debebunt, etiam persolvere teneantur.

Derogat contrariis.

§ 3. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis universalibus editis, necnon ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, ordinum, congregationum et militiarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus et immunitatibus, etiam in corpore iuris clausis, ac litteris apostolicis ecclesiis, monasteriis, prioratibus, praeceptoribus, praelatis, capitulis, conventibus, ordinibus, congregationibus et militiis, aliisque praedictis, in genere vel in specie, sub quacumque formâ et verborum expressione, a nobis et Sede Apostolicâ, etiam consistorialiter, et motu simili, et aliàs quovis modo emanatis et concessis, et etiam iteratis vicibus confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa ac individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, et in eis caveatur expresse, quod per huiusmodi clausulas generales eis nullatenus derogetur, nec derogatum esse censeatur nisi sub certis modo et formâ in eis expressis, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis, ac modum et formam ad id servandos pro individue servatis habentes, ad praemissorum effectum, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque;

§ 4. Aut si patriarchis, archiepiscopis, episcopis, electis, administratoribus, abbatibus, commendatariis, ceterisque praedictis, et quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Ornamenta ecclesiarum non posse tangi iubet.

§ 5. Volumus autem, quod, iuxta ordinationem in concilio Viennensi super hoc editam, calices, libri[1] et alia ornamenta ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum et aliorum beneficiorum et piorum locorum sub praesentibus comprehensorum divino cultui dedicata, causâ pignoris vel aliàs occasione solutionis subsidii huiusmodi, nullatenus capiantur, distrahantur, vel occupentur; quodque praesentium tran-

Transumptorum fides.

1 Alibi additur *vel indirecte* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *liberi* pro *libri* (R. T.).

sumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius ex dictis praesentium litterarum collectoribus generalibus vel alterius praelati ecclesiastici munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II octobris MDCLIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. 2 octobris 1653, pontif. anno IX.

CLXXIII.

Declaratio nullitatis litterarum senatus Mediolani et edicti gubernatoris Status Mediolanensis super observatione festivitatis sancti Dominici in dicto Statu[1].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Cum nuper ad notitiam nostram non sine gravi animi nostri molestiâ pervenerit, quod dilecti filii senatus Mediolani per litteras circulares datas die XX iunii proxime praeteriti, et dilectus filius nobilis vir modernus gubernator Status Mediolani per edictum publicatum die XXX eiusdem mensis iunii mandaverit observari diem festum sancti Dominici die IV mensis augusti cuiuslibet anni in toto illo Statu, praecipientes, ut populi et subditi illius Status abstineant ab operibus servilibus, et artifices tabernas et apothecas clausas teneant, prout servatur ceteris diebus festis ex praecepto, et ulterius in edicto praedicto exprimatur festivitatem esse celebrandam cum omni devotione et pietate christianâ:

Quaecumque emanata super observatione festi S. Dominici respuit ac rescindit. § 1. Nos, quibus universalis Ecclesiae regimen a Domino commissum est, considerantes quam perniciosum[1] auctoritati ecclesiasticae id esse possit, cum principes laici, quos in rebus Ecclesiae obsequendi potius manet necessitas quam auctoritas imperandi, non habeant facultatem indicendi dies festos in honorem sanctorum, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium sacris ritibus praepositorum, quibus hoc negotium discutiendum commisimus, consilio, praedictas litteras ac edictum emanata auctoritate laici[2] super observatione praedictae festivitatis sancti Dominici, fuisse et esse omnino nulla, nulliusque roboris et momenti, vel[3] aliquo modo servanda, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus;

Aliter definiri et iudicari vetat. § 2. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contraria reiicit. § 3. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI octobris MDCLIII, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 6 octobris 1653, pontif. anno X.

CLXXIV.

Suppressio litis inter episcopum Cracoviensem, universitatem ac accademiam pendentem in sacro Rotae au-

1 Quinam dies pro festis de praecepto colendi sint, statuit Sanctissimus D. N. Urbanus Papa VIII, festorumque multitudinem revocavit suâ Const. DCCLIX, *Universa*, pag. 206, huius tomi.

1 Male edit. Main. legit *perniciosos* (R. T.).
2 Potius lege *laicâ* vel *laicali* (R. T.).
3 Potius legerem *nec* pro *vel* (R. T.).

ditorio super iurisdictione et exemptione[1].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Supprimit lites inter episcopum Cracoviensem universitatem ac academiam pendentem.

§ 1. Cum, sicut accepimus, inter venerabilem fratrem modernum episcopum Cracoviensem et dilectos filios rectorem et alios universitatis studii generalis seu academiae eiusdem civitatis Cracoviensis super exemptione a iurisdictione eiusdem episcopi, aliisque articulis, in sacro Rotae romanae auditorio pendeat indecisa: nos, controversias praemissorum occasione exortas apostolicae provisionis nostrae operâ sopire et ne in recidivae contentionis scrupulum relabantur opportune providere volentes, ac praedictum episcopum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, litemque huiusmodi, illiusque statum et merita, nominaque et cognomina iudicum et collitigantium, aliaque etiam necessario exprimenda, praesentibus pro expressis habentes, de nonnullorum S. R. E. cardinalium, quibus hoc negotium discutiendum commisimus consilio, litem huiusmodi, in statu et terminis in quibus reperitur ad praesens, ab auditorio huiusmodi ad nos harum serie avocantes, illam, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, supprimimus penitus et extinguimus, perpetuumque iudicibus ac utrique parti desuper silentium imponimus, necnon auctoritatem et iurisdictionem eiusdem episcopi Cracoviensis in iis omnibus in quibus ex formâ constitutionum apostolicarum seu ex dispositione statutorum eiusdem universitatis seu academiae a Sede Apostolicâ confirmatorum, vel ex legitimâ consuetudine seu praescriptione illi competere valet, et specialiter in admissione professorum ad respondendum pro loco unâ cum rectore et decanis facultatum universitatis seu academiae praedictae, auctoritate et tenore praedictis confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, et, quatenus opus sit, eidem episcopo Cracoviensi auctoritatem et iurisdictionem huiusmodi de novo tribuimus et impertimur; sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Sedis Apostolicae nuncios, iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus.

Derogat contrariis.

§ 2. Non obstantibus litis pendentiâ huiusmodi, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, ac universitatis seu academiae praedictae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v novembris MDCLIII, pontificatus nostri anno x.

Dat. die 5 novembris 1653, pontif. anno x.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

CLXXV.

Nova deputatio trium conservatorum pro clero secundario civitatis et dioecesis Leodiensis a iurisdictione Ordinarii exempto[1].

Dilectis filiis abbati monasterii S. Laurentii extra muros Leodiensis, et Ss. Apostolorum Coloniensis, ac S. Mariae ecclesiarum oppidi Aquisgrani Leodiensis dioecesis decanis,

Innocentius Papa X.

Dilecti filii,
salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. In supremo militantis Ecclesiae throno, meritis licet imparibus, inscrutabili Dei providentiâ constituti, pastoralis officii nostri partes esse cognoscimus, ut personarum ecclesiasticarum iura integra conservare, earumque dispendiis, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere propensis studiis enitamur. Sane, pro parte dilectorum filiorum congregationis cleri secundarii Leodiensis a iurisdictione ordinariâ venerabilis fratris episcopi Leodiensis exempti, nobis nuper expositum fuit, quod, cum, super revocatione indultorum deputationis certorum conservatorum et iudicum dudum per felicis recordationis Nicolaum V et Sixtum IV Romanos Pontifices praedecessores nostros dilectis filiis decanis, capitulis, singulisque canonicis et personis collegiatarum civitatis et dioecesis Leodiensis ecclesiarum illarumque suppositis concessorum, nonnullae dubietates occasione constitutionum quarumdam a recolendae memoriae Clemente VIII et Gregorio XV Romanis etiam Pontificibus praedecessoribus nostris emanatarum, in quibus similium iudicum seu conservatorum deputationes multifarias restringuntur, limitantur, modificantur, declarantur et revocantur respective, suscitatae fuerint, ipsi per nos opportune desuper provideri summopere desiderant. Nos igitur, dubietates huiusmodi removere, ac praefatam congregationem cleri secundarii huiusmodi specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eiusdemque congregationis singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus congregationis cleri secundarii huiusmodi nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de voto particularis congregationis nonnullorum S. R. E. cardinalium ad negotium huiusmodi discutiendum a nobis deputatae, discretioni vestrae per praesentes committimus et mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, per vos, vel alium, seû alios, etiamsi sint extra loca in quibus per easdem praesentes deputamini conservatores et iudices, praefatis decanis, capitulis, canonicis, personis et suppositis communiter vel divisim efficacis defensionis praesidio assistentes, non permittatis eos, vel eorum aliquem, etiam in bonis mobilibus et immobilibus spiritualibus et temporalibus, ad ipsos decanos et capitula, canonicos, personas et suppositos, tam ratione quorumcumque beneficiorum suorum ecclesiasticorum, quam personarum suarum, ac aliàs qualitercumque et quavis occasione seu causâ spectantibus, contra laudabiles consuetudines a tempore cuius contraria memoria non existit inviolabiliter observatas, necnon privilegia, indulta, exemptiones, libertates, immunitates et francisias ipsis decanis, capitulis, canonicis, personis et ecclesiis, in genere vel in specie, etiam a Sede Apostolicâ concessa, a quibusvis archiepiscopis, epi-

Deputat tres conservatores pro clero secundario civitatis et dioecesis Leodiensis.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

scopis, aliisque ecclesiarum praelatis et clericis et ecclesiasticis personis, tam religiosis, quam secularibus, necnon ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, nobilibus, militibus et laicis, communibus civitatum, universitatibus oppidorum, castrorum, villarum et aliorum locorum, aliisque singularibus personis civitatum et dioecesum partiumque quarumvis, necnon quibuscumque eorumdem decanorum, capitulorum, canonicorum, personarum et suppositorum etiam aliâ quam beneficiorum ecclesiasticorum ratione debitoribus, et quibusvis aliis, indebite molestari, vel eis gravamina, seu iniurias irrogari, facturi dictis decanis, capitulis, canonicis, personis et suppositis, cum ab eis, vel procuratoribus suis, aut eorum aliquo desuper fueritis requisiti, de quibuslibet molestiis, gravaminibus, atque iniuriis praesentibus et futuris, in illis videlicet quae iudicialem requirunt indaginem, summarie, de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, in aliis vero, prout qualitas eorum exegerit, iustitiae complementum, molestatores et iniuriatores quoscumque, necnon contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, praeeminentiae, vel nobilitatis fuerint, quomodocumque et quotiescumque expedierit, auctoritate nostrâ per censuram ecclesiasticam et alia opportuna iuris remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria tollit. § 1. Non obstantibus praefatis Clementis et Gregorii praedecessorum, necnon tam similis memoriae Bonifacii Papae VIII praedecessoris pariter nostri de una dietâ, dummodo ultra duas dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, seu quod de illis quae iudicialem requirunt indaginem, ac de aliis quam de manifestis iniuriis et violentiis, poenis in eos si secus egerint, et illos, qui id procurant, adiectis, conservatores se nullatenus intromittant, quam aliis quibuscumque constitutionibus et ordinationibus a Romanis Pontificibus, tam de iudicibus delegatis et conservatoribus, quam personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, aut aliàs, editis, quae vestrae possint in hac parte iurisdictioni et potestati eiusque libero exercitio quomodolibet obviare;

§ 2. Seu si aliquibus, communiter vel divisim, a Sede Apostolicâ sit indultum, quod interdici, suspendi, excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi ac earum[1] personis, locis, ordinibus et nominibus propriis mentionem; et qualibet aliâ dictae Sedis indulgentiâ generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam vel totaliter non insertam vestrae iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, et de qua eiusque toto tenore habenda sit in litteris nostris mentio specialis.

A monitionibus et citationibus quocumque arctari declarat ac si personaliter intimatae fuissent.

§ 3. Ceterum, si per summariam informationem super his per vos recipiendam vobis constiterit, quod praesumptorum, molestatorum, iniuriatorum et rebellium, atque aliorum, de quibus expedierit, praesentia monitionibus et citationibus de ipsis faciendis secure vel commode haberi nequeat, per edicta publica, locis affigenda publicis et vicinis, de quibus sit verisimilis coniectura, quod ad[2] ipsorum praesumptorum, molestatorum, iniuriatorum, contradictorum, rebellium et aliorum praedictorum notitiam pervenire valeant, faciendi[3], plenam et liberam concedimus

1 Potius legerem *eorum* (R. T.).

2 Male ed. Main. legit *quod* pro *quod ad* (R.T.).

3 Nempe *monitiones et citationes faciendi* (R. T.).

tenore praesentium facultatem, ac volumus et apostolicâ auctoritate decernimus, quod monitiones et citationes huiusmodi perinde arctent ipsos monitos et citatos, ac si eis intimatae et insinuatae personaliter et praesentialiter legitime extitissent. Et insuper volumus et dictâ auctoritate decernimus, quod quilibet vestrum valeat prosequi articulum, etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico praepeditus, quodque a datâ praesentium sit vobis et unicuique vestrum in praemissis omnibus et eorum singulis, coeptis et non coeptis, praesentibus et futuris, perpetua potestas et iurisdictio attributa, ut eo vigore eâque firmitate possitis in praemissis omnibus coeptis et non coeptis praesentibus et futuris et pro praedictis procedere, ac si praedicta omnia et singula coram vobis coepta fuissent, ut[1] iurisdictio vestra ac cuiuslibet vestrum in praedictis omnibus et singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitime extitisset, constitutionibus praedictis super conservatoribus et qualibet aliâ in contrarium editis non obstantibus: praesentibus perpetuo duraturis.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII novembris MDCLIII[2], pontificatus nostri anno X.

Dat. die 8 novembris 1653, pontif. anno X.

CLXXVI.

Absolutio provincialis et fratrum Cappuccinorum provinciae Aragoniae et Navarrae ob recursum ad iudices laicos in causâ rotali contra Observantes eiusdem sancti Francisci[3].

1 Pro *ut* legerem *et* (R. T.).
2 Male ed. main. legit MDCLII (R. T.).
3 Ex Regest. in Secret. Brev.

Dilecto filio magistro Aloysio Bevilaquae, cappellano nostro, ac causarum sacri palatii apostolici auditori,

Innocentius Papa X.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Supplicatio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii minister provincialis et fratres Ordinis Minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum provinciae Aragonum et Navarrae, quod aliàs, dum in venerabilium fratrum archiepiscopi Caesaragustani et episcopi Oscensis necnon dilecti filii nostri et Sedis Apostolicae in regnis Hispaniarum nuncii tribunalibus lis et causa sub diversis temporibus penderet indecisa, inter ipsos exponentes ex unâ, necnon et dilectos filios guardianum et fratres et conventum S. Catharinae oppidi de Carinnena Caesaraugustanae dioecesis, dicti Ordinis Minorum eiusdem sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, aliosque litis consortes partibus ex alterâ, super praetensâ fundatione conventus fratrum Cappuccinorum huiusmodi in dicto oppido, seu intra illius fines et terminos, quae lis et causa ad praesens in grado[1] appellationis a sententiâ ad favorem ipsorum exponentium latâ reperitur coram te introducta, asseritur, quod pro parte eorumdem exponentium, aut alicuius eorum, sive ab eorum procuratoribus fuerit habitus ad iudices laicos recursus, nedum semel, sed forsan pluries, praetenduntque ipsi guardiani et fratres Observantes, aliique adversarii praedicti, occasione recursus seu recursuum huiusmodi impedire[2] dictos exponentes quominus litem et causam praefatam prosequantur. Quare, ne sub hoc praetextu expeditio eiusdem litis et causae retardetur, nobis humiliter supplicari fecerunt iidem exponentes, ut sibi in praemissis opportune providere de benignitate

1 Nuper *gradu* (R. T.).
2 Potius lege *impediri* (R. T.).

Concessio. apostolicâ dignaremur. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut eosdem exponentes, illorumque singulos, si hoc a te humiliter petierint, impositâ ipsis et eorum cuilibet propter praemissa arbitrio tuo aliquâ poenitentiâ salutari, ac renunciato prius omnibus et singulis recursibus in lite et causâ huiusmodi per eos seu illorum procuratores quomodolibet habitis, ac sine litis et collitigantium praeiudicio, et dummodo ipsi exponentes nullum ius propterea de novo acquirant, a quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis, per eos praemissorum occasione quomodolibet incursis, auctoritate nostrâ apostolicâ absolvas et totaliter liberes, dictasque poenas illis ac eorum cuilibet gratiose remittas et condones.

Contraria tollit. § 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III decembris MDCLIII, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 3 decembris 1653, pontif. anno X.

CLXXVII.

Commissio archiepiscopo Mediolanensi, seu eius vicario generali, ad fabricandum et transmittendum processum contra duos sicarios et homicidas barigelli campestris Mediolanensis extractos ex ecclesiâ, et contra Franciscum Pirovanum referendarium utriusque signaturae praetensum complicem seu mandantem praedicti homicidii[1].

Venerabili fratri archiepiscopo Mediolanensi, seu dilecto filio vicario eius in spiritualibus generali,

Innocentius Papa X.

Venerabilis frater, seu dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. § 1. Cum, sicut accepimus, duo sicarii praetensi homicidae quondam Caroli Pasquini, dum viveret, barigelli campestris Mediolanensis, et aliorum delictorum complices, ex ecclesiâ ad quam confugerant iussu tuo extracti et carceribus curiae tuae archiepiscopalis mancipati fuerint, dilectusque filius magister Franciscus Pirovanus, in utrâque signaturâ nostrâ referendarius, homicidii et delictorum huiusmodi complex sive mandans esse praetendatur:

Dat facultatem archiepiscopo Mediolanensi deputandi personas pro formatione processus contra praedictos sicarios. § 2. Nos, delicta huiusmodi nequaquam impunita remanere, sed iustitiam, ut par est, administrari volentes, fraternitati tuae, frater archiepiscope, seu discretioni tuae, fili vicarie, per praesentes committimus et mandamus, ut per te, seu aliam personam ecclesiasticam ad id a te deputandam, super praemissis processum contra praedictos duos sicarios conficias seu confici cures, aliqua[2] geras, agas et facias, quae in praemissis et circa ea erunt necessaria quomodolibet et opportuna, invocato, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Nos enim tibi, seu personae a te, ut praefertur, deputandae, desuper amplam et quamcumque necessariam facultatem harum serie concedimus et impertimur. Processus vero huiusmodi per te seu iussu tuo fabricatos et confectos in formâ authenticâ sub tuo sigillo clausos[3] ad nos quamprimum tuto

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Potius lege *aliaque* pro *aliqua* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *clausas* (R. T.).

et diligenter transmittas, ut quod desuper statuendum fuerit maturâ consultatione adhibitâ decernamus.

Contraria refellit.

§ 3. Non obstantibus, quod duo sicarii praedicti ex ecclesiâ extracti fuerint ut praefertur, a felicis recordationis Gregorii Papae IV praedecessoris nostri super similibus extractionibus editâ, necnon recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, etiam in favorem referendariorum signaturae praefatae emanatis, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI decembris MDCLIII, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 6 decembris 1653, pontif. anno x.

CLXXVIII.

Commissio tribus episcopis Franciae ad capiendam informationem super epistolâ pastorali archiepiscopi Senonensis[1].

Venerabilibus fratribus archiepiscopo Arelatensi, ac episcopis Aniciensi et Conserano ac Matisconensi,

Innocentius Papa X.

Venerabiles fratres,
salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva.

§ 1. Nuper pervenit ad aures nostras, quod, in actu publicationis in dioecesi Senonensi Constitutionis per nos pridie kalendas iunii proximo praeteriti editae, qua quinque propositiones, occasione libri impressi, cui titulus *Augustinus Cornelii Iansenii episcopi Iprensis*, excitatas, in câdem Constitutione expressas, damnavimus sub poenis et censuris contra haereticos et eorum fautores in iure expressis, venerabilis frater Ludovicus Henricus de Gondrin, archiepiscopus Senonensis, quamdam epistolam pastoralem idiomate gallico, quae incipit: « Lovis Henry de Gondrin par la grâce de Dieu archevesque de Saint Primat des Gaules et de Germanie à nostres chers frères les doyens ruraux, etc., » sub datâ diei XXIII septembris proxime praeteriti impressam Senonis apud Ludovicum Pressurot ediderit et typis vulgaverit, seu edi et typis vulgari fecerit, in qua scandalosa, temeraria, schismatica et haeresim redolentia continentur.

Committit informationem capiendam tribus episcopis Franciae super epistola pastorali archiepiscopi Senonensis.

§ 2. Quapropter nos, de eâ re diligenter informationem sumi volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ nostrâ, fraternitatibus vestris per praesentes committimus et mandamus, ut, quamprimum hae vobis redditae fuerint, vos, aut saltem duo ex vobis, tamquam specialiter ad hoc a nobis delegati, super epistolâ huiusmodi, et an illa ab eodem Ludovico Henrico archiepiscopo seu eius iussu edita et vulgata fuerit, diligentem informationem meliori et opportuniori qui vobis videbitur modo et viâ capiatis, ac informationem desuper captam in scriptum authenticum redigi curetis et ad nos transmittatis, ut quod hoc in negocio ad Dei gloriam, Fidei catholicae decus, nostrumque et Sedis Apostolicae honorem statuendum fuerit, maturâ consideratione adhibitâ decernamus.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Contrariis quibuscumque derogat.

§ 3. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae V[1] praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis, ac in conciliis universalibus, provincialibus et synodalibus editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac ecclesiae Senonensis, et quibusvis aliis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII decembris MDCLIII, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 22 decembris 1653, pontif. anno x.

CLXXIX.

Iubilaeum pro provinciis Belgicis[2].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Salvator et Dominus noster Iesus Christus Dei Filius, cuius, licet immeriti, vices gerimus in terris, ad hoc nobis ligandi et solvendi potestatem tradere voluit, ut saluti eius gregis nostrae curae divinitus commissi paterno affectu ac sollicito studio incumbamus.

Plenissimam omnium peccatorum remissionem christifidelibus in provinciis Belgicis impertitur.

§ 1. Hinc est quod nos, attendentes christifideles in provinciis Belgicis commorantes, ob locorum distantiam, ac bellorum et alia impedimenta, ad hanc almam Urbem nostram pro consequendis caelestibus thesauris iubilaei anni praeteriti MDCL accedere non potuisse, propterea illorum animae saluti ac spirituali consolationi consulere volentes, supplicationibus etiam dilecti filii nobilis viri Leopoldi Guillelmi, ex archiducibus Austriae, provinciarum Belgicarum pro charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum rege catholico gubernatoris, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, universis et singulis utriusque sexus christifidelibus in omnibus provinciis Belgicis, illarumque civitatibus, oppidis, terris et locis existentibus, qui cathedralem, seu aliam ecclesiam, vel ecclesias, civitatis Antuerpiensis, aut aliquam seu aliquas ex ecclesiis oppidi Valensaenarum Cameracensis dioecesis ab Ordinariis locorum respective, aut de eorum mandato, postquam ad eorum notitiam hae nostrae litterae pervenerint designandam vel designandas, spatio quatuor hebdomadarum a publicatione designationis per Ordinarios, ut praefertur, faciendae computandarum, saltem semel visitaverint, ibique Deum pro peccatorum suorum remissione, fidei catholicae protectione, haeresis extirpatione, principum christianorum pace et concordiâ, ac praesentibus Ecclesiae necessitatibus devote oraverint, ac feria quartâ, sextâ et sabbato alicuius ex praedictis quatuor hebdomadis ieiunaverint, atque peccata sua confessi sequenti saltem dominico die sanctissimum Eucharistiae sacramentum reverenter sumpserint, et eleemosynas ad libitum, prout charitas singulis suggesserit, fecerint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, sicut in anno iubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra dictam Urbem concedi consuevit, tenore praesentium concedimus et

1 Potius de more solito lege *VIII* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

elargimur: navigantes vero, aut iter agentes, ut, cum primum ad sua se se domicilia receperint, suprascriptis peractis, et visitatâ ecclesiâ cathedrali, vel maiori, aut parochiali loci eorum domicilii, eamdem indulgentiam consequi possint et valeant; regularibus autem personis utriusque sexus etiam in claustris perpetuo degentibus, nec non aliis quibuscumque, tam laicis, quam ecclesiasticis, secularibus, vel regularibus, etiam in carcere aut in captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, scilicet ieiunium, eleemosynam, ecclesiaeque seu ecclesiarum visitationem et orationem, vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa confessarius, quem, ut infra, elegerint, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere, quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus.

Cuicumque presbytero facultatem absolvendi ab omnibus peccatis elargitur.

§ 2. Cupientes autem omnes illarum partium christifideles participes fieri huius pretiosissimi thesauri, universis et singulis earumdem partium utriusque sexus, tam laicis quam ecclesiasticis, secularibus et regularibus, cuiusvis ordinis, congregationis et instituti, licentiam concedimus et facultatem damus, ut sibi ad hunc effectum quemcumque presbyterum confessarium, tam secularem quam cuiusvis ordinis regularem, etiam ex aliàs approbatis a locorum Ordinariis, eligere possint, qui, eorum confessionibus diligenter auditis, ab omnibus excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiaticis sententis et censuris, a iure vel ab homine, quavis causâ latis seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis, quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive nobis et Sedi Apostolicae, etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, et aliàs per quascumque nostras et Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae et hac vice tantum eos (non tamen haereticos specialiter declaratos, aut condemnatos vel publicatos) absolvere et liberare valeat;

Praesentium litterarum transumpta per omnes ecclesias et civitates publicari mandat.

§ 3. Et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentiâ salutari, aliisque eiusdem confessarii arbitrio iniungendis. Quapropter tenore praesentium in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus et mandamus omnibus et quibuscumque venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum in dictis provinciis existentium [1], eorumque vicariis et officialibus, vel, eis deficientibus, illis qui curam animarum inibi exercent, ut, cum praesentium litterarum transumpta aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ullâ morâ, retardatione vel impedimento per suas ecclesias et dioeceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicent el publicari faciant; venerabilibus autem fratribus archiepiscopo Cameracensi et episcopo Antuerpiensi, seu dilectis filiis Cameracensis et Antuerpiensis officialibus, ut in oppido Valencaenarum et civitate Antuerpiensi praedictis respective ecclesiam seu ecclesias visitandas designent.

Aliquos ab hac indulgentiâ excludit.

§ 4. Non intendimus autem per praesentes super aliquâ irregularitate publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate seu inhabilitate quoquo modo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere

1 Potius lege *existentibus* (R. T.).

dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae, neque etiam easdem praesentes iis, qui a nobis et Apostolicâ Sede, vel ab aliquo praelato, seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi infra tempus celebrationis huiusmodi iubilaei satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

Contraria refellit.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles iubilaei, indulgentiarum et facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum et congregationum sive institutorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus, congregationibus et institutis, illorumque personis, quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis formamque in iis traditam pro servatâ habentes, hac vice specialiter nominatim et expresse ad effectum praesentium derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Ut autem praesentes nostrae litterae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earumdem praesentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII ianuarii MDCLIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 8 ianuarii 1654, pontif. anno X.

CLXXX.

Absolutio ob recursum ad iudices laicos, super fundatione collegii Societatis Iesu, pro civitate, regularibus et capitulo cathedralis et rectoribus parochialium ecclesiarum Maioricensium factum[1].

Dilecto filio magistro Hieronymo Meltio, cappellano nostro, ac causarum sacri palatii apostolici auditori,

Innocentius Papa X.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Supplicatio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii communitas et homines, necnon conventus regularium, ac capitulum et canonici cathedralis, et rectores ac beneficiati ecclesiarum respective parochialium S. Crucis et S. Iacobi civitatis Maioricensis, quod, dum aliàs in tribunali tunc existentis Sedis Apostolicae in regnis Hispaniarum nuncii[2], inter ipsos exponentes ex unâ, ac dilectos pariter filios presbyteros Societatis Iesu partibus ex alterâ, super fundatione collegii S. Martini eiusdem Societatis in dictâ civitate lis et causa pendebat indecisa, quae ad praesens in

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Male edit. Main. legit *nunciis* (R. T.).

sacro Rotae Romanae auditorio coram te reperitur introducta, asseritur, quod, pro parte ipsorum exponentium, vel alterius eorum, sive ab eorum procuratoribus, nedum semel, sed forsan pluries recursus ad iudices laicos habitus fuerit, et occasione recursus seu recursuum huiusmodi praetendunt ipsi presbyteri adversarii dictis exponentibus prosecutionem litis et causae huiusmodi impedire. Quare, ne sub hoc praetextu eiusdem litis et causae expeditio retardetur, nobis humiliter iidem exponentes supplicari fecerunt, ut sibi de opportuno absolutionis beneficio in praemissis providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut eosdem exponentes, si hoc a te humiliter petierint, impositâ ipsis et eorum cuilibet propter praemissa arbitrio tuo aliquâ poenitentiâ salutari, ac renunciato prius per eos et eorum singulos quibusvis recursibus ad iudices laicos in lite et causâ huiusmodi ab eis seu eorum nomine quomodolibet habitis et factis, sineque litis et collitigantium praeiudicio, et dummodo ipsi exponentes nullum ius propterea de novo acquirant, a quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis, per eos et eorum quemlibet praemissorum occasione quomodolibet incursis, auctoritate nostrâ apostolicâ absolvas et totaliter liberes, dictasque poenas illis et eorum cuilibet gratiose remittas et condones.

Causarum sacri palatii auditori dat facultatem absolvendi ab omnibus poenis duas partes collitigantes.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Contraria resp uit.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII ianuarii MDCLIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 8 ianuarii 1654, pontif. anno X.

CLXXXI.

Decretum super administratione cellerariorum congregationis Cassinensis.

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Diuturna experientia compertum est, monasteria congregationis Cassinensium, tunc maximo bonorum temporalium incremento floruisse, cum cellerarii demandatam sibi oeconomicam curam, non pro suo arbitrio et auctoritate, sed consulto in omnibus proprio abbate, eoque dirigente, fideliter administrarunt, inutiles resecando sumptus, a profusis munerum largitionibus abstinendo, necnon animalium et agriculturae industriam non in sui sed monasteriorum commodum et utilitatem convertendo, exactasque pecunias depositario integre tradendo in communi arcâ asservandas: ad quod etiam multum semper contulit eorum praelatorum vigilantia, qui, rationes introitus sedulo ac frequenter subducentes, praemisso diligenti examine, quid fraudis vel praeiudicii intervenerit, omnia ad fidelem calculum revocarunt, prout constitutiones apostolicae, ac eiusdem Ordinis statuta provide disponunt. Verum, quia in quibusdam monasteriis tam salubres ordinationes, cellerariorum incuriâ et quandoque etiam malitiâ, nimiâque superiorum indulgentiâ negliguntur, et timendum est, ne, si huiusmodi malum subrepat[1], tractu

1 Edit. Main. legit *subrebat* (R. T.).

temporis eorumdem monasteriorum ruina subsequatur, ideo:

Cellerariis prohibet rerum eventus ac fructus supprimere aut minuere.

§ 1. Sanctissimus dominus noster, audito voto congregationis sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae, innovando in primis constitutionem sanctae memoriae Clementis VIII sub die VI martii MDXCIII, eidemque pro firmiori contentorum observantiâ graviores poenas addendo, prohibet omnibus et singulis cellerariis, aliisque eorum ministris, sive monachis, sive commissis, quibus bonorum administratio quocumque modo incumbit, quominus audeant redditus, ac proventus supprimere, vel minuere, rerum quarumcumque pretium alterare, negotiationibus sese immiscere, animalium seu agriculturae industrias sibi appropriare, aut munera contra formam praefatae constitutionis elargiri, sub poenâ privationis officiorum, vocis activae et passivae, ac perpetuae inhabilitatis eo ipso incurrendâ, a qua, praeterquam a Sede Apostolicâ, dispensari non valeat: obstringendo abbates, quatenus, cum primum ipsis de huiusmodi transgressionibus innotuerit, ad exequutionem praefatarum poenarum nullâ interpositâ morâ procedant, aliàs eisdem ipsi poenis subiaceant, ac dignitate abbatiali priventur.

Pecunias monasterii custodiri mandat.

§ 2. Insuper, ut omnes pecuniae, quacumque ex causâ ad monasterium pertinentes, a cellerariis dietim, prout exiguntur, depositario consignentur, et in arcam deponantur duabus clavibus diversis obseratam, quarum altera penes cellerarium, altera vero penes eumdem depositarium asservari debeant; arca vero ipsa unâ cum rationum codice in abbatiâ, tamquam in loco tutiori, et sub oculis eiusdem abbatis custodiatur, a qua nec obulus quidem extrahi possit, nisi praecedente mandato in scriptis cellerarii, non quidem sibi, sed iis directo, quibus pecuniae persolvendae fuerint, expressâ causâ et summâ, necnon manu etiam abbatis firmato, cuius tenor de verbo ad verbum in destinato libro registretur. Quod si abbatem forte abesse contigerit, tam codex quam arca superioris monasterii custodiae committatur.

De expensis quibuslibet rationem abbati reddi declarat.

§ 3. Computa, iura, introitus et exitus, tam quoad pecunias, quam victualia quaecumque, aliaque omnia in ipsius monasterii quotidianas necessitates expensa, consumpta, aut distributa, singulo quoque mense, quae vero in agrorum culturam aut fructuum recollectionem, quolibet trimestri, abbati, priori, ac decanis fideliter exhibeantur, quibus praefati non modo se subscribant, sed etiam iuramento confirment singula diligenter examinasse, nihilque in iis fraudis contra formam praesentis decreti invenisse. Quod si qui defraudasse et veritatem proventuum et expensarum non expressisse inventi fuerint, nedum incurrent poenas superius expressas absque ullâ spe impetrandae dispensationis, verum etiam de furto ac periurio puniantur.

Contrafacientes punit.

§ 4. Quae omnia ut exactius observentur, Sanctitas Sua Pontifex visitatoribus serio iniungit, quatenus in eorum visitatione super praemissis diligenter inquirant, et, si quid in contrarium commissum aut omissum repererint, contrafacientes in praenarratas poenas incidisse, et a suis officiis suspensos respective declarent, donec in primo futuro congressu diaetae vel capituli ad executionem poenarum, ut supra inflictarum, procedatur, sub poenâ pariter privationis dignitatis abbatialis, necnon vocis activae et passivae, ac perpetuae inhabilitatis ad illa seu alia consequenda, rehabilitatione Sedi dumtaxat Apostolicae reservatâ, ab ipsis quoque visitatoribus incurrendâ.

Viros probatos regimini promovendos iubet.

§ 5. Et quia fidele servitium et accurata in executione praemissorum diligen-

tia tunc sperari poterit, si cellerarii cum gravitate morum tum vitae probitate conspicui fuerint, eapropter Sanctitas Sua mandat abbatibus, ut in huiusmodi deputationibus faciendis, audito prius consilio seniorum, nonnisi religiosum gravem, probatum, ac inter decanos adscriptum, definitoribus aut regimini promovendum proponant, quemque aptiorem esse secundum Deum iudicaverint, ac talem proprio iuramento in scriptis attestentur; secus dicta deputatio nulla sit eo ipso et praelati in proximâ diaetâ, vel capitulo, debite puniantur. Romae, die IX ianuarii MDCLIV, pontificatus anno X.

Dat. die 9 ianuarii 1654, pontif. an. x.

CLXXXII.

Dismembratio bonorum, fructuumque et reddituum pro peregrinis Bohemis et aliis pauperibus, aliâs applicatorum ecclesiae S. Mariae in Cappellâ Transtyberim, ab eâdem ecclesiâ, et applicatio illorum archiconfraternitati sanctissimae Trinitatis de Urbe, etc.[1].

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Salutis humanae amator et auctor Dominus noster Iesus Christus dum mortalibus spoliis indutus discipulos suos erudiret, inter cetera quae illis commendavit pietatis et charitatis opera, curam pauperum, qui ope propriâ destituti alienis sustentandi sunt auxiliis, instanter eis commisit. Unde nos, eiusdem Domini nostri vices, quamquam meritis imparibus, gerentes in terris, mandatorum eius memores, ea, per quae egenorum necessitatibus accuratius consulitur, libenter intendimus, ac desuper pastoralis officii nostri partes propensis studiis interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Dismembratio bonorum et fructuum pro peregrinis Bohemis ab ecclesiâ S. Mariae.

§ 1. Cum itaque aere[1] pauperum peregrinorum nationis Bohemiae ad hanc almam Urbem devotionis ergo confluentium, aliorumque egenorum per eamdem Urbem sine certo domicilio vagantium maxime futuram[2] censeamus, si bona ac redditus et proventus quondam hospitii vel collegii nationis Bohemiae in Urbe praedictâ pridem deserti, ecclesiae S. Mariae in Cappellâ nuncupatae[3] in regione Transtyberinâ de eâdem Urbe sitae[4] pro subventione peregrinorum e natione praedictâ apostolicâ auctoritate applicata, necnon alia bona, redditus et proventus ad eamdem ecclesiam, seu ad hospitale pauperum sub denominatione dictae ecclesiae, cum onere hospitandi et alendi certo anni tempore praefinitum egenorum numerum, quomodolibet spectantia, archiconfraternitati sanctissimae Trinitatis peregrinorum et convalescentium de Urbe praedictâ canonice erectae et institutae, quorum confratres exercendis erga peregrinos et pauperes christianae charitatis officiis assiduam navant operam, cum oneribus solitis et aliàs sub certis modo et formâ[5] infra expressis perpetuo approprientur et applicentur:

Eadem bona et fructus applicat archiconfraternitati SS. Trinitatis.

§ 2. Idcirco, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula loca montium, census, domos, proprietates, possessiones, reddit us, fructus, proventus, iura et obventiones, ac bona quaecumque, etiam mobilia pro refectione et hospitio pauperum

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Quod pro *aere* legendum iudicet lector scius (R. T.).
2 Forsan legendum *futurum* (R. T.).
3 Edit. Main. habet *nuncupata* (R. T.).
4 Edit. Main. legit *sita* (R. T.).
5 Male edit. Main. legit *formam* (R. T.).

dumtaxat servientia (non autem sacram suppellectilem dictae ecclesiae, neque[1] ad illius usum pertinentem), cuiuscumque quantitatis, qualitatis, speciei, naturae et valoris illa existant, quae omnia et singula, illorum[2] veros etiam annuos valores praesentibus pro expressis haberi volumus, a praedictâ ecclesiâ S. Mariae in Cappellâ, seu ab hospitali seu collegio nationis Bohemiae in dictâ Urbe, ac respective ab hospitali pauperum sub denominatione praedictae ecclesiae, tenore praesentium perpetuo separamus et dismembramus, illaque sic separata et dismembrata archiconfraternitati praedictae (ita quod liceat illius modernis et pro tempore existentibus guardianis, aliisque officialibus et confratribus, ad quos spectat seu spectabit, corporalem, realem et actualem praemissorum omnium et singulorum possessionem, seu quasi possessionem, per se, vel alios, suo et eiusdem archiconfraternitatis nomine, propriâ auctoritate, nullius desuper requisitâ licentiâ, apprehendere et apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque, redditus et proventus, obventiones et emolumenta quaecumque eorumdem percipere, exigere, levare, recuperare, locare, arrendare, ac in communes dictae archiconfraternitatis illiusque hospitalis usus et utilitatem convertere, eâ lege tamen, ut per[3] guardianos et confratres praedictos annua scuta monetae romanae trecenta et quadraginta quinque ex redditibus praedictis dudum a felicis recordationis Sixto Papa V praedecessore nostro pro subventione pauperum studentium Pragae sub directione dilectorum filiorum presbyterorum Societatis Iesu assignata quotannis de semestri in semestre pro ratâ, et aliàs prout hucusque factum fuit, solvantur, necnon pauperibus peregrinis Bohemis ad hanc Urbem pro tempore venientibus consueta hactenus eleemosyna erogetur, ac tot[1] ex pauperibus per eamdem Urbem vagantibus, quot praedictis guardianis, absque certâ et determinatâ numeri vel temporis praefixione, videbuntur, proque eorumdem guardianorum arbitrio et spectatâ erga egenos charitate, in hospitali seu domo dictae archiconfraternitatis ad dormiendum cum corporali insuper refectione continenter recipiantur, ceteraque onera, ratione bonorum aliorumque ut praefertur separatorum et dismembratorum incumbentia, supportentur et adimpleantur), motu, scientiâ et deliberatione, potestatis plenitudine, ac tenore similibus, etiam perpetuo concedimus, applicamus et appropriamus.

1 Forsan legendum *atque* pro *neque* (R. T.).
2 Legerem *illorumque* (R. T.).
3 Praeposit. *per* nos addimus (R. T).

§ 3. Decernentes praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel alio quopiam defectu, etiam ex eo quod rector seu cappellanus praedictae ecclesiae, vel quicumque alii in praemissis interesse forsan habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, ad id vocati non fuerint, nec praemissis consenserint, vel ex quavis aliâ quantumvis legitimâ et iuridicâ causâ, occasione, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, notari, impugnari, annullari, invalidari, retractari, ad terminos iuris reduci, in ius vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, seu impetrato aut etiam motu simili concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti posse, neque easdem praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, derogationibus et aliis contrariis dispositionibus, etiam per quascumque

Praesentes validas declarat.

1 Perperam edit. Main. legit *totalis* (R. T.).

litteras et constitutiones apostolicas, seu cancellariae apostolicae regulas, etiam sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam per nos seu alios quoscumque Romanos Pontifices successores nostros, etiam in crastinum eorum ad summi apostolatus apicem assumptionis, dictamque Sedem, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, pro tempore factis et concessis, comprehendi, seu comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ per dictam archiconfraternitatem quandocumque eligendâ concessas, validasque, firmas et efficaces perpetuo fore, ac suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, nunc et pro tempore existentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria refelliit.

§ 7. Non obstantibus quibusvis nostris et cancellariae apostolicae regulis, etiam illâ de non tollendo iure quaesito, et, quatenus opus sit, Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis[1], aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis universalibus editis, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro eorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum et formâ in illis traditâ observatâ inserti essent, praesentibus pro expressis et sufficienter insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum dumtaxat, specialiter et expresse, ac plenissime et latissime derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI ianuarii MDCLIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 21 ianuarii 1654, pontif. an. x.

1 Vel *prohibente;* male ed. Main. habet *prohibentes* (R. T.).

CLXXXIII.

Super subiectione capellanorum massae capituli ecclesiae metropolitanae Ianuensis in iis quae spectant ad servitium ecclesiae.

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

Aliàs a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus sacris ritibus prae-

positis emanavit decretum tenoris sequentis, videlicet: « Expositum fuit congregationi, sacris ritibus praepositae, pro parte canonicorum ecclesiae metropolitanae Ianuensis, saepius oriri dissensiones et controversias, in grave ecclesiasticae disciplinae detrimentum, inter ipsos et cappellanos de massâ super obedientiâ praestandâ in choro eius pro tempore praefecto, ad quem, absentibus primâ et secundâ et tertiâ dignitate, spectat eiusdem chori directio in celebrandis divinis officiis. Quocirca eminentissimi patres ad dirimenda huiusmodi dissidia, partibus auditis, referente eminentissimo D. Carolo Sachetto, decreverunt, cappellanos de massâ subiectos esse praefecto chori in iis tantum, quae ipsius chori directionem concernunt». Die XXVIII martii MDCLI.

CAROLUS episc. Ostiensis, Card. MEDICES.

Cappellanos de massa subiectos esse capitulo statuit.

§ 1. Cum, referente eminentissimo et reverendissimo domino cardinale Sachetto, fuerint denuo propositae controversiae exortae inter capitulum et canonicos metropolitanae ecclesiae ex unâ et cappellanos de massâ eiusdem ecclesiae partibus ex alterâ super obedientiâ praestandâ in choro capitulo et canonicis in iis quae concernunt servitium ecclesiae, super usu nominis collegii, et super aliis praerogativis per eosdem cappellanos praetensis, sacra rituum congregatio censuit et declaravit, servandum esse decretum aliàs editum sub die XXIII martii MDCLII, cappellanos scilicet de massâ esse subiectos capitulo in iis quae spectant ad servitium ecclesiae, prout subsunt capitulares, et alii eiusdem ecclesiae. Die XXIV augusti MDCLII.

Praeinsertum decretum confirmat.

§ 2. Cum autem firmiora sint ea, quibus Sedis Apostolicae accedit auctoritas, idcirco nos, supplicationibus dilectorum filiorum capituli et canonicorum dictae ecclesiae Ianuensis nobis desuper humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis vim et robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, quos illae concernunt et in futurum quomodolibet concernent, inviolabiliter et inconcusse observari,

§ 3. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae ecclesiae Ianuensis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII ianuarii MDCLIV, pontificatus nostri anno X.

– Dat. die 27 ianuarii 1654, pontif. anno X.

CLXXXIV.

Super subiectione nonnullorum conventuum iurisdictioni Ordinarii tamquam Sedis Apostolicae delegati[1].

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Statuta aliàs declarat.

§ 1. Ut in parvis regularium virorum conventibus (a sanctissimo domino nostro

1 Idem sanctissimus Pontifex suppressit parvos conventus, ut apparet in Constitutione supra relatâ, quae incipit, *Instaurandae*, quae etiam in praesenti Constitutione citatur.

Innocentio Papa X in constitutione, quae incipit *Instaurandae*, primum suppressis, ac deinde, ad ipsius constitutionis limites, ob rationabiles causas, in pristinum statum regularem restitutis et ipsis religionibus de novo concessis) pie et religiose vivatur, ac regularia instituta, quo exactius fieri potest, observentur, Sanctitas Sua, ex sententiâ sacrae congregationis super statu regularium, omnes et singulos conventus huiusmodi, sic, ut praefertur, restitutos et concessos, in litteris ab eâdem sacrâ congregatione expediendis nominatim exprimendos, ac personas tam regulares quam seculares in eis degentes visitationi, correctioni et omnimodae iurisdictioni Ordinarii loci, tamquam super hoc a Sede Apostolicâ delegati, praesentis decreti tenore, plene in omnibus subiecit, ac subiectas esse declaravit, donec ipsorum redditus eousque adaucti fuerint, ut in eis commode sustentari valeant, et cum effectu sustententur, duodecim religiosi ad apostolicorum decretorum praescriptum, idque eidem sacrae congregationi legitime constiterit, et eius decreto in singulis contingentibus casibus declaratum fuerit, non aliter. Interea vero voluit Sanctitas Sua ut in eorum singulis ali debeant et re ipsâ alantur sex saltem religiosi probatae vitae, ex quibus quatuor ad minus sint sacerdotes maturae aetatis; alioquin gratia restitutionis et concessionis huiusmodi nulla sit et invalida, et Ordinarii locorum in illis exequi possint ac debeant ea omnia, quae in aliis conventibus itidem suppressis per eamdem constitutionem ipsis demandantur, perinde ac si gratia praedictae restitutionis et concessionis non emanasset.

Sequuntur statuta.

§ 2. Insuper, quia multi sunt conventus, in quibus, etsi praefixus fuerit numerus religiosorum sufficiens ad observantiam regularis disciplinae, et idcirco in suppressione antedictâ non fuerint comprehensi, nihilominus, sive ob reddituum diminutionem, sive ob superiorum incuriam vel malam administrationem, sive ob carentiam religiosorum, aëris intemperiem, vel quamcumque aliam ob causam praedictus numerus cum effectu in eis non alitur, cum gravi detrimento regularis observantiae, Sanctitas Sua, intendens huic malum remedium adhibere, omnesque et singulos eiusmodi conventus, ut praefertur, non suppressos, cuiuscumque sint Ordinis, tam Mendicantium quam non Mendicantium, congregationis et instituti, etiam Societatis Iesu, aut granciae seu membra alterius monasterii existentes intra fines Italiae et insularum adiacentium, in quibus nunc non aluntur vel quandocumque actu non alentur saltem sex religiosi itidem probatae vitae, quorum ad minus quatuor, ut supra, sint sacerdotes maturae aetatis, eidem visitationi, correctioni et omnimodae iurisdictioni Ordinarii loci similiter ut Sedis Apostolicae delegati plene in omnibus, praesentis pariter decreti vigore, subiectos esse statuit, decrevit, ac declaravit.

Decretum Urbani VIII, validum declarat.

§ 3. Ceterum, quoad conventus cum pauciori numero quam duodecim religiosorum erectos post diem XXI iunii MDCXXV, et illorum subiectionem loci Ordinario, Sanctitas Sua voluit in suo robore permanere decretum sanctae memoriae Urbani VIII iussu editum, cui per praemissa aliquatenus derogare non intendit.

Derogat contrariis.

§ 4. Et praedicta omnia et singula in praesenti decreto statuta et ordinata voluit plenarium sortiri effectum, et executioni mandari, non obstantibus omnibus et singulis, quae in antedictâ constitutione voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, die X februarii MDCLIV, pontificatus anno X.

Dat. 10 februarii 1654, pontif. anno X.

CLXXXV.

Confirmatio litterarum Urbani VIII, pro congregatione Lateranensi canonicorum regularium Ordinis sancti Augustini, alienandi bona stabilia pro summâ centum millium scutorum, pro solutione montium cameralium[1].

Dilecto filio nostro Carolo Barberino S. R. E. diacono cardinali, S. Caesarei nuncupato, Innocentius Papa X.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva. Nuper, pro parte dilectorum filiorum abbatis generalis et visitatorum collegarum congregationis Lateranensis canonicorum regularium Ordinis sancti Augustini, nobis expositum fuit, quod, cum congregatio praedicta, ob vigentia in Lombardia et Pedemontio bella, ingenti aere alieno, cum camerâ nostrâ apostolicâ ratione montium cameralium nonnullorumque censuum pro solvendis montium suorum fructibus et aliorum de licentiâ Sedis Apostolicae creatorum, contracto adhuc gravata reperiatur, ipsi, habitis, cum participatione et consensu venerabilis fratris nostri Francisci episcopi Portuensis S. R. E. cardinalis Barberini nuncupati[2], eiusdem S. R. E. vicecancellarii, dictae congregationis apud nos et Sedem Apostolicam praedictam tunc temporis protectoris, pluribus inter se congressibus, quo eadem congregatio ab aere alieno huiusmodi liberari valeat, expensas quascumque per eamdem congregationem illiusque monasteria fieri solitas, quae praecise necessariae non sunt, licet illae a constitutionibus ipsius congregationis hactenus approbatae reperiantur, in posterum resecandas fore, ac praeterea singula dictae congregationis monasteria in propriâ dioecesi et provinciâ respective portiones aeris alieni praedicti, ipsa monasteria contingentes, pecuniis, ex creationibus et impositionibus annuorum censuum super eorumdem monasteriorum bonis respective, aut eorumdem bonorum ad longum tempus locationibus, seu etiam ipsorum bonorum minus utilium venditionibus, aut quocumque alio dictis monasteriis minus dispendioso modo colligendis, extinguere debere, reservato nostro et Sedis Apostolicae beneplacito, decreverunt et ordinaverunt.

Supplicatio. § 1. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, concessa abbatibus generalibus et visitatoribus dictae congregationis, ad effectum aes alienum huiusmodi extinguendi, per felicis recordationis Urbanum Papam VIII praedecessorem nostrum per suas in simili formâ Brevis die XX aprilis MDCXXXVII expeditas litteras, bona stabilia dictae congregationis pro summâ centum millium scutorum monetae romanae dumtaxat cum approbatione dicti Francisci cardinalis alienandi licentia, quam nos subinde per nostras in eâdem formâ Brevis die XXXI iulii MDCXLVI expeditas litteras confirmavimus et approbavimus, nondum totaliter executioni demandata sit, ipsique exponentes, quia idem Franciscus cardinalis congregationis huiusmodi protector esse desiit, facultatem approbandi alienationem bonorum stabilium huiusmodi pro eâ parte, pro qua licentia praedicta nondum consumpta est, tibi, qui eiusdem congregationis apud nos et Sedem praedictam protector existis, tribui summopere desiderent; cumque iidem exponentes plurimum vereantur, ne super executione decretorum et ordinationum, per eos, ut praefertur, factorum, particulares monasteriorum praedictorum superiores controversias et difficultates suscitent, quibus optata per eos

1 Consimilem facultatem alienandi bona stabilia tribuit Urbanus VIII congregationi Cassinensi ut in Const. DCII, *Aliàs*, tom. XIV, pag. 648.

2 Edit. Main. legit *nuncupato* (R. T.).

dictae congregationis ab aere alieno praedicto liberatio in grave eiusdem congregationis dispendium impediatur: idcirco iidem exponentes nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Supplicationem exaudit.

§ 2. Nos igitur, eorumdem exponentium votis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, eosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, cencensuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati necnon praedictarum Urbani praedecessoris et nostrarum litterarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, ac de tuâ prudentiâ et rerum agendarum peritiâ plurimum in Domino confisi, circumspectioni tuae, si et in quantum praedicta licentia alienandi bona stabilia dictae congregationis pro summâ centum millium scutorum monetae romanae dumtaxat nondum consumpta sit, ut praefertur, alienationes bonorum stabilium congregationis huiusmodi in omnibus et per omnia, quemadmodum dicto Francisco cardinali in vim praedictarum Urbani praedecessoris litterarum concessum reperitur, servatâ omnino earumdem litterarum formâ et dispositione, auctoritate nostrâ apostolicâ arbitrio tuo approbandi facultatem, eâdem auctoritate, tenore praesentium, tribuimus et impertimur;

Quaecumque valida et firma declarat.

§ 3. Decernentes ea, quae cum approbatione tuâ in exequutionem dictarum litterarum Urbani praedecessoris fient, perinde valida, firma et efficacia existere et fore, ac si cum approbatione dicti Francisci cardinalis facta fuissent. Ac insuper eidem circumspectioni tuae per easdem praesentes committimus et mandamus, quatenus, per te, vel alium, seu alios, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte exponentium praedictorum requisitus fueris, quoscumque particulares congregationis praedictae superiores ac canonicos regulares ad decreta (per ipsos exponentes facta pro bono dictae congregationis regimine circa resecationem[1] expensarum praecise non necessariarum per ipsam congregationem eiusque monasteria fieri solitarum, licet a constitutionibus hactenus, ut praemittitur, approbatae reperiantur, necnon super exinctione portionum aeris alieni praedicti singula monasteria huiusmodi contingentium per ipsa monasteria in propriâ dioecesi et provinciâ respective modis praemissis faciendâ), omni et quacumque appellatione, recursu et reclamatione postpositis, recipiendum, ac debitae exequutioni demandandum, opportunis iuris et facti remediis auctoritate nostrâ praedictâ arbitrio pariter tuo cogas et compellas.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus recolendae memoriae Pauli II, et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, necnon piae memoriae Bonifacii Papae VIII praedecessoris pariter nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, necnon congregationis et monasteriorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem congregationi illiusque monasteriis ac superioribus et canonicis

1 Male ut puto ed. Main. habet *refectionem* (R. T.).

regularibus in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III martii MDCLIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 3 martii 1654, pontif. anno X.

CLXXXVI.

Declaratio nullitatis novitatum et actuum iurisdictionalium in castro S. Caesarii factorum per ducem Mutinensem seu eius ministros aut eorum iussu.

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§ 1. Cum, sicut accepimus, nuper dilectus filius nobilis vir Franciscus dux Mutinensis aut eius ministri praetenderint factae [1], vel etiam fortassis, nullo tamen iure suffulti, indebite fecerint nonnullas assertas novitates et actus iurisdictionales in castro S. Caesarei eiusque territorio in confinibus nostri comitatus Bononiensis et ducatus Mutinensis sito, in quo iurisdictio merumque et mixtum imperium ad nos et Apostolicam Sedem etiam ratione supremi dominii ex variis [2] titulis et causis legitime spectat et pertinet, prout per diversas concessiones et litteras apostolicas et instrumenta aliasque scripturas et documenta antiqua et moderna constare dignoscitur: nos, qui iurium Sedis praedictae assertores a Domino constituti sumus, ne ex taciturnitate noster vel ministrorum consensus aut conniventia seu tolerantia in praemissis praesumi, vel per novitates et actus huiusmodi aliquod nobis et eidem Sedi praeiudicium illatum, dictoque duci ius etiam minimum in praedicto castro eiusque territorio acquisitum fuisse vel esse ullo unquam tempore praetendi possit, quantum cum Domino possumus providere volentes, necnon causarum, titulorum et concessionum, litterarum, instrumentorum, scripturarum et documentorum quorumcumque huiusmodi tenores, etiam veriores, aliaque necessario hîc exprimenda et inserenda, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas novationes et actus, ut praefertur, et aliàs quomodolibet in praefato castro per dictum Franciscum ducem aut eius ministros seu eorum iussu factas et factos cum inde sequutis quibuscumque, fuisse et esse ipso iure nullos et invalidos, et nullius plane roboris vel momenti, indebiteque et illicite, citra aliquam iurisdictionem, sed temere et clandestine factos, et de facto praesumptos, nullumque praeiudicium etiam minimum supremo nostrae et dictae Sedis dominio, aliisque iuribus nobis et eidem Sedi in dicto castro quomodolibet competentibus, intulisse, nec inferre, sed illa sarta tecta et illaesa ut prius remanere, neque novitates et actus huiusmodi ullum statum fecisse aut facere, nec duci praedicto et cuicumque alii ullum omnino ius aut titulum vel possessionem, seu quasi, tribuisse [1] vel tribuere, seu illis inde acquisitum fuisse quoquo modo praetendi, dici, censeri et intelligi unquam posse, sed, perinde ac si non emanassent, pro non factis perpetuo haberi debere, tenore prae-

Quaecumque facta in castro nulla declarat.

1 Videtur legendum *facere* pro *factae* (R. T.).
2 Ed. Main. legit *vaniis* pro *variis* (R. T.).

1 Edit. Main. habet *hibuisse* (R. T.).

sentium decernimus et declaramus; ac, ad abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, easdem novitates et actus hactenus factas et factos, aliosque quoscumque forsan in futurum quandocumque quomodolibet faciendos, cum omnibus et singulis inde secutis, motu, scientiâ, deliberatione, potestatis plenitudine, ac tenore paribus, annullamus, irritamus, cassamus, damnamus, viribusque et effectu evacuamus, adeout nullo unquam temporis cursu, etiam longissimo, et ultra metam[2] centum annorum, ulla praescriptio incipi, nec perfici, aut prorsus ullo modo induci, nullusque titulus inde oriri queat.

Praesentes validas declarat.

§ 2. Decernentes praesentes litteras, ac in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod dictus Franciscus dux, aut eius ministri, ac quicumque alii in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, ad ea vocati et auditi non fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae, aut alio quantumlibet magno, inexcogitato et substantiali defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aut aperitionis oris, aut quodcumque[3] aliud iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, aut etiam motu simili concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed easdem praesentes, cum omnibus et singulis in eis contentis, semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et quoscumque alios quacumque auctoritate fungentes, nunc et pro tempore existentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari, interpretari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria relata.

§ 3. Non obstantibus praemissis, et apostolicis, ac in conciliis universalibus provincialibusque et synodalibus editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, et, quatenus opus sit, nostrâ de non tollendo iure quaesito, et aliis nostris et cancellariae apostolicae regulis, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in contrarium praemissorum, etiam motu simili et consistorialiter, ac aliàs quomodolibet, emanatis, concessis, confirmatis, approbatis et pluries innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis et insèrtis formamque in illis traditam pro servatâ habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maio-

1 Edit. Main. legit *metem* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *quocumque* (R. T.).

rem, sub annulo Piscatoris, die XIV martii MDCLIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 14 martii 1654, pontif. anno X.

CLXXXVII.

Commissio octo episcopis Franciae ad capiendam informationem super epistolâ pastorali archiepiscopi Senonensis super libro Cornelii Iansenii, cui titulus Augustinus Cornelii Iansenii [1].

Venerabilibus fratribus archiepiscopo Arelatensi, ac episcopis Aniciensi et Conserano ac Matisconensi, necnon Meldensi et Rhedonensi, ac Macloviensi et Glandatensi,

Innocentius Papa X.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. § 1. Nuper[2] pervenit ad aures nostras, quod, in actu publicationis in dioecesi Senonensi Constitutionis per nos pridie kalendas iunii proxime praeteriti editae, qua quinque propositiones occasione libri impressi, cui titulus *Augustinus Cornelii Iansenii episcopi Iprensis*, excitatas, in eâdem Constitutione expressas, damnavimus sub poenis et censuris contra haereticos et eorum fautores in iure expressis, venerabilis frater Ludovicus Henricus de Gondrin, archiepiscopus Senonensis, quamdam epistolam pastoralem idiomate gallico, quae incipit; « Lovis Henry de Gondrin par la grâce de Dieu archevesque de Sens et primat des Gaules et de Germanie à nostres chers frères les doyens ruraux, etc., » sub datâ die XXIII septembris proxime praeteriti impressam Senonis apud Ludovicum Prussurot, ediderit et typis vulgaverit, seu edi et typis vulgari fecerit, in qua scandalosa, temeraria, schismatica et haeresim redolentia continentur.

§ 2. Quapropter nos, de eâ re diligentem informationem sumi volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ nostrâ fraternitatibus vestris per praesentes committimus et mandamus, ut, quam[1] primum hae vobis redditae fuerint, vos[2], aut saltem duo ex vobis, tamquam specialiter ad hoc a nobis delegati, super epistolâ huiusmodi, et an illa ab eodem Ludovico Henrico archiepiscopo seu eius iussu edita et vulgata fuerit, diligentem informationem, omni meliori et opportuniori qui vobis videbitur modo et viâ, capiatis, ac informationem desuper captam in scriptum authenticum redigi curetis, et ad nos transmittatis, ut quid hoc in negotio ad Dei gloriam, Fidei catholicae decus, nostrumque et Sedis Apostolicae honorem statuendum fuerit, maturâ consideratione adhibitâ, decernamus.

Contrariis derogat. § 3. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis, ac in conciliis universalibus, provincialibus et synodalibus editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac ecclesiae Senonensis, et quibusvis aliis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Similem vide supra pag. 745 (R. T.).

1 Videtur potius legendum *quum* (R. T.).

2 Perperam ed. Main. legit *nos* pro *vos* (R. T.).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI martii MDCLIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 16 martii 1654, pontif. anno X.

CLXXXVIII.

Canonici ecclesiae Hispalensis absolvuntur a censuris ob recursum ad iudices laicos incursis [3].

Dilecto filio magistro Amato Dunozetto, capellano nostro, et causarum sacri palatii apostolici auditorum decano,

Innocentius Papa X.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii decanus et capitulum ac canonici ecclesiae Hispalensis, quod, vertente inter decanum ac capitulum et canonicos huiusmodi ex unâ, necnon dilectos pariter filios priorem et fratres conventus S. Isidori *del Campo* nuncupati extra moenia civitatis Hispalensis Ordinis sancti Hieronymi ex alterâ partibus, super solutione decimarum et aliis articulis, coram iudice ecclesiastico in illis partibus lite et causâ, quae ad praesens in sacro Rotae Romanae auditorio coram te in gradu appellationis per dictos priorem et fratres interpositae pendens[1] indecisa, ab iisdem priore et fratribus recursus ad tribunalia secularia pro parte praedictorum decani ac capituli et canonicorum et ab eorum procuratore, nedum semel, sed iterum et pluries, habitos fuisse praetenditur.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefati prior et fratres ob praemissa litis praedictae prosecutionem impedire nitantur, idcirco iidem exponentes nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi de congruae absolutionis beneficio in iisdem praemissis providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut, constito tibi de narratis, eosdem exponentes, illorumque singulos, si hoc a te humiliter petierint, impositâ ipsis et eorum cuilibet arbitrio tuo aliquâ poenitentiâ salutari, ac renunciato prius per eos et eorum quemlibet quibusvis recursibus ad iudices laicos in causâ huiusmodi per eosdem exponentes seu eorum nomine quomodolibet habitis et factis, ac sine litis et collitigantium praeiudicio, et dummodo ipsi exponentes nullum ius de novo propterea acquirant, a quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis, per eos et eorum quemlibet praemissorum occasione quomodolibet incursis, auctoritate nostrâ apostolicâ absolvas et totaliter liberes, dictasque poenas illis et eorum cuilibet gratiose remittas et condones.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Contraria refellit.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II maii MDCLIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 2 maii 1654, pontif. anno X.

---

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Legendum *pendet* (R. T.).

CLXXXIX.

Iubilaeum pro Indiis Occidentalibus[1].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Salvator et Dominus noster Iesus Christus Dei Filius, cuius, licet immeriti, vices gerimus in terris, ad hoc nobis ligandi et solvendi potestatem tradere voluit, ut saluti eius gregis curae nostrae divinitus commissi paterno affectu ac sollicito studio intendamus.

Statuit iubilaeum pro populis Occidentalibus. § 1. Hinc est quod nos, considerantes christifideles in Indiis Occidentalibus commorantes ob maximam locorum distantiam et alia impedimenta ad hanc almam Urbem nostram pro consequendis caelestibus thesauris iubilaei anni praeteriti MDCL accedere non potuisse, propterea illorum animae saluti et spirituali consolationi consulere volentes, supplicationibus etiam charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus meritis nostris minime suffragantibus contulit, universis et singulis utriusque sexus christifidelibus in praedictis Indiis Occidentalibus illarumque provinciis, civitatibus, oppidis, terris et locis existentibus, qui ecclesias vel ecclesiam, ab Ordinariis locorum earumdem Indiarum, vel eorum vicariis, seu officialibus, aut de eorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hae nostrae litterae pervenerint, designandas vel designandam, spatio unius mensis, a publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum vicarios, seu officiales, vel alios, ut praefertur, faciendae computandi, saltem semel visitaverint, ibique Deum pro fidei catholicae protectione, eiusque ad hostium conatibus et insidiis defensione, haeresis extirpatione, principum christianorum pace et concordiâ, ac praesentibus Ecclesiae necessitatibus devote oraverint, ac feriâ quartâ, sextâ et sabbato alicuius hebdomadae intra dictum mensis spatium decurrendae ieiunaverint, atque peccata confessi sequenti saltem dominicâ die sanctissimum Eucharistiae sacramentum reverenter sumpserint, et eleemosynas ad libitum, prout charitas singulis suggesserit, fecerint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem sicut in anno iubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem concedi consuevit, tenore praesentium concedimus et elargimur; navigantes vero, aut iter agentes, ut, cum primum ad sua se se domicilia receperint, suprascriptis peractis, et visitatâ ecclesiâ cathedrali, vel maiori, aut parochiali loci eiusdem domicilii, eamdem indulgentiam consequi possint et valeant; regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque, tam laicis quam ecclesiasticis, secularibus vel regularibus, etiam in carcere, aut in captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, scilicet ieiunium, eleemosynam, ecclesiaeque seu ecclesiarum visitationem et orationem, vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa confessarius, quem ut infra elegerint, etiam in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere, quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus.

§ 2. Cupientes autem omnes illarum partium christifideles participes fieri hu-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

ius pretiosissimi thesauri, universis et singulis earumdem partium utriusque sexus, tam laicis quam ecclesiasticis, secularibus et regularibus, cuiusvis ordinis, congregationis et instituti, christifidelibus licentiam concedimus et facultatem damus, ut sibi ad hunc effectum quemcumque presbyterum confessarium, tam secularem quam cuiusvis ordinis regularem, ex approbatis a locorum Ordinariis, eligere possint, qui, eorum confessionibus diligenter auditis, ab omnibus excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quavis causâ latis seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive nobis et Sedi Apostolicae, etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, et aliàs per quascumque nostras et Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae, et hac vice tantum, eos, non tamen haereticos specialiter declaratos aut condemnatos vel publicatos, absolvere et liberare valeat; et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentiâ salutari, aliisque eiusdem confessarii arbitrio iniungendis. Quapropter, tenore praesentium, in virtute sanctae obedientiae, districte praecipimus et mandamus omnibus et quibuscumque venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum in praedictis Indiis Occidentalibns existentium[1], eorumque vicariis et officialibus, vel, eis deficientibus, illis qui curam animarum inibi exercent, ut, cum praesentium litterarum transumpta, aut exempla, etiam impressa, acceperint, illa statim, absque ullâ morâ, retardatione, vel impedimento, per suas ecclesias et dioeceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicent et publicari faciant, ecclesiamque seu ecclesias visitandas designent.

Transumpta litterarum publicari mandat.

§ 3. Non intendimus autem per praesentes super aliquâ irregularitate publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquo modo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae, neque etiam easdem praesentes iis, qui a nobis et Apostolicâ Sede, vel ab aliquo praelato, seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi infra tempus celebrationis huiusmodi iubilaei satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

Contraria reiicit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles iubilaei, indulgentiarum et facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque ordinum et congregationum, sive institutorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem ordinibus, congregationibus et institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, appro-

1 Potius lege *existentibus* (B. T.).

batis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua exquisita forma ac hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac formam in eis traditam pro servatâ habentes, hac vice specialiter, nominatim et expresse ad effectum praesentium derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Ut autem praesentes nostrae litterae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earumdem praesentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, ubique locorum et gentium eadem fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII iunii MDCLIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 12 iunii 1654, pontif. anno X.

CXC.

Confirmatio concordiae initae inter episcopum Constantiensem, tamquam abbatem perpetuum monasterii Augiae Ordinis sancti Benedicti apostolicâ auctoritate constitutum, et monachos huiusmodi super statu et gubernio dicti monasterii[1].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Illis, quae pro stabiliendâ inter personas ecclesiasticas pace et concordiâ provide facta fuisse dignoscuntur, ut semper firma subsistant et exactius serventur, libenter, cum a nobis petitur, confirmationis apostolicae patrocinium adiungimus, prout in Domino conspicimus expedire.

Tenor capitulorum cardinalium Concilii Tridentini quibus hoc negotium discutiendum commissum fuerat.

§ 1. Sane, pro parte venerabilis fratris episcopi Constantiensis, ac dilectorum filiorum monachorum monasterii Augiae Divitis nuncupati, Ordinis sancti Benedicti, Constantiensis seu alterius dioecesis, nobis nuper expositum fuit, quod inter ipsum episcopum, tamquam perpetuum abbatem monasterii praedicti auctoritate apostolicâ constitutum, ex unâ, necnon monachos praedictos ex alterâ partibus inita fuit concordia ab iisdem monachis capitulariter acceptata et ab utrâque partium subscripta et signata, necnon mediante instrumento publico iurata, cuius concordiae capitulorum tenor, additis[1] illi per venerabiles fratres nostros sanctae Romanae Ecclesiae cardinales Concilii Tridentini interpretes, quibus hoc negotium discutiendum remisimus, aliquot verbis, est qui sequitur, videlicet:

« Illustrissimus episcopus, tamquam perpetuus abbas monasterii Augiae Divitis, Ordinis sancti Benedicti, in exequutione unionis per pontificias constitutiones factae, possit libere uti iure suo visitandi personaliter monasterium toties quoties voluerit;

Quando vero personaliter noluerit, vel non potuerit, tunc mittat visitatores ecclesiasticos seculares, adiuncto tamen regulari, a domino episcopo deputando, a congregatione Helvetiâ vel Svevâ, qui saltem semel in anno visitare debeant;

Dominus episcopus, tamquam perpetuus abbas in dictis Bullis constitutus, possit ad nutum constituere vel destituere priorem in dicto monasterio ex ipsis conventibus assumendum; si vero domini visitatores in visitatione apprehenderint ex

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Male edit. Main. legit *additus* (R. T).

rationabilibus causis aliunde esse assumendum, tum possit assumere ex alterutrâ congregatione; et, si quispiam conventualium se senserit gravatum a dicto priore, possit, petitâ, licet non obtentâ, ipsius licentiâ, recurrere ad dominum episcopum; prout etiam, si[1] gravatum se sentiat a domino episcopo, possit, petitâ, etsi non obtentâ, ab illo licentiâ, absque ullo impedimento ad illustrissimum dominum nuncium recursum habere[2], seu ad sanctam Sedem Apostolicam;

Dominus episcopus debeat monachis praestare alimenta in frumento, vino et pecuniis iuxta designationem (cum gratiosâ promissione rationabilis additamenti, prout monasterii proventus et necessitates permittent, et status conventus exiget) factam et sufficientem sic approbatam a reverendissimis dominis abbatibus S. Galli Einsidlensis et Vevigactensis, qui ad compositionem aliàs fuerunt adhibiti, quae praestatio fieri debeat sequenti modo, videlicet:

Vinum dabitur, sine diminutione, tempore commodo cum iam fuerit defaecatum[3]; frumenta vero intra festa S. Martini et Purificationis beatae Mariae Virginis;

De pecuniis vero, quae[4] dominus episcopus singulis annis debet, solvat centum florenos in pecuniâ numeratâ singulis angariis[5]; residuum vero dictarum pecuniarum etiam solvere sataget in pecuniâ eodem adhuc anno; quod si non potuerit, teneatur dare equivalens receptibile, et bonae qualitatis, cum interventu prioris sive oeconomi conventus;

Beneficia simplicia regularia monasterii, quae conventuales modo tenent, illis, imo eisdem personis sine rationabili causâ non adimantur, salvo iure fundationum; ceterum si vacaverint, possint ea humiliter a domino episcopo petere, qui faciet prout sibi bonum et aequum in Domino visum fuerit;

Ecclesiae Schinensis vicarius a domino episcopo constituatur ad eius nutum amovibilis, qui debeat assumi ex conventualibus Augiensibus ultra numerum duodenarium, quem ibi dominus episcopus pro choro alere debet; ex proventibus vero et fructibus ipsius ecclesiae, demptis alimentis pro domino vicario ac oneribus ipsi incumbentibus, reliquum applicetur pro reparatione ecclesiae ac aedium et conservatione bonorum ipsius; si vero ulterius quidpiam supererit applicetur in utilitatem ecclesiae et conventus Augiensis; dictusque vicarius visitari debeat ab iisdem visitatoribus eo modo quo superius de visitatione monasterii Augiensis dictum est, rationesque suae administrationis singulis annis, vel toties quoties opus fuerit, dare debeat iisdem visitatoribus;

Pater prior singulis annis, vel toties quoties opus fuerit, teneatur domino episcopo, seu visitatoribus, rationes reddere; et, si quid tam de assignato, quam de propriis bonis, vel patrimoniis a monachis importatis, seu importandis, superfuerit, non applicetur mensae episcopali, sed convertatur ad utilitatem ecclesiae, atque conventus Augiensis, audito ad hoc ipso conventu;

Iuvenes monasterii ad studia habiles etiam philosophiae vel theologiae studiorum capaces non negligantur dictis studiis applicari, sed illos dominus episcopus ad aliquam academiam vel monasterium alere debeat;

Sacras reliquias aliaque ad sacrarium spectantia conventuales sub suâ custodiâ

1 Male edit. Main. legit *etiamsi* pro *etiam*, *si* (R. T.).

2 Verbum *habere* nos addimus (R. T.).

3 Ed. Main. habet *defaetatum* (R. T.).

4 Oporteret legere *quas* (R. T.).

5 Nescio an *Augiensibus* pro *angariis* legendum (R. T.).

et clavibus habebunt, relicto in manibus domini episcopi inventario; smaragdus vero in aliâ separatâ et bene munitâ cistâ in ipso etiam sacrario sub duabus clavibus, quarum una penes dominum episcopum in Augiae archivio, altera penes conventum erit, custodiatur, ita ut ex superiori parte cistae cerni possit;

Item super omnibus debet fieri instrumentum a publico notario, et postea nomina utriusque partis supplicari Sanctissimo pro huius concordiae et transactionis confirmatione ».

Sacrae congregationis Concilii rescriptum.

« Die XV novembris MDCLIII[1] sacra congregatio eminentissimorum cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit supradictam concordiam a sanctissimo domino nostro remissam posse (si Suae Sanctitati placuerit), additis in eâ verbis in margine adnotatis, confirmari ».

PETRUS ALOYSIUS cardinalis CARAFA.

Loco † Sigilli.

FRANCISCUS PAULUTIUS, C. C. secr.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedicti episcopus et monachi praeinserta capitula concordiae huiusmodi apostolicae confirmationis munere roborari summopere desiderent: nos, eosdem episcopum et monachos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorumdem episcopi et monachorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de praedictorum cardinalium consilio, capitula praeinserta cum omnibus et singulis in eis, ut praefertur, contentis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Praesentes confirmat.

§ 3. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sique et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sedis Apostolicae nuncios, et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, iudicari, ac definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, felicis recordationis Pauli II et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus ecclesiae non alienandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiae Constantiensis, ac Ordinis et monasterii huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII iunii MDCLIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 18 iunii 1654, pontif. anno X.

1 Male, ut puto, ed. Main habet *1635* (R. T.).

CXCI.

Erectio Montis pietatis in civitate Cracoviensi, cum assignatione dotis[1].

Venerabili fratri Petro episcopo Laudiensi, apud charissimum in Christo filium nostrum Ioannem Casimirum Poloniae et Sveciae regem illustrem nostro et Apostolicae Sedis nuncio,

Innocentius Papa X.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Salvatoris et Domini nostri Iesu Christi, qui fideles suos ad pietatis et christianae charitatis opera in pauperes et egenos misericorditer exercenda plurimum hortatus est, vices, licet immeriti, gerentes in terris, ad ea per quae eorumdem pauperum et egenorum indemnitati, necessitatibusque consulitur, et dispendiis occurritur, paternâ, qua tenemur, charitate libenter intendimus, ac in his officii nostri partes, cum a nobis petitur, favorabiliter interponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Supplicatio. § 1. Sane, nomine venerabilis fratris moderni episcopi Cracoviensis nobis nuper expositum fuit, quod, cum episcopis Cracoviensibus suis praedecessoribus, ac ipsimet moderno episcopo, in litteris apostolicis super provisionibus de eorum personis in episcopos Cracovienses respective expeditis, fuerit inter alia iniunctum, ut in civitate Cracoviensi Montem pietatis erigant, fuerunt ad hunc effectum deposita decem nummorum aureorum Hungariorum millia, ipseque modernus episcopus aliam notabilem pecuniarum summam ad eumdem effectum contribuere paratus est, ut eo modo pauperum suarum civitatis et dioecesis Cracoviensis necessitatibus peramplius consulatur. Nobis propterea humiliter supplicari fecit idem episcopus, ut, pauperum praedictorum necessitatibus consulentes, Montem pietatis praedictum erigere, ac aliàs ut infra opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Erigit Montem pietatis in civitate Cracoviensi. § 2. Nos igitur, qui honestis petentium votis, praesertim pauperum subventionem respicientibus, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, praedictum episcopum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, si et postquam dictus episcopus, tam praedicta decem nummorum Hungariorum millia, quam aliam ab ipso contribuendam summam, pro stabilimento et manutentione dicti Montis assignaverit, in praefatâ civitate unum Montem pietatis, ut praefertur, nuncupandum, in quo idem episcopus dictas pecuniarum summas, necnon quascumque alias pecunias per quoscumque christifideles pro huiusmodi pauperum subventione inibi pro tempore erogandas, reponere, ac dictis pauperibus et egenis subvenire, pecunias huiusmodi eis in suis necessitatibus mutuando, ac pro huiusmodi mutuo pignora ab eis valoris dupli vel tripli summae mutuatae recipere seu recipi, ac illa debite custodire, seu custodiri facere, ita tamen, ut ii, qui ipsas pecunias mutuo, ut praefertur, acceperint, eas in termino illis praefigendo, qui erit ad minus unius anni, restituere teneantur, alioquin, dicto termino elapso, ipsius Montis officiales, pignora ipsa, ad illorum subhastationem[1] deveniendo, plus offerenti

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Edit. Main. habet *substentationem* pro *subhastationem* (R. T.).

vendere, et a pecunias mutuo accipientibus non ultra summam trium pro quolibet centenario et anno (vel minus, si ita expedire iudicaveris, dummodo tamen impensas[1] non excedat, quae in dicti Montis officialium mercedis et salarii solutionem et aliorum eius onerum supportationem convertantur) exigere possint et debeant, auctoritate nostrâ apostolicâ perpetuo sine alicuius praeiudicio erigas, et instituas[2]; illique sic erecto et instituto pro eius dote praedictas pecuniarum summas, necnon quaecumque bona mobilia et immobilia, iura, res et proprietates et eleemosynas per quoscumque christifideles erogandas et elargiendas, ex nunc prout ex tunc, et e contra, postquam erogata et elargita fuerint, dictâ auctoritate etiam perpetuo applices et appropries; ac insuper eidem episcopo, illiusque successoribus ecclesiae Cracoviensis praesulibus, seu administratoribus, ut praedictum Montem, eiusque res, bona mobilia et immobilia, fructus, redditus, proventus, iura et emolumenta quaecumque, per se, vel alium, seu alios ad id ab eis deputandos, regere, gubernare et administrare, ita tamen, quod ab eis deputandi de gestis et administratis per eos ratione dicti Montis quotannis eidem moderno et pro tempore existenti episcopo Cracoviensi iuxta sacri Concilii Tridentini decretorum dispositionem rationem reddere teneantur; ac eidem episcopo, pro feliciori dicti Montis, illiusque personarum, officialium et bonorum huiusmodi regimine et administratione, ut quaecumque statuta, ordinationes, capitula et decreta, licita tamen et honesta, sacrisque canonibus et eiusdem Concilii Tridentini decretis, ac constitutionibus apostolicis non[3] contraria, et a te seu pro tempore existente nostro et Sedis Apostolicae inibi nuncio examinanda et approbanda, facere, edere et condere, ac, quoties pro rerum et temporum qualitate vel aliàs expediens videbitur, illa, praevio examine et approbatione similibus, alterare, corrigere, reformare, ac in toto vel in parte mutare, aliaque, ut praefertur examinanda et approbanda, ex integro et de novo condere et edere possint et valeant, eâdem auctoritate perpetuo similiter concedas et indulgeas; eosque desuper a quoquam molestari, perturbari aut inquietari nullatenus posse, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari[1].

§ 3. Non obstantibus apostolicis, necnon in universalibus provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Contraria tollit.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI iulii MDCLIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 31 iulii 1654, pontif. anno X.

1 Legerem *impensa* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *institutas* (R. T.).
3 Particulam *non* nos addimus (R. T.).

CXCII.

Confirmatio ministri generalis fratrum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis captivorum, hac tamen lege adiectâ, ut singulis sexenniis convocari debeat capitulum generale[2].

Innocentius Papa X, ad futuram rei memoriam.

In eminenti Sedis Apostolicae speculâ, meritis licet imparibus, per abundantiam divinae misericordiae, universalis Ecclesiae regimini praesidentes, et religiosorum virorum sub suavi religionis iugo Altissimi Exordium.

1 Subde *decernas* vel *decernimus* (R. T.).
2 Istius Ordinis materiam et confirmationem privilegiorum habes ad Const. LV Gregorii XV, *Iniuncti*, tom. XII, pag. 683.

obsequiis addictorum tranquillitati et felici directioni, quantum nobis ex alto conceditur, libenter intendimus, ac desuper officii nobis divinitus commissi partes interponimus, prout, maturâ consideratione adhibitâ, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Committit discussionem electionis fratris Claudii in ministrum generalem Ordinis Redemptionis Captivorum.

§ 1. Sane, pro parte dilecti filii Claudii Rallae, fratris expresse professi Ordinis sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum, nobis nuper expositum fuit, quod, cum, post obitum Ludovici Petit, totius Ordinis praedicti dum vixit ministri generalis (intimatâ quatuor provinciis eiusdem Ordinis, Franciae scilicet, Picardiae, Campaniae et Normandiae, quibus ius eligendi ministrum generalem Ordinis huiusmodi, dum pro tempore idem Ordo ministro generali destitutus est, ex immemorabili tercentorum et amplius annorum consuetudine privative ad alias dicti Ordinis provincias, ut asseritur, competit, futuri ministri generalis in locum eiusdem Ludovici defuncti immediate faciendâ electione), de anno MDCLII in conventu S. Maturini Parisiensis Ordinis huiusmodi praedictus Claudius, tunc eiusdem conventus minister, in ministrum generalem dicti Ordinis canonice cum omnibus modis, formis et solemnitatibus in similibus hactenus servari solitis electus fuisset, ipseque Claudius electionis huiusmodi confirmationem de more antecessorum suorum in praedicti Ordinis ministros generales similiter electorum a nobis et Sede Apostolicâ humiliter petiisset, nos electionis praedictae examen, totiusque rei discussionem venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositis commisimus.

Supplicatio fratris Claudii.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dilecti pariter filii provinciarum Hispaniae et Italiae dicti Ordinis provinciales contra eamdem electionem insurrexerint, illamque, motâ desuper lite et controversiâ, ex diversis capitibus, videlicet ex eo, quod ipsis non vocatis nec intimatis, contra regulas, seu statuta eiusdem Ordinis, necnon iuris communis, et quarumdam constitutionum felicis recordationis Innocentii III, Clementis IV Romanorum Pontificum praedecessorum Ordinis praedicti confirmatoriarum dispositionem, facta fuisset[1], quodque aliàs tunc existentes provinciales provinciarum Hispaniae et Italiae huiusmodi similibus electionibus, et signanter de annis MCDLXXIII, MDII et MDIX respective, licet cum protestatione intervenissent, nullam et invalidam esse praetenderint: nobis propterea idem Claudius humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Electionem fratris Claudii confirmat.

§ 3. Nos igitur, dictum Claudium specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de eorumdem cardinalium, quibus praedictas supplicationes examinandas commisimus, consilio, ad evitanda incommoda, quae facile oriri possent, si diutius Ordo praedictus sine capite permaneret, praenarratam electionem de personâ dicti Claudii, super idoneitate ac zelo multipliciter commendati, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et quoscumque defectus, qui quomodolibet desuper

1 Male edit. Main. legit *factam fuisse* (P. T.).

interverenerint, supplemus, salvis tamen iuribus in futurum utriusque partis, tam in petitorio, quam in possessorio: hac tamen lege adiectâ, ut singulis sexenniis convocari debeat capitulum generale dicti Ordinis, loco et tempore a capitularibus in immediate precedentibus capitulis generalibus ipsius Ordinis designandis, cum interventu ipsiusmet ministri generalis, omniumque provincialium totius Ordinis huiusmodi, cum uno socio pro quolibet a singulis provinciis eiusdem Ordinis in antecedenti earum capitulo provinciali eligendo, et in eo sine personarum exceptione secundum Deum, sacrosque canones et Ordinis huiusmodi instituta, delinquentium tam superiorum quam subditorum quorumcumque corrigantur excessus, ac de salute animarum et de conservatione ipsius Ordinis eiusque domorum indemnitate tractetur, et statuatur quod fuerit regulariter statuendum.

§ 4. Et, quoniam non sine magnâ admiratione compertum est, religionem praedictam in praecipuis Europae regnis diffusam, cuius quamplurimi conventus viris cum doctrinâ tum pietate efflorescunt, constitutiones generales non agnoscere, quibus communiter gubernetur: ideo venerabili frâtri nostro Martio episcopo Albanensi S. R. E. cardinali Ginetto nuncupato, Ordinis praedicti apud nos et Sedem Apostolicam protectori, per easdem praesentes iniungimus, ut pro hac primâ vice capitulum generale dicti Ordinis, quamprimum fieri poterit, in hac almâ Urbe convocari faciat, in quo ipse minister generalis et alii praedicti, sub poenis arbitrio nostro in casu contraventionis incurrendis, interesse, ibique statuta, constitutiones, ordinationes, ac omnia et singula, quae in spiritualibus ac temporalibus ipsius religionis ac regularis disciplinae statum, gubernium, observantiam et indemnitatem quoquo modo concernere poterunt per totum Ordinem praedictum servanda, proponi et definiri debeant, quae tamen, antequam publicentur, congregationi eorumdem cardinalium examinanda, corrigenda et approbanda exhibeantur.

Clausulas addit.

§ 5. Decernentes praesentes litteras validas firmas et efficaces existere et fore, et ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque, iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria removet.

§ 6. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus et provincialibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Ordini, eiusque superioribus, ac provinciis et fratribus quibuscumque in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII augusti MDCLIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 12 augusti 1654, pontif. anno X.

CXCIII.

Quod commendatarii, monasteria Ordinis Cisterciensis in commendam obtinentes, non possint priores et officiales eiusdem Ordinis instituere ac desti-

tuere, nec visitare monachos, aut eosdem corrigere.

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Pastoralis officii nobis divinitus commissi partes esse cognoscimus, ut, religiosorum virorum in humilitatis spiritu sub suavi religionis iugo Altissimi obsequiis mancipatorum commodis et felici directioni intendentes, illos a dispendiis quibuslibet, quantum nobis ex alto conceditur, asseramus [1].

Supplicatio contra commendatarios. § 1. Sane, pro parte dilecti filii Claudii, abbatis generalis Ordinis Cisterciensis, per eius procuratorem nobis nuper expositum fuit, quod, licet peculiaria Ordinis praedicti privilegia, a quampluribus Romanis Pontificibus et signanter a felicis recordationis Pio II, Sixto V, Innocentio VIII, Pio IV, Pio V et Gregorio XIII praedecessoribus nostris concessa et confirmata, respective disponant ac declarent, quod commendatarii, monasteria dicti Ordinis in commendam obtinentes, nullam in monasteriis sibi commendatis [2], quoad eorum monachos iurisdictionem exerceant, sed visitatio ad abbatem Cistercii et quatuor primores, quemlibet in suâ generatione, iuxta formam antiquorum privilegiorum, pertineat, ac monachi ipsorum monasteriorum commendatorum dictum abbatem Cistercii et primos quatuor ac eorumdem commissarios ad eamdem visitationem recipere et in eorum manibus professionem emittere debeant; commendatarii vero ne quempiam propter delictum eiiciant, sed, quotiescumque monachi quid admiserint, quod quidem animadversione dignum sit, id quamprimum priori claustrali vel commissario significent, qui correctionem iuxta Ordinis praedicti statuta faciat, ac demum prior et subprior in iisdem commendatis seu commendandis monasteriis, officiales spirituales et temporales, dicti Ordinis professi, et non seculares, per commendatarios, etiamsi S. R. E. cardinales fuerint,[1] instituantur; et propterea sacri Concilii Tridentini decreto sess. XXV, cap. XX statutum reperiatur, ut priores claustrales, ac in prioratibus conventuum [2] habentibus superiores, qui correctiones et spirituale regimen exercent, a capitulis generalibus, vel ipsorum Ordinum visitatoribus instituantur; ac insuper a congregatione venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium, negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ, resolutiones praemissis ac constitutionibus apostolicis innixae emanaverint die II augusti MDCXLVII, quibus tunc existenti nostro et Sedis Apostolicae in regno Poloniae nuncio iniunctum fuit, ut serio invigilaret ne commendatarii huiusmodi, et signanter dilectus pariter filius Alexander Donhoff commendatarius monasterii Andreoviensis Ordinis praedicti, Cracoviensis dioecesis, circa officialium electiones vel circa monachorum vitam et mores ceteraque institutum regulare spectantia, se ingererent: nihilominus iidem commendatarii passim et in primis praedictus Alexander Donhoff in vim litterarum apostolicarum super eorumdem monasteriorum commendis expeditarum, in quibus huiusmodi monasteriorum cura, regimen et administratio tam in spiritualibus quam temporalibus plenarie committitur, praetendunt ius instituendi ac destituendi priores et officiales, claustrales, visitandi, corrigendi, statuendi, ordinandi et exercendi ea quae istitutum regulare contingunt, eorumdemque commendatariorum nonnulli, non contenti redditibus ac fructibus, quorum maiorem partem ex opu-

1 Quid prò *asseramus* legendum nescio (R.T.).
2 Ed. Main. h. *monasterio... commendata* (R.T).

1 Praeintellige partic. negat. *ne* (R. T.).
2 Forsan legendum *conventum* (R. T.).

lentioribus dicti Ordinis monasteriis colligunt, in alienam insuper messem, veluti in electiones ac depositiones priorum et subpriorum, aliorumque officialium, ac etiam in visitationes et monachorum correctiones, falcem mittere praesumentes, praedicta privilegia et constitutiones apostolicas contemptui habent in grave eiusdem Claudii abbatis imo universi Ordinis praedicti iurium praeiudicium.

Confirmat prout in rubricâ.

§ 2. Quare idem Claudius abbas nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, dictum Claudium abbatem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de praedictorum cardinalium consilio, inhaerentes praeallegatorum Summorum Pontificum praedecessorum nostrorum privilegiis Ordini Cisterciensi huiusmodi concessis, ac decreto eiusdem sacri Concilii Tridentini, ac resolutionibus aliàs desuper factis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus, decernimus ac statuimus non licere commendatariis priores, subpriores, aut officiales claustrales instituere ac destituere, visitare monachos, eosdemque corrigere, nec facultates eisdem in litteris apostolicis concessas et expressas, prout supra, ad ea quae institutum regulare concernunt, ac, tenore praelibatorum privilegiorum et sacri concilii dispositione, monastico regimini relinquuntur, trahi posse ac debere.

Exequutores deputat.

§ 3. Ideoque dilectis filiis nostris et Sedis praedictae nunciis, sive etiam locorum Ordinariis, vel dicti Ordinis conservatoribus, per easdem praesentes iniungimus, ut, quotiescumque requisiti fuerint, ab eiusmodi vexationibus ac violentiis manifestis commendatarios per censuras et alia iuris remedia, implorato etiam, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, cohibeant et compescant, salvâ semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes praesentes litteras semper validas, firmas et efficaces existere et fore, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque in iisdem praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, et irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac recolendae memoriae Bonifacii Papa VIII de unâ, et in concilio generali[1] editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon praedicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentibus fidem addit.

§ 6. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu ali-

1 Edit. Main. legit *generalis* (R. T.).

cuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV septembris MDCLIV, pontificatus nostri anno XI[1].

Dat. die 25 septembris 1654, pontif. anno XI.

CXCIV.

Suppressio tituli cardinalatus ecclesiae S. Agnetis in Agone, et erectio similis tituli in ecclesiâ eiusdem S. Agnetis extra moenia Urbis[2].

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. § 1. Hodie in consistorio nostro secreto, ut moris est, titulum[3] presbyteri cardinalis S. R. E., quo ecclesia S. Agnetis in Agone de Urbe olim insignita fuerat, et quam aliàs dilectus filius noster Baccius eiusdem S. R. E. presbyter cardinalis Aldobrandinus nuncupatus pro titulo sui cardinalatus obtinens in manibus nostris sponte et libere dimisit, de fratrum nostrorum consilio, perpetuo suppressimus; ac, ecclesiae eiusdem S. Agnetis extra moenia dictae Urbis honori et dignitati consulere volentes, illam in titulum unius eiusdem S. R. E. presbyteri cardinalis pro uno tituli S. Agnetis extra moenia Urbis presbytero cardinali, de simili consilio, auctoritate apostolicâ, perpetuo ereximus et instituimus; eamque tituli S. R. E. cardinalis nomine ac[4] dignitate insignivimus et decoravimus, ac aliorum titularium Ecclesiae Romanae presbyterorum cardinalium ecclesiarum numero favorabiliter aggregavimus; volentes ac etiam statuentes et decernentes, quod illa omnibus et singulis honoribus, insigniis, privilegiis, auctoritatibus, praeeminentiis, quibus aliae presbyterorum cardinalium ecclesiae, in similes titulos per Romanos Pontifices praedecessores nostros antiquius erectae et institutae, de iure, consuetudine et aliàs utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere quomodolibet poterunt in futurum, uti, potiri et gaudere libere et licite valeat; et insuper praedictum Baccium cardinalem, nuper tituli, ut praefertur, suppressi S. Agnetis in Agone presbyterum cardinalem, a vinculo, quo ecclesiae S. Agnetis in Agone huiusmodi, cui tunc praecerat, tenebatur, absolventes, illum ad eamdem ecclesiam S. Agnetis extra moenia Urbis ab eius primaevâ erectione huiusmodi tunc vacantem, et ab eo de more optatam, de simili consilio transtulimus, ac illum, quoad vixerit, dictae ecclesiae S. Agnetis extra moenia Urbis in presbyterum cardinalem praefecimus, curam, regimen et administrationem eiusdem ecclesiae sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, necnon cum eodem Baccio cardinali, ut statum suum iuxta cardinalatus sublimitatem decentius tenere, et expensarum onera, quae ipsum iugiter de necessitate subire oportebat, facilius perferre valeret, quod etiam, postquam in vim translationis et praefectionis praedictarum pacificam possessionem, seu quasi, regiminis et administrationis dictae ecclesiae S. Agnetis extra moenia Urbis ac illius bonorum seu maioris partis eorum assecutus foret, omnia et singula beneficia ecclesiastica, cum curâ et sine curâ, secularia et quorumvis Ordinum ac etiam hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani et aliarum militiarum regularia, quae tempore translationis et praefectio-

1 Male edit. Main. legit X (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.
3 Male edit. Main. legit *titulus* (R. T.).
4 Coniunct. *ac* nos addimus (R. T.).

nis earumdem ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis in titulum, commendam et administrationem ac aliàs obtinebat, necnon in quibus et ad quae ius sibi quomodolibet competebat, quaecumque, quotcumque et qualiacumque essent, etiamsi secularia, canonicatus et praebendae, dignitates etiam maiores, et principes[1], personatus, administrationes, vel officia, etiam curata et electiva, in cathedralibus etiam metropolitanis vel collegiatis ecclesiis, regularia vero beneficia huiusmodi, monasteria etiam consistorialia, prioratus, praeposituraе, praepositatus, dignitates, etiam conventuales, personatus, administrationes vel officia etiam claustralia curata et electiva, ipsaque tam secularia quam regularia beneficia huiusmodi de iure patronatus laicorum et nobilium et illustrium, ac eorum et clericorum mixtim, etiam ex fundatione et dotatione, et inter ipsum Baccium cardinalem et seu quoscumque alios in Romanâ curiâ vel extra eam litigiosa existerent, etiam ut prius, quoad viveret, etiam unâ cum dictâ ecclesiâ S. Agnetis extra moenia Urbis, quamdiu illi praeesset, retinere, ac ius sibi in illis vel ad illa competens prosequi, et non deductum deducere, necnon quibusvis regressibus, accessibus et ingressibus, ac regrediendi, accedendi et ingrediendi ad quasvis ecclesias, etiam cathedrales et metropolitanas, primatiales et patriarchales, necnon monasteria, etiam consistorialia, prioratus, praepositurаs, praepositatus, canonicatus et praebendas, dignitates, et maiores et principales, personatus, administrationes et officia, ac alia beneficia quaecumque et ut praefertur qualificata, necnon conferendi beneficia et officia ad eius collationem, provisionem, praesentationem, nominationem, institutionem et quamcumque aliam dispositionem pro tempore pertinentia, ac personas idoneas ad illa pro tempore vacantia praesentandi, nominandi ac aliàs de illis disponendi, ac fructus, redditus et proventus ecclesiasticos ac pensiones annuas sibi quomodolibet reservatas et assignatas transferendi, necnon de bonis et aliis rebus ad ipsum Baccium cardinalem tunc et pro tempore spectantibus et pertinentibus, et quae ad eum eatenus pervenerant et in futurum pervenirent, testandi, ac quibusvis aliis facultatibus, concessionibus, gratiis, dispositionibus et indultis sibi concessis uti, et sub illis comprehensa, ac, si illa evincant[1], litigiosa beneficia huiusmodi, etiamsi ad illa regrediendi seu accedendi et ingrediendi facultas aliquibus personis et S. R. E. cardinalibus et de ipsius Baccii cardinalis consensu concessa existant[2], consequi, et in titulum, commendam et administrationem (ita quod sibi liceret de fructibus, etc., illorum disponere) retinere, necnon quoscumque fructus, etc. ecclesiasticos loco pensionum annuarum, seu quascumque pensiones super similibus fructibus, etc. sibi reservatos et assignatos percipere, exigere et levare libere et licite valeret, quoad viveret, motu proprio, auctoritate apostolicâ, dispensavimus.

Decretum irritans.

§ 2. Decernentes propterea monasteria necnon alia beneficia obtenta ac iura non vacare, et commendas administrationemque non cessare, ac regressus, accessus et ingressus, seu regrediendi, accedendi et ingrediendi, ac conferendi et transferendi, ac testandi, aliasque facultates, ac renunciationes fructuum, etc. pensionesque huiusmodi non expirare, neque extinctas esse; irritumque quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari;[3] necnon quibusvis con-

1 Videretur legendum *principales* (R. T.).

1 Forsan legendum *evincat* (R. T.).
2 Potius legendum *existat* (R. T.).
3 Deest *non obstantibus praemissis* (R. T.).

stitutionibus et ordinationibus apostolicis, et dictarum ecclesiarum et quibusvis aliis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu simili, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis; etiamsi in eis inter alia caveatur expresse, quod ecclesia huiusmodi in titulum cardinalatus nullo unquam tempore erigi possit, sique illam etiam per nos in titulum cardinalis erigi contingat, erectio huiusmodi nulla sit; illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, eâ vice plenissime derogavimus; et insuper voluimus et concessimus ecclesias, monasteria et beneficia, etc., huiusmodi, illorumque omnium qualitates, et maioritatis, principalitatis et conventualitatis, necnon invocationes, denominationes, situationes, annexas civitates, dioeceses, ordines, dependentias et illorum fructuum, etc., secundum communem vel librorum camerae apostolicae taxationem, veros annuos valores, ac fructuum, etc., reservatorum et pensionum huiusmodi qualitates et quantitates, tam coniunctim quam divisim, necnon beneficiorum litigiosorum status litium et regressuum, accessuum et ingressuum, concessionum, gratiarum, dispositionum, indultorum, reservatorum et aliarum facultatum sibi concessarum tenore et dispositione exprimi, seu etiam in toto vel in parte pro expressis haberi, et litteras desuper simul separatim expediri posse.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v octobris MDCLIV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 5 octobris 1654, pontif. anno XI.

CXCV.

Commissio septem episcopis Franciae super verificatione epistolarum pastoralium archiepiscopi Senonensis, necnon Bellovacensis et Convenarum episcoporum, ac ordinationis eiusdem episcopi[1].

Venerabilibus fratribus archiepiscopis Arelatensi et Tholosano, ac episcopis Aniciensi, Matisconensi, Rhedonensi, Ambianensi et Suessionensi, seu episcopo Caesariensi venerabilis fratris episcopi Suessionensis coadiutori,

Innocentius Papa X.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva.

Aliàs, per nostras in simili formâ Brevis die XX decembris anni MDCLIII expeditas litteras[2], vobis, fratres archiepiscope Arelatensis, ac episcope, tunc Converanensis[3], nunc archiepiscope Tholosane, necnon episcopi Aniciensis et Matisconensis, commisimus verificationem epistolae pastoralis datae per venerabilem fratrem Henricum de Gondryn archiepiscopum Senonensem die XXIII septembris anni praefati, et successive publicatae ab eodem Henrico archiepiscopo per totam suam dioecesim, in qua praetendebat significare et praecipere obedientiam et executionem nostrae constitutionis, qua in quinque propositionibus condemnavimus doctrinam quondam Cornelii Iansenii episcopi Iprensis, contentam in suo *Augustino*, et aliàs, prout uberius continetur in praedictis litteris, quarum tenor est qui sequitur, videlicet: *a tergo*, Venerabilibus fratribus archiepiscopo Arelatensi, ac episcopis Aniciensi et Converano[4] ac Matisconensi; *intus vero*, Innocentius Pa-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Quas vide supra pag. 745 (R. T.).
3 Loc. cit. legitur *Conserano* (R. T.).
4 Ibid. legitur *Conserano* (R. T.).

pa X, venerabiles fratres, etc. (*reliqua, ut in suo ordine*).

Tres alios episcopos addit.

§ 1. Quoniam vero ob locorum, in quibus vos, venerabiles fratres Arelatensis et Tholosane archiepiscopi, ac Aniciensis et Matisconensis episcopi, residetis, distantiam, non licuit vobis hactenus in numero per nos in praeinsertis litteris praescripto convenire pro exequendâ nostrâ commissione praefatâ: idcirco, quo facilior reddatur et ne ulterius retardetur praedictae nostrae commissionis executio, decrevimus, firmâ in ceteris remanente praefatarum nostrarum litterarum dispositione, praenominatis quatuor delegatis tres alios, videlicet vos, fratres episcopi Rhedonensis, Ambianensis et Suessionensis, aut in tui locum, frater episcope Suessionensis, te, frater episcope Caesariensis, coadiutor eiusdem episcopi Suessionensis, adiungere. Quocirca vobis septem, fratres archiepiscopi et episcopi, per praesentes apostolicâ auctoritate committimus et mandamus, ut vos, coniunctim vel separatim, non tamen in minori numero quam duo, ad verificationem praedictae epistolae dicti Henrici archiepiscopi Senonensis et aliorum in praeinsertis nostris litteris contentorum procedatis. Et quia, post earumdem nostrarum litterarum expeditionem, pervenit ad nostram notitiam venerabiles fratres Nicolaum Bellovacensem et Gilibertum Convenarum episcopos publicasse alias epistolas pastorales occasione praedictae nostrae constitutionis contra doctrinam *Augustini* praedicti Cornelii Iansenii, quarum illa, quae est dicti Nicolai episcopi, data est die XII novembris eiusdem anni MDCLIII, unâ cum quadam suâ ordinatione sub eâdem datâ, altera vero praedicti Giliberti episcopi data est die X octobris eiusdem anni MDCLIII; vobis itidem per easdem praesentes committimus et mandamus, ut, servatâ formâ supra praescriptâ, etiam ad ambarum harum epistolarum et praedictae ordinationis verificationem iisdem modis et terminis, qui in praeinsertis nostris litteris quoad verificationem epistolae pastoralis dicti Henrici archiepiscopi Senonensis praescripti sunt, procedatis.

§ 3. Non obstantibus omnibus illis, quae in eisdem nostris litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI octobris MDCLIV, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 26 octobris 1654, pontif. anno XI.

CXCVI.

Commissio archiepiscopo Bituricensi et episcopo Olorensi pro executione Brevium super declaratione secularitatis Congregationis Doctrinae Christianae in Gallia emanatorum[1].

Venerabilibus fratribus, archiepiscopo Bituricensi ac episcopo Olorensi,

Innocentius Papa X.

Venerabiles fratres,
salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva.

§ 1. Nuper pro parte dilecti filii Stephani Daulmoi, presbyteri Congregationis Doctrinae Christianae in Gallia, nobis expositum fuit, quod, cum post emanationem nostrarum in simili formâ Brevis die XXX iullii MDCXLVII et die XXX augusti MDCLII expeditarum litterarum, per quas unionem Congregationis Doctrinae Christianae huiusmodi Congregationi dilectorum filiorum clericorum regularium de Somascha nuncupatorum antea auctoritate apostolicâ fundatam dissolvimus, eamdemque Congregationem Doctrinae Christianae ad statum secularem, iuxta illius institutum a felicis recordationis Cle-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

mente Papa VIII praedecessore nostro approbatum, et reduximus et reductam esse sub certis modo et formâ inibi expressis declaravimus, dilectus pariter filius Hercules Audifret, dictae Congregationis Doctrinae Christianae etiam presbyter, suo et aliorum secularitati Congregationis huiusmodi se opponentium nomine, libellum supplicem, quo regularitatem eiusdem Congregationis Doctrinae Christianae sustinere contendebat, nobis porrexisset, nosque[1] libellum supplicem huiusmodi a particulari congregatione per nos deputatâ examinari mandavimus ab eâdem particulari congregatione pro secularitate praedictae Congregationis Doctrinae Christianae iuxta mentem nostram in praedictis nostris litteris expressam resolutum fuit.

Supplicatio.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus Stephanus, attento quod archiepiscopus Parisiensis, cui per easdem litteras nostras commiseramus ut capitulum generale eiusdem Congregationis Doctrinae Christianae convocaret, et alia in praemissis nostris litteris contenta exequeretur, viam universae carnis ingressus est, ad repellendam inobedientium contumaciam, earumdem litterarum nostrarum executionem vobis per nos demandari summopere desideret: nos, eumdem Stephanum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, necnon dictarum nostrarum litterarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac verbatim insertis habentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, inhaerendo voto particularis congregationis super huiusmodi negotio a nobis specialiter deputatae, necnon resolutionibus aliàs factis super secularitate praedictae Congregationis Doctrinae Christianae in Gallia ac denuo utrâque parte informante approbatis, praefatas nostras in formâ Brevis litteras anni MDCXLVII et MDCLII huiusmodi secularitatem declarantes exequendas esse censemus, ac fraternitatibus vestris et vestrum cuilibet tam coniunctim quam divisim earumdem nostrarum litterarum executionem, cum facultate procedendi per censuras et alia iuris remedia contra inobedientes et rebelles, necnon convocandi capitulum generale modo et formâ in eisdem litteris anni MDCXLVII et MDCLII praescriptis, eidemque capitulo praesidendi, ac ea omnia peragendi quae praedicto archiepiscopo Parisiensi fuerant demandata, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, demandamus.

Decretum irritans.

§ 3. Non obstantibus omnibus illis, quae in eisdem litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI novembris MDCLIV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 16 novembris 1654, pontif. anno XI.

1 Simpliciter lege *nos* (R. T.).

CXCVII.

Confirmatio statutorum in capitulis generalibus Congregationis Oratorii Iesu Christi Domini nostri pro felici eius directione conditorum[1].

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Ex Romani Pontificis providentiâ provenire convenit, ut illa, quae pro chri-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

stifidelium in humilitatis spiritu et piae vitae studiis perfectioni status sacerdotalis totaliter incumbentium felici directione provide constituta esse dignoscuntur, confirmationis apostolicae praesidio muniantur. Sane, pro parte dilectorum filiorum Francisci Bourgoing praepositi generalis et presbyterorum Congregationis Oratorii Iesu Christi domini nostri, dudum a felicis recordationis Paulo Papae V praedecessore nostro institutae, nobis nuper expositum fuit, quod, cum primus eiusdem Congregationis institutor, seu praepositus generalis, cui facultas statuta pro felici dictae Congregationis regimine condendi, auctoritate apostolicâ, concessa fuerat, nullis conditis statutis huiusmodi immature sit[1] morte ereptus, praefatae Congregationis presbyteri, provide considerantes ipsam Congregationem non solum per Galliam, ubi principium habuit, sed etiam per exteras nationes benedicente Domino diffusam, sine aliquâ firmâ et per Sedem Apostolicam approbatâ vivendi formâ, regi et crescere vix posse, nonnulla statuta pro felici statu et directione eiusdem Congregationis in illius capitulis generalibus secundi et praedicti Francisci moderni ipsius Congregationis praepositorum generalium tempore celebratis sub nostro et Sedis Apostolicae beneplacito condiderunt, tenoris, qui sequitur, videlicet: Quod dictae Congregationis, quae mere secularis existit, proprius et essentialis status sit[2] pure ecclesiasticus et sacerdotalis, ac sacerdotibus et ad sacerdotium spirantibus[3], nullo antea voto solemni religionis adstrictis, constare debeat: Item quod nulli in dictâ Congregatione votum solemne, seu utcumque religiosum, emittere liceat, ipsaque Congregatio a quoquam votum simplex exigere non possit:

Statuta facta in capitulis generalibus Congregationis Oratorii Iesu Christi.

Item, quod praepositi generalis ac illius assistentium electio ad capitulum generale ipsius Congregationis spectet ac pertineat: Item, quod officium praepositi generalis ad vitam, ut antea, assistentium vero huiusmodi ad nutum ipsius capituli generalis, modo non ultra novennium, durare debeat: Item, quod dictae Congregationis capitulum generale, ex vocalibus omnium domorum ipsius Congregationis per ceteros alios dictarum domorum vocales legitime deputatos consistens, statis temporibus, ultra tamen novennium non protrahendis, celebrabitur: Item, quod universae Congregationis regimen, cessante capitulo generali, penes praepositum generalem ex consilio assistentium huiusmodi, singularium vero domorum penes singulos earum praepositos per ipsum praepositum generalem de consilio assistentium ponendos et amovendos remaneat, dummodo huiusmodi praepositorum officium non duret ultra triennium, nisi praepositus generalis pro tempore existens facultatem illud ad aliud triennium ex gravi causâ et de praedictorum assistentium consilio prorogandi in capitulis generalibus ipsius Congregationis obtinuerit. Item, quod penes capitulum generale ipsius congregationis legitime congregatum omnimoda potestas sit in praepositum generalem pro tempore existentem, ac in ceteras omnes alias singulasque personas dictae Congregationis: Ac, quoad bonum ipsius Congregationis regimen, sive publicum sive privatum sit, id omne per pluralitatem vocum in actu capituli generalis decerni debeat.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedicti Franciscus praepositus generalis et presbyteri praeinserta statuta apostolicae confirmationis nostrae patrocinio roborari summopere desiderent, nos, ipsos Franciscum praepositum generalem et presbyteros spe-

Praedicta statuta auctoritate suâ confirmat.

1 Verbum *sit* nos addimus (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *sic* pro *sit* (R. T.).
3 Potius lege *adspirantibus* (R. T.).

cialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, praeinserta statuta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper in illis quomodolibet intervenerint, supplemus.

Praesentibus addit efficaciam.

§ 3. Decernentes praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX novembris MDCLIV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 19 novembris 1654, pontif. anno XI.

CXCVIII.

Ut in Neapolitano regno festum sancti patris Dominici sit ab opere feriatum[1].

Innocentius Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Expositio.

§ 1. Apostolatus officium, nullo meritorum suffragio nobis ex alto commissum, postulat, ut in his, per quae sanctorum Christi confessorum cultus et veneratio in dies magis augeatur eiusdem officii partes propensis studiis impendamus, piisque christifidelium in id tendentibus votis benignum praebeamus assensum, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Sane, nomine dilectorum filiorum communitatum Neapolitanarum et aliarum civitatum, necnon universitatum, oppidorum et terrarum totius regni Neapolitani nobis nuper expositum fuit, quod cum ipsi sanctum Dominicum in patronum et protectorem civitatis Neapolis totiusque regni praedicti canonice elegerint, pro eo, quem erga ipsum gerunt, devotionis affectu[2], atque ut grati animi erga illum imposterum extet monumentum, eiusdem Sancti festum diem de cetero tamquam de praecepto ut infra servari, et propterea sibi per nos desuper opportune provideri summopere desiderant. Nos, piis eorumdem communitatum et universitatum desideriis in praemissis annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis,

Festum S. Dominici tamquam ex praecepto in regno Neapolitano observandum declarat.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Edit. Main. habet *affectum* (R. T.).

suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum dumtaxat praesentium consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, quod de cetero perpetuis futuris temporibus in civitate Neapolis ac in toto reliquo regno Neapolitano praedicto ipsius sancti Dominici natalitius dies tamquam festum de praecepto ab omnibus utriusque sexus christifidelibus civitatis ac regni praedicti servetur et servari omnino debeat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus, ac decernimus et declaramus. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis, ac episcopis, ceterisque locorum Ordinariis in dicto regno constitutis, per praesentes praecipimus et mandamus, quatenus easdem praesentes in suis quisque ecclesiis et dioecesibus publicari faciant, ac omnes et quoscumque sibi subiectos ad praedicti festi celebrationem omnibus iuris remediis cogant atque compellant, super quo plenam et amplam illis per praesentes concedimus facultatem.

Contrariis derogat

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis privilegiis, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmati et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 3. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII decembris MDCLIV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 18 decembris 1654, pontif. anno XI.

CXCIX.

Confirmatio decreti congregationis Concilii declarantis, quod decanus et capitulum ecclesiae Bellovacensis in eorum territorio veniant sub appellatione Ordinariorum [1].

Innocentius Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii decanus et canonici ecclesiae Bellovacensis, quod, cum ipsi, qui tam in capite quam in membris a iurisdictione ordinariâ venerabilis fratris episcopi Bellovacensis exempti sunt et territorium cum iurisdictione ordinariâ obtinent, constitutionem a nobis editam, per quam quinque propositiones, occasione libri impressi, cui titulus *Augustinus Cornelii Iansenii episcopi Iprensis*, excitatas, in eâdem constitutione expressas, damnavimus [2], et cuius publicationem venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, ac episcopis et aliis locorum Ordinariis demandavimus, in praedicto eorum territorio publicari mandavissent, mandatumque eorum huiusmodi intra fines eorum iurisdictionis praedictae affixum fuisset [3], venerabilis frater modernus episcopus Bellovacensis adversus ipsos decanum et canonicos propterea sententias cum poenâ excommuni-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Edit. Main. legit *damnaverimus* (R. T.).
3 Male edit. Main. legit *fuisse* (R. T.).

cationis tulit in grave eorumdem decani et canonicorum exemptionis aliorumque iurium praeiudicium, iniuriam et gravamen. Quare, habito pro parte decani et canonicorum huiusmodi ad venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales sacri Concilii Tridentini interpetres recursu, emanavit desuper ab iisdem cardinalibus decretum tenoris sequentis, videlicet:

Decretum sacrae congregationis.

« Die XVII ianuarii MDCLIV sacra congregatio eminentissimorum cardinalium Concilii Tridentini interpretum, secundum ea quae supra proponuntur, censuit decanum et capitulum Bellovacense comprehendi appellatione Ordinariorum in locis in quibus habet iurisdictionem, et ita notificandum episcopo et eidem capitulo.

PETRUS ALOYSIUS cardinalis CARAFA, *Praefectus*.

Loco † sigilli.

FRANCISCUS PAULUTIUS S. C. C., *Secr.*

Confirmat.

§ 2. Cum autem ea firmiora sint quibus Apostolicae Sedis accedit auctoritas, propterea nobis humiliter supplicari fecerunt decanus et canonici praedicti, ut decretum praeinsertum confirmare de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum praeinsertum, apostolicâ auctoritate, tenore presentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis vim et robur adiicimus.

Praesentes validas declarat.

§ 3. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces, existere et fore, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostotici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII decembris MDCLIV, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 23 decembris 1654, pontif. anno XI.

INDEX

NOMINUM ET RERUM PRÆCIPUARUM.

NUMERUS PAGINAM INDICAT; *a* PRIMAM COLUMNAM; *b* SECUNDAM DESIGNAT.

A

Abbas generalis Ordinis Praemonstratensis lites iurisdictionales habet cum communitate antiqui rigoris eiusdem Ordinis, 706 *a* et *b*, quid super illis statutum sit, *ibid.*

Academia erigitur in civitate Bambergensi, 583 *a*, ab Innocentio X erectio confirmatur, *ibid.*

Academia Hyppeikomensis Zamosciae in Polonia Chelmensis dioecesis, a quo instituta, 594 *a*. Confirmata a Clemente VIII, Paulo V et Innocentio X, *ibid.* et *seq.* Pluribus adornata privilegiis, 597 *b*.

Adrianus Gallus notarius auditoris camerae, 161 *a*.

Ægidius Consonius procurator generalis fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini, 177 *a*.

Ægidius Lapus Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Recollectorum nuncupatorum, 618 *a*.

Agnetis (S.) in Agone ecclesia, 773 *a*; supprimitur titulus cardinalatus eiusdem ecclesiae, 773 *a*.

Agnetis (S.) extra moenia Urbis ecclesia in titulum unius presbyteri cardinalis erigitur, 773 *a* et *b* et *seq.*

Albertus episcopus Ratisbonensis, 200 *a*; illi coadiutor perpetuus cum futura successione in sua sede deputatur, *ibid.*

Albertus Massarius prior generalis Carmelitarum, 305 *a*.

Aldobrandinus, *vide* Baccius.

Alexander cardinalis Bichius, 319 *a*.

Alexander episcopus Neocastrensis spoliorum collector in regno Portugalliae, 20 *b*, 21 *a*, 22 *a*, 23 *b*, 25 *a*; molestias passus est a ministris regis Portugalliae, 46 *b*; potest suam iurisdictionem exercere ubique locorum, *ibid.*; Matritum se confert ad aulam regiam, 50 *b*; improbatur, *ibid.*; interdicto supposuit regnum Portugalliae, 76 *b*.

Alexander S. Eustachii diaconus cardinalis Caesarinus congregationis Scholarum Piarum protector, 19 *b*; item Ordinis S. Hieronymi Congregationis Fesulanae, 405 *a*; ipsius obitus memoratur, *ibid.*

Alexius Chrysostomus notarius auditoris camerae, 160 *a*.

Aloysius tituli S. Laurentii in Lucina presbyter cardinalis Capponius, 339 *a*.

Alumni seminarii civitatis Angelopolitanae in Indiis Occidentalibus privilegiis ornati, 606 *b*.

Amatus Dunozettus, sacri palatii auditorum decanus, 761 *a*.

Ancona. Provisores sanitatis civitatis Anconitanae possunt procedere ad capitalem etiam sententiam contra transgressores suorum decretorum pro sanitate factorum, 575 *a*.

Anconitani mercaturam exercere possunt sine praeiudicio nobilitatis, 319 *a*.

Angelopolitanus episcopus, *vide* Ioannes de Palafox.

Angelus episcopus Ariminensis nuncius Sedis Apostolicae in dominio Venetorum, 478 *b*.

Angliae regnum ab ovili Ecclesiae catholicae secessit, 4 *b*, 5 *a*; de eo anxii et solliciti Romani Pontifices, *ibid.*; catholicis illius regni prepositus deputatur in spiritualibus, 5 *a* et *b*.

Antibarenses archiepiscopi statuuntur administratores ecclesiarum regni Serviae in partibus infidelium, 369 *a*.

Antonius Bottonius, commissarius generalis et procurator Tertii Ordinis sancti Francisci, 3 *a*.

Antonius S. Agathae diaconus cardinalis Barberinus, 88 *a*; dein S. Mariae in Via Latâ diaconus cardinalis, 217 *b*; S. R. E. camerarius, 88 *a* et 717 *b*; protector confraternitatis orphanorum de Urbe, 232 *b*; et Ordinis Praedicatorum, 253 *b*; illi committitur gubernium totius Ordinis Praedicatorum, *ibid.*; a toto Statu Ecclesiastico sine Pontificis licentia discessit, 684 *b*.

Antonius cardinalis tituli S. Bartholomaei in Insulâ Granuelanus nuncupatus, 97 *b*; deputatus fuit a Pio Papa V exequutor litterarum apostolicarum contra Baii doctrinam et propositiones, *ibid.*

Antonius cardinalis Sanctacrucius Ordinis Minimorum protector, 106 *a*.

Antonius cardinalis S. Honuphrii ecclesiam collegii Urbani de Propaganda Fide construi curavit, 117 *b*; in eodemque collegio plures alumnatus pro orientalibus nationibus fundavit, *ibid.*; ipsi totum regimen committitur eiusdem collegii, 119 *a* et seq.

Antonius Franciscus Rupertus auditor curiae camerae apostolicae, 160 *a*.

Antonius Legnanus Laudensis procurator generalis fratrum S. Hieronymi Iesuatorum, 142 *b*.

Antonius Raynaldus notarius auditoris camerae, 161 *a*.

Antuerpiensis episcopus visitator instituitur monasterii Gemblacensis Ordinis S. Benedicti, 634 *a*.

Aquaependentis ecclesia episcopalis erigitur, 641 *b* et *seq*.

Archiconfraternitati Sanctissimae Trinitatis de Urbe applicantur redditus pro peregrinis Bohemis et aliis pauperibus, 751 *a*.

Ascanius episcopus Anglonensis nuncius Sedis Apostolicae apud Ferdinandum magnum ducem Hetruriae, 600 *b*; 601 *b*.

Auditores rotae Maceratensis possunt cognoscere omnes et singulas causas quorumcumque dictae provinciae locorum appellabiles cuiuscumque summae et quantitatis, 455 *b*.

Auditoribus sacrae Rotae conceditur facultas deferendi ubique et omni tempore rochettum, 365 *b*.

Auditori camerae committit Innocentius ut procedat contra senatores, aliosque ministros civitatis Messanensis, 592 *a*.

Auditoris camerae apostolicae notarii, 160 *b*. Statuta ab eis servanda, 161 *a* et *seq*.

Augiae monasterium Ordinis S. Benedicti, 751 *b*; concordiam init cum episcopo Constantiensi, *ibid*.

Augustanae confessionis haereticis liberum suae haereseos exercitium concessum in pace Germaniae, 603 *b*; contra hanc pacem protestatur nuncius apostolicus, 604 *b*; eamque irritat Innocentius X, 604 *b*.

Augustini (S.) Eremitarum Ordo, 236 *b*; libros ex bibliothecis ipsorum extrahere sub excommunicationis poenâ vetitum, 237 *a*, *vide* Ordo Eremitarum S. Augustini.

Augustinus Gonzales Davila capitulorum Castellae et Legionis in Romana Curia procurator, 51 *a* et *seq*.

Augustinus Thuclus notarius auditoris camerae, 161 *a*.

Avenionensia collegia S. Nicolai de Anexiaco et de Ruvere, 67 *a*; plures abusus in ea irrepserant, *ibid*.; regimini congregationis de Propagandâ subiiciuntur, 67 *b*.

B.

Baccius Aldobrandinus, presbyter cardinalis S. Agnetis de Agone, hanc ecclesiam sponte dimittit in manibus Pontificis, 773 *a*; et instituitur in titulum presbyteri cardinalis S. Agnetis extra moenia Urbis, 773 *b*.

Baii propositiones damnatae recensentur, 93 *a* et *seq*.

Balbus (Ludovicus) procurator generalis Congregationis Cassinensis monachorum S. Benedicti, 477 *a*.

Balthassar Moretus typographus Antuerpiensis, 316 *b*.

Barberinus cardinalis, *vide* Antonius cardinalis Barberinus.

Barnabae et Ambrosii (Ss.) ad Nemus Ordo, 292 *a*. Eius suppressio, *ibid*. et *seq*.; quae confirmatur, 372 *b* et *seq*.

Bartholus Venturones pro sustentatione nonnullorum orphanorum quatuor millia et quingenta scuta legat, 232 *b*.

Basilica S. Ioannis Lateranensis de Urbe subsidium pro eius fabrica, 392 *b*; et 676 *a*.

Basilica S. Mariae Maioris. Reservatio pensionis perpetuae super Mazzariensi in Siciliâ ad favorem eiusdem ecclesiae de consensu regis christianissimi, 533 *b*.;

eaque pensio solvi debet non in scutis, sed in ducatis ad rationem tredecim tarenorum pro ducato, 544 *b* et *seq.*

Basilii (S.) congregatio. *Vide* Ordo S. Basilii Magni.

Basilii (S.) de Armenis, *vide* Ordo S. Basilii de Armenis.

Bavariae duci Maximiliano concedit Pontifex et prorogat partem fructuum bonorum ecclesiasticorum ad quindecim annos, 517 *a.*

Belgii provinciis iubilaeum concessum, 746 *a* et *seq.*

Bellovacensis ecclesiae decanus et canonici publicant Constitutionem Innocentii X adversus quinque propositiones Iansenii, 780 *b*; ipsorum ius defenditur adversus episcopum Bellovacensem, 781 *a.*

Benedictus S. R. E. diaconus cardinalis Odescalchi in protectorem fratrum Ordinis S. Hieronymi Congregationis Fesulanae constituitur, 405 *a.*

Bernardinus Spada S. Petri ad Vincula cardinalis Spada, 220 *a* et 339 *a.*

Bituricensis episcopus executor deputatur Brevis secularizationis Congregationis Doctrinae Christianae in Gallia, 776 *b* et *seq.*

Bohemi peregrini; pro ipsis bona applicantur, 751 *b.*

Bona ecclesiastica Palatinatus superioris; quid de eis disponitur, 517 *a* et *seq.*

Bona stabilia in Statu Ecclesiastico non consistentibus personis vendi non possint, aut cum quibus permutari, etc., 649 *b* et *seq.*

Bonfilius (Leo) vicarius generalis apostolicus fratrum Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo, 361 *b.*

Boni Iesu Congregatio *vide* Congregatio.

Bononiae universitas studii generalis ab antiquissimis temporibus instituta, studiorum mater merito nuncupata, 145 *a*; vetitum aliis in civitate docere qui non sint in albo universitatis descripti, 145 *b*; collegium Montis Alti in ea civitate a Sixto PP. V pro quinquaginta alumnis erectum, 146 *b*; numerus alumnorum ad triginta redactus, 147 *b.* Ceteri redditus triremibus pontificiis addicti, 148 *a.* Bononiensis studii doctoribus collegiatis facultates quodam concessae, 221 *b* et *seq.*

Bononiensis civitas officium grasciae in eadem civitate supprimitur, 395 *b.*

Bourgoing *vide* Franciscus.

Breviarium romanum a Pio PP. V recognitum, 256 *a.* A Clemente VIII emendatum, *ibid.* Hymni ab Urbano VIII reformati, 256 *b.*

Bursfeldensis Congregatio Ordinis sancti Benedicti, 272 *a*; Monachi huius Congregationis uti debent breviario Benedictino, quod Paulus PP. V approbavit, 272 *b.*

C.

Caeremoniale episcoporum et aliorum ecclesiae praelatorum reformatur a Clemente VIII, 662 *b*, et iterum emendatur iussu Innocentii X, 663 *a.* Ad eodemque Pontifice approbatur, *ibid.*

Caesar Fachenettus archiepiscopus Damiatensis, Sedis Apostolicae nuncius in Hispania, 22 *a*, 168 *b*; nonnulla decreta fert in praeiudicium ecclesiasticae iurisdictionis, 138 *a* et *seq.*

Caesari episcopo Civitatis Castelli committitur cognitio causae vertentis inter cardinalem Franciottum archiepiscopum Lucanum et Rempublicam super violatâ immunitate ecclesiasticâ, 7 *b* et *seq.*, 10 *b* et *seq.*, 14 *a* et *seq.*; et facultas eamdem Rempublicam ecclesiastico subiiciendi interdicto, 62 *b*; ipsi tamquam vicelegato Bononiensi committitur reductionem facere reddituum collegii Montis Alti Bononiae erecti, ipsorumque applicationem triremibus, 148 *b*.

Caesarini (Alexander) S. R. E. cardinalis, 405 *a*.

Caesarinus eminentissimus cuiusdem causae relator, 177 *b*.

Caimus, generalis oeconomus regius civitatis Papiensis, 211 *a*.

Caimus, Status Mediolanensis minister, aggravat ecclesiam Papiensem sede vacante, 207 *b*.

Camillus archiepiscopus Capuanus Apostolicae Sedis nuncius apud Ferdinandum Romanorum regem in imperatorem electum, 371 *a*.

Canonici poenitentiarii, lectores, doctorales, magistrales, si non resideant, privantur praebendis suorum canonicatuum, 52 *a*; suum officium per substitutos praestare nequeunt, 212 *b*; debent ipsi residere personaliter in suis ecclesiis, 554 *b* et *seq.*; iidem necnon parochi nequeunt esse episcoporum familiares, 702 *b* et *seq.*

Canonici regulares Congregationis Lateranensis obtinent licentiam alienandi bona immobilia pro summa centum millium scutorum, 475 *b*. Confirmatur eadem facultas, 476 *b*. Decretum definitorii eiusdem Congregationis circa solutionem quindennii confirmatur a Sede Apostolicâ, 526 *a* et *seq.* Iterum licentia alienandi bona eis confirmatur, 756 *a* et *seq.*

Capitaneatus de Pernambuco catholici cogi nequeunt ab episcopo S. Salvatoris ut eum adeant pro praestando iuramento in causis dispensationum matrimonialium, 363 *b*.

Capitolini Palatii bonorum conservationi providetur, 487 *a*.

Cappellani de massa subiiciuntur praefecto chori, 754 *a*.

Cappellani maiores regis Hispaniarum 409 *b*; ipsis collata facultas quamcumque iurisdictionem ecclesiasticam exercendi, *ibid.* et *seq.*

Cardinales, quacumque natalium seu praecellentium aliarum dignitatum praerogativâ insigniti, solo nomine cardinalis contenti esse debent absque ullo secularis dignitatis additamento, nec uti aliis titulis, quam eminentissimi et reverendissimi, necnon eminentiae reverendissimae, 339 *b*. Debent etiam uti sigillis, aut insignibus, vulgo armis, sine coronis, signis, aut quibusvis notis secularibus, praeter eas, quibus intra scutum armorum eorum familiae tamquam de essentiâ et integritate eorumdem armorum utuntur: solo pileo rubro decorati, *ibid.* Et sculptores, ac pictores praedictas seculares notas insculpentes vel pingentes excommunicatione latae sententiae plectuntur, *ibid.* Nequeunt S. R. E. cardinales recedere a Statu Ecclesiastico sine licentia Summi Pontificis, 441 *a*.

Cardinalium archipresbyterorum et protectorum et titularium ecclesiarum et locorum piorum Urbis facultates declarantur et moderantur, 152 *a* et *seq.*

Carmelitae, *vide* Ordo Carmelitarum.

Carmelitarum Discalceatorum Ordo, 305 *b* et *seq.* Ab ipsorum bibliothecis extrahi

libros prohibetur, *ibid.*; quis monialium numerus in singulis monasteriis monialium huius Ordinis esse debeat, 419 *b*; *vide* Ordo S. Mariae de Monte Carmelo.

Carolus Emanuel Sabaudiae dux, 190. *a*.

Carolus S. Nicolai in Carcere, diaconus cardinalis Medices, 339 *a*.

Cassinensium Ordo. Data abbatibus facultas in emphyteusim concedendi bona vel etiam censibus gravandi ad summam 250000 aureorum, 255 *a* et 258 *b*. Ad id autem nulla requiritur cardinalis protectoris licentia, 317 *a* et *seq*; *vide* Ordo Cassinensium.

Castellae et Legionis ecclesiasticis in regnis Hispaniarum decimae imponuntur regi catholico persolvendae, 559, et *seq*.

Castrensis ecclesia supprimitur, 641 *b* et *seq*.

Castrensis episcopus in itinere occiditur, 626 *b*. Occidentes vel mandantes excommunicationis poenam incurrisse declaratur, 627 *a* et *b*.

Castrum Montisveteris in dioecesi Forosemproniensi subiicitur legationi Urbinatensi et gubernio civitatis Forosemproniensis, 519 *b*.

Catholici cantonis Claronae in Helvetia admittuntur ab aliis quinque cantonibus ad participationem indulti nominandi ad beneficia ecclesiae oppidi Episcopicellae Moguntinae dioecesis, 485 *a* et *seq*.

Causae criminales archiepiscoporum et episcoporum regni Poloniae non comprehenduntur in Bulla Urbani VIII, 459 *b*.

Causae matrimoniales. *Vide* Iuramentum.

Chersonensis episcopus in Tartaria deputatur in administratorem nonnullarum ecclesiarum in partibus infidelium suae ecclesiae vicinarum, 372 *a*.

Chrysantes Rosciolus Fulginatensis notarius camerae apostolicae, 114 *a*.

Cisterciensium Ordo, *vide* Ordo Monachorum Cisterciensium.

Clarae (S.) moniales in Hispania, 42 *a*; a quibus decimis sint exemptae, 42 *b* et *seq*.; quae summa pro uniuscuiusque substentatione sit computanda, 44 *a*.

Clemens del Pezzo sex millia scutorum erogat in dotem alicuius ecclesiae in partibus infidelium, 303 *a*.

Clerici coniugati Melitani non eximuntur ab officiis militaribus, 473 *b*.

Clerici Matris Dei Scholarum Piarum, *vide* Ordo Scholarum Piarum.

Collegii Anglorum Duacensis alumni possunt promoveri ad maiores ordines absque titulo et patrimonio, cum dispensatione aliquarum irregularitatum, 440 *a* et *b*.

Collegium Germanicum civitatis Bononiensis, 396 *b*. Confirmantur privilegia rectori et collegialibus eiusdem collegii nationis Germanicae aliàs concessa, 397 *a*.

Collegium Hibernorum est de iure patronatus principis Ludovisii, eiusque discendentium, 511 *b*.

Collegium Maronitarum in civitate Ravennatensis erigitur sub regimine Congregationis de Propaganda Fide, 576 *a* et *seq*.; alumnorum privilegia 577 *b*; indulgentiae, 578 *a* et *seq*.

Collegium Salamantinae militiae de Alcantara, 591 *a*. Huic applicatur summa mille ducatorum annuorum, *ibid.*

Collegium Urbanum de Propaganda Fide regimini congregationis de Propaganda Fide committitur, 119 *a*.

Comoediae prohibentur recitari in monialium monasteriis, 58 *b*.

Conceptionis B. M. V. festum non fuerat positum inter festa de praecepto ab Urbano VIII, 333 *a* et *b*; ad preces tamen Philippi Hispaniarum regis festum huiusmodi, in regnis Hispaniarum tantum, celebrari permittit Innocentius X, 333 *b*.

Conclavistarum nomina conclavis anni MDCXLIV quo renunciatus est Pontifex Innocentius X, 355 *b*; ipsis collata privilegia, *ibid.*

Concordia inter regem christianissimum et clero regnorum Castellae et Legionis confirmatur, 377 *b* et *seq.*

Congregatio Doctrinae Christianae in Francia dissolvitur ab unione cum Congregatione Somaschae, 520 *b*. Quod sit illius Congregationem institutum, *ibid.* Post dissolutionem redacta est ad statum secularem, 694 *b*.

Congregatio ecclesiasticorum sub invocatione S. Petri erigitur in civitate Angelopolitanâ, 607 *b*. Constitutiones dictae Congregationis quae? *ibid.* et *seq.* Ab Innocentio X confirmantur, 615 *a*.

Congregationis S. Mauri superioribus licet in capitulis generalibus quaecumque decreta condere, 552 *b*.

Congregatio Oratorii D. N. Iesu Christi in Francia, 778 *a*; ipsius statuta, *ibid.* confirmantur, 778 *b* et *seq.*

Congregatio regularis presbyterorum Boni Iesu supprimitur, 677 *a*, et reducitur in abbatiam secularem sub invocatione Boni Iesu, 679 *a*.

Congregatio sacri Concilii Tridentini decreta edit de regularibus, 391 *a*; dubia resolvit de visitatione episcopi, 589 *a* et *b*; dubiis quibusdam respondet, quae responsa confirmat Innocentius X, *ibid.*

Constantiensis episcopus concordiam init cum monachis Ordinis S. Benedicti super gubernio monasterii Augiae, 751 *b* et *seq.*

Cornelii Iansenii olim episcopi Iprensis liber cui titulus *Augustinus* prohibetur, 99 *b*; quinque propositiones illius occasione desumptae declarantur et damnantur, 720 et *seq.*

Corsicae regnum ad Rempublicam Ianuensem spectans, 299 *b*; terrena inculta in emphyteusim data, 300 *a* et *seq.*

Cosmus Medices magnus Hetruriae dux, 600 *b*.

Cracoviensis episcopus litem habet cum academia Cracoviensi, 740 *a*; quae indecisa dum pendet in sacrae Romanae Rotae auditorio supprimitur a Romano Pontifice, *ibid.* In illa civitate erigitur Mons Pietatis, 767 *a* et *seq.*

Cruciata Hispaniarum. Indulgentiae et privilegia conceduntur a Pio V anno MDLXXI iis omnibus qui in Hispaniarum regnis Philippi regis bellum contra Turcas per biennium adiuverint, 331 *a* et *b*. Easdem indulgentias ad Indiarum regna eiusdem Philippi regis imperio subiecta extendit et ampliavit Gregorius XIII, 331 *b*. Urbanus vero VIII ad aliud sexennium prorogat, 332 *a*; et Innocentius X eas ad sexennium prorogatas singulis annis publicari mandat, 332 *b*; Cruciatae adscripti in Hispaniarum tantum regno privilegio gaudent vescendi ovis et lacticiniis, quam facultatem extendit Urbanus VIII, confirmavitque Innocentius X, ad patriarchas, archiepiscopos et alios inferiores praelatos et presbyteros et clericos seculares, 351 *b*.

Crucifixi (SS.) conventus Eremitarum S. Augustini, 177 *a*.

Curati in regno Franciae prohibentur ne cogant invitos alia officia celebrare in ecclesiis parochialibus pro mortuis, qui sepeliuntur apud Carmelitas, quam quae piâ defunctorum vel haeredum liberâ voluntate fuerint expostulata, 361 *b* et *seq.*

Cursorum pontificiorum collegium, 263 *b*; ipsius decretum confirmatur, 264 *a*.

D

Decimarum impositio ab ecclesiasticis regnorum Castellae et Legionis persolvendae regi christianissimo, 559 et *seq.* Decimarum impositio pro Republicae Veneta *vide* Veneta Republica.

Del Rio castrum legato Romandiolae adiudicatum, 69 *a*.

Didacus episcopus Placentinus inquisitor generalis in regnis Hispaniarum, 556 *b*; ne aliquid innovet in causâ contra Hieronymum a Villanovâ, *ibid.*

Diomedes Mussus, 113 *b*.

Dissidium oritur inter subditos Apostolicae Sedis in Statu Avenionensi, et subditos regis christianissimi, 462 *b*. Tum etiam alterum inter subditos comitatus Pontificii Venaissini, et principatus Auraicensis super confinibus eorumdem comitatus et principatus, 489 *b*.

Doctrinae Christianae Congregatio *vide* Congregatio.

Dominici (S.) festum a senatu Mediolanensi statuitur, 739 *a*. Huius tamen decretum nullum esse declarat sanctus Pontifex, 739 *b*. Ipsius festum ab operibus feriatum instituitur a Summo Pontifice pro regno Neapolitano, 779 *b* et *seq.*

Dominicus Buratus notarius auditoris camerae, 161 *a*.

Dominicus Mangilius pro collegio cursorum de Urbe, 263 *b* et *seq.*

Dominicus (S.) Neapolitanae civitatis protector eligitur, 73 *b*.

Dorothea Bonfiola aere suo monasterium pro puellis orphanis suo aere construi curat, 232 *b* et *seq.*

E

Ecclesiae, monasteria et beneficia ecclesiastica civitatum et dioecesum Metensis, Tullensis et Virdunensis in Lotharingia quoad liberam dispositionem ad ius Sedis Apostolicae pertinent, 524 *b*. Iura huiusmodi reservat Pontifex contra quaecumque pacta et transactiones inter imperatorem et regem Franciae, *ibid.*

Ecclesiae Romanae civitates, terrae et loca ne alienentur et infeudentur prohibuerat Pius V, 334 *a*; prohibitionem renovat Innocentius X, 334 *b*; iterum, 649 *b* et *seq.*

Ecclesiastici Melitani coguntur ab episcopo et inquisitore Melitano ad contributionem, 580 *a*. Iterum alia contributio iisdem imponitur, 619 *b*.

Elborensis universitas, 268 *a*. Contra illius membra procedere inquisitoribus contra haereticam pravitatem vetitum, nisi dumtaxat in causis fidem catholicam includentibus, 268 *b* et *seq.*

Eleemosyna centum millium scutorum auri ratione novissimae prorogationis cruciatae pro fabricâ S. Petri de Urbe, 675 *b*. Deputatur nuncius in Hispania ad illam

exigendam, *ibid.* Alia mille et quingentorum scutorum quotannis pro fabricâ S. Ioannis Lateranensis, 676 *a*.

Ephrem (S.) Syri collegium Maronitarum in civitate Ravennatensi institutum, *vide* Collegium Maronitarum.

Episcopi possunt contra canonicorum coadiutores procedere etiam sine adiunctis, nisi tamen illis coadiutoribus omnia canonicorum privilegia concessa fuerint, 72 *b* et *seq.*; illorum causae Sedis apostolicae iudicio sunt reservatae, 150 *b*; novos festos dies de praecepto indicere non debent, 203 *a* et *b*.

Episcopus quomodo se gerere debeat in visitatione erga canonicos et capitulum, 589 *a* et *b*; ipsius iura definiuntur et vindicantur erga regulares, *vide* Regulares, *et* Ioannes de Palafox.

F.

Fabius episcopus Neritonensis ad loca Germaniae inferioris nuncius Sedis Apostolicae, 277 *a*; archivium suae nunciaturae instituit, *ibid* et *seq.*

Fabius Papazonus commissarius generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum, 215 *a*.

Falsarii litterarum apostolicarum gravissimis sanctionibus canonicis puniuntur, 710 *a*.

Familiares nonnullos suos a spolio eximit Innocentius X, 528 *a*.

Federicus card. Sfortia procamerarius S. R. E. instituitur, 684 *b*; ipsius obitus, *ibid.*

Ferdinandus archiepiscopus, et elector Coloniensis, 121 *a*; ei data facultas ecclesiasticos ad solutionem nonnullorum vectigalium compellendi, 121 *b*; illi coadiutor perpetuus et irrevocabilis in ea sede cum futura successione datur, 178 *a*.

Ferdinandus magnus Hetruriae dux, 273 *a*. Civitatem Plebis, ac terram Castilionis Sedi Apostolicae restituit, 309 *b* et *seq.*; subsidium ex bonis ecclesiasticis illi ad decennium prorogatur, 601 *b*.

Ferdinandus Romanorum rex, 603 *b*.

Festa de praecepto nimis multiplicata, 202 *a* et *b*; ad certum numerum reducuntur, 203 *a*; episcopi ne nova indicant, *ibid.* Festorum observantia regulatur, 206 *a* et *b*.

Fontis Ebraldi Ordo, 201 *a* et *b*.

Fourier (P.) institutor monialium Congregationis B. M. Virginis sub regula S. Augustini, 403 *a*.

Franciscus Bourgoing superior Congregationis Oratorii D. N. Iesu Christi in Gallia, 778 *a*.

Franciscus cardinalis Barberinus, 197 *a*; 211 *a*.

Franciscus cardinalis Montaltus, 324 *b*.

Franciscus Castagnacci iuris utriusque doctor, 8 *a*; deputatur in promotorem fiscalem causae vertentis inter Lucanam Rempublicam et cardinalem Franciottum archiepiscopum, 17 *b* et *seq.*

Franciscus dux Mutinensis ecclesiasticos, ecclesiarumque bona insolitis vectigalibus gravat, 217 *b* et *seq.*

Franciscus Franceschinus curiae capitolinae protonotarius, 111 *a*.

Franciscus Guillelmus episcopus Osnaburgensis, coadiutor episcopi Ratisbonensis, pactiones nonnullas init cum capitulo Ratisbonensi, quas irritat Urbanus PP. VIII, 203 *b* et *seq.*

Franciscus Iacobus Belgius notarius auditoris camerae, 160 *a.*

Franciscus Ingolus secretarius congregationis de Propaganda Fide, 92 *a.*

Franciscus Maria cardinalis Brancatius, 220 *a.*

Franciscus Paulutius in utrâque signaturâ referendarius, 211 *a.*

Franciscus Paulutius sacrae congregationis Concilii secretarius, 212 *b*; 216 *b*; 219 *b.*

Franciscus tituli S. Laurentii in Damaso cardinalis Barberinus, 339 *a.*

G

Gabella universitati et hominibus insularum Gaudisii et Melitae imposita, 731 *a.*

Gandavensis ecclesia, 212 *a* et 216 *a.*

Gaspar Columna notarius auditoris camerae, 160 *a.*

Gaspar de Guzman comes de Olivares, 20 *b.*

Gaspar episcopus Montis Flasconensis, Sedis Apostolicae apud Sabaudiae ducem nuncius, 189 *b*; ei committitur ut dimissioni cardinalitiae dignitatis a Mauritio a Sabaudia faciendae adsit, 190 *b.*

Gaspari archiepiscopo Athenarum apud Ferdinandum imperatorem nuncio, 6 *a*; committitur cognitio causae archiepiscopi Trevirensis, 7 *a.*

Gaspar Sanchez Ordinis Minorum procurator generalis, 138 *b.*

Gemblacense monasterium Ordinis S. Benedicti visitatur ab episcopo Antuerpensi ex commissione apostolica, 634 *a.*

Georgius Conaeus Scotus, 4 *b*; illi data facultas praepositum nominandi qui omnibus catholicis in regno Angliae praesit in spiritualibus, 5 *a*; ipseque in praepositum huiusmodi deputatur cum facultatibus, 5 *b.*

Georgius de Bosna, electus Tinnensis, 502 et *seq.*; fabricationis monetae falsae insimulatur, *ibid.*

Germaniae pax, *vide* Pax Germaniae.

Glaronae cantonis in Helvetiâ catholici admittuntur ad indultum nominandi ad beneficia ecclesiae oppidi Episcopicellae, Maguntinae dioecesis, 485 *a* et *seq.*

Gregorius a Parma Cassinensium procurator generalis, 254 *b.*

Gregorius Papa XIII constitutionem Pii Papae V contra Baii doctrinam et propositiones confirmat, 98 *b.*

Gubernator Burgi S. Petri cognoscit causas criminales cum gubernatore Urbis, 672 *b.* Atque circa hoc revocatur Breve Urbani VIII, *ibid.*

Gundisalvus de Sanctis procurator provinciae S. Gabrielis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Discalceatorum Hispaniae, 237 *b.*

H

Henricus Francorum et Navarrae rex christianissimus, 386 *b*; eius causa cum fratribus Minimis conventus SS. Trinitatis in monte Pincio de Urbe componitur, 387 et *seq.*

Hiberniae regnum haeresi infectum, 260 *b*. Hibernis catholicis iubilaeum concessum, 261 *a*.

Hieronymi (S.) fratres Iesuati *vide* Iesuati.

Hieronymus archiepiscopus Patracensis Urbani VIII nuncius apud Helvetios ac Rhetos, 85 *a*.

Hieronymus a Villanova. Nihil innovari in huius causa mandat Innocentius X, 556 *b*; Acta, et processus eiusdem Hieronymi Romam mitti iubet ipse Pontifex, 669 *b* et *seq*. Atque hinc facultatem facit nuncio Hispaniarum ut eadem acta transcribi faciat, *ibid*.

Hieronymus Battaglini camerae apostolicae spoliorum in Portugalliae regno subcollector, 150 *a*; facultas illi data detinendi nomine Sedis Apostolicae quasdam personas ecclesiasticas potestate laicali detentas, 150 *b*; et absolvendi eos quorum iussu et operâ illae carceribus mancipatae fuerant, 151 *b*.

Hieronymus cardinalis Pamphilius, 387 *b*.

Hieronymus cardinalis Verospius, 219 *b*; Ordinis Praedicatorum comprotector, 253 *a*.

Hierosolymitanus Ordo, 202 *b*; 326 *b*. *Vide* Ioannis (S.) Hierosolymitani Ordo.

Hippeikomensis academia in oppido Zamosciae in Poloniâ Chelmensis dioecesis a quo instituta, 594 *a*; confirmata *ibid*.; ipsius privilegia, 597 *b*.

Hispalensis ecclesiae canonici absolvuntur a censuris pro recursu ad iudices laicos, 761 *a* et *seq*.

Hispaniarum regis cappellani maiores facultatem habent exercendi quamcumque iurisdictionem ecclesiasticam, 409 *b*.

Hispaniarum rex convertit usum subsidii cruciatae in alios usus, 661 *a* et *b*. Absolvitur idcirco, etc., *ibid*. Adiecta tamen conditione, ut de cetero tenor gratiarum huiusmodi servetur, *ibid*. Eidem regi catholico subsidium concedit decemnovem millionum cum dimidio ab ecclesiasticis regnorum Castellae et Legionis persolvendum, 665 *b*, *vide* Philippus rex Hispaniarum.

Hospitale B. M. de Misericordia Saonae erectum, 226 *a* et *b*; visitationi episcopi Saonensis subiicitur, *ibid*.

Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani privilegia 585 *b*; iterum confirmantur, et declarantur, 586 *b*, *vide* Ioannis (S.) Hierosolymitani Ordo.

I

Iansenii liber cui titulus *Augustinus* prohibetur, 99 *b*; quinque propositiones illius declarantur et damnantur, 720 *a* et *seq*., *vide* Cornelius Iansenius.

Ianuensis Respublica regnum Corsicae possidet, 299 *b*; pro cultura terrenorum incultorum illius insulae providet, 300 *a* et *seq*.

Iesuati fratres S. Hieronymi ab Ordinariis approbati possunt audire confessiones sacramentales quorumcumque fidelium, 142 *a* et *b*.

Iesuitarum theses et alia in causa Iansenii prohibentur, 100 *b* et *seq*.

Ignatius Legault commissarius generalis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia in regno Franciae, 156 *a*; 708 *b*.

Indulgentiae renovantur pro christifidelibus Indiarum occidentalium, 622 *b*. Nonnullae suspenduntur durante anno MDCL universalis iubilaei, 632 *b* et *esq*. Non tamen indulgentia Portiunculae, 662 *a*. Indulgentiae conceduntur pro anno MDCL monialibus, anachoretis, eremitis, carceratis et infirmis, 657 *b* et *seq*.

Innocentius X, antea Ioannes Baptista Camilli Pamphilii filius, in Papam eligitur, 329 *a*; festum de praecepto instituit Conceptionis B. M. Virginis pro regno Hispaniarum, 333 *a*; prohibet alienari civitates et loca Status Ecclesiastici, 334 *a*; providet conservationi pecuniarum in Arce S. Angeli, 335 *a* et *seq*.; iubilaeum universale indicit pro felici regimine et statu sanctae Romanae et universalis Ecclesiae, 336 *a* et *seq*.; item 562 *b*; item pro anno sancto MDCL, 629 et *seq*.; statuit cardinales titulo eminentissimorum esse contentos, 339 *a* et *b*; subsidium millionum regi catholico indulget, 347 *a* et *seq*.; 665 *b* et *seq*.; pluribus ecclesiis in partibus infidelium providet administratores, 367 *a*; 368 *b*; 369 *a* et *b*; 372 *a*; confirmat suppressionem Ordinis Ss. Barnabae et Ambrosii ad Nemus, 372 *b* et *seq*.; Reipublicae Ragusinae subvenit de fructibus ecclesiasticis contra Turcas, 393 *b* et *seq*.; 545 *a* et *seq*.; item Reipublicae Venetae 397 *b* et *seq*.; deimasque imponit, 478 *seq*.; et 722 *seq*.; item insulae Melitae et Ordini S. Ioannis Hierosolymitani, 400 *b* et *seq*.; erigit universitatem studiorum Manilanam S. Thomae nuncupatam, 414 *a* et *seq*.; revocat gratias contrarias constitutionibus Pontificiis, 416 *b* et *seq*.; prohibet cardinales absentes esse a Curia Romana, 441 *a* et *seq*.; Religionem Scholarum Piarum in congregationem reducit, 459 *b*; disiungit congregationem Doctrinae Christianae in Francia a congregatione Somaschae, 520 *b*; illam in congregationem secularem redactam fuisse declarat, 694 et *seq*.; Collegium Maronitarum instituit in civitate Ravennatensi, 576 *seq*.; Pacem Germaniae seu Westphaliae in quibusdam articulis irritat, 603 *seq*.; reformat statum regularium in Italia et insulis adiacentibus, 647 *seq*.; supprimit Ordinem S. Basilii de Armenis, 671 *a* et *seq*.; fabricae S. Petri de Urbe provide de eleemosynis, 675 *a* et *b*; item fabricae S. Ioannis Lateranensis, 676 *a* et *b*; supprimit congregationem regularem presbyterorum Boni Iesu, 677 *a* et *seq*.; supprimit parvos conventus in Italiae et insulis adiacentibus, 696 *seq*.; aliosque subiicit iurisdictioni Ordinarii, 755 *seq*.; episcopi Ioannis Palafox iuribus assistit adversus patres Societatis Iesu, 705 *a* et *seq*.; 713 *a* et *seq*.; 719 *a* et *b*; declarat et proscribit quinque propositiones Iansenii, 720 *a* et *seq*.

Inquisitores inferiores debeant esse constituti *in sacris*, 282 *a*.

Inquisitori generali in regnis Hispaniae mandatur ne aliquid innovet in causa contra Hieronymum a Villanova, 556 *b*. Huiusmodi autem mandatum ei praesentatur a nuncio Hispaniarum, 557 *b*.

Ioanna Baptista de Bourbon Ordinis Fontis Ebraldi abbatissa generalis, 197 *b* et 198 *a*.

Ioannes, archiepiscopus Andrianopolitanus, Apostolicae Sedis in regno Poloniae nuncius, 456 *b*.

Ioannes a Regibus, procurator generalis Ordinis B. Mariae Redemptionis Captivorum, 504 *b*.

Ioannes Baptista Camilli Pamphilii filius *vide* Innocentius X.

Ioannes Baptista cardinalis Palottus, 211 *a*; 324 *a*; ipsi assertum ius protectoris collegiorum a Sixto V Papa erectorum, 324 *b*.
Ioannes Baptista cardinalis Pamphilius, 207 *a*, 212 *b*.
Ioannes Baptista de Octavianis notarius camerae apostolicae, 114 *b*.
Ioannes Baptista Gorius Gabbellinus in insula Melitana adversus haereticam pravitatem inquisitor a Sede Apostolica deputatus, 400 *b*.
Ioannes Baptista Lomellinus camerae apostolicae thesaurarius, 167 *a*.
Ioannes Baptista Paulucius pro collegio cursorum, 263 *b*.
Ioannes Baptista Vives collegium de Propaganda fide suo aere fundat, 112 *b* et *seq*.
Ioannes Casimirus Poloniae et Sveciae rex donatur ab Innocentio X ense et pileo benedictis, 664 *á*.
Ioannes del Hierre Ordinis S. Francisci de Observantiâ minister generalis, 155 *a*.
Ioannes Dominicus tituli S. Caeciliae presbyter cardinalis Spinula, 339 *a*.
Ioannes Franciscus Paulus Gondi de Retz S. R. E. cardinalis, detinetur iussu regis Franciae, 708 *a*; traditur custodiendus nuncio Franciae, *ibid.*; deinde archiepiscopo Avenionensi, 709 *a*.
Ioannes frater Merinero minister generalis Ordinis Minorum S. Francisci, 2 *b*, 26 *a*, 178 *b*.
Ioannes Iacobus patriarcha Constantinopolitanus, legatus de latere ad regem catholicum, 168 *a*.
Ioannes de Palafox episcopus Angelopolitanus seminarium erigit puerorum et constitutiones edit, 571 *b*; ipsius privilegia, 606 *b*; instituit Congregationem sancti Petri pro ecclesiasticis in civitate Angelopolitanâ, 607 *b*; illius statuta edit, quae ab Innocentio X confirmantur, 613 *a*; Controversiae iurisdictionales ipsius cum patribus Societatis Iesu, 705 *a*. Super quibus emanat decretum Sedis Apostolicae et quidem iustificatum, *ibid.*; ac proinde prohibetur retardatio exequutionis eiusdem decreti, *ibid.* Aliud decretum in eâdem causâ, 713 *a*. Recensentur controversiae illae, 713 *a* et *seq*. Aliud item decretum particularis congregationis cardinalium et praelatorum ab Innocentio X confirmatum, 719 *a*; cum impositione perpetui silentii, 719 *b*.
Ioannes Perez de Munebrega Ordinis B. M. de Mercede Redemptionis captivorum procurator generalis, 56 *a*.
Ioannes Pizzullus Calaber, conventus Minimorum de Urbe fundator, 91 *b*.
Ioannes Zamoschi magnus regni Poloniae cancellarius academiam instituit, 594 *a*; eam confirmat Clemens VIII, 594 *b*, et Paulus V, 596 *b*, ac tandem Innocentius X, *ibid.*
Ioannis (S.) Hierosolymitani Ordo, 325 *b*; clerici coniugati non possunt se eximere a militiâ, *ibid.*, *vide* Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani *et* Magno Magistro.
Ioannis (S.) Laterani fabricae applicatur eleemosyna mille et quingentorum scutorum quotannis exigendorum ratione extensionis facultatum cruciatae, etc., 392 *b* et 676 *a*.
Iosaphat (Ven.) archiepiscopus Ruthenus Polocensis Bb. Martyrum albo adscribitur, 263 *a*; eiusque officium et missa celebrari permittitur, *ibid.*
Iosephus Pintor, regius notarius Celsonae, 280 *b*.

Iubilaeum universale ab Urbano VIII ad divinam opem implorandam indictum, 295 *b.*; item indicitur ab Innocentio X ad implorandum divinum auxilium pro felici regimine Ecclesiae, 335 et *seq.* Aliud universale, 562 *b.* Item universale anni sancti MDCL, 629 *a* et *seq.* Aliud pro provinciis Belgicis, 746 *a.* Aliud iubilaeum pro Indiis occidentalibus, 762 *a* et *b.*

Iulius archiepiscopus Tarsensis, et Sedis Apostolicae in regnis Hispaniarum nuncius, deputatur ad exigendam pecuniam pro lacticiniorum indulto concesso cruciatae sanctae adscriptis, 392 *b*; et 675 *a*; deputatur ad praesentandum Breve inquisitori generali in causâ contra Hieronymum a Villanovâ, 557 *b* et *seq.*

Iulius Rospigliosi in utrâque signaturâ referendarius, 220 *a.*

Iulius Sacchettus cardinalis S. Susannae, 220 *a.*

Iuramentum de veritate exposita in causis dispensationum matrimonialium non est exigendum cum nimio labore et periculo iurantium, sed in earum locis committendum, 363 *b.*

Ivo (S.) tertiam regulam sancti Francisci, a Nicolao PP. IV editam, sicut et S. Ludovicus Francorum rex professus est, 155 *a.*

L

Laurentius Corsius, Avenionensis vicelegatus, 462 *a.*

Laurentius episcopus Senogalliensis, 137 *a.*

Laurentius Raggius diaconus cardinalis procamerarius instituitur, 685 *a.*

Legatus Papae a loco sui officii expulsus in subditos illius dominii suis ubique potest uti facultatibus, 46 *b.*

Leo Bonfilius vicarius generalis apostolicus fratrum Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo, 361 *b.*

Leodiensis ecclesiae capitularibus prohibetur electio episcopi, vacante dicta ecclesia, sine licentia Sedis Apostolicae, 636 *a* et *seq.* Decretum circa translationem capituli Leodiensis a Sede Apostolica confirmatum, 637 *a.*

Leodiensis ecclesia. Tres conservatores deputantur pro clero secundario eiusdem civitatis et dioecesis, 741 *b.*

Leopoldus Guillelmus ex archiducibus Austriae, 746 *b*; iubilaeum implorat pro provinciis Belgicis, *ibid.*

Lucana Respublica, 7 *b.* Immunitatem ecclesiasticam violat, *ibid.*; novos excessus contra ministrum Sedis Apostolicae committit, 62 *a*; ecclesiastico subiicitur interdicto, 62 *b.*

Lucano archiepiscopo mandatur, ut facultatem det ecclesiasticis ipsius reipublicae contribuendi pro rata in expensis excavationis fossae pro aquarum derivatione, 692 *b.*

Ludovicus Balbus, *vide* Balbus.

Ludovicus Henricus de Gondrin archiepiscopus Senonensis pastoralem epistolam edit temeraria et haeresim redolentia continentem, 745 *b.* Informationem hac de re petit Innocentius X a tribus episcopis Galliae, *ibid.* Aliam item informationem petit ab octo Galliae episcopis, 760 *a.* Et iterum aliam a septem, 775 *b.*

Ludovicus IX Galliarum rex, 307 *b*; ei concessum indultum nominandi ad ecclesias et monasteria Britaniae et Provinciae, 308 *a*.
Ludovicus (Ludovisius) S. R. E. cardinalis fundator collegii Hibernorum de Urbe, 511 *a* et *b*.
Ludovicus Piccardus, 134 *b*; Status Castrensis, quoad temporalia, visitator constituitur, *ibid.*; atque etiam terrae Montis Alti, 136 *a*.
Ludovicus (S.) tertiam regulam Sancti Francisci professus est, 155 *a*.
Ludovicus XIII Francorum et Navarrae rex, 568 *b*.

M

Magno magistro hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani fit facultas imponendi gabellam super comestibilibus pro manutenendis munimentis suae insulae Melitanae, 400 *b*. Confirmatur assignatio a magno magistro de bonis stabilibus et redditibus pro manutenendis arcibus insulae Melitanae, 467 *b*. Alia impositio gabellae conceditur, 731 *b*, *vide* S. Ioannis Hierosolymitani Ordo.
Maioricenses canonici, 175 *b*; in aliis causis praeterquam fidei a iurisdictione officii inquisitionis exempti declarantur, 176 *a* et *b*; idem privilegium extenditur ad omnes ecclesiasticos insularum Maioricae et Minoricae, 205 *b* et *seq.*
Maioricensis clerus, 209 *a* et *b*.
Maioricensis dioecesis clerus secularis et regularis ad concordiam deveniunt circa ius sepeliendi cadavera defunctorum quae in ecclesiis regularium sibi sepulturam elegerunt, 446 *a* et *seq.*
Malatesta episcopus Pisaurensis, apud Ferdinandum imperatorem nuncius apostolicus, 6 *a*; ipsi mandatum ut archiepiscopum Trevirensem in custodiam detineret nomine Sedis Apostolicae, *ibid.*
Manilanae universitatis S. Thomae fundatio, 414 *a* et *seq.*
Marcellus cardinalis Lantes, 207 *b*.
Marcherius (Franciscus), 411 *a*.
Marcus Antonius S. Mariae de Pace cardinalis Franciottus, archiepiscopus Lucanus, 7 *b*, 10 *a*, 14 *a*; legatus de latere in provincia Romandiolae et exarchatu Ravennae, 68 *b*.
Marcus Aurelius Maraldus utriusque signaturae referendarius, iudex deputatur in causa controversiarum obortarum in Ordine fratrum Praedicatorum, 219 *b*.
Margarita a Sabaudia regni Portugalliae proregina, 24 *b*.
Maria Romanorum regina in imperatricem electa, 311 *b*; piam confraternitatem in cappellâ palatii caesarei institui curat, *ibid.*
Mariae (B.) Virginis monialium Congregatio in dioecesi Tullensi, 403 *a*; ipsius statuta confirmantur, *ibid.*
Mariae (S.) Angelorum ecclesia Assisiensis dioecesis, 248 *b*; indulgientia Portiunculae illam visitantibus concessa, *ibid.*; elemosynae a fidelibus factae quibus competant, *ibid.*, et *seq.*
Mariae (S.) de Mercede Redemptionis captivorum Ordo, 56 *a*. Opus redemptionis ad Calceatos privative spectat, 53 *b*.
— Discalceati legata pro redemptione accipere nequeunt, 57 *a*. Nec ad hunc fi-

nem eleemosynas petere, *ibid.*; ipsis audientia denegatur super ministerio redemptionis captivorum, et iure colligendi elemosynas, etc., *ibid.* et *seq.* Nequeunt transire ad fratres Calceatos eiusdem Ordinis, 504 *a* et *b*.

Mariae (S.) Maioris basilica patriarchalis de Urbe, 533 *b*; ad favorem ipsius pensiones perpetuae reservantur de dispositione regis Hispaniarum, *ibid.* et *seq.*

Maronitarum collegium in civitate Ravennatensi instituitur, 576 *a* et *seq.*

Martius tituli S. Angeli in Foro Piscium cardinalis diaconus Ginnettus nuncupatus, 117 *a*; protector et iudex deputatus collegii Urbani de Propaganda Fide, *ibid.* ad pacem stabiliendam in Germania inter Ferdinandum imperatorem, utrumque regem et alios principes legatus apostolicus deputatus, 297 *b*, Carmelitarum Ordinis protector, 305 *a* et *seq.*

Mauri (S.) congregatio in Gallia, *vide* Congregatio.

Mauritius cardinalis a Sabaudia cardinalitiam dignitatem abdicat, 190 *a* et *b*.

Maximilianus Bavariae dux, 517 *a*.

Maximilianus Henricus Bavarus, archiepiscopi Coloniensis coadiutor, 186 *b*; pacta nonnulla init cum capitulo Coloniensi, quae ab Urbano Papa VIII irritantur, 187 *a* et *b*.

Mediolanensis senatus litterae super festo S. Dominici nullae declarantur, 739 *a*; ita et edictum gubernatoris Status Mediolanensis, *ibid.* Mediolanensi archiepiscopo committitur processus contra duos sicarios ex ecclesia extractos, 744 *b*. Ecclesiasticis Status Mediolanensis imponitur contributio ad muniendas eiusdem Status civitates, 546 *a*.

Melchior Octavius episcopus Bambergensis, 583 *a*; erigit academiam in ipsâ civitate, *ibid.*

Meldula legato Romandiolae addicta, 69 *a*.

Melitae insulae muniendae contra Turcas providetur, 400 *b* et *seq.*; pro extinctione monetae aenae ecclesiastici contribuere debent, 580 *a* et *seq.*; 619 *b* et *seq.*

Melitani clerici coniugati non eximuntur ab officiis militaribus, 473 *b*; ecclesiastici coguntur ad constitutionem cum laicis, 580 *a*; 619 *b*.

Messanenses frumentum eripiunt quod erat pro usu Romanae curiae, 592 *a*. Causas idcirco adversus eos institui mandat Pontifex, 592 *b*, et usque ad excommunicationem procedi, 592 *b*, et interdicto ecclesiastico civitatem supponi, ni culpabiles resipiscant, 593 *a*.

Michaël Mazzarinus in magistrum generalem ab aliquibus eligitur Ordinis Praedicatorum, 219 *a*; ipsius electio irritatur vel suspenditur, 219 *b* et *seq.*

Minimorum Ordo sancti Francisci de Paula, 91 *a*; an permittendum fratres religiosos exercere curam animarum in ecclesia ac parochia Ss. Sergii et Bacchi de Urbe, *ibid.*; debent ecclesiam novam construrre prope ecclesiam S. Petri ad Vincula et primam dimettere, 91 *b*; Laici vocem habent in admissionem novitiorum ad professionem, 106 *a* et *b*; *vide* Ordo Minorum.

Minores Conventuales. Cum sint vere Mendicantes arceri nequeunt a quaestu faciendo, 53 *b* et *seq.*; *vide* Ordo.

Minores Discalceati. Provinciae et custodiae Hispaniarum, et Indiarum sua habent peculiaria statuta, 198 *b*; possunt suum peculiarem procuratorem in Romanâ Curia habere, 199 *a* et *b*; subiectae tamen sunt ministro generali Ordinis, 199 *b*;

privilegia huiusmodi confirmantur; 225 *b*; non possunt regi nisi per custodes suae provinciae, 178 *b*; provincia S. Antonii in Portugalliae regno instituta; 38 *a*; visitator nonnisi ex Discalceatis eligendus, 39 *a*; fratres huius provinciae ad alias provincias non transferendi, 39 *b*; gaudent vero aliarum provinciarum privilegiis, 40 *a*; praecedunt Eremitas Ordinis S. Augustini, 265 *a*; provinciae S. Gabrielis Hispaniarum communicantur privilegia concessa aliis provinciis Hispaniarum, 284 *a* et *seq.* Provinciae S. Iosephi et Indiarum privilegia concessa, 313 *b* et *seq.*

Minores; fratres laici clericos praecedere non debent, 214 *a*.

Minores Recollecti in Galliis, 164 *b*; iura patrum provinciae in suo definitorio provinciali praescribuntur, *ibid.*; quae confirmantur a Pontifice, 165 *a*; ipsorum propagatio promovetur a Pontifice, 173 *a* et *seq.*; iura huius Congregationis, 178 *b*; *vide* Ordo Minorum S. Francisci recollectorum.

Minores Reformati. Custodia Transilvaniae erecta, 55 *a*; ceterarumque custodiarum privilegia ei comunicata, 55 *b*; ne laici seu conversi clericos praecedere praesumant, 210 *a*; prominístri, custodes et guardiani per suffragia secreta eligendi, 211 *a*; quae methodus in praecedentiis sit servanda, 223 *b* et *seq.*; custodia Turoniae in Gallia instituta, 208 *b*; provincia S. Vigilii erecta, 231 *a*; provinciae Granatensis, librorum ex bibliothecis extratio vetita, 298 *a* et *seq.* Indulgentia plenaria altaribus conventuum provinciarum Hiberniae concessa, 304 *b*.

Minorum S. Francisci de Observantiâ Ordo. Provinciales Indiarum suos commissarios ad capitula generalia possunt delegare, 2 *a*; atque ad magistratus illarum provinciarum, praesertim Limensis, non possunt eligi nisi ipsarum alumni, 2 *b*; Qui quidem commissarii definitorum provincialium privilegiis fruantur, 191 *b*. Capitulum generale Romae anno MDCXXXIX celebratum, 26 *a*; Statutaque generalia in eo condita, *ibid.*; Quae confirmantur, 35 *a* et *seq.*; Commissarii Indiarum super observantiâ constitutionum Ordinis dispensare nequeunt, 138 *b* et *seq.*; professionem et lectionem theologiae moralis et mysticae in conventibus Italiae instituere debent, 139 *b* et *seq.*; Fratres in conventu Aracaelitano viventes sunt sub obedientiâ commissarii generalis Ordinis, 141 *b*. Quae in S. Mariae Angelorum ecclesiâ in festo Portiunculae eleemosinae a fidelibus offeruntur, ad Observantes pertinent, 249 *a*; *vide* Ordo fratrum Minorum de Observantia.

Modernus, abbas monasterii S. Mariae de Pace et Congregationis canonicorum Lateranensium procurator generalis, 475 *b*.

Monachi Cistercienses antiquae seu communis observantiae dissident a monachis strictae observantiae, vulgo abstinentibus, circa electionem abbatis generalis, aliaque, etc., 497 *a* et *b*; *vide* Ordo monachorum Cisterciensium.

Monasterii Westhphaliae in Germaniâ pax, *vide* Pax Germaniae.

Moniales Congregationis B. M. Virginis sub regula S. Augustini, confirmantur dictae Congregationis statuta, 403 *a*.

Moniales Ordinis Praedicatorum, 58 *b*, ne in eorum monasteriis recitentur comoediae, *ibid.*

Mons Pietatis erigitur in civitate Cracoviensi cum assignatione dotis, 767 *a* et *b*.

Monte Alto gymnasium a Syxto PP. V institutum, 146 *b*; item collegium Montis

Alti Bononiae ab eodem pro quinquaginta alumnis erectum, *ibid.*; abusus in illi irrepserant, 147 *a*, et redditus creverant, 147 *b*; reducitur ab Urbano VIII ad triginta alumnos, et portio reddituum applicatur triremibus, 148 *a* et *b*.

Montis Rosarum viae postalis ad Viterbium restituetur ab Urbano VIII 86 *b*.

Montisveteris castrum subiicitur legationi Urbinatensi, 519 *b* et *seq.*

Mutinensis dux quaedam innovat in castro S. Caesarii, 758 *a*. Haec nulla esse declarat Summus Pontifex, *ibid.*

N

Neapolis civitas eligit in patronum S. Dominicum, 73 *b*; Festum S. Dominici ab opere feriatum pro toto regno Neapolitano constituitur, 779 *b*.

Neapolitana civitas. Nequeunt extrahi, seu comodari pignora in Monte Pauperum Nominis Dei civitatis Neapolitanae, 409 *a*. Neque etiam in banco domus Annunciationis B. Virginis eiusdem civitatis, *ibid.*

Nicolaus Brethel Ludovici Francorum et Navarrae regis christianissimi, orator, 588 *a*.

Nicolaus (Fr.) Rodulphus a magisterio Ordinis Praedicatorum removetur, 219 *a* et *b*; quae amotio nulla et irrita declaratur, 247 *a*.

Nicolaus Papa IV edidit regulam Tertii Ordinis sancti Francisci, 155 *a*.

Norberti (S.) Ordinis Praemonstatensis dies festus XI iulii celebrandus, 259 *b*.

Notarii capitum regionum Urbis ex collegio notariorum capitolino desumendi, 37 *a*; decretum extenditur ad protonotarium eiusdem curiae capitulinae et ad notarios conservatorum et camerarii Ripae, 111 *a* et *seq.*

Notarii etiam publici et in archivio Romanae curiae descripti, sed vacabilia notariatuum officia non habentes, transumpta litterarum apostolicarum facere prohibentur, 132 *a* et *b*.

Novitates in castro S. Cesarii a Mutinense duce introductas nullas esse declarat Summus Pontifex, 273 *a*.

Nuncii apostolici in partibus inferioris Germaniae debent archivium suae nunciaturae conservare, 277 *b*.

Nuncius Apostolicus a loco sui officii expulsus potest in subditos illius dominii suis facultatibus ubique locorum uti, 46 *b*, 169 *a*.

O

Octavianus Raggius causarum curiae apostolicae generalis auditor, 12 *a*, 161 *a*.

Odescalchi. *vide* Benedictus.

Odoardus Farnesius Sedis Apostolicae feudatarius in statu et ducatu Castri, 135 *a*, 136 *b*; Parmae et Placentiae dux, 188 *b*; Bondeni et Ostellatae terras Sedi Apostolicae restituit, 310 *b*.

Officium grasciae seu annonae civitatis Bononiensis supprimitur, 395 *b*.

Olorensis episcopus executor Brevis secularizationis Congregationis Doctrinae Christianae, 776 *b* et *seq.*

Oppidum Pratense erigitur in civitatem, et ecclesia collegiata S. Stephani in cathedralem erigitur, 727 *b*. Eadem Pistoriensi perpetuo unitur, *ibid.*

Oratorii D. N. I. C. in Francia Congregatio, *vide* Congregatio.

Ordo Cassinensium. Praelatis Congregationis Cassinensis prohibetur ne in affictum locent possessiones secularibus personis, nec in eis monachos retineant pro cura et administratione earumdem extra claustra a superiorum obedientiâ immunes, 329 *b* et *seq.* Confirmatur decretum capitulare eorumdem Cassinensium circa solutionem taxarum, 477 *a*. Ad officium cellerariatus decani tantum promoveri possunt, 501 *b*. Nullus monachus Congregationis Cassinensis in decanum eligi potest, nisi prius in sacra theologia, vel sacris canonibus consuetos cursus sine interruptione peregerit, 413 *a* et *seq.* Nonnulla praescribuntur pro administratione cellerariorum eiusdem Congregationis, 749 *b* et *seq.* *V.* Cassinensium.

Ordo clericorum regularium Ministrantium Infirmis. Decernitur observantia Brevis Urbani VIII circa formam regiminis eius religionis, 549 *b*.

Ordo clericorum regularium Societatis Iesu. Singulo novennio celebret congregationem generalem, quae celebratio neque impediri a generali, vel congregatione aliquâ particulari potest, neque ultra novennium diferri, 436 *a* et *seq.* Sub ipsorum regimine ponitur academia Bambergensis, 583 *a*. Societati Iesu datur facultas dispensandi et absolvendi in causis matrimonialibus in Indiis Occidentalibus, 624 *a*; aliaeque facultates conceduntur, *ibid.* Indulgentia concessa ecclesiis eiusdem Societatis in festo S. Francisci Xaverii transfertur in feriam secundam Adventus, quod illud festum venerit in primâ dominica Adventus, 687 *a*. Controversiae iurisdictionales inter Iesuitas, et Ioannem Palafox, *vide* Ioannes Palafox. Lis movetur Iesuitis super fundatione collegii S. Martini in civitate Maioricensi, 748 *b*.

Ordo Eremitarum S. Augustini. In hoc duo vel plures in primo vel secundo gradu consanguinei vel affines nullatenus simul convenire possunt et votare in capitulis, etc., et multo minus definitorium simul ingredi, 498 *b*. Hi praecedunt in processionibus aliisque actibus publicis fratres Ordinis Minorum sancti Francisci strictioris observantiae, 506 *b*. Horum conventus nequeunt occupari ab aliis regularibus sub quovis titulo, vel praetextu etiam reformationis nisi prioris generalis eorumdem Eremitarum accedente consensu, 508 *b*; horum provincia Franciae dividitur in duas provincias ab Urbano VIII, 659 *a*. Declarantur nonnulla circa divisionem provinciae Franciae eiusdem Ordinis aliàs factam, *ibid.*; *vide* Augustini (S.) Eremitarum Ordo.

Ordo B. Mariae de Mercede Redemptionis captivorum, *vide* Mariae (S.) de Mercede.

Ordo Minimorum Gallicae nationis coronae Franciae naturaliter subditorum traditur conventus SS. Trinitatis in Monte Pincio de Urbe regendus et habitandus, 386 *b* et *seq.*, *vide* Minimorum Ordo.

Ordo Minorum S. Francisci Cappuccinorum. Laici Cappucini Ordinis Minorum S. Francisci vocem in electionibus habere possunt, 531 *b*; Provincialis et fratres Cappucinorum, provinciae Aragoniae et Navarrae absolvuntur ob recursum ad iudices laicos in causâ rotali, 743 *a*.

Ordo Minorum Conventualium. Decretum Congregationis episcoporum et regularium

pro fratribus Conventualibus et Observantibus sancti Francisci provinciae Valachiae, 463 *a* et *seq.*; *vide* Minores Conventuales.

Ordo Minorum S. Francisci de Observantia. Georgius de Bosna huiusce Ordinis insimulatur fabricationis falsae monetae et processus idcirco contra illum instituitur, 562 *a* et *seq.* Prohibentur libri extrahi e bibliotecis illorum domorum provinciae Romanae, 683 *b* et *seq.*

Ordo Minorum S. Francisci Recollectorum nuncupatorum, 618 *a*. Quid decreverit congregatio episcoporum et regularium circa exclusionem exprovincialis, etc., a definitoriis, *ibid.*

Ordo Praedicatorum. Erigitur academia in collegio S. Thomae Ordinis fratrum Praedicatorum in civitate Manilana in insulis Philippinis, 414 *a*; *vide* Praedicatorum Ordo.

Ordo Ss. Barnabae et Ambrosii ad Nemus supprimitur ab Urbano VIII, 372 *b*; eiusque suppressio confirmatur ab Innocentio X, *ibid.*; illorum tamen monasteria eriguntur in beneficia secularia, 373 *a* et *seq.*

Ordo Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum; singulis sex annis convocare debent capitulum generale, 769 *a* et *b*.

Ordo militaris B. Mariae de Montesia et S. Gregorii de Alfama, 701 *a*. Statutum a rege christianissimo pro hoc Ordine editum ab Innocentio X confirmatur, *ibid.*

Ordo monachorum Cisterciensium, 497 *a*; dissidium inter monachos antiquae seu communis observantiae et abstinentes componitur, 497 *b* et *seq.* Privilegia sua a Sede Apostolica confirmari obtinet, etc., 621 *b*. Commendatarii qui monasteria huius Ordinis in commendam obtinent non possint priores et officiales eiusdem Ordinis instituere nec destituere, nec monachos visitare aut corrigere, 771 *a*, *b* et *seq.*; *vide* Monachorum.

Ordo monachorum S. Basilii Magni, 515 *b*; super convocatione vocalium ad capitulum generale et electione assistentium decretum capituli, *ibid.* Confirmatur, 516 *a*; Indulta eisdem monachis concessa, 614 *a*. Huiusque Ordinis constitutiones recensentur, 615 *a*.

Ordo Praemonstratensium. Controversiae iurisdictionales inter abbatem generalem huius Ordinis et communitatem antiqui rigoris eiusdem Ordinis, 706 *a* et *seq.* Quid super his statutum sit, *ibid.*; *vide* Praemonstratensium Ordo.

Ordo S. Antonii Viennensis. Imponitur perpetuum silentium super controversiis pendentibus pro abbatia generali eiusdem Ordinis, et illarum compositione, 411 *a* et *seq.*

Ordo S. Basilii de Armenis supprimitur, 670 *a* et *b*. Quot numero essent et quibus in conventibus habitarent, *ibid.*

Ordo S. Mariae de Monte Carmelo. Confirmantur nonnulli articuli constitutionibus reformationis eiusdem Ordinis inserendi, 405 *b*. Carmelitae Discalceati in processionibus, etc. fruuntur precedentiâ, aeque ac Carmelitae Calceati, dummodo incedant sub eâdem cruce cum ipsis Calceatis, 438 *b*, *vide* Carmelitarum Ordo.

Ordo S. Spiritus, 484 *a*; regulares qui ad illum Ordinem transierunt ultra montes cogantur redire ad proprios ordines, *ibid.*

Ordo Scholarum Piarum. Religio Scholarum Piarum reducitur in Congregationem,

461 *a*. Brevia nonnullis huius religiosis concessa assumendi habitum presbyterorum secularium, nisi illis utantur infra quatuor menses, censentur revocata, 487 *b*.

Orphanarum puellarum monasterium, 232 *b*; privilegia quae monialibus Ordinis S. Augustini a Summis Pontificibus concessa sunt, et communicata, 234 *a*.

Osnabrugis pax, *vide* Pax Germaniae.

Ovidius Erasmus notarius auditoris camerae, mensarius et decanus, 162 *b*.

P

Palafox (de) Ioannes, *vide* Ioannes de Palafox.

Palatinatus superioris bona ecclesiastica, quid de eis disponitur, 517 *a* et *seq*.

Pallium quo quaedam ecclesiae insignitae sunt, 158 *b*; taxa pro illo solvenda collegio subdiaconorum apostolicorum praescribitur et regulatur, *ibid* et *seq*.

Pamphilius cardinalis, praeses congregationis Concilii Tridentini, 212 *b*.

Papiensis ecclesia, 210 *b*; ipsius iura, sede vacante, violata ab oeconomo regio aliisque ministris regiis Status Mediolanensis, *ibid*.; defenduntur a Pontifice, 211 *a* et *b*.

Parocho concordato et invitato, possunt regulares cadavera defunctorum sepulturae tradere absque alio parochi consensu, 166 *b* et *seq*.

Paulus a Matrito fratrum Minorum sancti Francisci Discalceatorum, Hispaniorum procurator, 244 *b* et 313 *b*.

Pax Germaniae. Articuli nonnulli huius pacis utpote religioni christianae et Sedi Apostolicae praeiudiciales nulli declarantur ab Innocentio X, 603 *b* et *seq*.

Pecunia a Sixto V in arce Pontificia S. Angeli reponitur, nullo unquam tempore nisi ob certos tunc expressos necessarios usus exinde depromenda et eroganda; idque triplici constitutione a Sixto V sancitum confirmant Clemens VIII et Innocentius X, 335 *a* et *b*.

Pernambuco (de) capitaneatus, *vide* Capitaneatus.

Petra sancta (Attilius) abbas monasterii S. Crucis in Hierusalem de Urbe, 497 *b*.

Petri (S.) fabricae applicantur centum mille scutorum auri ratione novissimae prorogationis cruciatae, 675 *a*, *vide* Cruciata.

Petrus a S. Iacobo episcopus Celsonensis, 279 *b*.

Petrus, episcopus Laudiensis, nuncius Sedis Apostolicae apud regem Poloniae et Sveciae, 767 *a*.

Petrus, episcopus Smolescensis, bannitus pronuntiatur a iudicibus laicis, quos idcirco Innocentius X excommunicatos denunciari mandat nuncio Poloniae, 456 *b*.

Petrus Franciscus de Rubeis camerae apostolicae advocatus fiscalis, 214 *b*.

Philippo Hispaniarum regi concedit Innocentius, nonnullis adiectis conditionibus, subsidium ad summam decem et novem millionum cum dimidio alterius millionis ducatorum spatio sex annorum exigendum tam a laicis, quam ab ecclesiasticis, 347 et *seq*. De iam exactis sine facultate apostolicâ ipsis condonat Innocentius X, 342 et *seq*.; iterum subsidium per aliud sexennium confirmat, 663 *b*. *Vide* Hispaniarum rex.

Philippus Christophorus archiepiscopus Trevirensis, 6 *a*; detinetur nomine Sedis Apostolicae, 6 *b*, et innocens reperitur, 7 *a*; captivus ductus consignatur nuncio apostolico, 371 *a*.

Philippus IV. Ei concessum indultum nominandi ad monasteria in Belgio et comune Burgundiae, 80 *b* et *seq*.

Pii Papae V litterae apostolicae reservatur contra Baii propositiones, 92 *b* et *seq*.

Poenitentiariae apostolicae procuratoribus, nunc et pro tempore existentibus conceditur facultas deferendi tunicam *sottanam* vulgo nuncupatam et cingulum coloris violacei, 367 *a*.

Poenitentiarius canonicus, si minime resideat, praebenda sui canonicatus privatur, 52 *a*.

Poloniae archiepiscopi et episcopi petunt confirmari decreta Congregationis Concilii Tridentini de regularibus circa expositionem SS. Eucharistiae et processiones, 371 *a*; causae criminales ipsorum non comprehenduntur in bullà Urbani VIII, 459 *b*.

Poloniae clero facultas data concurrendi cum laicis in contributione regi facienda 318 *a* et *b*. Episcopis potestas facta prorogandi tempus pro communione Paschali, 418 *b*.

Poloniae nuncio facultas data est ab Innocentio X reservandi decem et octo beneficia ecclesiastica hoc est tria in singulis Gnesnensi, Vladislaviensi, Posnaniensi, Plocensi, Cracoviensi et Vormiensi dioecesibus personis a rege Poloniae nominandis, 359 *a*. Quorum tamen beneficiorum proventus si excedant viginti quatuor ducatorum auri de camera valorem intra sex menses novae litterae apostolicae sunt impetrandae, 361 *a*.

Poloniae reginae Mariae Aloysiae Pontifex mittit rosam auream, 664 *a*.

Poloniae regi Ioanni Casimiro ensem et pileum benedictos mittit Innocentius, 664 *b*.

Pompeius cardinalis Arigonius, 387 *a*.

Pontifex Romanus post cardinalium obitum quaenam sacra supellectilia ad pontificiam sacristiam deferri debeant, 195 *a* et *b*. Ad ipsum immunitatis ecclesiasticae defensio pertinet, 212 *b*.

Populi Romani cappellani et officiales ne bona palatii capitolini distrahant, 487 *a*.

Porphyrensis ecclesiae in partibus infidelium dos constituta, 303 *b* et *seq*.

Portiunculae indulgentia, etiam in ecclesiis Tertii Ordinis acquirunt, 230 *a*. Eleemosynae quae ipsius occasione fiunt ecclesiâ S. Mariae Assisiensis pertinent ad Minores Observantes, 249 *a*. Processio in ecclesiâ S. Mariae Angelorum quomodo sit facienda, 373 *b*.

Portugalliae regnum. Quid statuerit Innocentius X circa canonicos poenitentiarios, lectores, magistrales et doctores ecclesiarum metropolitanarum et cathedralium eiusdem regni, 554 *b*.

Praedicatorum Ordo, in monasteriis monialium comoediae non recitandae, 58 *b*; Provincialis provinciae Poloniae sit biennalis tantum, 84 *a*; Orta dissidia ob P. Nicolai Rodulphi a magistèrio generali amotionem, 214 *b*. Capitulum generalissimum pro anno MDCXLIV indictum, 352 *a*; *vide* Ordo Praedicatorum.

Praemonstratensium Ordo, 137 *a*. Monachis veterem in Hispania habitum, vel fratris nomen dimittere vetitum, *ibid.*; in die festo S. Norberti huius Ordinis

ecclesias visitantibus indulgentia plenaria proposita, 259 *a* et *b*; Seminarium Praemonstratensium in civitate Coloniensi subiicitur congregationi de Propaganda Fide, 285 *b* et *seq.*; *vide* Ordo Praemonstratensium.

Privilegia hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, 585 *b*.

Procamerarius a solo Romano Pontifice removeri potest; et ne Sede quidem vacante a collegio cardinalium, 685 *b*.

Propaganda (de) Fide Congregatio, nova loca sub titulo de Propaganda Fide erigi prohibetur, 64 *b* et *seq.*; ipsi commissae facultates supra collegiis Avenionensibus S. Nicolai de Anexiaco et de Ruvere, 67 *b*; collegium de Propaganda Fide erectum et dotatum 113 *seq.*; Urbanum nuncupatum, 115 *a*; Congregationis de Propaganda Fide regimini committitur, 119 *a* et *seq.*;

Prosper Fagnanus in utrâque signaturâ referendarius, 219 *b*.

Protonotarii apostolici, quamvis non participantes, praecedunt canonicos ecclesiarum cathedralium, dummodo collegialiter non incedant, 205 *a*.

R

Raggius Laurentius *vide* Laurentius.

Ragusina civitas eiusque dominium terremotibus conquassatum, 89 *b*; ad ruinas resarciendas Reipublicae conceduntur redditus ex legatis piis, 90 *a* et *seq.*; eidem confirmatur concessio medietatis reddituum, proventuum legatorum ad muniendas arces contra Turcarum tyrannum, 395 *b* et *seq.*; item illi fit facultas utendi sex millium scutorum ex legatis quibusdam in provisiones bellicas contra Turcos, 465 *a*. Renovatur eadem illa concessio medietatis fructuum, 645 *a* et *seq.*

Ratisbonensis ecclesia, 203 *b*.

Raynaldus S. Mariae Novae diaconus cardinalis Estensis, 339 *a*.

Recollecti S. Francisci in Gallia, *V.* Ordo Minorum Recollectorum.

Regulares, in iis qui pertinent ad curam animarum Ordinariorum correctioni et visitationi, sunt subiecti, 45 *b*; eis quaecumque numerum largitio interdicta, 82 *a* et *b*; Ambitus culpa rei a Romano Pontifice dumtaxat absolvendi, 241 *b* et *seq.*; regularibus habentibus privilegia apostolica nequit prohibere episcopus, ut intra paschalem quindenam administrare non valeant personis secularibus sacramentum confessionis; potest tamen prohibere eisdem administrare Eucharistiam in die Paschatis, etiamsi seculares illae personae aliâ die satisfecerint praecepto paschali, 362 *a*. Regulares absque episcopi licentia confessiones audire nequeunt, minusque verbum Dei praedicare, 370 *a*. Quando eisdem liceat Eucharistiae sacramentum in propriis ecclesiis exponere, 391 *a*. Quae processiones regularium permitti debeant ab episcopis ut fiant extra claustrum, *ibid.* Coguntur ad proprium Ordinem redire regulares, qui ultra montes ad Ordinem S. Spiritus transierunt, 484 *a*. Decreta nonnulla circa statum regularium in Italia et insulis adiacentibus, 646 *b* et *seq.* Regularium numerus in qualibet domo, 647 *a* et *seq.* Extinguuntur et supprimuntur parvi conventus et rediguntur ad statum secularem, et prohibentur nova erigi loca regularia in Italia et insulis adiacentibus, 696 *b* et *seq.*; regulares civitatis Maioricae una cum

capitulo et parochis ecclesiarum eiusdem civitatis absolvuntur a censuris incursis ob recursum ad iudices laicos pendente lite in sacro Romanae Rotae auditorio, 748 *b*. Nonnulli conventus subiiciuntur iurisdictioni Ordinarii, 754 *b*.

Regularium et cleri secularis concordia circa ius sepeliendi cadavera defunctorum qui in ipsorum regularium ecclesiis sepulturam sibi elegerunt, 446 *a* et *seq*. Solvere debent decimas parochis et aliis beneficiatis, quae solvebantur a laicis priusquam bona in regularium possessionem transierant, 453 *b*.

Reservatio iurium Sedis Apostolicae super ecclesias et beneficia ecclesiastica civitatum Tullensis, Metensis et Virdunensis, 524 *b*.

Rocchus Cortez collegialis universitatis Elborensis, 268 *b*.

Roma. Circa moenia ac propugnacula Urbis recenter extructa nonnulla statuit Innocentius X, 364 *a*. Gubernator Urbis non excluditur a cognitione causarum criminalium, sed eas cumulative cum gubernatore burgi S. Petri cognoscit, 672 *b*. Revocatur hinc Breve Urbani VIII quo gubernatorem Urbis a dicta cognitione excluserat, *ibid*.

Rosarum Montis via postalis restituitur, 86 *b*.

Rotae Romanae auditoribus eorumque adiutoribus vetitum, quominus sua vota vel aliorum aliis patefaciant, 287 *a*. Sed constitutionem Urbani VIII quae incipit *Exponi nobis* iurare tenentur, 288 *a*.

Rotae sacrae Romanae auditoribus indultum conceditur deferendi ubique et omni tempore rochettum, 365 *b*.

Rupellense oppidum erigitur in episcopatum, 567 *b*.

Ruthenis concessa Romae ecclesia, aedesque Ss. Sergii et Bacchi, 91 *a* et *b*.

S

Sabaudiae nuncius cognoscit causas in secunda instantia universitatum S. Benigni, Montanari, et Lombardoni, nullius dioecesis, provinciae Taurinensis, 673 *b*.

Salvatoris (S.) episcopus non potest cogere incolas Capitaneatus de Pernambuco ut eum adeant pro iuramento praestando in causis dispensationum matrimonialium, 363, *b* et *seq*.

Salvator Severinus de Fabriano Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini procurator generalis, 498 *b*; et vicarius apostolicus, 659 *b*; ipsius gesta quaedam irritantur, *ibid*. et *seq*.

Sanctes Floridus decanus collegii notariorum auditoris camerae, 161 *a*.

Saonensis episcopus, 226 *b*.

Sardiniae insula, 143 *b*; quomodo spolia archiepiscoporum et episcoporum et ecclesiarum vacantium ibi exigenda, 144 *a*.

Sardiniae regni ecclesiasticis praescribitur solutio ratae pro subsidio triremium regis catholici, 466 *a*.

Sarsinae civitas legato Romandiolae addicta, 69 *a*.

Scholarum Piarum religiosi reclamantes circa validitatem professionum suarum, declarantur vere professi, 19 *a* et *b*; *vide* Ordo Scholarum Piarum.

Scotorum collegium Parisiis erectum, 227 *b*; Alumni sacris ordinibus initiari possunt absque litteris dimissorialibus suorum episcoporum et titulo, 228 *a*.

Scutarensis episcopus constituitur administrator ecclesiarum Dulcini, Sfaciae et Drirustinae in partibus infidelium, 367 *b*.
Sebastianus Caesius notarius vicarii Urbis, 220 *b*.
Sebastianus Pasquettus notarius auditoris camerae, 160 *a*.
Sedis Apostolicae iuribus particularium personarum facta non praeiudicant, 124 *a*. Etiamsi Romanae Curiae officiales sint, 128 *a* et *seq*.
Seminarium puerorum a Ioanne Palafox et Mendosa episcopo Angelopolitano in Indiis occidentalibus erigitur, 571 *b*. Confirmatur erectio ab Innocentio X, 574 *a*. Privilegia huiusce seminarii alumnis ab Innocentio X concessa, 606 *b*.
Senatus populusque Romani decretum publici et secreti concilii circa notarios refertur et confirmatur 37 *a* et *seq*., 111 *a* et *seq*.
Senonensis archiepiscopus pastoralem edit haeresim redolentem, 745 *b*. *Vide* Ludovicus Henricus de Gondrin.
Sepulturae iura inter regulares et clerum secularem, *vide* Regulares *et* Curati, *et* Parocho.
Sfortia cardinalis Federicus *vide* Federicus.
Sigismundus episcopus Chersonensis in Tartaria, 372 *b*.
Sigismundus Poloniae et Sveciae rex pro beatificatione venerabilis Iosaphat archiepiscopi Rutheni Polocensis orator extitit, 262 *b*.
Siphri et Zeae ecclesiae in partibus infidelium, 368 *b*; ipsorum administrationi providetur, *ibid*.
Sixtus Papa V gymnasium in Monte Alto et collegium Montis Alti Bononiae erigit, 146 *b*; pecuniam reponit in Arce S. Angeli ad determinatos usus, 335 *a*.
Societas Iesu. *V*. Ordo clericorum regularium Societatis Iesu, etc.
Somlescensis dioecesis limitatio, 459 *a*.
Spiritus (S.) in Saxia de Urbe archiospitale, 66 *a*. Nisi quis per annum ei inservierit ab Ordinem minime admittendus, *ibid*.
Spolia archiepiscoporum et episcoporum, ac fructuum ecclesiarum vacantium quomodo exigenda in insula Sardiniae, 143 *b* et *seq*.
Stephani (S.) clerus et milites subiiciuntur subsidio concesso magno duci Hetruriae, 601 *a* et *seq*.
Stephani Daulmoi Congregationis Doctrinae Christianae in Gallia, 776 *b*.
Stephanus cardinalis Donghus, 278 *a*. Deputatur ad paciscendum cum Veneta Republica, Parmaequae et Placentiae duce, 309 *b* et *seq*.
Stephanus episcopus Xirenensis archiospitalis S. Spiritus praeceptor, 66 *a*.
Subdiaconis Sedis Apostolicae quid solvendum sit in provisionibus ecclesiarum, quae pallio sunt insignitae, 158 *b*.
Summorum Pontificum constitutionum firmitati per gratiarum revocationem providetur, 416 *b* et *seq*.

T

Tabaccum sumi in ecclesiis prohibetur, 167 *a* et *b*.
Terra Sancta. Innovatur Breve Urbani VIII quoad eleemosynas quaerendas pro locis Terrae Sanctae, 404 *a*.

Terrae Sanctae commissarii tenere possunt unam clavem arcae eleemosynarum, et alia manere debet apud syndicum, 408 *a*.

Tertiarii S. Francisci congregationis Gallicae quando habeant votum in electionibus, 365 *b*; suspenditur officium vicarii generalis dictae congregationis ab Urbano VIII, 599 *a*; supprimitur ab Innocentio X, 599 *b*.

Tertii Ordinis sancti Francisci habitus praescribitur, 3 *b*; regula et modus acceptationis definitur, 155 *b* et *seq*.

Theologalis canonicus, si minime resideat, praebendâ sui canonicatus privatur, 52 *a*.

Thermiae episcopi constituuntur administratores ecclesiarum Syphri et Zeae ecclesiae Thermiae vicinarum in partibus infidelium, 368 *b*.

Thesaurarius generalis reverendae camerae apostolicae ius habet deputandi collectores spoliorum in Catalonia, et comitatibus Ceritaniae et Rossilionis, 167 *b*.

Thomas (F.) Turcus, generalis magister Ordinis fratrum Praedicatorum religionis domos visitaturus plurimis ornatur privilegiis, 352 *b* et *seq*.

Thomas Roccamora, 219 *a*.

Thomas Zamoschi petit confirmari erectionem academiae a Ioanne Zamoschi eius genitore institutae in oppido Zamoschi Chelmensis dioecesis, 596 *a* et *seq*.

Titulus cardinalatus ecclesiae S. Agnetis in Agone supprimitur, 773 *a*; erigitur vero in ecclesia S. Agnetis extra moenia Urbis, *ibid*.

Transumpta litterarum et supplicationum apostolicarum quomodo fieri debeant, 688 *b* et *seq*.

Treverensis elector archiepiscopus liberatur a custodia, in qua Sedis Apostolicae nomine detinebatur, 371 *a*.

Tridentina Synodus. Vetuit, ne ulla insolita imago fidelium venerationi exponatur, nisi fuerit ab Ordinario approbata, 171 *a*.

U

Urbanus VIII. Eius de catholicis Anglis cura, 4 *b*; immunitatem ecclesiasticam a Lucanis violatam vindicat, 7 *b*; ex nonnullis legatis piis Ordini Minorum designatis beneficia quaedam ecclesiastica erigit, 63 *a*; viam antiquam ab oppido Montis Rosarum Viterbium usque restituit, 86 *b*; festorum dierum observationi consulit, 206 *a* et *b*; contra Franciscum Mutinensium ducem iurium ecclesiasticorum violatorem procedi mandat, 217 *b*; obortis in Ordine Praedicatorum dissidiis consulit, 219 *a*; hymnos breviarii romani reformat, 256 *b*.

V.

Valentiae ecclesiasticis potestas facta contribuendi pro parandis duobus militum millibus, 257 *b*.

Valentiae regni ecclesiastici unâ cum aliis subsidium offerunt regi christianissimo de Sanctae Sedis licentiâ, 504 *a*.

Valentinensis archiepiscopi decretum, de contributione ecclesiasticorum cum laicis pro manutentione mille ducentorum militum pro defensione regni ab invasione hostili, confirmatur ab Innocentio X, 435 *b*.

Veneta Respublica quasdam terras Status Ecclesiastici hostiliter occupat, 273 *a*.

Veneta Respublica 397. Subsidium imponitur super fructibus ecclesiasticis eiusdem Reipublicae ad bellum contra Turcas, 399 *b* et *seq*. Qua tamen conditione, *ibid*. Alia impositio decimarum ad summam quadraginta millium scutorum pro eâdem Republicâ, 722 *b*. Aliud subsidium centum millium scutorum super fructibus ecclesiasticis pro eâdem Republica, 478 *b*; 638 *a* et *seq*.; 736 *a* et *seq*.

Viarius conclavistarum procurator, 358 *b*; etsi praesens in conclavi non fuerit eorum particeps privilegiorum efficitur, *ibid*.

Victorius Sciala Maronita pro collegio Maronitarum instituendo in civitate Ravennatensi loca montium et alia bona reliquit, 576 *a*.

Vladislaus IV beatificationem venerabilis Iosaphat archiepiscopi Rutheni Polocensis promovet, 262 *b*.

Vladislaus Poloniae et Sveciae rex, 359 *a*. Ipsi quaedam reservantur beneficia ecclesiastica, *ibid*.

Westphaliae pax, *vide* Pax Germaniae.

Z

Zamoschi Ioannes et Thomas *vide* Ioannes et Thomas.

Zamoschi oppidum in Poloniâ Chelmensis dioecesis, ibi academia erigitur et confirmatur, 594 *a* et *seq*.

Zeae et Siphri ecclesiae in partibus infidelium, 368 *b*; ipsarum administratio Thermiae episcopo collata, *ibid*.

INDEX ALPHABETICUS PONTIFICUM

Innocentius X hoc in tomo habet constitutiones . . . . . CXCIX.

Urbanus VIII hoc in tomo habet constitutiones . . . . . CLXXII.

IDEM CHRONOLOGICE DISPOSITUS

Urbanus VIII Anno 1639 . . . . . *pag.* 1

Innocentius X » 1644 . . . . . » 329

INDEX INITIALIS.

A

Ad curam nostram pastoralem. . . 364
Ad Romani Pont. spectat officium. 16
Ad universalis Ecclesiae regimen . 347
Ad universalis Ecclesiae regimen . 665
Aequum est ut nos, qui omnium . 194
Aliàs a Congregatione Visitationis . 91
Aliàs a fel. record. Clemente VIII. 594
Aliàs a felicis record. Pio PP. V. . 351
Aliàs a felicis record. Sixto PP. V. 320
Aliàs a fel. record. Urbano PP. VIII. 473
Aliàs a fel. record. Urbano PP. VIII. 500
Aliàs a felicis record. Urbanus VIII. 458
Aliàs a nobis emanarunt litterae . 78
Aliàs a nobis emanarunt litterae . 254
Aliàs a nobis emanarunt litterae . 705
Aliàs a nobis emanarunt litterae . 718
Aliàs a nobis pro provincia 265
Aliàs a venerabilibus fratribus. . . 391
Aliàs a venerabilibus fratribus. . . 753
Aliàs dilectis filiis regimini 221
Aliàs emanarunt a felicis recordationis Urbano PP. VIII 466
Aliàs emanarunt a felicis recordationis Urbano PP. VIII 475
Aliàs emanarunt a felicis recordationis Urbano PP. VIII 546
Aliàs felicis rec. Gregorius PP. XIII. 178
Aliàs felicis rec. Gregorius PP. XV. 686
Aliàs felicis recordat. Paulo PP . . 600
Aliàs felicis record. Paulo PP. V . 702
Aliàs felicis record. Paulus Papa . 259
Aliàs felicis recordat. Pius Papa V. 331
Aliàs felicis recordationis Sixtus V. 324
Aliàs fel. record. Urbano PP. VIII. 598
Aliàs fel. record. Urbanus PP. VIII. 459
Aliàs, maiestatis tuae nomine . . . 342
Aliàs nos, de venerabilium fratrum. 209
Aliàs nos, ex certis rationabilibus. 63
Aliàs nos, motu proprio 284
Aliàs nos, ut adulterinam monetam. 202
Aliàs, per felicis rec. Urbanum VIII. 672
Aliàs, per nos accepto, quod . . . 66
Aliàs, per nostras in simili forma . 775
Aliàs, per tunc existentem. 155
Aliàs, postquam capitulo generali . 191
Aliàs, postquam emanarunt a nobis. 42
Aliàs, postquam nos, iustis ex causis. 487
Aliàs, postquam, sublatis per . . . 197
Aliàs, pro congregatione generali. . 223
Aliàs, pro felici prosperoque 224

Aliàs, pro parte dilectorum filiorum 164
Aliàs, pro parte dilectorum filiorum 393
Aliàs, pro parte dilectorum filiorum 549
Aliàs, pro parte dilectorum filiorum 645
Aliàs, pro parte dilectorum filiorum 673
Aliàs, pro parte dilectorum filiorum 731
Aliàs, pro parte tuâ nobis 59
Aliàs, pro parte venerabilis fratris . 216
Aliàs, sicut asseritur 143
Animarum saluti paternâ charitate . 622
Apostolatus officium nobis meritis. 517
Apostolatus officium, nullo 779
Apropinquat, dilectissimi filii . . . 629

B

Bellum contra nos et hanc sanctam. 278

C

Catholicae religiônis zelus 121
Christifidelium quorumlibet 142
Circumspecta in omnibus R. P. . . 355
Circumspecta in omnibus R. P. . . 455
Circumspecta Romani Pontificis . . 1
Clamores tot gravaminum 20
Commissi nobis a Domino 520
Commissa nobis a supremo 670
Conservationi et manutentioni. . . 175
Conservationi et manutentioni . . . 236
Conservationi et manutentioni. . . 409
Conservationi et manutentioni . . . 487
Conservationi et manutentioni . . . 683
Conservationi libertatis et immunit. 188
Conservationi libertatis, immunitatis 217
Constantis fidei ac sincerae devot. . 319
Constantis vestrae fidei et devotionis 396
Cum ad componendas differentias . 489
Cum aliàs dilectus filius noster . . 684
Cum aliàs, ex causis tunc expressis 392
Cum aliàs, ex causis tunc expressis 675
Cum aliàs hymni Breviarii Romani. 256
Cum aliàs hymni Breviarii Romani. 316
Cum aliàs nos, ad sedandas 637
Cum annis praeteritis, sede 210
Cum castrum Montisveteris 519
Cum dilectus filius nobilis vir . . . 309
Cum ecclesiae divino cultui dicatae. 157
Cum in officiis et tribunalibus . . . 281
Cum inter christifideles, praesertim 250
Cum iuxta sacrorum canonum . . . 441
Cum monialium monasteria 58
Cum nobis nuper innotuisset 17
Cum nonnulli Romani Pontifices . . 307
Cum non sine gravi animi nostri . . 150
Cum non sine gravi animi nostri . . 151
Cum nos, de venerabilium fratrum . 68
Cum nos, ex causis tunc expressis . 676
Cum nos hodie dilectum filium . . . 186
Cum nos nuper sancti iubilaei . . . 632
Cum nos nuper te nostrum 168
Cum nos propediem venerabilem . . 203
Cum nuper ad aures nostras 273
Cum nuper ad notitiam nostram . . 739
Cum nuper nos, ad praeservandum. 134
Cum nuper, non sine animi 708
Cum nuper, non sine animi 709
Cum nuper, sicut non sine 46
Cum, ob sacri iubilaei celebrationem 662
Cum, occasione impressionis libri. 720
Cum, per obitum bonae memoriae . 405
Cum, sicut accepimus, aliquae. . . 713
Cum, sicut accepimus, a multo . . 167
Cum, sicut accepimus, a venerabil. 72
Cum, sicut accepimus, civitas . . . 297
Cum, sicut accepimus, coram . . . 575
Cum, sicut accepimus, dilectus filius 502
Cum, sicut accepimus, duo sicarii. 744
Cum, sicut accepimus, illi qui . . . 282
Cum, sicut accepimus, in provinciâ. 185
Cum, sicut accepimus, inter 462
Cum, sicut accepimus, inter 740
Cum, sicut accepimus, nonnulli . . 22
Cum, sicut etc., postposito, personam 23
Cum, sicut accepimus, nonnulli . . 49
Cum, sicut accepimus, nuper . . . 758
Cum, sicut accepimus, pro iniuncto 352
Cum, sicut accepimus, venerabiles. 205
Cum, sicut accepimus, visitatio . . . 208
Cum, sicut aliàs nobis 305

Cum, sicut carissimus in Christo . . 559
Cum, sicut dilecti filii capitulum . . 175
Cum, sicut dilecti filii commissarii. 408
Cum, sicut dilecti filii Franciscus. . 38
Cum, sicut dilecti filii fratres . . . 166
Cum, sicut dilecti filii patres 173
Cum, sicut dilectus filius Blasius . . 53
Cum, sicut dilectus filius Gaspar . . 138
Cum, sicut dilectus filius Ioannes. . 229
Cum, sicut dilectus filius Paulus . . 313
Cum, sicut dilect. filius praepositus. 317
Cum, sicut dilectus filius procurator. 213
Cum, sicut dilectus filius procurator. 413
Cum, sicut exponi nobis nuper. . . 89
Cum, sicut maiestatis tuae nomine. 409
Cum, sicut nobis innotuit 132
Cum, sicut nobis nuper exponi. . . 370
Cum, sicut nobis nuper innotuit . . 50
Cum, sicut nobis innotui, quaedam. 677
Cum, sicut nobis nuper significasti. 85
Cum, sicut nomine dil. filii Ioannis. 504
Cum, sicut non sine gravi 7
Cum, sicut non sine gravi 10
Cum, sicut non sine gravi animi . . 626
Cum, sicut nuper accepimus 634
Cum, sicut pro parte dilecti filii . . 285
Cum, sicut pro parte dilectorum . . 515
Cum, sicut universitas Hebraeorum. 186
Cum, sicut venerabilis frater Fabius. 277
Cum unum Breve nos sub annulo . 557
Cum, venerabilis frater Philippus. . 371
Cupientes, iustis ex causis 134
Cupientes, ut debitus virtutis. . . . 606

D

Decet et aequum est, ut nos. . . . 86
Decet nos, qui in Apostolicâ Sede. . 108
Decet Romanum Pontificem 565
De tuâ singulari fide, prudentia. . . 440
De tuâ prudentiâ, fidelitate. 180
Domini nostri Iesu Christi, qui servos 73
Domini nostri Iesu Christi 83
Domini nostri Iesu Christi 248
Diuturnâ experientiâ compertum. . 749
Dudum a nobis emanarunt binae. . 76
Dudum felicis record. Sixtus PP. V. 158
Dudum felicis record. Sixtus PP. V. 649
Dudum felicis record. Paulus PP. III. 688
Dum assiduos gravesque labores . . 365

E

Ea quae pro felici personarum. . . 459
Ea quae pro religiosorum Ordinum. 477
Emanarunt aliàs a nobis litterae . . 74
Emanarunt a nobis litterae in formâ. 246
Etsi aliàs fel. record. Clemens VIII. 662
Etsi ea, quae pluribus Romanorum. 416
Etsi plurimum in Domino 201
Etsi pro curâ nostri pastoralis . . . 397
Etsi pro curâ nostri pastorali. . . . 638
Etsi, pro curâ nostri pastoralis. . . 736
Ex debito supremi apostolatus officii. 571
Exigit a nobis pastoralis officii . . . 395
Eximiae maiestatis tuae meritis . . 664
Ex incumbenti nobis apostolicae. . 276
Ex incumbenti nobis apostolicae. . 679
Ex incumbenti nobis pastoralis . . 386
Ex iniuncto nobis apostolici. 446
Ex iniuncto nobis pastoralis officii . 65
Ex more Sedis Apostolicae. 664
Ex Romani Pontificis providentiâ . 777
Exponi nobis nuper fecerunt. . . . 105
Exponi nobis nuper fecerunt. . . . 160
Exponi nobis nuper fecerunt. . . . 263
Exponi nobis nuper fecerunt. . . . 268
Exponi nobis nuper fecerunt. . . . 271
Exponi nobis nuper fecerunt. . . . 279
Exponi nobis nuper fecerunt. . . . 286
Exponi nobis nuper fecerunt. . . . 362
Exponi nobis nuper fecerunt. . . . 363
Exponi nobis nuper fecerunt. . . . 403
Exponi nobis nuper fecerunt. . . . 465
Exponi nobis nuper fecerunt. . . . 588
Exponi nobis nuper fecerunt. . . . 692
Exponi nobis nuper fecerunt. . . . 743
Exponi nobis nuper fecerunt. . . . 748
Exponi nobis nuper fecerunt. . . . 761
Exponi nobis nuper fecerunt. . . . 780

Exponi nobis nuper fecisti 318
Exponi nobis nuper fecit 56
Exponi nobis nuper fecit 111
Exponi nobis nuper fecit 177
Exponi nobis nuper fecit 190
Exponi nobis nuper fecit 237
Exponi nobis nuper fecit 244
Exponi nobis nuper fecit 272
Exponi nobis nuper fecit 326
Exponi nobis nuper fecit 329
Exponi nobis nuper fecit 361
Exponi nobis nuper fecit 463
Exponi nobis nuper fecit 465
Exponi nobis nuper fecit 526
Exponi nobis nuper fecit 531
Exponi nobis nuper fecit 659
Exponi nobis nuper fecit 701
Exponi nobis nuper fecit 721
Exponi nobis nuper fecit venerabilis 45
Exponi nobis nuper fecit venerabilis 226
Exponi nobis nuper fecit venerabilis 456

F

Facta fraternitati tuae 669

G

Grata familiaritatis obsequia 490

H

Hodie in consistorio nostro secreto 773
Honorum dignitatumque vana. . . . 240

I

Illis, quae pro stabilienda inter . . 764
Immensae omnipotentis Dei bonitati 336
Indemnitati ecclesiarum Dulcini . . 367
Indemnitati ecclesiarum Serviae. . . 369
Indemnitati ecclesiarum Syphri . . . 368
Indemnitati ecclesiarum tuae eccl. . 371
In eminenti Ecclesiae militantis . . . 92
In eminenti Sedis Apostolicae . . . 768
In his apostolicae nostrae sollicit. . 501
In his apostolicae nostrae sollicit. . 508
In his, per quae Beatissimae Virginis 333
In iis, quae ad tuenda conservand. . 298
Iniuncti nobis a Domino pastoralis . 498
Iniuncti nobis divinitus 483
Innotuit nuper nobis, quod 591
Inscrutabilis divinae providentiae. . 511
In sede Principis Apostolorum. . . 262
In speculâ militantis Ecclesiae. . . 232
Instaurandae regularis disciplinae . 696
In supereminenti Apostolicae Sedis. 414
In supereminenti Apostolicae Sedis. 582
In supereminenti militant. Ecclesiae 567
In supremo apostolatus solio . . . 25
In supremo apostolicae dignitatis . 334
In supremo militantis Ecclesiae . . 641
In supremo militantis Ecclesiae . . 741
In supremo iustitiae throno 710
Inter cetera quae ad regularem . . 646
Inter multiplices pastoralis officii . 141
Inter plurimas easque gravissimas. 562
Interpositâ ad nos ad Sedemque . . 556
Inter varias et multiplices 335
Iustis ex causis animum 136

M

Maiestatis tuae nomine nobis . . . 503
Maiestatis tuae nomine nobis . . . 590
Militantis Ecclesiae regimini 69
Militantis Ecclesiae regimini 139
Militantis Ecclesiae regimini 339
Militantis Ecclesiae regimini 706

N

Ne insulae Melitanae, firmissimi . . 325
Ne nova loca sub titulo 64
Nobis pro parte dilecti filii Marci . 3
Nuper a congregatione nonnullorum 81
Nuper a nobis accepto 14
Nuper a nobis accepto 218
Nuper emanarunt a nobis litterae. 62
Nuper pervenit ad aures nostras . . 745

Nuper pervenit ad aures nostras. . 760
Nuper pro parte dilecti filii. . . . 400
Nuper pro parte dilecti filii. . . . 618
Nuper pro parte dilecti filii Stephani. 776
Nuper pro parte dilecti filii Angeli. 687
Nuper pro parte dilectorum. . . . 37
Nuper pro parte dilectorum. . . . 257
Nuper pro parte dilectorum. . . . 299
Nuper pro parte dilectorum. . . . 435
Nuper pro parte dilectorum. . . . 580
Nuper pro parte dilectorum. . . . 614
Nuper pro parte dilectorum. . . . 619
Nuper pro parte dilectorum. . . . 756
Nuper pro parte venerabilium. . . 453
Nuper, ut christifideles huius almae. 301

O

Olim, postquam felicis recordationis. 79
Omnium saluti paternâ charitate. . 304
Onerosa pastoralis officii cura. . . 552

P

Pastoralis muneris nostri debitum. 23
Pastoralis officii nobis divinitus . . 137
Pastoralis officii nobis divinitus . . 231
Pastoralis officii nobis divinitus . . 243
Pastoralis officii nobis divinitus . . 438
Pastoralis officii nobis divinitus . . 771
Pastoralis officii nobis, meritis . . 635
Pastoralis officii, quo, divina . . . 694
Pastoris aeterni, qui pro gregis. . 311
Piis dilecti filii procuratoris gener.. 240
Pontificia sollicitudo, quamvis. . . 657
Postquam annis retroactis 6
Pro nostri pastoralis officii debito. 367
Pro nostro munere in his partes . 377
Propensa nostra in maiestatem . . 661
Prospero felicique statui Societatis. 436
Provisionis nostrae debet provenire. 289
Publicis christifidelium precibus. . 103

Q

Quamvis ecclesiae 524
Quamvis fel. record., Clemens VIII . 193
Quamvis Romani Pontifices 152
Quanto illustriora sunt maiestatis. . 201
Quantum ornamenti et utilitatis. . 292
Qnoniam divinae bonitati 575
Quoniam nostro pastorali 372

R

Redemptoris nostri, qui in. 727
Religiosos viros, qui, abnegantes . 215
Religiosos viros, qui, spretis . . . 19
Romani Pontifices, gerentes in terris 4
Romani Pontifices, gerentes in terris 5
Romanum decet Pontificem illos. . 485
Romanum decet Pontificem 544
Romanus Pontifex, communis pater. 112
Romanus Pontifex gratiarum . . . 528
Romanus Pontifex, in sacrâ B. Petri. 122
Romanus Pontifex, universalis. . . 506

S

Sacri apostolatus ministerio 533
Sacrosanctae militantis Ecclesiae. . 478
Sacrosanctae militantis Ecclesiae. . 722
Sacrosancta Tridentina Synodus . . 171
Saepe convenit, iuxta varietatem . . 146
Salutis humanae amator et auctor . 751
Salvator et Dominus noster Iesus . 746
Salvatoris et Domini nostri, qui. . 403
Salvatoris et Domini nostri Iesu. . 411
Salvatoris et Domini nostri Iesu. . 497
Salvatoris et Domini nostri Iesu. . 767
Salvator et Dominus noster Iesus . 762
Salvatoris nostri Iesu Christi. . . . 55
Sincerae devotionis affectus 228
Super militantis Ecclesiae speculâ . 24
Super universas orbis ecclesias . . 51

Super universas orbis ecclesias . . 303
Super universas orbis ecclesias. . . 554
Suscitatis iam pridem 295

U

Uberes fructus, quos in vineâ Domini 145
Universalis Ecclesiae regimini . . . 405
Universalis Ecclesiae regimini . . . 585
Universalis Ecclesiae regimini . . . 607
Universa per orbem novit Ecclesia . 206
Ut alumnis collegii Scoti 227
Ut charissimus in Christo. 359
Ut fratres milites et alii hospitalis . 278
Ut in parvis regularium virorum . 754

Z

Zelo domus Dei animum nostrum . 603
Zelum orthodoxae fidei, quo accensi 260

INDEX RUBRICARUM

CONSTITUTIONUM

URBANI PP. VIII

AB ANNO DECIMOSEXTO AD TOTUM VIGESIMUM PRIMUM

ET

INNOCENTII PP. X

AB ANNO PRIMO AD ANNUM UNDECIMUM ET ULTIMUM.

URBANUS VIII

DCLVIII. Quod ministri provinciales Indiarum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia pro tempore existentes possint mittere commissarios qui eorum nomine in capitulo generali suffragium ferant, 1.

DCLIX. Confirmatio decreti Congregationis Regularium circa delationem habitus fratrum tertii Ordinis sancti Francisci, 3.

DCLX. Facultas Georgio Conaeo Scoto conceditur nominandi praepositum pro catholicis Angliae, 4.

DCLXI. Sequitur Breve deputationis favore personae a praedicto Conaeo seligendae, 5.

DCLXII. In locum episcopi Pisaurensis subrogatur Gaspar archiepiscopus Athenarum apud Ferdinandum Romanorum regem in imperatorem electum nuncius, ut ipse archiepiscopi Trevirensis processum videat et consideret, 6,

DCLXIII. Episcopo Civitatis Castelli committitur inquisitio in Rempublicam Lucanam super nonnullis attentatis contra libertatem ecclesiasticam, 7.

DCLXIV. In idem argumentum, additâ nonnullarum facultatum concessione eidem episcopo Pisaurensi iudici delegato, 10.

DCLXV. In idem argumentum cum additione aliarum facultatum, 14.

DCLXVI. Declarat lapides *cogoli* vulgo nuncupatos, conflandae crystalli massae aptos, qui in Agro Romano ubivis etiam sub terrâ seu lapidicinis reperiuntur, comprehendi inter regalia Sedis et camerae apostolicae, 16.

DCLXVII. Deputatio Francisci Castagnacci in procuratorem fiscalem causae et causarum contra antianos, vexilliferum et alios officiales et ministros Reipublicae Lucanae, 17.

DCLXVIII. Declarat religiosos Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, circa nullitatem professionis reclamantes, esse veros professos; et, qui professionem ante vigesimum primum annum emiserunt, esse veros clericos, 18.

DCLXIX. Comitem de Olivares hortatur,

ut curet reditum in Portugalliae regnum collectoris spoliorum, utque ille munere suo absque ullo impedimento fungi valeat, 20.

DCLXX Facultas nuncio Hispaniarum et collectori Portugalliae absolvendi eos, qui collectorem spoliorum, ac eius familiam, res et bona, necnon ipsius officium verbo aut factis offenderunt, eorumque complices et fautores, 22.

DCLXXI. In idem argumentum collectori, 23.

DCLXXII. In idem argumentum Philippo regi, 23.

DCLXXIII. In idem argumentum Margaritae a Sabaudia proreginae, 24.

DCLXXIV. Statuta generalia Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia a sanctissimo domino nostro Urbano VIII in formâ speciali et ex certâ scientiâ ac cum praeinsertione ipsorum litteris sequentibus confirmata, 25.

DCLXXV. Confirmatio decreti S. P Q. R. quo statuitur, notarios capitum regionis Urbis ex collegio notariorum capitolinorum esse eligendos, 36.

DCLXXVI. Erectio provinciae S. Antonii regni Portugalliae Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Discalceatorum ad instar provinciae S. Ioannis Baptistae fratrum Minorum Discalceatorum in Hispaniâ, 37.

DCLXXVII. Pro qua summâ moniales Ordinis sanctae Clarae Hispaniarum exemptae sint a decimarum solutione, 42.

DCLXXVIII. Regulares in Aquensi provinciâ Provinciae quoad curam animarum sunt subiecti iurisdictioni, visitationi et correctioni episcoporum, 45.

DCLXXIX. Facultas episcopo Neocastrensi, collectori generali in Portugalliae et Algalbiorum regnis, exercendi suam iurisdictionem tam in subditos quam non subditos ubivis locorum, etiam extra dicta regna, 46.

DCLXXX. Facultas collectori Portugalliae absolvendi illos, qui bona ecclesiastica, cappellas inibi nuncupata, occuparunt, vel etiam ecclesias molestarunt, 49.

DCLXXXI. Improbat accessum collectoris spoliorum camerae apostolicae Matritum ad regis aulam, 50.

DCLXXXII. Canonicis poenitentiariis, theologali, et doctorali ecclesiarum metropolitanarum et cathedralium regnorum Castellae et Legionis prohibetur, quominus a suis absint ecclesiis, et in casu absentiae fructus praebendarum eis minime solvendos esse declaratur, 51.

DCLXXXIII. Quod fratres Minores Conventuales, tamquam Mendicantes, prohiberi non possint ab Ordinariis locorum, seu aliis regularibus, quominus per seipsos in locis ubi habent conventus, eleemosynas quaerant, 53.

DCLXXXIV. Erectio custodiae reformatae Transilvaniae fratrum Minorum sancti Francisci strictioris observantiae, 54.

DCLXXXV. Opus redemptionis captivorum Calceatis Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum privative addicitur, 56.

DCLXXXVI. Prohibitio, ne de cetero in monasteriis monialium Ordinis Praedicatorum provinciae Andalusiae et eorum ecclesiis comoediae recitentur, 58.

DCLXXXVII. Facultas magno magistro hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani imponendi quoddam vectigal super rebus comestibilibus pro muniendis insulâ Melitensi et Gozzi, 59.

DCLXXXVIII. Facultas episcopo Civitatis

Castelli Rempublicam Lucanam ecclesiastico interdicto subiiciendi, 61.

DCLXXXIX. Declaratio mentis suae circa reductionem onerum quorumdam beneficiorum, 62.

DCXC. Prohibitio erigendi nova loca sub titulo de Propagandâ Fide ubique terrarum absque facultate Sedis Apostolicae, 64.

DCXCI. Confirmatio decreti a magistro generali Ordinis S. Spiritus de consensu vocalium dicti Ordinis facti, quo cavetur, ne ullus imposterum in Ordine huiusmodi admittatur, nisi prius per continuum annum saltem in aliquo archihospitalis S. Spiritus de Urbe ministerio se laudabiliter gesserit, 65.

DCXCII. Nonnullae facultates Congregationi Propagandae Fidei conceduntur super collegiis Avenionensibus, 66.

DCXCIII. Declarat civitatem Sarsinae ac terram Meldulae et Castrum del Rio in provinciâ Romandiolae existentia comprehendi sub legatione Romandiolae, 68.

DCXCIV. Pro restituendo ac conservando in Ordine fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ disciplinae regularis candore, 69.

DCXCV. Confirmatio nonnullarum declarationum Congregationis Concilii Tridentini, videlicet episcopum posse sine adiunctis procedere contra coadiutorem, nisi ei fuerint concessa omnia privilegia quae habent canonici, ac episcopum super hoc per capitulum impediri non posse, nec ipsos capitulares posse mulctare episcopum, sed solum ad superiores appellare, 72.

DCXCVI. Confirmatio electionis sancti Dominici in patronum civitatis Neapolitanae et totius regni, 73.

DCXCVII. Declarat illos, qui collectorem Portugalliae molestarunt, non posse a quoquam etiam vigore cruciatae sanctae absolvi a censuris et interdicto, 74

DCXCVIII. Quaecumque privilegia nemini suffragari decernit, quominus interdicto subiaceat a collectore Portugalliae publicato, seu publicando. 75.

DCXCXIX. Breve exequutoriale super litteras apostolicas Clementis VIII, ac Urbani VIII, ac super statuta pro Indiarum provinciis fratrum Minorum de Observantiâ, quod mittere possint commissarios ad capitulum generale, 78.

DCC. Indultum Philippo IV regi catholico nominandi ad monasteria, prioratus, praeposituras in Belgio et comitatu Burgundiae, 79.

DCCI. Confirmatio declarationis constitutionis Clementis Papae VIII de largitione munerum regularibus utriusque sexus interdictâ, 81.

DCCII. Quod prior provincialis fratrum Ordinis Praedicatorum provinciae Poloniae sit biennalis dumtaxat, ad iustar Romanae et Lombardiae dicti Ordinis provinciarum, 83.

DCCIII. Concessio nuncio apostolico apud Helvetios ac Rhetos circa conferenda beneficia curata, quae personis idoneis male collata fuerunt, 85.

DCCIV. Restitutio viae antiquae et postarum a terra Montis Rosarum per loca et territoria immediate subiecta Sedi Apostolicae Viterbium usque, 85.

DCCV. Facultas archiepiscopo Ragusino convertendi piorum legatorum medietatem in reparationem ecclesiarum et monasteriorum, ac moenium Reipulicae Ragusinae, 89.

DCCVI. Confirmatio decreti Congregatio-

nis Visitationis Apostolicae, quo Ruthenis unitis conceditur ecclesia Ss. Sergii et Bacchi in Urbe cum suis pertinentiis, 91.

DCCVII. Confirmatio constitutionum Pii Papae V et Gregorii XIII prohibentium quasdam theologorum sententias et opiniones; necnon prohibitio libri, cui titulus *Augustinus*, Cornelii Iansenii, olim Iprensis episcopi, 92.

DCCVIII. Iubilaeum universale ad divinam opem implorandam, 103.

DCCIX. Quod laici seu conversi Ordinis Minorum suffragentur in admissione novitiorum ad professionem, 105.

DCCX. Declaratio nullitatis decretorum et gestorum per nuncium Hispaniarum tamquam Sedis Apostolicae iurisdictioni et libertati ecclesiasticae adversantium, 106.

DCCXI. Decretum publici et seereti concilii populi Romani de anno MDCXXII emanatum, quo praescribitur, quod notarii curiae capitolinae esse debeant notarii capitum regionum Urbis extenditur ad protonotarium eiusdem curiae et notarios conservatorum et camerarii Ripae, 110.

DCCXII. Collegium Urbanum regimini cardinalis S. Honuphrii, et S. Congregationis de Propagandâ Fide additur, 112.

DCCXIII. Commissio Ordinario Coloniensi personas ecclesiasticas compellendi ad solutionem vectigalium grani, farinae et vini ad quinquennium tantum, 121.

DCCXIV. Constitutio super praeservatione iurium Sedis Apostolicae, et inferiorum ecclesiarum, personarumque ecclesiasticarum a quibuscumque praeiudicialibus. 122.

DCCXV. Quod notarii, etiam in archivio Romanae curiae descripti, vacabilia notariatuum officia non habentes, nulla transumpta litterarum apostolicarum facere possint; habentes vero, nonnisi de datarii licentiâ, sub poenis hîc expressis, 131.

DCCXVI. Declaratio super correctione constitutionis editae super praeservatione iurium Sedis Apostolicae, iurisdictionisque, immunitatis et libertatis ecclesiasticae, 133.

DCCXVII. Commissio Ludovico Piccardo, ut visitet Statum Castrensem, 134.

Sequitur commissio eidem Ludovico visitandi terram Montis Alti, 136.

DCCXVIII. Mandatum gubernatoribus et officialibus ducatus Castri, ut, statim ac praesentes litteras viderint, recipiant Ludovicum Piccardum cum septem saltem sociis in civitate Castrensi, eiusque arce et fortalitiis, ut videant et describant milites et arma, 136.

DCCXIX. Prohibitio ne religiosi Praemonstratenses Hispaniae gestent habitum noviter assumptum, nec dimittant praenomen fratris, 137.

DCCXX. Quod commissarii generalis Indiarum Ordinis fratrum Minorum regularis observantiae sancti Francisci non possint dispensare in constitutionibus generalibus Ordinis, 138.

DCCXXI. Pro bono regimine fratrum Reformatorum Strictioris Observantiae Italiae, quod instituant professoria et lectionem theologiae moralis ac mysticae, 139.

DCCXXII. Quod fratres cuiuscumque gradus et dignitatis, commorantes in conventu Aracaelitano sint sub obedientiâ et directione commissarii generalis Ordinis, 141.

DCCXXIII. Quod fratres Congregationis Iesuatorum S. Hyeronymi, ab Ordinariis approbati, sacramentales utri-

usque sexus fidelium confessiones libere et licite audire valeant, illisque, iniunctis iniungendis, absolutionem salutarem impendere, 143.

DCCXXIV. Methodus exigendi spolia archiepiscoporum et episcoporum ac fructuum ecclesiarum vacantium in insulâ Sardiniae praescribitur, 143.

DCCXXV. Prohibet quibusvis personis in catalogo universitatis studii generalis Bononiensis non descriptis ne doceant scientias, quae in eâdem universitate legi solent, 144.

DCCXXVI. Applicatio nonnullorum reddituum collegii Bononiensis Montis Alti nuncupati triremibus Sedis Apostolicae, cum reductione scholarium ad triginta, 146.

DCCXXVII. Commissio vicecollectori iurium camerae apostolicae in Portugalliae et Algarbiorum regnis circa custodiam, detentionem et translationem quorumdam officialium Sedis Apostolicae, 150.

DCCXXVIII. Facultas vicecollectori in Portugallià absolvendi illos, quorum iussu, operâ et consilio nonnullae personae ecclesiasticae carceribus mancipatae fuerant, 151.

DCCXXIX. Declaratio et moderatio facultatum eminentissimorum et reverendissimorum DD. cardinalium archipresbyterorum ac protectorum et titularium ecclesiarum et locorum piorum Urbis, 152.

DCCXXX. Fratribus Minoribus Ordinis S. Francisci de Observantia et Reformatis regni Franciae aeque ius tribuitur laicos ad Tertiariorum habitum admittendi, 155.

DCCXXXI. Prohibitio ne in ecclesiis civitatis et dioecesis Hispalensis sumatur tabaccum, 157.

DCCXXXII. Declaratio circa exactionem taxae collegio subdiaconorum Sedis Apostolicae assignatae ratione provisionum ecclesiarum palliis insignitarum, 158.

DCCXXXIII. Confirmantur nonnulla antiqua decreta et statuta a notariis auditoris camerae pro bono gubernio tribunalis dicti auditoris camerae et substitutorum renovata, 160.

DCCXXXIV. Decreta nonnulla edita in definitorio provinciae S. Francisci Galliae fratrum Ordinis sancti Francisci Recollectorum extenduntur ad omnes dicti regni provincias, 164.

DCCXXXV. Quod, concordato et invitato paroco, cadavera defunctorum possint sepulturae tradi per regulares Ordinum Mendicantium provinciae Russiae absque alio parochi consensu, 166.

DCXXXVI. Facultas thesaurario generali camerae apostolicae deputandi exactores iurium et spoliorum Camerae praedictae debitorum in Catalonia et comitatibus Ceritaniae et Rossilionis ob bellorum motus, 167.

DCCXXXVII. Facultas patriarchae Constantinopolitano, et archiepiscopo Damiatensi, nunciis Hispaniarum, exercendi suum munus etiam extra regna Hispaniarum, quatenus ex ipsis regnis expellantur vel discedere cogantur, 168.

DCCXXXVIII. Constitutio circa formam et habitum sacrarum imaginum, 170.

DCCXXXIX. Mandatum Ordinariis Galliae ut deputent conventus in singulis provinciis pro reformatione fratrum Reformatorum sancti Francisci, 173.

DCCXL. Prohibitio extrahendi libros e bibliothecis conventuum Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum, Congregationis Hispaniae, 174.

DCCXLI. Pro capitulo et canonicis Maioricensibus, quod contra ipsos ab

inquisitoribus Maioricensibus procedi non possit, nisi in causis Fidei, 175.

DCCXLII. Quod fratres conventus SS. Crucifixi loci promontorii Ianuensis Ordinis Eremitarum sancti Augustini congregationis Ianuensis vicario generali eiusdem congregationis remaneant subiecti, 177.

DCCXLIII. Confirmatio Brevis Gregorii XIII, cum aliis clausulis ad favorem provinciarum Discalceatorum S. Francisci in Regnis Hispaniarum, 178.

DCCXLIV. Deputatio collectoris spoliorum ad reverendam cameram apostolicam spectantium in principatu Cataloniae ac comitatibus Rossilionis et Ceritaniae, 179.

DCCXLV. De non recipiendis pecuniis pro missis celebrandis in provinciâ reformata fratrum Minorum de Observantia Vallis Mazarae in Sicilia, 185.

DCCXLVI. Confirmantur privilegia universitati Hebraeorum, Turcarum, Graecorum et aliorum mercatorum in civitate Anconitana commorantium concessa, 186.

DCCXLVII. Declaratio nullitatis capitulationum inter capitulum Coloniense cum Maximiliano Henrico ex ducibus Bavariae factarum occasione coadiutoriae ecclesiae Coloniensis, 186.

DCCXLVIII. Committitur auditori camerae ut procedat contra violatores immunitatis ecclesiasticae in ducatu Parmensi, 188.

DCCXLIX. Commissio nuncio Sabaudiae circa dimissionem cardinalatus Mauritii cardinalis a Sabaudia nuncupati, 189.

DCCL. Quod commissarii provinciales Indiarum, ad capitula generalia Ordinis fratrum Minorum convenientes, suis custodibus in labore et premio aequales habeantur, 191.

DCCLI. Confirmatio decreti Clementis Papae VIII prohibentis fieri uniones beneficiorum dispositioni Sedis Apostolicae reservatorum vel affectorum, cum declaratione quod decretum huiusmodi comprehendi, etiam S. R. E. cardinales et alios indulta conferendi reservata habentes, quodque illi non potuerunt nec possunt conferre beneficia duplici reservatione reservata vel affecta, 192.

DCCLII. Constitutio circa utensilia sacristiae pontificiae post obitum S. R. E. cardinalium debita, 194.

DCCLIII. Confirmatio privilegiorum et declaratio statutorum pro gubernio fratrum Minorum Discalceatorum nuncupatorum Hispaniarum et Indiarum, 197.

DCCLIV. Significat regi christianissimo spectare ad Sedem Apostolicam privative quod alios quoscumque cognitionem et decisionem controversiarum inter abbatissam generalem Ordinis Fontis Ebraldi, et monachos eiusdem Ordinis, vertentium super observatione regulae, et communicatione statutorum dicti Ordinis, 201.

DCCLV. Sequitur Breve Ioannae Baptistae de Bourbon, abbatissae generalis Ordinis Fontis Ebraldi, in idem argumentum, 201.

DCCLVI. Declarat cognitionem causarum super praetensa fabricatione monetae adulterinae, ac tonsione monetae aureae et argentae in insulis Siciliae ultra pharum et Melitanâ circa personas hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, spectare ad magnum magistrum, consilium et conventum dicti hospitalis, 202.

DCCLVII. Irritatio pactionum factarum

occasione coadiutoriae Ecclesiae Ratisbonensis, 203.

DCLVIII. Confirmatio decreti sacrae Congregationis Rituum quo decernitur protonotarios apostolicos non participantes praecedere debere canonicos Ecclesiae cathedralis, quando dicti canonici collegialiter non incedunt, 205.

DCCLIX. Pro observatione festorum, 206.

DCCLX. Committitur episcopis Sylvanectensi et Redonensi una cum definitore generali fratrum Reformatorum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia erectionem custodiae pro dictis Reformatis in Gallia cum assignatione conventuum, 208.

DCCLXI. Declarat inquisitores Officii Inquisitionis Maioricensis non posse procedere contra parochialium ecclesiarum rectores et reliquos sacerdotes, curatos et simplices ecclesiasticos Minoricae, et Maioricae insularum, nisi pro causis fidei, vel ab eis dependentibus, 209.

DCCLXII. Irritatio actorum omnium quae in praeiudicium Ecclesiae Papiensis, Sede episcopali vacante, per regios ministros gesta sunt, 210.

DCCLXIII. Prohibitio ne fratres laici, seu conversi Ordinis fratrum Minorum strictioris Observantiae S. Francisci praecedant clericos professos sub poena excommunicationis, 213.

DCCLXIV. Quod electiones prominstrorum, custodum et guardianorum Ordinis fratrum Minorum de Observantia, ac reformatorum cismontanae familiae, extra capitulum fiant per suffragia secreta et ballottationes, 214.

DCCLXV. Confirmantur nonnulla decreta Congregationis concilii Tridentini pro Ecclesia Gandavensi, 216.

DCCLXVI. Facultas cardinali Antonio Barberino deputandi personas ad compilandos processos contra ducem Mutinensem eiusque officiales, tamquam immunitatis ecclesiasticae, iuriumque Sedis Apostolicae violatores, 217.

DCCLXVII. Declarat delegatis per se in causa amotionis patris Nicolai Rodulphi a magisterio generali Ordinis Praedicatorum et electionis alterius magistri generalis procedendum esse extraiudicialiter, 218.

DCCLXVIII. Cavetur, quominus doctoribus collegiatis studii Bononiensis in venditione locorum redemptorum Montis Annonae *tertiae erectionis* a regimine et administratoribus gabellae praedictae praeiudicium non inferatur, 221.

DCCLXIX. Modus procedendi inter fratres Minores Strictioris Observantiae sancti Francisci familiae cismontanae, 223.

DCCLXX. Nova confirmatio specialis pro provinciis Indiae privilegiorum, et declaratio statutorum pro gubernio fratrum Minorum Discalceatorum nuncupatorum Hispaniarum ac Indiarum, 224.

DCCLXXI. Confirmatio decreti Congregationis Concilii, quod episcopus Saonensis non possit impediri a visitatione hospitalis Beatae Mariae de Misericordia civitatis Saonensis, 226.

DCCLXXII. Indultum alumnis collegii Scotorum Parisiis suscipiendi sacros ordines absque litteris dimissorialibus et titulo, 227.

DCCLXXIII. Privilegia concessa universitati et personis mercatorum fundaci et mercantiae Urbis, 228.

DCCLXXIV. Indulgentia perpetua in ecclesiis fratrum tertii Ordinis sancti Francisci pro festo Portiunculae, 229.

DCCLXXV. Erectio provinciae reformatae S. Vigilii fratrum Minorum sancti Francisci Strictioris Observantiae, 230.

DCCLXXVI. Erectio monasterii monialium Ss. Quatuor Coronatorum de Urbe pro puellis orphanis ibi educandis, 232.

DCCLXXVII. Prohibitio extrahendi libros ex bibliothecis domorum regularium totius Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini Discalceatorum nuncupatorum, 236.

DCCLXXVIII. Mandatur in ecclesiis fratrum Discalceatorum sancti Francisci provinciae S. Gabrielis circa sepulturam defunctorum servanda esse Clementinam secundam et decreta Congregationum rituum, concilii, ac episcoporum et regularium, 237.

DCCLXXIX. Subrogat archiepiscopum Cameracensem, ac Audomarensem et Iprensem episcopos, et quemlibet ipsorum, in locum Ordinariorum in Anglia ad effectum tantummodo auctoritate ordinariâ legitime instituendi processus super causâ et genere mortis eorum, qui pro fide catholicâ in Anglia patiuntur, 240.

DCCLXXX. Declaratio circa facultatem dispensandi cum regularibus super voto de non procurandâ, nec acceptandâ dignitate extra religionem, 240.

DCCLXXXI. Quod fratres Discalceati Ordinis regularis observantiae sancti Francisci in regno Hispaniae non possint commorari in aedibus saecularium, 243.

DCCLXXXII. Pro fratribus Ordinis Minorum sancti Francisci Strictioris Observantiae Discalceatorum provinciarum, ecclesiarum et conventuum Hispaniarum, circa visitationem, praecedentiam et sepulturam defunctorum, 244.

DCCLXXXIII. Declarantur nullae depositio, amotio, seu absolutio Nicolai Rodulphi a magisterio generali Ordinis Praedicatorum et electiones factae alterius magistri generalis, 246.

DCCLXXXIV. Pro tollendâ controversiâ inter fratres Minores Conventuales et Minores de Observantiâ sancti Francisci circa eleemosynas cappellae de Portiunculâ nuncupatae erogari solitas, 248.

DCCLXXXV. Annullatio capituli generalis Ordinis fratrum Praedicatorum Genuae celebrati, et convocatio capituli generalissimi eiusdem Ordinis in Urbe pro anno MDCXLIV, 250.

DCCLXXXVI. Facultas Congregationi Cassinensi conceditur imponendi census super bonis usque ad summam scutorum ducentorum et quinquaginta millium, 254.

DCCLXXXVII. Constitutio super recitatione et decantatione hymnorum Breviarii Romani Suae Sanctitatis auctoritate recognitorum in quibuslibet ecclesiis, 256.

DCCLXXXVIII. Licentia ecclesiasticis regni Valentiae concurrendi cum laicis per duos menses in contributione pro duobus militum millibus, 257.

DCCLXXXIX. Quod festum sancti Norberti celebretur die XI mensis iulii, ac indulgentia plenaria perpetua pro visitantibus ecclesias Ordinis Praemonstratensis eodem die confessis ac communione refectis, 259.

DCCXC. Iubilaeum pro christifidelibus in Hyberniae regno morantibus, 260.

DCCXCI. Indultum celebrandi missam et recitandi officium de beato martyre Iosaphato archiepiscopo Polocensi, monacho Ordinis sancti Basilii, 262.

DCCXCII. Absolvit collegium cursorum a quocumque interesse inito per eos, et confirmat decretum ab eo factum, 263.

DCCXCIII. Sententia exequutorialis auditoris camerae in controversiâ super iure praecedendi in processionibus inter fratres Ordinis Eremitarum sancti Augustini provinciae Hispalensis, et Discalceatorum nuncupatorum sancti Francisci, extenditur ad alias provincias eiusdem Ordinis sancti Francisci, 264.

DCCXCIV. Mandat inquisitori maiori Portugalliae, ne ipse et alii inquisitores molestias inferant rectori, lectori, collegialibus, aliisque ministris universitatis studii generalis et regii civitatis Eiborensis, 268.

DCCXCV. Commissio vicecollectori Portugalliae ut defendat et liberet rectorem et alios universitatis studii generalis Elborensis civitatis a molestiis eis allatis ab inquisitoribus sacrae inquisitionis officii, 271.

DCCXCVI. Declarat Congregationi Bursfeldensis Ordinis S. Benedicti, et omnibus militantibus sub eâdem regulâ utendum esse Breviario Benedictino a Paulo V reformato, 272.

DCCXCVII. Commissio auditori camerae procedendi contra Rempublicam Venetam, magnum ducem Hetruriae, ac Mutinae et olim Parmae duces nonnullarum terrarum sanctae Sedis Apostolicae invasores, 273.

DCCXCVIII. Quod provinciales, priores et alii officiales Ordinis fratrum Praedicatorum realiter et cum effectu per totum tempus a Constitutionibus praescriptum durare possint et valeant, 276.

DCCXCIX. Praeceptum nunciis Sedis Apostolicae in partibus Germaniae inferioris, ut eorum quilibet scripturas concernentes directionem dictae nunciaturae conservare et consignare debeat suo successori, acceptâ ab eo consignationis quietantiâ authenticâ, 277.

DCCC. Facultas cardinali Dongho ad paciscendum cum Republicâ Venetâ principibusque illi confoederatis et Odoardo Farnesio olim duce Parmensi, 278.

DCCCI. Facultas auditori generali triremium pontificiarum procedendi contra fratres milites hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani inobedientes in dictis triremibus pro tempore existentes, 278.

DCCCII. Quod in principio cuiuslibet anni eligi debeant duo adiuncti seu coniudices ex capitulo ecclesiae Celsonensis: quo vero ad processus criminales contra canonicos per episcopos Celsonenses serventur leges Concilii Tridentini, 279.

DCCCIII. Ut deinceps consiliarii ac promotores fiscales necnon inferiores inquisitores Hispaniarum esse debeant constituti in sacris tempore suarum deputationum, 281.

DCCCIV. Ut deinceps inquisitores generales non deputent inquisitores, ac notarios *de secreto* nuncupatos supranumerarios in regnis Hispaniarum sub nullitatis poenâ, 282.

DCCCV. Quod provincia S. Gabrielis moderetur cum solis statutis municipalibus, et gaudeat omnibus privilegiis aliarum provinciarum fratrum Discalceatorum sancti Francisci, 284.

DCCCVI. Seminarium Praemonstratensium in civitate Coloniensi protectioni Congregationi de Propaganda Fide subiicitur, 285.

DCCCVII. Prohibitio auditoribus sacrae Rotae Romanae, ac eorum locatenentibus, et studii adiutoribus, etc.

ne vota sua, vel suorum coadiutorum, et alia quae in Rotâ tractantur, cuiquam patefaciant, 286.

DCCCVIII. Confirmatio litterarum Pauli V et Gregorii XV de approbandis iis, qui ad curam animarum ecclesiarum parochialium de iurepatronatus monachorum claustralium Ordinis S. Benedicti provinciae Tarraconensis et regni Aragonum eliguntur, 289.

DCCCIX. Suppressio Ordinis Ss. Barnabae et Ambrosii ad Nemus, 292.

DCCCX. Indulgentia plenaria in formâ iubilaei ad divinam opem implorandam in almâ Urbe concessa, 295.

DCCCXI Mandat nuncio apostolico Coloniae, ut ad civitatem Monasteriensem se conferat, pacisque tractatibus adsit, 297.

DCCCXII. Prohibitio extrahendi libros ex bibliothecis et paramenta ex sacristiis domorum regularium provinciae Granatensis Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Recollectorum nuncupatorum, 297.

DCCCXIII. Nonnulla statuuntur cica concessionem agrorum ad ecclesias spectantium in regno Corsicae in emphyteusim perpetuam et reductionem decimarum novalium, 299.

DCCCXIV. Indulgentia in formâ iubilaei, superius in constitutione DCCCX concessae, innovatio pro duabus proximis hebdomadis, 301.

DCCCXV. Dotatio ecclesiae Porphyriensis in partibus infidelium in sex millibus scutis monetae romanae, 303.

DCCCXVI. Altare privilegiatum pro omnibus et singulis conventibus fratrum Minorum Strictioris observantiae sancti Francisci in regno Hiberniae existentibus, 304.

DCCCXVII. Confirmantur statuta nonnulla edita pro regulari observantiâ fratrum Ordinis Carmelitarum provinciae Narbonensis, 305.

DCCCXVIII. Indultum nominandi ad ecclesias et monasteria in ducatu Brittanniae et provinciâ Provinciae regi christianissimo conceditur, 307.

DCCCXIX. Deputantur gubernatores Perusinus, Urbevetani, et vicelegati Ferrariensis ad recipienda loca Status Ecclesiastici occupata occasione nuperi belli, 309.

Sequitur eadem deputatio in personam gubernatoris Urbini, 310.

Sequitur delegatio vicelegati Ferrariensis, 310.

DCCCXX. Erectio confraternitatis in ecclesiâ cappellâ nuncupatâ palatii caesarei Viennae, 311.

DCCCXXI. Extensio constitutionis *Aliàs a nobis, etc.* ad provincias S. Iosephi ac Indiarum fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci Disealceatorum nuncupatorum, scilicet, quod in processionibus competit eis dignior locus supra fratres Ordinis Eremitarum sancti Augustini, 313.

DCCCXXII. Mandat ut hymni emendati, sive de integro conditi, Breviarii Romani, notisque musicis impressi typis Plantinianis, non vero antiqui, decantentur in omnibus orbis christiani ecclesiis, 316.

DCCCXXIII. Confirmatio decreti capituli generalis fratrum Discalceatorum Ordinis B. M. de Monte Carmelo primitivae Observantiae, de monialibus supranumerariis, 317.

DCCCXXIV. Clero regni Poloniae facultas conceditur concurrendi cum laicis in contributione regi faciendâ, 318.

DCCCXXV. Indultum nobilibus Anconitanis exercendi artes lanariam et sericeam, ac mercaturam certarum mercium, sine praeiudicio nobilitatis, 319.

DCCCXXVI. Confirmatio Brevium Sixti V, Pauli V et Gregorii XV super prohibitione quibusvis personis, sub poenâ excommunicationis latae sententiae Sedi Apostolicae reservatae, ne detineant quaevis bona ad loca Terrae Sanctae spectantia, sed illa si penes se sint, locis huiusmodi seu eorum agentibus restituant, 320.

DCCCXXVII. Declarat munus protectoris collegii fratrum Minorum Conventualium sancti Francisci in conventu Ss. XII Apostolorum de Urbe et collegii Montis Alti in civitate Bononiensi a Sixto V erecti, spectare ad cardinalem Pallottum, uti antiquiorem cardinalem ex provinciâ Marchiae, non autem ad cardinalem Montaltum eiusdem Pontificis consanguineum, 324.

DCCCXXVIII. Clerici coniugati insulae Melitanae quoad functiones militares magno magistro hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani subiiciuntur, cum prohibitione ne eis concedantur exemptiones, 325.

DCCCXXIX. Facultas quibusvis rectoribus ac defensoribus et superioribus quarumcumque ecclesiarum consignandi capitaneis et aliis officialibus triremium hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani remiges voluntarie obligatos, *bonas voluntates* nuncupatos, qui ut servitium remigandi declinet ad ecclesias confugiunt, 326.

INNOCENTIUS X.

I. Prohibitio ne praelati Congregationis Cassinensis in affictum locent possessiones secularibus personis, nec in eis monachos retineant pro curâ et administratione earumdem extra claustra a superiorum obedientiâ immunes, 329.

II. Concedit ut cruciata Hispaniarum pro tempore quo durabit ultima illius prorogatio ad sexennium concessa possit singulis annis publicari in Indiis, in quibus iuxta Breve Gregorii XIII non debebat publicari, nisi de biennio in biennium, 331.

III. Removet obstaculum Constitutionis Urbani VIII, pro observatione festorum editae, quoad festum Conceptionis Beatae Mariae Virginis in regnis Hispaniarum tantum, 333.

IV. Confirmatio constitutionis Pii V et eius successorum de non alienandis et infeudandis civitatibus, terris et locis sanctae Romanae Ecclesiae, 333.

V. Confirmatio constitutionum Sixti V et Clementis VIII circa conservationem pecuniarum in arce S. Angeli repositarum, nullo unquam tempore, nisi ibi praescriptis casibus, certâque desuper servatâ formâ depromendarum, 335.

VI. Iubilaeum sanctissimi D. N. Innocentii, divinâ providentiâ Papae, ad implorandum divinum auxilium pro felici regimine et statu sanctae Romanae et universalis Ecclesiae, 336.

VII. Constitutio super titulo et insgnibus sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, 338.

VIII. Absolutio et condonatio occasione exactionis millionum pro rege catholico, 342.

IX. Super contributione decem et novem millionum cum dimidio alterius millionis per clerum Castellae et Legionis regnorum faciendâ, 347.

X. Extensio facultatum cruciatae, quoad licentiam vescendi ovis et lacticiniis ad patriarchas, archiepiscopos et alios inferiores prelatos, et presbyteros, et clericos seculares tantum regnorum Hispaniarum, exceptâ maiori hebdomadâ, 350.

XI. Generalem magistrum Ordinis fratrum Praedicatorum fratrem Thomam Turcum privilegiis ornat, 352.

XII. Privilegia conclavistarum, 355.

XIII. Facultas nuncio Poloniae reservandi tria beneficia ecclesiastica in singulis Gnesnensi, Vladislaviensi, Posnaniensi, Plocensi, Cracoviensi et Wormiensi ecclesiis personis a rege Poloniae nominandis, 359.

XIV. Prohibitio curatis in regno Franciae, ne cogant invitos alia officia celebrare in ecclesiis parochialibus pro mortuis, qui sepeliuntur apud Carmelitas, quam quae pia defunctorum vel haeredum liberâ voluntate fuerint postulata, 361.

XV. Facultas regularibus concessa confirmatur pro audiendis secularium confessionibus etiam intra pascalem quindenam, 362.

XVI. Mandatum quo episcopus S. Salvatoris non possit cogere catholicos capitaneatus de Pernambuco ut eum adeant pro praestando iuramento in causis dispensationum matrimonialium, 363.

XVII. Circa moenia ac propugnacula Urbis recens extructa, eorumque pomeria, 364.

XVIII. Conceditur auditoribus sacrae Rotae indultum deferendi ubique et omni tempore rocchettum, 365.

XIX. Quod procuratores poenitentiariae apostolicae nunc et pro tempore existentes possint deferre tunicam, *sottanam* vulgo nuncupatam, et cingulum coloris violacei, 367.

XX. Deputatio episcopi Scutarensis in administratorem quarumdam ecclesiarum in partibus infidelium, 367.

XXI. Deputatio episcopi Termiae in administratorem ecclesiarum Syphri et Zeae, ecclesiae Thermiae vicinarum, in partibus infidelium, 368.

XXII. Deputatio archiepiscopi Antibarensis in administratorem ecclesiarum regni Serviae in partibus infidelium, 369.

XXIII. Facultas episcopo Oxomensi inhibendi regularibus, ne absque sua licentia confessiones audiant, minusque verbum Dei praedicent, 369.

XIV. Facultas nuncio apostolico apud imperatorem liberandi archiepiscopum electorem Trevirensem e custodiâ in qua nomine Sedis Apostolicae detinetur, 371.

XXV. Deputatio episcopi Chersonensis in Tartariâ in administratorem nonnullarum ecclesiarum in partibus infidelium suae ecclesiae vicinarum, 371.

XXVI. Confirmatio suppressionis Ordinis fratrum Ss. Ambrosii et Barnabae ad Nemus, et erectio illorum monasteriorum in beneficia secularia, 372.

XXVII. Confirmatio concordiae inter regem catholicum et clerum regnorum Castellae et Legionis initae super subsidio *excusato* nuncupato, 377.

XXVIII. Breve in favorem regii conventus Sanctissimae Trinitatis Montis Pincii de Urbe, fratrum Gallicae nationis Ordinis Minimorum, coronae Franciae naturaliter subditorum, 386.

XXIX. Confirmatio trium decretorum Congregationis sacri Concilii Tridentini ad favorem episcoporum et archiepiscoporum Poloniae, 390.

XXX. Deputatio nuncii Hispaniarum ad exigendum eleemosynam mille et quingentorum scutorum quotannis ratione extensionis ad personas ecclesiasticas seculares dumtaxat facultatis vescendi ovis et lacticiniis in quadragesimâ vigore cruciatae, necnon omne id quod ratione praecedentium extensionum buiusmodi

eidem fabricae S. Ioannis Lateranensis deberi compererit, 392.

XXXI. Renovatur gratia aliàs Reipublicae Ragusinae ab Urbano VIII praedecessore concessa circa concessionem medietatis fructuum, reddituum et proventuum legatorum ad muniendas arces contra Turcarum tyramnum, 393.

XXXII. Suppressio et extincio officii grasciae civitatis Bononiensis, 395.

XXXIII. Confirmatio privilegiorum rectoris et collegialium collegii nationis Germanicae civitatis Bononiensis, 396.

XXXIV. Subsidium centum millium scutorum auri super fructibus ecclesiasticis Reipublicae Venetae, 397.

XXXV. Commissio inquisitori Melitano ut det licentiam magno magistro hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani imponendi gabellam centum millium scutorum auri super comestibilibus et aliis rebus pro manutenendis munimentis ipsius insulae, 400.

XXXVI. Confirmat statuta monasteriorum Congregationis Beatae Mariae Virginis sub regulâ S. Augustini in Tullensi aliisque dioecesibus sitorum, 402.

XXXVII. Confirmatio, seu innovatio Brevis Urbani VIII pro locis Terrae, Sanctae, quoad eleemosynas quaerendas, 403.

XXXVIII. Deputatio eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis Odescalchi in protectorem fratrum Ordinis S. Hieronymi congregationis Fesulanae, 404.

XXXIX. Confirmat nonnullos articulos constitutionibus reformationis Ordinis S. Mariae de Monte Carmelo inserendos, 405.

XL. Quod commissarii Terrae Sanctae tenere possint unam clavem arcae eleemosynarum, et alia maneat penes syndicum pro tutiori custodiâ earumdem, 408.

XLI. Prohibitio extrahendi seu commodandi pignora in Monte Pauperum Nominis Dei civitatis Neapolitanae, 409.

XLII. Facultas cappellanis maioribus regis Hispaniarum exercendi quamcumque iurisdictionem ecclesiasticam, 409.

XLIII. Impositio perpetui silentii super controversiis pendentibus pro abbatiâ generali Ordinis S. Antonii Viennensi et illarum compositione, 411.

XLIV. Quod nullus monachus Congregationis Cassinensis in decanum eligi possit, nisi prius in sacrâ theologiâ vel sacris canonibus consuetos cursus sine interruptione peregerit, 413.

XLV. Manilanae universitatis S. Thomae fundatio, 414.

XLVI. Confirmatio nonullarum constitutionum Summorum Pontificum, pro communi bono editarum, cum revocatione quarumdam gratiarum contra illarum dispositionem concessarum, 416.

XLVII. Confirmatio decreti archiepiscopi Valentini super contributione ecclesiasticorum cum laicis pro manutentione mille ducentorum militum pro defensione limitum regni Valentiae ab invasione hostili, 435.

XLVIII. Statutum ut congregatio generalis in Societate Iesu celebretur singulo novennio, neque illius celebratio per generalem aut congregationem particularem vel generalem impediri, vel ultra novennium differri possit, 436.

XLIX. Carmelitae Discalceati in processionibus et aliis actibus publicis

eâdem fruuntur praecedentiâ ac Carmelitae Calceati, dummodo incedant sub eâdem cruce cum ipsis Calceatis; aliàs tenentur servare constitutionem Gregorii XIII desuper editam, 438.

L. Ut alumni collegii Anglorum Duacensis possint promoveri ad ordines etiam maiores et presbyteratus absque titulo et patrimonio cum dispensatione aliquarum irregularitum, 440.

LI. Constitutio super recessu S. R. E. cardinalium a Statu Ecclesiastico sine licentiâ Summi Pontificis et reditu eorum, qui sine licentiâ huiusmodi recesserunt ad Romanam curiam, 441.

LII. Confirmatio concordiae super et formâ transportandi cadavera ad ecclesias regularium, super solutione quartae funeralis et sepulturâ impuberum, initae inter clerum secularem et regularem dioecesis Maioricensis, 446.

LIII. Breve apostolicum de solvendis decimis per regulares, 453.

LIV. Revocatio Brevis Urbani VIII quo prohibetur auditoribus Rotae Maceratensis ne in causis civitatis Camerinensis summam centum scutorum monetae aut illius valorem non excedentibus sese intromitterent contra formam Bullae Sixti V super institutione tribunalis Rotae Maceratensis, 455.

LV. Committitur nuncio Poloniae ut procedat contra certos iudices laicos, qui condemnarunt episcopum Smolescensem excipientem de fori incompetentiâ in certas poenas pecuniarias, et banniverunt in contemptum ecclesiasticae immunitatis, 456.

LVI. Declaratio circa cognitionem causarum criminalium archiepiscoporum et episcoporum regni Poloniae, 458.

LVII. Committit nuncio Poloniae ut limitet dioecesim Smolescensem iuxta assignationes a defuncto et moderno regibus Poloniae factas, 458.

LVIII. Breve reductionis in Congregationem religionis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, 459.

LIX. Commissio vicelegato Avenionensi pro componendis nonnullis controversiis super confinibus inter subditos nostros et regis christianissimi ortis, 462.

LX. Confirmatio decreti Congregationis episcoporum et regularium pro fratribus Conventualibus et Observantibus S. Francisci provinciae Valachiae, 463.

LXI. Dat facultatem magistratui et Reipublicae Ragusinae utendi sex millium scutorum in certas provisiones bellicas, 464.

LXII. Declaratio circa solutionem ratae tangentis ecclesiasticos regni Sardiniae pro subsidio triremium regis catholici, 465.

LXIII. Confirmatio assignationis bonorum stabilium et reddituum per magnum magistrum hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani factae pro manutenendis arcibus insulae Melitanae, 466.

LXIV. Innovatio Brevis Urbani VIII circa clericos coniugatos Melitanos, 473.

LXV. Confirmatio Brevis sanctissimi domini nostri Urbani Papae VIII circa licentiam alienandi bona immobilia canonicorum regularium congregationis Lateranensis pro centum millium scutorum summâ, 475.

LXVI. Pro Congregatione Cassinensi confirmatio decreti capitularis circa solutionem taxarum, 477.

LXVII. Impositio decimarum ad summam quatuor centum millium scutorum pro Republica Veneta, 478.

LXVIII. Committit vicelegato Avenio-

nensi ac archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis, ut cogant redire ad suos Ordines illos regulares qui ultra montes temere ad Ordinem S. Spiritus transierunt, 483.

LXIX. Confirmatio admissionis catholicorum cantonis Glaronae in Helvetia ad participationem indulti nominandi ad beneficia ecclesiae oppidi Episcopicellae Moguntinae dioecesis, 485.

LXX. Prohibetur conservatoribus et prioribus capitum regionum Urbis, ac officialibus et capppellanis populi romani sub poenâ indignationis, quod in posterum possint mutare nec commodare cuiquam aliquid etiam minimum ex mobilibus et suppellectilibus dicti populi, et prohibitio huiusmodi notificari debeat singulis magistratibus in ingressu eorum officii, 487.

LXXI. Declaratio quod Brevia a nonnullis religiosis religionis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum obtenta ad effectum assumendi habitum presbyterorum secularium, nisi illis utantur infra quatuor menses, censeantur revocata, 487.

LXXII. Deputatio vicelegati Avenionensis in commissarium apostolicum pro componendis differentiis vertentibus inter subditos comitatus Venaissini et principatus Auraicensis super confinibus, 489.

LXXIII. Facultas et privilegia concessa suis cappellae pontificiae cappellanis, 490.

LXXIV. Confirmatio resolutionis congregationis cardinalium et praelatorum a Sanctissimo deputatae in negocio controverso inter monachos abstinentes Ordinis Cisterciensium circa electionem abbatis generalis aliorumque abbatum et officialium ac esum carnium, et novitiorum receptionem, 497.

LXXV. Quod in Ordine fratrum Eremitarum sancti Augustini duo vel plures, in primo vel secundo gradu consanguinei vel affines, nullatenus simul conveniant et votare possint in capitulis aut congregationibus capitularibus, et multo minus definitorium simul ingredi, 498.

LXXVI. Inserit Urbani VIII litteras incipientes: *Exponi nobis nuper fecit, etc.*; confirmatque decretum sacrae congregationis cardinalium super negotiis regularium praepositorum, in quo fratribus Discalceatis Ordinis sanctae Mariae de Mercede super ministerio redemptionis captivorum, ac iure quaerendi, eademque causa eleemosynas colligendi, acceptandique donationes et legata quaecumque, ac superioris generalis electione, independenter a reverendissimo dicti Ordinis magistro generali faciendi, minime concedendam esse audientiam conceditur, 500.

LXXVII. Quod in Congregatione Cassinensi Ordinis sancti Benedicti ad officium cellelariatus decani tantum promoveantur, 501.

LXXVIII. Commmissio nuncio apud imperatorem ad fabricandum processum contra electum Tinnensem et eius familiares, 502.

LXXIX. Confirmatio decreti trium statuum regni Valentiae circa manutentionem mille et ducentorum militum, 503.

LXXX. Innovatio super prohibitione transitus fratrum Discalceatorum Ordinis Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum ad fratres Calceatos eiusdem Ordinis, 504.

LXXXI. Quod fratres Ordinis Eremitarum

S. Augustini praecedant in processionibus et aliis actibus publicis fratres Ordinis Minorum S. Francisci Strictioris Observantiae, 506.

LXXXII. Confirmatio decreti sacrae congregationis S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae, quod conventus seu loca fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini non possint occupari ab aliis regularibus sub quovis titulo vel praetextu, etiam reformationis, nisi prioris generalis eorumdem Eremitarum accedente consensu, 508.

LXXXIII. Declaratio Sanctissimi quod collegium Hibernorum de Urbe, a bonae memoriae cardinale Ludovisio fundatum et dotatum, sit de iurepatronatus excellentissimi domini principis Ludovisii eiusque descendentium, cum diversis indultis, 511.

LXXXIV. Breve pro religione Sancti Basilii Magni super convocatione vocalium ad capitulum generale, et electione assistentium, 515.

LXXXV. Prorogatio concessionis partis fructuum bonorum ecclesiasticorum et monasteriorum in Palatinatu superiori defuncto imperatori factae pro duce Bavariae ad quindecim annos, 517.

LXXXVI. Subiectio castri Montisveteris Forosemproniensis dioecesis legationi Urbinatensi et gubernio civitatis Forosemproniensis, 519.

LXXXVII. Dissolutio unionis Congregationis Doctrinae Christianae in Francia e Congregatione Somascha, 520.

LXXXVIII. Declaratio Sanctissimi circa praeservationem iurium Sedis Apostolicae quoad liberam dispositionem ecclesiarum cathedralium, monasteriorum et beneficiorum ecclesiasticorum civitatum et dioecesum Metensis, Tullensis et Verdunensis, 524.

LXXXIX. Pro congregatione Lateranensi confirmatio decreti definitorii circa solutionem quindenniorum, 526.

XC. Breve exemptionis quorumdam suorum familiarium a spolio, 528.

XCI. Quod fratres laici Cappuccini Ordinis Minorum S. Francisci vocem in electionibus habere possint, 531.

XCII. Reservatio pensionis perpetuae ad favorem sacrosanctae patriarchalis ecclesiae S. Mariae Maioris de consensu maiestatis catholicae, 532.

XCIII. Quod reservatio pensionis perpetuae super Mazariensi in Sicilia ad favorem S. Mariae Maioris de Urbe solvatur non in scutis, sed in ducatis ad rationem tredecim tarenorum pro quolibet ducato, 544.

XCIV. Subrogatio episcopi Laudensis ad exequutioni demandandum Breve Urbani VIII super contributione cleri et personarum ecclesiasticarum Status Mediolanensis, 546.

XCV. Pro religione Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis circa observantiam motusproprii editi ab Urbano PP. VIII, et revocationem consultoratus, 549.

XCVI. Declaratio Sanctissimi quod vigore indulti Urbani Papae VIII licuerit et liceat Congregationis S. Mauri superioribus in capitulis generalibus quaecumque decreta etc. condere et pro tempore innovare, 552.

XCVII. Indultum pro capitulis ecclesiarum metropolitanarum et cathedralium regni Portugalliae circa canonicos poenitentiarios, lectores, magistrales et doctorales dictarum ecclesiarum, 554.

XCVIII. Mandatum inquisitori generali in regnis Hispaniarum, ne aliquid innovet in causâ contra Hieronymum a Villanova, 556.

XCIX. Facultas nuncio Hispaniarum praesentandi inquisitori generali Hispaniarum Breve continens ne ipse inquisitor generalis aliquid innovet in causâ Francisci a Villanova cum aliis facultatibus opportunis, 557.

C. Impositio decimae a clero et personis ecclesiasticis regnorum Castellae et Legionis regi catholico persolvenda, 559.

CI. Iubilaeum universale almae Urbi concessum ad divinam opem implorandam, 562.

CII. Quod fratres laici seu conversi Tertii Ordinis S. Francisci Congregationis Gallicanae, post quartum annum ab emissâ professione, habeant votum in electionibus, 565.

CIII. Erectio oppidi Rupellae in episcopatum, 567.

CIV. Confirmatio erectionis seminarii puerorum factae a Ioanne Palafox et Mendoza episcopo Angelopolitano in Indiis occidentalibus, 571.

CV. Facultas provisoribus sanitatis civitatis Anconitanae procedendi contra transgressores ordinationum pro sanitate factarum, etiam ad capitalem sententiam, 574.

CVI. Erectio collegii Maronitarum in civitate Ravennatensi, sub regimine congregationis de Propaganda Fide cum solitis privilegiis similium collegiorum Pontificorum, 575.

CVII. Commissio episcopo et inquisitori generali Melitano ut cogant etiam ecclesiasticos ad contributionem et extinctionem monetae aeneae, 580.

CVIII. Confirmatio erectionis academiae pro facultatibus theologiae, iuris canonici, et philosophiae in civitate Burgensi, cum solitis privilegiis similium academiarum, etc., 582.

CIX. Breve confirmationis privilegiorum hospitalis S. Ioannis Hierosolimitani, 585.

CX. Confirmatio aliquot responsorum congregationis sacri Concilii Tridentini ad quaedam dubia per capitulum ecclesiae Conchensis proposita circa visitationem episcopi et adhibitionem adiunctorum contra canonicos et capitulares dictae ecclesiae, 588.

CXI. Facultas regi catholico confirmandi applicationem mille ducatorum annuorum collegio Salamantino militiae de Alcantara ab eo factam, 590.

CXII. Commissio auditori camerae contra senatum civitatis Messanensis illiusque senatores ministros et alios qui eripi fecerunt frumentum, quod ex orâ maritimâ Marchiae Anconitanae mari vehebatur ad portum Civitatis Veteris pro usu Romanae Curiae, cum amplissimis facultatibus, etiam supponendi interdicto ecclesiastico praedictam civitatem eiusque territorium, 591.

CXIII. Confirmatio Brevium Clementis VIII et Pauli V super erectione et privilegiis academiae oppidi Zamoschi Chelmensis dioecesis, et facultas dandi gradus etiam in theologia, etc., 594.

CXIV. Suppressio officii vicarii generalis Congregationis Gallicanae Tertii Ordinis sancti Francisci, 598.

CXV. Prorogatio subsidii ad decennium pro Ferdinando magno duce Hetruriae, 600.

CXVI. Declaratio nullitatis articulorum nuperae pacis Germaniae religioni catholicae, Sedi Apostolicae, ecclesiis, aliisque locis piis, et personis ac iuribus ecclesiasticis quomodolibet praeiudicialium, 603.

CXVII. Ut alumni seminarii civitatis Angelopolitanae in Indiis occiden-

talibus, post completa sua studia in dicto seminario, possint, praevio rigoroso examine, graduari in universitate Mexicanâ in philosophiâ ac theologiâ, et sacris canonibus, licet non studuerint in dictâ universitate, 606.

CXVIII. Confirmatio constitutionum in formâ specificâ Congregationis ecclesiasticorum sub invocatione S. Petri erectae auctoritate ordinariâ in civitate Angelopolitana, 607.

CXIX. Decreta et Constitutiones monachorum Ordinis sancti Basilii Magni promulgata a sacrâ congregatione sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ et a sanctissimo domino nostro Innocentio PP. X approbata et confirmata, 614.

CXX. Confirmatio decreti Congregationis episcoporum et regularium circa exclusionem exprovincialis et patris dignioris provinciae S. Bernardini Recollectorum S. Francisi in Gallia a definitoriis, 618.

CXXI. Facultatem Inquisitori et episcopo Melitano ut pro extinctione monetae aeneae contribuant etiam ecclesiastici dictae insulae, 619.

CXXII. Renovatio indulgentiarum et aliarum gratiarum spiritualium pro christifidelibus Indiarum occidentalium, 622.

CXXIII. Declarat incurrisse in excommunicationis maioris aliasque poenas canonicas eos qui episcopum Castrensem occiderunt, aut mandatum dederunt, 626.

CXXIV. Indictio universalis iubilaei anni sancti millesimi sexcentesimi quinquagesimi, 628.

CXXV. Suspensio quarumcumque Indulgentiarum durante anno universali iubilaei MDCL, 632.

CXXVI. Commissio episcopo Antuerpiensi ut monasterium Gemblacensem Ordinis S. Benedicti visitet, 634.

CXXVII. Prohibitio capitularibus ecclesiae Leodiensis ne, occorrente vacatione dictae ecclesiae, ad electionem episcopi deveniant sine licentiâ Sedis Apostolicae, 635.

CXXVIII. Confirmatio decreti translationis capituli Leodiensis a civitate Leodiensi ad oppidum de Huii iuxta quasdam litteras Clementis VI facti per episcopum et maiorem partem capitularium ecclesiae Leodiensis in dicto oppido existentium, 637.

CXXIX. Subsidium centum millium scutorum super fructibus ecclesiasticis pro Republica Veneta, 638.

CXXX. Suppressio ecclesiae Castrensis, et erectio epicopatus Aquaependentis, 641.

CXXXI. Renovatio concessionis medietatis fructuum legatorum piorum pro manutentione praesidii Reipublicae Ragusinae, 644.

CXXXII. Constitutio circa statum regularium in Italia et insulis adiacentibus, 647.

CXXXIII. Confirmatio, declaratio et extensio constitutionum apostolicarum de non contrahendo in favorem forensium super bonis stabilibus in Statu Ecclesiastico consistentibus, 649.

CXXXIV. Concessio indulgentiarum praesentis anni iubilaei pro monialibus, anachoretis, eremitis, carceratis et infirmis, 657.

CXXXV. Declaratio circa divisionem provinciae Franciae Ordinis Eremitarum S. Augustini aliàs factam, 658.

CXXXVI. Absolutio regis catholici ob conversionem proventuum cruciatae subsidii et primae decimae in alios usus quam eos, pro quibus concessi sunt, cum decreto ut imposterum

observetur in omnibus et per omnia tenor gratiarum huiusmodi, 661.

CXXXVII. Declaratio quod indulgentia Portiunculae in anno sancto non revocatur, 662.

CXXXVIII. Constitututio super approbatione et usu caeremonialis episcoporum et aliorum ecclesiarum praelatorum novissime reformati, 663.

CXXXIX. Mittit reginae Poloniae rosam auream benedictam, 664.

CXL. Mittit regi Poloniae ensem et pileum benedictos, 664.

CXLI. Subsidium decem et novem millionum cum dimidio alterius millionis a personis ecclesiasticis regnorum Castellae et Legionis regi catholico persolvendum, 665.

CXLII. Dat facultatem nuncio Hispaniarum faciendi transcribi acta et processum Hieronymi Villanovae sibi a ministris inquisitionis Hispaniarum tradenda illorumque copiam Romam mittendi, si originale tuto transmitti non possit, 669.

CXLIII. Suppressio Ordinis S. Basilii de Armenis, 670.

CXLIV. Restitutio quoad cognitionem causarum criminalium, cumulative cum Burgi gubernatore, pro gubernatore Urbis nunc et pro tempore existenti, cum revocatione Brevis Urbani VIII quo gubernatorem dictae Urbis excluserat a cognitione dictarum causarum, 672.

CXLV. Facultas nuncio Sabaudiae cognoscendi causas in secundâ instantiâ universitatum S. Benigni Montanari et Lombardoni, nullius dioecesis, provinciae Taurinensis, 673.

CXLVI. Deputatio nuncii Hispaniarum ad exigendam eleemosynam centum millium scutorum auri ratione novissimae prorogationis cruciatae pro fabricâ S. Petri de Urbe, 674.

CXLVII. Deputatio nuncii Hispaniarum ad exigendam eleemosynam mille et quingentorum scutorum quotannis, ratione extensionis facultatum cruciatae ad personas ecclesiasticas seculares dumtaxat vescendi ovis et lacticiniis, pro fabricâ S. Ioannis Lateranensis, 675.

CXLVIII. Suppressio Congregationis regularis presbyterorum Boni Iesu, 677.

CXLIX. Reductio congregationis Boni Iesu suppressae in abbatiam secularem sub invocatione Boni Iesu, 679.

CL. Prohibitio extrahendi libros e bibliothecis domorum fratrum Reformatorum Strictioris Observantiae provinciae Romanae, 683.

CLI. Quod procamerarius S. R. E. tunc et pro tempore deputatus non possit a quoquam amoveri praeterquam a Suâ Sanctitate et suo successore Romano Pontifice, quodque collegium cardinalium, Sede vacante, illum removere nequeat, 684.

CLII. Translatio indulgentiae plenariae perpetuae concessae a felicis recordationis Gregorio XV ecclesiis Societatis Iesu in festo S. Francisci Xaverii, in feriam secundam Adventus, quando festum sancti Francisci Xaverii venerit in primâ dominicâ Adventus, 686.

CLIII. Pro Congregatione Cassinensi prorogatio ad extinguendos census, 687.

CLIV. Constitutio circa transumpta litterarum et supplicationum Apostolicarum, 688.

CLV. Ut archiepiscopus Lucanus concedat facultatem ecclesiasticis ipsius Reipublicae contribuendi pro ratâ in expensis excavationis fossae pro aquarum derivatione, 692.

CLVI. Declaratur Congregationem clericorum Doctrinae Christianae regni

Franciae post dissolutionem unionis a Congregatione a Somaschae fuisse redactam ad statum secularem, 694.

CLVII. Constitutio super extinctione et suppressione parvorum conventuum, eorumque reductione ad statum secularem, et bonorum applicatione, ac prohibitione erigendi nova loca regularia in Italiâ et insulis adiacentibus, 696.

CLVIII. Confirmatio statuti pro Ordine militari B. Mariae de Montesia, et S. Gregorii de Alfama a rege catholico uti administratore dicti Ordinis editi, quod in lineis, in quibus inveniuntur tres actus positivi nobilitatis, seu puritatis sanguinis, in dicto Ordine legitime facti, habeantur pro re iudicatâ, ita ut constituti in praefatis lineis habeantur pro nobilibus et puris, 701.

CLIX. Confirmatio Brevium Pauli V, Gregorii XV et Urbani VIII, quibus statuitur, quod canonici doctorales, magistrales, lectorales et poenitentiarii, ac primae dignitates post pontificalem in cathedralibus et principales in collegiatis necnon parochi non possint esse episcoporum familiares, 702.

CLX. Confirmatio decreti particularis congregationis cardinalium et prelatorum, quo declaratur Breve, aliàs a Suâ Sanctitate super controversiis iurisdictionalibus inter episcopum Angelopolitanum et patres Societatis Iesu vertentibus emanatum, iustificatum esse, et per consequens eius exequutionem non esse impediendam aut retardandam, 704.

CLXI. Statutum super controversiis iurisdictionalibus inter abbatem generalem Ordinis Praemonstratensium, et communitatem antiqui rigoris eiusdem Ordinis, 706.

CLXII. Facultas arciepiscopo Athenarum, nuncio Franciae, super receptione et custodiâ domini cardinalis Gondi de Retz nuncupati, 708.

CLXIII. Facultas archiepiscopo Avenionensi super receptione et custodiâ cardinalis Gondi de Retz nuncupati, 709.

CLXIV. Constitutio innovans sanctiones canonicas contra falsarios litterarum apostolicarum, cum illarum declaratione, extensione et novarum poenarum adiectione, 710.

CLXV. In causa Angelopolitana iurisdictionis in Indiis occidentalibus novae Hispaniae, 713.

CLXVI. Confirmatio decreti particularis congregationis cardinalium et praelatorum quo declaratur in causâ vertente inter episcopum Angelopolitanum in Indiis et religiosos Societatis Iesu super electione et deputatione eorum conservatorum, non fuisse locum electioni talium conservatorum, et ut pareatur Brevi Sanctissimi, cum imposiitione perpetui silentii, 718.

CLXVII. Declarantur et definiuntur quinque propositiones in materiâ fidei, 720.

CLXVIII. Confirmatio privilegiorum Ordinis monachorum Congregationis Cisterciensis, 721.

CLXIX. Impositio decimarum pro Republica Veneta, aliàs a Clemente VIII, Paulo V, Gregorio XV et Urbano VIII impositarum, 722.

CLXX. Oppidum Pratense in civitatem, et ecclesiam collegiatam S. Stephani in cathedralem erigit, eamdemque Pistoriensi perpetuo unit, 727.

CLXXI. Commissio episcopo et inquisitori Melitano, et licentia magno magistro hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani imponendi gabellam univer-

sitati et hominibus insularum Gaudisii et Melitiae, 731.

CLXXII. Subsidium centum millium scutorum super fructibus ecclesiasticis Reipublicae Venetae pro eâdem Republicâ, 736.

CLXXIII. Declaratio nullitatis litterarum senatus Mediolani super observatione festivitatis S. Dominici in dicto Statu, 739.

CLXXIV. Suppressio litis inter episcopum Cracoviensem, universitatem, ac academiam pendentis in sacrae Rotae auditorio super iurisdictione et exemptione, 739.

CLXXV. Nova deputatio trium conservatorum pro clero secundario civitatis et dioecesis Leodiensis a iurisdictione Ordinarii exempto, 741.

CLXXVI. Absolutio provincialis et fratrum Cappuccinorum provinciae Aragoniae et Navarrae ob recursum ad iudices laicos in causâ rotali contra Observantes eiusdem S. Francisci, 743.

CLXXVII. Commissio archiepiscopo Mediolanensi, seu eius vicario generali, ad fabricandum et transmittendum processum contra duos sicarios et homicidas barigelli campestris Mediolanensis, extractos ex ecclesiâ et contra Franciscum Pirovanum referendarium utriusque signaturae, praetensum complicem seu mandantem praedicti homicidii, 744.

CLXXVIII. Commissio tribus episcopis Franciae ad capiendam informationem supere epistolâ pastorali archiepiscopi Senonensis, 745.

CLXXIX. Iubilaeum pro provinciis Belgicis, 746.

CLXXX. Absolutio ob recursum ad iudices laicos super fundatione collegii Societatis Iesu pro civitate, regularibus et capitulo cathedralis et rectoribus parochialium ecclesiarum Maioricensium factum, 748.

CLXXXI. Decretum super administratione cellerariorum Congregationis Cassinensis, 749.

CLXXXII. Dismembratio bonorum, fructuumque, et reddituum pro peregrinis Bohemis, et aliis pauperibus, aliàs applicatorum ecclesiae S. Mariae in Cappella Transtyberim, ab eâdem ecclesiâ, et applicatio illorum archiconfraternitati Sanctissimae Trinitatis de Urbe, etc., 751.

CLXXXIII. Super subiectione cappellanorum massae capituli ecclesiae metropolitanae Ianuensis in iis, quae spectant ad servitium ecclesiae, 753.

CLXXXIV. Super subiectione nonnullorum conventuum iurisdictioni Ordinarii tamquam Sedis Apostolicae delegati, 754.

CLXXXV. Confirmatio litterarum Urbani VIII pro Congregatione Lateranensi canonicorum regularium Ordinis S. Augustini, alienandi bona stabilia pro summâ centum millium scutorum, pro solutione montium cameralium, 756.

CLXXXVI. Declaratio nullitatis novitatum et actuum iurisdictionalium in castro S. Caesarii factorum per ducem Mutinensem, seu eius ministros aut eorum iussu, 758.

CLXXXVII. Commissio octo episcopis Franciae ad capiendam informationem super epistolâ pastorali archiepiscopi Senonensis super libro Cornelii Iansenii, cui titulus: *Augustinus Cornelii Iansenii*, 760.

CLXXXVIII. Canonici ecclesiae Hispalensis absolvuntur a censuris ob recursum ad iudices laicos incursis, 761.

CLXXXIX. Iubilaeum pro Indiis occidentalibus, 762.

CXC. Confirmatio concordiae initae inter episcopum Costantiensem, tamquam abbatem perpetuum monasterii Augiae Ordinis S. Benedicti apostolicâ auctoritate constitutum, et monachos huiusmodi super statu et gubernio dicti monasterii, 764.

CXCI. Erectio Montis Pietatis in civitate Cracoviensi, cum assignatione dotis, 767.

CXCII. Confirmatio ministri generalis fratrum Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum, hac tamen lege adiectâ, ut singulis sexeniis convocari debeat capitulum generale, 768.

CXCIII. Quod commendatarii, monasteria Ordinis Cisterciensis in commendam obtinentes, non possint priores et officiales eiusdem Ordinis instituere ac destituere, nec visitare monachos, eosdemque corrigere, 770.

CXCIV. Suppressio tituli cardinalatus ecclesiae S. Agnetis in Agone, et erectio similis tituli in ecclesiâ eiusdem S. Agnetis extra moenia Urbis, 773.

CXCV. Commissio septem episcopis Franciae super verificatione epistolarum pastoralium archiepiscopi Senonensis, necnon Bellovacensis et Convenarum episcoporum ac ordinationis eiusdem episcopi, 775.

CXCVI. Commissio archiepiscopo Bituricensi et episcopo Olorensi pro executione Brevium super declaratione secularitatis Congregationis Doctrinae Christianae in Galliâ emanatorum, 776.

CXCVII. Confirmatio statutorum in capitulis generalibus Congregationis Oratorii Iesu Christi Domini nostri, pro felici eius directione conditorum, 777.

CXCVIII. Ut in Neapolitano regno festum Sancti Patris Dominici sit ad opere feriatum, 779.

CXCIX. Confirmatio decreti congregationis Concilii declarantis quod decanus et capitulum ecclesiae Bellovacensis in eorum territorio veniant sub appellatione Ordinariorum, 780.

FINIS TOMI DECIMIQUINTI.

V. ex delegatione D. D. Archiepiscopi Taur.
P. CLODOVAEUS A COSTILIOLIS Ord. Min.

ERRATA-CORRIGE

HUIUS NOSTRAE EDITIONIS.

Pag.	326 *b*	linea	19 — 18 iulii 1643	*Lege*	28 iulii 1644
»	333 *a*	»	18 — 10 novembris	»	8 novembris
»	335 *a*	»	16 — 16 decembris	»	15 novembris
»	336 *a*	»	20 — 16 decembris	»	15 novembris
»	374 *a*	»	17 — servates	»	servantes
»	374 *b*	»	5 *ult.* — titularium 4, omnia	»	titularium, 4 omnia
»	375 *a*	»	2 *ult.* (in nota) — distinet	»	distinct.
»	475 *b*	»	13 — modernus	»	Modernus
»	595 *b*	»	23-24 — MDCXXIV an. I	»	MDXCIV an. III.

Typothetarum specimina
repetitis curis contulit et revisit I. B. Dusso Taurinensis.

25405

262.11
T 195 TAURINENSIS

AUTHOR
Bullarium Diplom. et Privilegiorum

TITLE
Tome XV

DATE DUE	BORROWER'S NAME
	Smyth
	O'Brien

25405